This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Digitized by Google

Du Bois.

Digitized by Google

Digitized by Google




BIBLIOTHEQUE DE L'UNIVERSITE DE GAND

Digitized by Google

Digitized by Google

## AMICE LECTOR,

*Kalendarium, quod vides, cum in vetuſtis membranis reperiſſem, quamvis mendoſum fœdéque depravatum multis partibus & ab homine hujus argumenti non ſatis perito confectum, quia tamen Faſtis Naſonianis attexitur plerumque in codicibus antiquis, nos quoque illud in editione hac noſtra nequaquam duximus omittendum, adornaturi & ipſi aliquando Faſtos, qui Naſonianis accuratius reſpondeant. Vale.*

# KALENDARIUM.

## JANUARIUS.

| | | |
|---|---|---|
| A | Kal. | Januarii. Jani feſtum, Junonis, Jovis, & Æſculapii. |
| b | IV. | No. |
| c | III. | No. Cancer occidit coſmice. |
| d | II. | No. |
| e | Nonis. | Lyra oritur. |
| f | VIII. | Id. |
| g | VII. | Id. |
| A | VI. | Id. Feſta Jani Agonalia. Delphin oritur. |
| b | V. | Id. Medietas hyemis. |
| c | IV. | Id. |
| d | III. | Id. Feſta Carmentis & Juturnæ. |
| e | II. | Id. |
| f | Idibus. | Feſtum Jovis. Redditæ ſunt provinciæ populo Romano. |
| g | XIX. | Cal. Febr. Cæſar Auguſtus vocatur. |
| A | XVIII. | Kal. Sacrificium Carmentis. Feſtum Porrimæ & Poſtvertæ, |
| b | XVII. | Kal. Feſtum Concordiæ. |
| c | XVI. | Kal. |
| d | XV. | Kal. Sol in aquario. |
| e | XIV. | Kal. |
| f | XIII. | Kal. |
| g | XII. | Kal. |

A xi. Kal.

b x. Kal.

c ix. Kal. Lyra occidit.

d viii. Kal. Pectus Leonis occulitur.

e vii. Kal.

f vi. Kal. Feſtum Caſtoris & Pollucis. ]

g v. Kal.

A iv. Kal.

b iii. Kal. Feſtum Pacis.

c ii. Kal.

## FEBRUARIUS.

d Kal. Febr. Templum factum eſt Carmenti. Celebratur Aſylum.

e iv. Non. Lyra penitus occidit.

f iii. Non. Occidit Delphin.

g ii. Non.

A Nonis. Auguſtus dictus eſt pater patriæ. Aquarius vadit ad occaſum.

b viii. Id.

c vii. Id. [Primus dies Feralium.]

d vi. Id.

e v. Id. Ver incipit.

f iv. Id. Initium Veris.

g iii. Id. Bootes oritur. & eſt feſtum Fauni.

A ii. Id.

b Idibus. Feſtum Jovis & Fauni. Nefaſtus dies Fabiorum.

c xvi. Kal. Martii. Anguis, Corvus, Crater oriuntur.

d xv. Kal. Sol intrat in Piſces. Iterum Fauni.

e xiv. Kal.

f xiii. Kal. Feſtum Quirini. Feſtum ſtultorum & Fornacis.

g xii. Kal. Feralia.

A xi. Kal. Cariſtia virorum.

b x. Kal. Termini.

c ix. Kal.

d viii. Kal. Fuga Tarquinii Superbi. Veris initium.

e vii. Kal.

f vi. Kal.

g v. Kal.

A iv. Kal.

b iii. Kal. Equiria in campo Martio.

c ii. Kal.

MAR-

Digitized by Google

# MARTIUS.

d Kal. Martii. Feſtum Martis & Junonis. Ancilia feruntur. non eſt bonum nubere.
e vi. Non.
f v. Non. Alter piſcium conditur. Oritur vindemitor.
g iv. Non. Bootes citius, vindemitor tardius occidunt coſmice.
A iii. Non. Feſtum Veſtæ. Cathedra Julii.
b ii. Non. Feſtum Vejovis. Pegaſus oritur heliace.
c Nonis.
d viii. Idib. Corona Ariadnes oritur.
e vii. Id.
f vi. Id.
g v. Id.
A iv. Id.
b iii. Id.
c ii. Id. Altera Equiria fiunt juxta Tyberim.
d Idibus. Feſtum Annæ Perennæ. Julius Cæſar occiſus in Capitolio.
e xvii. Kal. Aprilis. Scorpius oritur.
f xvi. Kal. Milvius oritur. Feſtum Bacchi. Vilis anicula hederis coronata vendit populo libatum. Melle Libero patri ſacrificamus. Libera toga datur Milvus oritur chronice. Feſtum eſt Ledæorum qui fuerunt Argivi, vel Larium.
g xv. Kal.
A xiv. Kal. Quinquatria Palladis captæ.
b xiii. Kal.
c xii. Kal.
d xi. Kal. Sol in Arietem.
e x. Kal. Ultimus dies quinquatruum.
f ix. Kal.
g viii. Kal. Æquinoctium vernale.
A vii. Kal.
b vi. Kal.
c v. Kal. Feſtum Jani, Concordiæ, Pacis, & Salutis.
d iv. Kal.
e iii. Kal.
f ii. Kal. Feſta Lunæ labentis. templum in Aventino monte.



Digitized by Google

## APRILIS.

g Kal. Aprilis. Feſtum Veneris & Virilis Fortunæ. Scorpius occidit.
A iv. Non Pleiades oriuntur.
b iii. No. Meretrices lavantur ſub myrtho. Fors Fortuna Virilis. Scorpius occidit coſmice.
c ii. No. Hebæ & Matri Deorum. Megalenſes ludi fiunt.
d Nonis. Feſtum Publicæ Fortunæ.
e viii. Id. Orion occidit chronice.
f vii. Id. Feſtum Cerealium ludorum. Libra occidit coſmice. Juba victus eſt à Jul. Cæſare.
g vi. Id.
A v. Id.
b iv. Id.
c iii. Id.
d ii. Id.
e Idibus. Feſtum Jovis Victoris. Templum.... Libertatis.
f xviii. Kal. Maji. Dies grandinoſa. Auguſtus Cæſar vicit Mutinenſes.
g xvii. Kal. Forda litatur Telluri.
A xvi. Kal. Triumphus Auguſti. Hyades occidunt heliace.
b xv. Kal. Sol in Taurum.
c xiv. Kal. Equiria Combuſtio vulpium.
d xiii. Kal. Feſta Palis. Roma condita.
e xii. Kal. Feſta Veneris Vinalia.
f xi. Kal.
g x. Kal.
A ix. Kal.
b viii. Kal.
c vii. Kal.
d vi. Kal. Feſtum Rubiginis. Aries oritur heliace * Prothius oritur coſmice, occidit heliace. Tempora Veris prima finita ſunt.
e v. Kal.
f iv. Kal. Feſtum Floræ & Veſtæ.
g iii. Kal.
A ii. Kal.

## MAJUS.

b Kal. Maj. Amalthea capra oritur coſmice. Ara Laribus poſita.
c vi. No. Flat ventus Argeſtes. Hyades oriuntur coſmice.

Digitized by Google

mice. Finis Floralium.
d v, No. Panthera Chironis oritur chronice.
e iv. No.
f iii. No. Stellificatio Lyræ. Sagittarius oritur.
g ii. No. Scorpius apparet in parte media.
A Nonis.
b viii. Id. Lemuria celebrantur. non eſt bonum nubere.
c vii. Id. Orion occidit chronice.
d vi. Id. Feſtum Martis Biſultoris.
e v. Id.
f iv. Id.
g iii. Id.
A ii. Id. Pliades oriuntur heliace. æſtas incipit.
b Idibus. Ora tauri oriuntur heliace. Scirpea ſimulacra mittuntur in Tiberim. Feſtum eſt Mercurii.
c xvii. Kal. Junii.
d xvi. Kal. Junii.
e xv. Kal. Sol it in geminos. Agonia Junii fiunt.
f xiv. Kal. Canis Orionis exit.
g xiii. Kal. Luſtra Vulcani fiunt.
A xii. Kal.
b xi. Kal.
c x. Kal. Mos ſacrorum pro fuga Tarquinii faciundorum, non modo ineſt fuga Tarquinii. ineſt viii. Kal. Mart.
d ix. Kal. Feſtum Publicæ Fortunæ.
e viii. Kal. Roſtra aquilæ oritur chronice.
f vii. Kal. Bootes occidit heliace.
g vi. Kal. Hyas occidit heliace, oriens coſmice.
A v. Kal.
b iv. Kal.
c iii. Kal.
d ii. Kal.

## JUNIUS.

e Kal. Junii. Feſta Carnæ, Junonis Monetæ, Martis, & Tempeſtatis. Aquila oritur chronice.
f iv. No. Hyades oriuntur heliace.
g iii. No. Bellonæ Feſtum.
A ii. No. Dedicatio templi Herculis.
b Nonis. Feſtum Trinomii dei Fidei Sancti Semipatris.



Digitized by Google

Malum eſt nubere ante Idus.

c viii. Idus.
d vii. Id. Tergum urſæ occidit heliace, & regis Lycaoni. Lycaonida fiunt, ludi Tyberis.
e vi. Id. Datum eſt templum Menti. Feſtum eſt Veſtæ. Aſinus coronatur. Ara Priapi. Priori Palladium liberatur ab igne Gallico. Mors Craſſi & ſuorum.
f v. Id. Delphin oritur chronice.
g iv. Id. Matralia fiunt. Rutilius & Didius occiduntur. Templum Fortunæ Servius; Concordiæ Livia dedicavit.
A iii. Id.
b ii. Id.
c Idibus. Jovi invicto datum eſt templum. Minora quinquatria Palladis fiunt.
d xviii. Kal. Julii.
e xvii. Kal. Dione orta eſt heliace in fronte Tauri.
f xvi. Kal. Flat Zephyrus proſper navigantibus.
g xv. Kal. Sol in Cancrum. Pallas colitur in Aventina arce.
A xiv. Kal. Secundus ventus. Orion oritur heliace.
b xiii. Kal. Delphin oritur chronice. Sol in Cancrum. Volſci & Æqui vincuntur.
c xii. Kal. Æſculapius, qui & dicitur Ophiuchus & Serpentarius, chronice oritur.
e x. Kal.
f ix. Kal. Victus eſt Flaminius.
g viii. Kal. Syphax vincitur. Haſdrubal occiditur. Feſtum fortis Fortunæ. Solſtitium.
A vii. Kal. Feſtum Larium & Jovis Statoris.
b vi. Kal. Orion apparet à Zona inferius. Solſtitium.
c v. Kal. Laurum.
d iv. Kal. Templo Quirino factum.
e iii. Kal.
f ii. Kal. Feſtum Pieridum.

P. OVI-

Digitized by Google

# P. OVIDII NASONIS
# FASTORUM
## LIBER I.

TEmpora cum cauſſis Latium digeſta per annum,
Lapſaque ſub terras, ortaque ſigna, canam.
Excipe pacato, Cæſar Germanice, vultu
Hoc opus: & timidæ dirige navis iter.
Officiique levem non averſatus honorem,
En tibi devoto munere, dexter ades.

Sacra

LIBRI VI. FASTORUM. ] *Numero* XII. *eſſe debuerant; imo & fuerunt. ipſe Faſtographus in Triſtib.* Sex ego Faſtorum ſcripſi, totidemque libellos. *Sed hos periere: triſte naufragium, lugete litteræ. Quo autem tempore hos ſcripſerit, habes ex ejus vitâ. At de Poëta obitu vide quæ ſcripſit Joſ. Scalig. ad Euſebii annum* MMXXXIII.

1. *Tempora cum cauſis.* ] Eſt hæc propoſitio ſummæ totius operis bipartita. nam & dicturum ſe tempora pollicetur, & ortus occaſusque ſignorum. Eſt autem Ortus cujuſlibet Aſtri elevatio ſeu aſcenſus ejus ſupra Horizontem; vel certe apparitio ejuſdem, quod antea ob vicinitatem Solis non conſpiciebatur. Occaſus vero eſt depreſſio ſeu deſcenſio Aſtri infra Horizontem, vel certe occultatio ejus, ita ut amplius cerni nequeat propter Solis propinquitatem. Itaque Ortus omnis aſtrorum & Occaſus ſumitur vel comparatione Horizontis, vel comparatione Solis. Hinc fit ut apud Poëtas triplex ſit ortus occaſuſque Syderum: nempe Coſmicus & Chronicus, qui duo penes Horizontem ſumuntur, & Heliacus qui ad Solem refertur. *Latium per annum.* ] Tria autem annorum genera ex ſideribus colliguntur. Eſt annus lunaris; dierum triginta. Eſt ſolſtitialis, continens duodecim menſes. Eſt & magnus, quem eſſe volunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum. *Ant.* *Tempora cum.* ] Ut Eratoſthenes. qui τὰ φαινόμενα cum cauſis & fabulis conſcripſit. *Neapol.*

3. *Cæſar Germanice.* ] Perperam aliqui hoc opus Tiberio dicatum putant: nam hic, cui ſacravit Ovidius, eſt Cæſar ille Druſi Claudii Neronis filius; mater ei fuit Antonia minor, patruus Tiberius Nero, ſed poſtea adoptione pater. Vide Dionem Caſſium lib. LV. Germanici vero cognomen hic meruit ob patrem; quem & poſteros Senatus Germanicos dici voluit. Parens tamen defunctus eo cognomine inſigniri cœpit. *Neap.*

5. *Officioque.* ] *Officiique* Fulvii Urſini liber omnium veterrimus, literis Longobardicis exaratus, qui in Vaticana extat bibliotheca, & alii nonnulli ex melioribus. recte. *Heinſ.*

6. *Huic tibi devoto numine dexter ades* ] Idem codex Urſini, cum tribus aliis,

*En tibi devoto munere dexter ades.*

quod & in ſuis Naugerius invenerat. nonnulli alii *Huic tibi devoto munere.* Opinor caſtigandum, *In tibi devoto munere.* ſic infra.



Digitized by Google

Sacra recognoſces Annalibus eruta priſcis;
  Et quo ſit merito quæque notata dies.
Invenies illic & feſta domeſtica vobis.
  Sæpe tibi Pater eſt, ſæpe legendus Avus.
Quæque ferunt illi pictos ſignantia Faſtos,
  Tu quoque cum Druſo præmia fratre feres.

Cæ-

*Inque meo primus carmine Janus adeſt.* Vulgata lectio ſenſum commodum non habet, niſi reponas *mihi devoto numine.* ſed præſtat altera ſcriptura. *munera* vocat ſimili modo hoc ipſum opus lib. II.

*Ergo ades, & paulum placido mea munera vultu Reſpice.*

Idem. *Huic officio.* ] Officioſo labori meo. *Tibi devoto.* ] *Operi huic Faſtorum, tibi conſecrato:* vel quod in perpetuum tibi devovetur, & traditur. *Paul.*

7. *Sacra recognoſces.* ] Nunc captatur attentio, cum ea ſe dicturum pollicetur, quæ ad deorum religionem pertinent. Cæterum è ſacris alia publica ſunt, alia privata. *Publica*, quæ pro populo fiunt: *Privata*, quæ pro ſingulis familiis. *Ant.* *Annalibus priſcis.* ] Hic mentio fit annalium eorum, qui dicebantur & Pontificalium libri, & commentarii Pontificum: his enim impoſita erat ea cura, ut res geſtas in tabulas referrent. Cic. de Oratore: *Erat initio Hiſtoria nihil aliud niſi annalium confectio: cujus rei memoriæque publicæ retinendæ cauſâ, ab initio rerum Romanar. uſque ad P. Mucium Pontificem Maximum, res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus, referebatque in album, &c. iique nunc Annales maximi nominantur.* Cur *Maximi* dicti ſint oſtendit Feſti Abbreviator: Non magnitudine, inquit, ſed quod eos exaraſſet Pontifex Max. Tum nec diffuſe omnia in illis ſcripta, ſed preſſe & ſtricte, brevibus, non integris notis. *Neapol.*

10. *Sæpe tibi pater, &c.* ] Druſus Claudius verus pater, ſive Tiberius adoptivus; malim hunc. *Legendus avus.* ] Octavianus Auguſtus, quippe qui Tiberium adoptavit.

11. *Pictos ſignantia faſtos.* ] *Feſtos faſtus* idem Urſini codex & duo aut tres alii *faſtus* pro *faſtos* etiam apud Horatium, Lucanum, alios invenies. de quo Notis ad Claudianum. Servius tamen ad lib. III. Æn. tanquam errorem in Lucano id ipſum notat. Horatius lib. II. Epiſt. I.

*Qui redit ad faſtos & virtutem æſtimat annis.*

ubi libri veterrimi *faſtus* quoque. Noſter lib. VI.

*Inſpice quos habeat nemoralis Aricia faſtus.*

ita codex inter Mediceos primæ vetuſtatis. & hoc ipſo libro infra cum uno Farneſiano,

*Ter quater evolvi ſignantes tempora faſtus.* Heinſ.

*Pictos Faſtos.* ] Bene miſcet annales Pontificios cum Faſtis: in illis enim libris quicquid erat, in his viſebatur exaratum: nam qua die quicquid eveniſſet, faſta ſeu nefaſta, recenſendum erat in Annalibus. Sed, præter hos, duæ erant apud veteres tabulæ, quibus faſtorum nomen erat inditum: una, in qua varia dierum jura inciſa; ſolemnia deorum ſacra, ludi & feriæ in eorundem honorem; res & victoriæ aliquot inſignes. Vide Valer. lib. II. cap. V. Altera tabula erat, in qua nomina fere omnium Magiſtratuum continebantur: frequens hujus apud Scriptores mentio. *Neap.* *Pictos ſignantia faſtos.* ] Minio vel rubrica. *Ant.*

12. *Cum Druſo fratre.* ] Hic non filius Druſi Neronis, ſed nepos ex fratre Tiberio. Germanico ergo frater erit adoptivus. *Neapol.*

13. *Cæſa-*

Cæſaris arma canant alii; nos Cæſaris aras:
  Et quoſcunque ſacris addidit ille dies.
Annue conanti per laudes ire tuorum:
  Deque meo pavidos excute corde metus.
Da mihi te placidum; dederis in carmina vires.
  Ingenium vultu ſtatque caditque tuo.
Pagina judicium docti ſubitura movetur
  Principis, ut Clario miſſa legenda Deo.
Quæ ſit enim culti facundia ſenſimus oris,
  Civica pro trepidis cum tulit arma reis.
Scimus &, ad noſtras cum ſe tulit impetus artes,
  Ingenii currant flumina quanta tui.
Si licet, & fas eſt, vates rege vatis habenas:
  Auſpice te felix totus ut annus eat.

TEmpora digereret cum conditor Urbis, in anno
  Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.
Scilicet arma magis, quam ſidera, Romule, noras:

Cu-

13. *Cæſaris* ] Poteſt hoc & ad Julium Cæſ. referri, & ad Auguſtum: quorum alter relatus in deos, alter relatum comprobavit, & templa multa ſacravit, pluresque dies ſtatos inſtituit, & deorum cultum reformavit. *Aras Cæſaris.* ] Aras quæ Cæſari dedicatæ ſunt, ob ejus merita: vel quas ipſe vivens, aut Auguſtus conſecraſſet, & cum aris, ſacra quoque ab eo inſtituta.

20. *Ut miſſa legenda Clario deo.* ] Ac ſi apud Apollinem legenda mitteretur, qui *Clarius* dictus eſt à Claro oppido in Ionia, non longe à Colophone: & à Claro inſula, ubi ſumma religione colebatur. *Paul.* *Clario Deo.* ] Vigebat Clarii Apollinis oraculum Naſonis ævo: immo Germanicus eundem inviſit, Auctore Tacito lib. II. Annalium. *Neapol.*

21. *Oris.* ] Os pro ſermone, & ipſa eloquentia. Plin. de viris illuſtr. *Mithridates duarum & viginti gentium ore loquebatur.* Cic. ad Varron. *Adoleſcentioris Academiæ os.* Quo & refero illud Phædri fab. 3. *Duplex fabellis os eſt:* pro quo perperam legitur, *mos eſt.*

22. *Cum tulit arma reis.* ] Notavit & id Suetonius. *Oravit*, inquit, de Germanico, *cauſas triumphales.* & Dio Caſſius lib. LVI. *Καὶ αὐτὸς μὲν οὐδὲν ἄξιον μνήμης ἔπραξε, πλὴν ὅτι καὶ τότε ὑπερεδίκησεν.* *Neapol.*

23. *Cum impetus.* ] Animi ardor. *Paul.* *Noſtras artes.* ] Poëticas. *Ant.* *Tulit impetus artes.* ] Nam inter cætera ſtudiorum monimenta reliquit comœdias Græcas. *Neapol.*

27. *In anno ſuo.* ] A ſe digeſto. conſtituit annum ſuum decem menſibus. Vide Macrob. lib. I. cap. 20. *Saturn.* *Quinque bis eſſe ſuo.* ] Sub Romulo ergo annus fuit decimeſtris.

29. *Scilicet arma magis.* ] Congerit hic multa doctiſſimus Naſo, ut probet quid Romulum ad hoc induxerit: quibus forte, notâ verâ origine, abſtinuiſſet. Nam Romulus regni initio novum annum minime conſtituit; ſed ſolum egit, ut menſis, qui quintus ordine erat, aliis fuerit

Curaque finitimos vincere major erat.
Eſt tamen & ratio, Cæſar, quæ moverit illum:
Erroremque ſuum quo tueatur habet.
Quod ſatis eſt, utero matris dum prodeat infans;
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes à funere conjugis uxor
Suſtinet viduâ triſtia ſigna domo.
Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini,
Cum rudibus populis annua jura daret.
Martis erat primus menſis, Veneriſque ſecundus:
Hæc generis princeps, ipſius ille pater.
Tertius à Senibus, Juvenum de nomine quartus:
Quæ ſequitur, numero turba notata fuit.
At Numa nec Janum, nec avitas præterit umbras;
Menſibus antiquis appoſuitque duos.

Ne

rit ſuæ genti & populo ſecundus, & alia hujuſmodi: cum in Latio ante urbem conditam, annum decimeſtrem fuiſſe conſtet, & apud alias etiam gentes; ut Athenis, &c. *Neapol.* *Quam ſidera.*] Anno jampridem à Numa Pompilio in duodecim menſes diſtributo, additis Januario ac Februario: poſteaque à Julio Cæſare ad curſum ſolis accommodato, & aliorum negligentia conturbato atque confuſo, rationem temporum non ſine maxima ſua laude fundavit, intercalantium correctis erroribus. *Ant.*

31. *O Cæſar.*] Germanice. *Et tamen ratio.*] Quæ illum Romulum moverat, ad annum ita digerendum. *Paul.*

33. *Quod ſatis eſt utero.*] Medici opinantur, hominem gignendi ſummum finem decem menſes. Vide Aulum Gellium libro tertio Noctium Atticarum. *Ant.*

35. *Per totidem.*] Secunda ratio, quod decem menſibus uxor vidua domi lugubris ſe contineat: quod inde ſumptum volunt, à tempore ſcilicet quo latet infans in matris utero.

37. *Cura Quirini.*] Idem Virg. XI. *Talibus exarſit dictis violentia Turni.* Et Græci paſſim: Homer. Iliad ν. vſ. 248. Σθένος Ἰδομενῆος. Iliad. ξ. vſ. 418. Ἕκτορος μένος ἔπεσ' ἐν κονίῃσι.

41. *Tertius menſis.*] Scilicet anni Romulei. *A ſenibus dictus eſt.*] Nam *Majus* vocatus à majoribus, hoc eſt, à ſenioribus. *Quartus.*] Menſis. *De nomine juvenum.* Nam *Junius* à junioribus dictus. *Paul.*

42. *Fuit notata numero.*] Quaſi vocata ab ordine numeri. nam quintus menſis *Quintilis* dictus, ſextus *Sextilis*; inde September, October, November, December.

43. *Janum.*] Quia menſium numero addidit. nam ab eo *Januarium* vocavit. *Nec avitas umbras.*] Parentum, ſive avorum animas: quia menſem inſtituit, quo illis parentaretur, hoc eſt, quo fierent ſacrificia pro mortuis. & *Februarium* menſem dixit à *februo*, & *februare*, purgare eſt. Sed de hoc ſecundo libro dicetur.

44. *Menſibus antiquis prapoſuitque duos.*] Falſum: ut & alii jam viderunt. ultimus enim anni menſis Februarius ex intercalatione Numæ. quare reſinxerunt, *addidit ille duos.* & ſic tres noſtri

ſtri

Digitized by Google

NE tamen ignores variorum jura dierum:
Non habet officii Lucifer omnis idem.
Ille Nefaſtus erat, per quem tria verba ſilentur:
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.
Neu toto perſtare die ſua jura putaris;
Qui jam Faſtus erit, mane Nefaſtus erat.
Nam ſimul exta Deo data ſunt, licet omnia fari;
Verbaque honoratus libera Prætor habet.
Eſt quoque, quo populum jus eſt includere ſeptis:
Eſt quoque, qui nono ſemper ab orbe redit.

Vin-

ſtri. ſed rectius duo Farneſiani, unus Medic. & Gottorph. *apponuitque*. neque aliter Gloſſæ Rumphianæ. vide Notas ad Epiſt. IX. vſ. 60. *Heinſ.*

45. *Variorum dierum.*] Nam ut varii nomine, varii tempore, ita variis officiis diſtincti.

46. *Officium idem.*] *Officii idem* veterrimus Patavianus, primus Mediceus & quinque aut ſex alii. rectius. infra lib. II.

*Spem capit in dominis eſſe ſoporis idem.* ſic *idem virium*, *idem ætatis* Tacito. *idem juris* Lucano. *Heinſ.*

47. *Ille nefaſtus.*] Numa ut in menſes annum, ita in dies menſem diviſit: dieſque omnes aut feſtos, aut profeſtos, aut interciſos vocavit. Feſtos diis dicatos eſſe, quibus inſunt ſacrificia, epulæ, ludi, feriæ: Profeſtos hominibus, ob adminiſtrandam rem privatam aut publicam conceſſos. his inſunt faſti, comitiales, comperendini, ſtati, præliares. Interciſos deorum hominumque communes eſſe. Vide Macrob. Sunt tamen Interciſi dies, ut Varroni placet, per quos mane & veſpere nefas jus dicere: medio autem tempore, inter hoſtiam cæſam & exta porrecta, fas, à quo quod factu intercidit, *interciſi*. *Silentur.*] A prætore ſcilicet. *Tria verba.*] Hæc ſunt illa tria verba, quæ à prætore proferebantur, jus dicturo, *Do*, *dico*, *addico*: hoc eſt, do leges, dico jus, addico, damno. Vel ut Ciofanus vult: Do bonorum poſſeſſionem: dico jus: addico id, de quo quæritur. *Paul.* *Ille nefaſtus erit.*] Gloſſæ: Ἀποφράδες, *nefaſti dies*. utraque tamen vocula & Græca & Latina torqueri poteſt ad atros; & hæ voces ab auctoribus invicem uſurpantur: hoc tamen adverte diſcrimen, quod omnis ater nefaſtus, ſed non contra; nam dies feſtus etiam nefaſtus. *Neapol.*

48. *Faſtus erit.*] Hoc eſt, litigari, legem intendi, cum poterit prætor jus dicere ſecundum leges & inſtituta. Nefaſti dies hac nota ſignantur, NP. *Paul.*

49. *Nec toto perſtare die.*] Sequuntur dies interciſi, quorum quibuſdam horis fas eſt, quibuſdam non eſt, jus dicere. nam quum hoſtia cæditur, fari nefas eſt; inter cæſa & porrecta fari licet; rurſus, quum adoletur, non licet. *Neapol.* *Nec toto.*] Erant dies, in quibus mane, cum fieret ſacrificium, jus non dicebatur, ſic ea parte *nefaſti*: perfecto autem ſacrificio, cum prætor jus diceret, faſti.

53. *Eſt quoque.*] Comitialis dies erat, cum habebantur comitia, hoc eſt, cum conveniebat populus ad creandos magiſtratus, & ad ſuffragia ferenda. *Includere populum ſeptis.*] Vocare populum in campum Martium, ubi ſeptum erat, quo populus includebatur, cum creandi eſſent magiſtratus. *Paul.*

54. *Eſt quoque qui novo.*] Is eſt dies nundinalis, qui feſtus primo fuit: faſtus poſtea lege Hortenſia, imo fere ater; nam rebus incipiendis parum utilis habitus. Vide Dion. lib. XI. *Neapol.* *Eſt quoque qui nono ſemper.*] Sunt & dies, qui *Nundinales*

Digitized by Google

Vindicat Auſonias Junonis cura Kalendas:
  Idibus alba Jovi grandior agna cadit.
Nonarum tutela Deo caret. omnibus iſtis
  (Ne fallare cave) proximus Ater erit.
Omen ab eventu eſt: illis nam Roma diebus
  Damna ſub adverſo triſtia Marte tulit.
Hæc mihi dicta ſemel, totis hærentia Faſtis,
  (Ne ſeriem rerum ſcindere cogar) erunt.
ECce tibi fauſtum, Germanice, nuntiat annum;
  Inque meo primus carmine Janus adeſt.
Jane biceps, anni tacitè labentis origo,

Solus

*dinalis* dicuntur à nundinis, quæ à Romanis inſtitutæ ſunt, ut octo quidem diebus in agris ruſtici opus facerent, nono autem die ad mercatum, legeſque accipiendas Romam redirent. De his Plin. lib. 18. Nat. hiſt. qui dies *Luſtricus* dicitur, quo infantes luſtrantur, & nomen accipiunt. *Ant.*

55. *Junonis cura.* ] Malim, ſi per libros liceat, *Junonia.* Triſt. II.

*Proxima adoranti Junonia templa ſubibit*
*Pellicibus multis hanc doluiſſe deam.*

ita libri veteres. Faſt. VI. *menſis Junonius,* & *Junonale tempus.* *Junonia ſacra* Amor. lib. III. Eleg. XIII. *Junonia Iris.* Met. XIV. *cuſtos Junonius* de Argo, & *ales Junonia* in Amoribus. & *volucris Junonia* Medicamin. Faciei. & *Junonia ira* Ep. Hypermn. apud Macrobium Saturnal. lib. I. cap. IX. *Janus Junonius.* Met. XI.

*Ante tamen cunctos Junonia templa colebat.*

quomodo & illic ſcribendum cenſeo. ut & Faſt. III.

*Illic à nuribus Junonia templa Latinis*
*Hac ſunt, ſi memini, publica facta die.*

nam libri veteres magno numero *Junonis.* vulgati *Junoni.* Statius Theb. I.

*—— celſa Junonia templa Proſymna*
*Lævus habet.*

ſic & *turbam Dianiam* canes vocat infra. *Junonius anguis:* Silius l. 6. *Heinſ.* *Junonis Kalendas.* ] Unde ab his dicta illa *Juno Kalendaris.* Neap. *Vindicat.* ] Calendæ Junoni, Idus Jovi ſacræ ſunt. Primi dies menſium, ut Varro inquit, nominati ab eo *calendæ*, quod his diebus calentur menſes. Dicunturque *calendæ* à calo, id eſt, voco. unde Macrobio teſte, ipſi curiæ, ad quam vocabatur, *Calabra* nomen datum eſt. nam curia Calabria dicebatur. Cum initium menſium majores noſtri ab exortu lunæ ſervaverint, jure Junoni calendas addixerunt, Lunam ac Junonem eandem putantes. *Auſonias.* ] Latinas, ſeu Romanas. Et hoc ideo dixit, quoniam Græci calendas non habent.

56. *Idibus alba Jovi gratior.* ] Idus quidem Jovi, Nonæ verò nulli deo dicatæ ſunt: quas tamen populus Romanus exactis regibus maxime celebravit, Nonarum diem Servii Tulli natalem exiſtimans. *Cadit.* ] *Cadet* Urſini & quatuor alii ex melioribus. *Heinſ.*

61. *Hæc tibi dicta.* ] *Mihi* plerique veteres. ſequenti verſu *condere* Urſini liber. duo alii *findere.* Idem.

63. *Ecce.* ] Solebant enim Januarii calendis bona omina & auguria captare. *Paul.*

64. *Inque meo primum.* ] Meliores *primus.* Heinſ.

66. Qui

Solus de Superis qui tua terga vides;
Dexter ades Ducibus; quorum ſecura labore
Otia terra ferax, otia pontus agit.
Dexter ades Patribuſque tuis, Populoque Quirini:
Et reſera nutu candida templa tuo.
Proſpera lux oritur: linguiſque animiſque favete.
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.
Lite vacent aures; inſanaque protinus abſint
Jurgia. differ opus, livida lingua tuum.
Cernis, odoratis ut luceat ignibus æther;
Et ſonet accenſis ſpica Ciliſſa focis?
Flamma nitore ſuo templorum verberat aurum,
Et tremulum ſummâ ſpargit in æde jubar.
Veſtibus intactis Tarpeias itur in arces:

Et

66. *Qui tua terga vides.* ] Πρόσσω καὶ ὀπίσσω.

67. *Ducibus.* ] Et Tiberio & Germanico, qui militiæ præſunt.

68. *Otia pontus habet.* ] *Agit* ſeptem veteres. quod præfero. ſic lib. II.

*Luditur in caſtris: otia miles agit.*

& lib. IV. ſub finem,

*Nil opus eſt iſtis, otia mundus agit.*

Virgil. III. Georg.

*——— ſecura ſub altâ*
*Otia agunt terrâ.*

Claudianus,

*Otia ſopitis ageret cum cantibus Orpheus.*

ſic *pacem agere*, & contra *bellum agere*, de quibus alibi. *Heinſ.* *Otia pontus agit.* ] Tiberio & Germanico hæc dicta, ſed præcipue Auguſto. *Neapol.* *Otia.* ] *Res placida atque otioſa, victis hoſtibus.* Plaut. Truc. I. I. vſ. 56. *Pacem atque otium dare.* Amphitr. I. I. vſ. 53. Ter. prol. Adelph. *In bello, in otio.* Cæſar de B. Civ. *Rem ad otium deducere.*

70. *Et reſera nutu, &c.* ] Non precatur ſiniſtrum aliquod omen: nam Janus non clauſus belli index, ſed poſcit templi aditum ad ſacrificia.

72. *Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.* ] Admonet Romanos, ut orta luce adſint ſacrificiis, linguam coërceant, animum adhibeant, deinde bona verba dicant: quoniam infœlix annus portendi putabatur, ſi quid ſiniſtri ominis Calendis Januariis diceretur.

74. *Livida turba.* ] *Lingua* meliores. Sic Martial. lib. VII. Ep. XXIV.

*Cum Juvenale meo quæ me committere tentas,*
*Quid non audebis perfida lingua doli?*

ſic corrigo. nam *audebis loqui*, quod in vulgatis eſt, vehementer friget. Aberrans librarii manus *lodi* pro *doli* ſcripſerat. hinc natum poſtea *loqui*. Heinſ.

78. *Et tremulum ſpargit jubar.* ] Quod ex Virg. videtur tranſlatum, 8. Æneid.

*Sicut aqua tremulum labris ubi lumen ahenis*
*Sole repercuſſum, &c.*

79. *Veſtibus intactis.* ] Novis. *In arces Tarpeias.* ] Ad templum Jovis, quod in arce Tarpeja erat. Dictus poſtea mons Capitolinus. Huc ergo ibant cum populo Conſules & poſt ſacra magiſtratum inibant. *Paul.* *Tarpejas itur in arces.* ] Ex more ipſe ad Sext. Pompejum in gratulatione initi Conſulatus anno DCCLXVI. lib. IV. de Pont. Eleg. IV. *Neapol.*

81. *Jam-*

Digitized by Google

Et populus feſto concolor ipſe ſuo eſt.
Jamque novi præeunt faſces; nova purpura fulget:
Et nova conſpicuum pondera ſentit ebur.
Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Faliſca ſuis.
Jupiter, arce ſuâ totum cùm ſpectet in orbem;
Nil niſi Romanum, quod tueatur, habet.
Salve, læta dies, meliorque revertere ſemper,
A populo rerum digna potente coli.
Quem tamen eſſe Deum te dicam, Jane biformis?
Nam tibi par nullum Græcia numen habet.
Ede ſimul cauſſam, cur de cæleſtibus unus,
Sitque quod à tergo, ſitque quod ante, vides.
Hæc ego cum ſumtis agitarem mente tabellis;
Lucidior viſa eſt, quam fuit ante, domus.
Tum ſacer ancipiti mirandus imagine Janus
Bina repens oculis obtulit ora meis.
Obſtupui; ſenſique metu riguiſſe capillos:
Et gelidum ſubito frigore pectus erat.
Ille tenens dextrâ baculum, clavemque ſiniſtrâ,

Edi-

81. *Jamque novi.*] Jam lictores cum faſcibus præeunt, & conſules Kalendis Januariis inibant magiſtratum. *Nova purpura.*] Novi magiſtratus inſignia: ſed hæc purpura eſt prætexta Conſularis. Hanc & togam pictam & trabeam & palmatam dictam reperio. *Neapol.*

82. *Et nova conſpicuum pondera ſentit ebur.*] Sellam currulem dicit, qua conſules utebantur.

85. *Jupiter.*] Cic. 1. Catilinar. *Tum tu Jupiter, qui iiſdem, quibus hæc urbs, auſpiciis à Romulo es conſtitutus. quem Statorem hujus urbis atque imperii vere nominamus.* & quæ ſeqq.

87. *Salve feſta dies.*] Vetuſtiores libri *læta*. Heinſ.

90. *Græcia numen habet.*] Inde Athenæus lib. xv. Ο῞τι Ἰανὸς ὁ παρ' ἡμῖν, ὃν πατέρα προσαγορεύομεν.

92. *Sitque quod à tergo, ſitque quod ante vides.*] *Idque quod à tergo eſt, idque* alii, ſed pejoris notæ. Scribe,

*Fitque quod à tergo, ſitque quod ante, vides.*

infra lib. v.

*Stulta, videt Janus, quæ poſt ſua terga geruntur.*

huc refer Perſianum illud,

*O Jane, à tergo quem nulla ciconia pinſit.*

Heinſ.

97. *Extimui.*] Codices meliores *Obſtupui*. Idem.

99. *Tenens baculum dextra, clavemque ſiniſtra.*] Cum clavi & virga ideo, quia eſt omnium portarum cuſtos, & rector viarum. Sed utrumque idoneum eſt janitori, baculus ad vim repellendam, clavis ad claudendas & reſerandas fores. *Ant. Clavemque ſiniſtra.*] Adi Macrob. 1. Saturnal. *Neapol.*

106. *Ignis,*

Digitized by Google

Edidit hos nobis ore priore ſonos.
Diſce metu poſito, vates operoſe dierum,
Quod petis: & voces percipe mente meas.
Me Chaos antiqui (nam res ſum priſca) vocabant.
Adſpice, quam longi temporis acta canam.
Lucidus hic aër, &, quæ tria corpora reſtant
Ignis, aquæ, tellus, unus acervus erant.
Ut ſemel hæc rerum ſeceſſit lite ſuarum,
Inque novas abiit maſſa ſoluta domos;
Flamma petît altum; propior locus aëra cepit:

Sede-

106. *Ignis, aqua & tellus.*] *Aqua, tellus* rectius Petavii codex & tres alii. quidam *aqua, tellus*. Heinſ.

107. *Lite ſuarum.*] Νεῖκος ἐξ ὀλοοῖο. ex Orphei opinione. Vide Apoll. Rhodium ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀργοναυτικῶν. *Neapol.*

109. *Cælum flamma petit.*] *Altum* ſcripti plerique. niſi quod Urſini liber & Petavii veterrimus cum decem aliis *Flamma petît altum.* contracte pro *petiit.* Auctor Octaviæ,

*——tecta defendit ſuis*
*Aliena telis aut petit præda imminens.*

Noſter lib. VIII. Met.

*Longius it, auctor teli Pagaſæus Iaſon.*

Ennius Annal. lib. XVII.

*It eques, & plauſu cava concutit ungula terram.*

Statius Theb. X.

*Fractumque perît in ſanguine murmur.*

Sulpitia Sat.

*Aſt ubi pax ſecura redit. oblita favorum*
*Plebs utterque unâ ſomno moriuntur obeſo.*

Statius viâ Domitianâ,

*Quo non dignior has ſubit habenas.*

Elegia in obitum Druſi,

*Auctor abit operis, ſed tamen extat opus.*

Juvenalis,

*Magnus civis obit & formidatus Othoni.*

ſic *redi*, pro *redii* apud Claudianum, & ſæpe apud Auctorem Herculis OEtæi. *ini* pro *inii* apud Statium, & *peti* pro *petii*. *adi* pro *adii* apud Val. Flaccum. & ſimilia. *Altum* pro cœlo. ſic apud Claudian. lib. I. Rapt. de hac eadem re,

*——quicquid leve fertur in altum,*
*In medium graviora ruunt.*

Virgil. Georg. II.

*Illa altum nidis petiere relictis.*

Æneid. IX.

*Qualis ubi aut leporem aut candenti corpore cygnum*
*Suſtulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis.*

Georg. I.

*Atque alius latum fundâ jam verberat amnem*
*Alta petens.*

Noſter ipſe Met. XV.

*Alta petunt aër, atque aëre purior ignis.*

Valerius Flaccus lib. IV.

*——primum pavida Phinea tecta*
*Pervolitant, mox alta petunt.*

Boëtius lib. IV. Conſ. Philoſ. ubi de elementis *pendulus ignis ſurgit in altum*. ſequenti verſu pro *loco* libri omnes meliores magno numero *ſolo*. & recte. nam ſolum uniuscujusque rei fundamentum. ſic navium ſolum eſt aqua. ſtellarum cœlum. maris ac terræ aër. Noſter Met. I. *Aſtra tenent cæleſte ſolum.* pro cœlo. *Heinſ.*

Sederunt medio terra fretumque ſolo.
Tunc ego, qui fueram globus, & ſine imagine moles,
In faciem redii dignaque membra deo.
Nunc quoque confuſæ quondam nota parva figuræ,
Ante quod eſt in me, poſtque videtur idem.
Accipe quæſitæ quæ cauſſa ſit altera formæ.
Hanc ſimul ut noris, officiumque meum.
Quidquid ubique vides, cœlum, mare, nubila, terras;
Omnia ſunt noſtrâ clauſa patentque manu.
Me penes eſt unum vaſti cuſtodia mundi:
Et jus vertendi cardinis omne meum eſt.
Cum libuit Pacem placidis emittere tectis;
Libera perpetuas ambulat illa vias.
Sanguine letifero totus miſcebitur orbis,
Ni teneant rigidæ condita bella feræ.
Præſideo foribus cœli cum mitibus Horis:
It redit officio Jupiter ipſe meo.

Inde

113. *Quoniam nota parva figura eſt.*] Libri plerique *eſt* non agnoſcunt. Recte autem codex Urſini, Gottorph. & unus Vaticanus *quondam*. ne dubita. Voſſianus *nota prima*. etiam non male. *Idem.*

120. *Vertendi cardinis.*] Vertendi cœli, quod aſſidua vertigine rotatur.

122. *Perpetuas ambulat illa vias.*] *Per tutas vias.* vetuſtiores plerique. tres *per totas.* ſed vulgatæ lectioni controverſia haud eſt movenda. ſic *ambulare maria* dixit Cicero lib. II. de finibus, *Cum Xerxes Helleſponto juncto Athoque perfoſſo maria ambulaviſſet, terram navigaſſet.* pari modo *ire maria* & *currere maria* dicebant. Quare non eſt ut poſſim accedere Quintiliano, cætera graviſſimo ſcriptori, qui lib. I, cap. IX. Inſt. Orat. *Ambulare viam* ſolœciſmis accenſet. Lampridius Heliogabalo, *Stravit & triclinia de roſa, & lectos & porticus; ac ſic ea deambulavit.* Quomodo duo codices Medicei. Idque in ſuis Salmaſius etiam invenit. *Heinſ.*

125. *Præſideo cæli foribus.*] Id ſibi veteres induxerunt ob cauſam quam tetigit Macrob. Saturnal. I. *Janum*, inquit, *quidam volunt Solem demonſtrari, & ideo bifrontem, quaſi utriuſque janua cæleſtis ortus & occaſus potentem; qui exoriens aperiat diem, occidens claudat.* Ex hac opinione Janum *matutinum* dixit Horat. l. II. Satyr. 6. *Cum mitibus Horis.*] Hæc quoque cœli cuſtodes: ἀπὸ τοῦ ὀρεύειν. *Neapol.*

126. *Et redit officio Jupiter itque meo.*] *Et redit officio Jupiter ipſe* ſcripti plerique. Nimirum vera lectio eſt, *It redit officio Jupiter ipſe meo*, quam Voſſianus & ſeptem alii agnoſcunt. Statius Sylv. lib. I.

——*licet expoſitum per limen aperto*
*Ire redire gradu.*

Auctor Elegiæ in obitum Mæcenatis, *It redit in vaſtos ſemper onuſta lacus*, uſitatius tamen *Itque reditque.* quod apud Virgilium, Silinm, Statium, Val. Flaccum, alios occurrit. etiam apud Noſtrum Triſt. V. Eleg. VII. *Heinſ.*

127. *Inde*

Digitized by Google

Inde vocor Janus. cui cum Cereale ſacerdos
  Imponit libum, mixtaque farra ſali;
Nomina ridebis. modo namque Patulcius idem,
  Et modo ſacrifico Cluſius ore vocor.
Scilicet alterno voluit rudis illa vetuſtas
  Nomine diverſas ſignificare vices.
Vis mea narrata eſt: cauſſam nunc diſce figuræ.
  Jam tamen hanc aliquâ tu quoque parte vides.
Omnis habet geminas hinc atque hinc janua frontes:
  E quibus hæc populum ſpectat; at illa Larem.
Utque ſedens veſter primi prope limina tecti
  Janitor egreſſus introituſque videt;
Sic ego perſpicio cæleſtis janitor aulæ
  Eöas partes, Heſperiaſque ſimul.
Ora vides Hecate in tres vergentia partes,
  Servet ut in ternas compita ſecta vias.

Et

127. *Inde vocor Janus.* ] Huc ſpectat locus Tullii, l. II. de Nat. Deor. *Quod ab eundo nomen eſt ductum, ex quo tranſitiones perviæ* Jani, *foreſque in liminibus profanarum ædium* januæ *nominantur.*

128. *Imponit libum.* ] Suſpicor hoc illud eſſe, de quo Feſtus Pompejus: I. *annal. libi genus, quod Jano tantummodo libatur. Farraque mixta.* ] Molam ſalſam. *Neapol.*

129. *Namque modo ore ſacrifico.* ] Ore ſacerdotis, ſacra facientis. *Vocor Patulcius.* ] A parendo. Et idem vocor *Cluſius* à claudendo. *Paul.*

130. *Cluſius ore vocor.* ] Ita vetuſtiores. Apud Macrobium Saturnal. lib. I. cap. IX. *Clauſius* bis dicitur, quomodo & hic multi codices. Sed duo veterrima exemplaria Macrobii alterum Thuaneum, Neapolitanum alterum, *Cluſivius* illic agnoſcunt; quod & poſtremas ejus editiones jam occupaſſe video. Neque aliter Servius eum Danielis nominat ad ſextum Æneidos. ubi tamen *Patulcius* perperam appellatur. Quare parum abeſt quin opiner *Cluſvium* ab Ovidio dictum contractè. ut *Veſvius* pro *Veſuvio* & ſimilia. *Heinſ. Cluſius ore vocor.* ] Tres apud me veteres quaſi de compacto habent, *Clauſius.* Sic ſcriptum & hoc Jani cognomentum apud Macrob. I. Saturn. c. IX. *Neap.*

133. *Vis mea narrata eſt.* ] Relata jam ſua multiplici poteſtate, accedit ad cauſas formæ bifrontis; in qua aſſignanda, varia commenti ſunt veteres, ut C. Baſſus & alii. *Neapol.*

135. *Omnis janua habet geminas frontes.* ] Exteriorem & interiorem.

136. *Hæc.* ] Exterior ſcilicet. *Spectat populum.* ] Quaſi reſpicit eos qui foris ſunt. *At illa.* ] Altera frons, quæ interior eſt, *ſpectat larem*, ea quæ in lare, hoc eſt, quæ domi ſunt.

141. *In tres vertentia partes.* ] *Vergentia* libri meliores præter Petavianum, de quo Pont. I. El. IX. vſ. 54. & paulo ante iidem *perſpicio* non *proſpicio.* Avienus Phænomenis,

*Rurſus ſi viſum declivi tramite vergas.*

Heinſ. *In tres vergentia partes.* ] Hinc Hecate vulgo Græcis τριπρόσωπος, τρίμορφος, τριοδῖτις, τρίγληνος. Quid τρίγλη, quod in Heſychio legas. Vide & Athenæum, l. VIII. *N.*



146. *Pa-*

Et mihi, ne flexu cervicis tempora perdam,
Cernere non moto corpore bina licet.
Dixerat: & vultu, ſi plura requirere vellem,
Se mihi difficilem non fore, faſſus erat.
Sumſi animum, grateſque Deo non territus egi:
Verbaque ſum ſpectans pauca locutus humum.
Dic, age, frigoribus quare novus incipit annus,
Qui melius per ver incipiendus erat?
Omnia tunc florent: tunc eſt nova temporis ætas:
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modo formatis amicitur vitibus arbos;
Prodit & in ſummum ſeminis herba ſolum:
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit & in pratis, luxuriatque pecus.
Tum blandi ſoles: ignotaque prodit hirundo;
Et luteum celsâ ſub trabe fingit opus.
Tum patitur cultus ager, & renovatur aratro.

Hæc

146. *Pactus erat.* ] *Faſſus* præfero cum melioribus. ſic. l. II. Triſt. *vultu faſſus Telamonius iram.* atque ita ſæpe Noſter l. II. Art. Am.

*Atque oculos oculis ſpectare fatentibus ignem.*

Ep. Canaces,

*Erubui, gremioque pudor dejecit ocellos:*
*Hæc ſatis in tacitâ ſigna fatentis erant* Heinſ.

153. *Operitur frondibus arbor.* ] *Amicitur vitibus* Urſini, Mazarinianus, & ſeptem alii quatuor *amicitur frondibus.* etiam non male. Pont. III. El VIII.

*Non hic pampineis amicitur vitibus ulmus.*

Met. x. *& amicta vitibus ulmi.* ita in re ſimili *pampineum* quoque *amictum* Virgilius dixit in Culice, Hor. l I Sat. XVI.

*Pomiſque & pratis & amictâ vitibus ulmo.*

Corippus Africanus libro IV.

*—— cecidere ſecuri*
*Antiqua quercus & amicta vitibus ulmi.*

Propertius lib. III. Eleg. XIII.

*Et portare ſuis veſtitas frondibus uvas.* *arbos* etiam quinque meliores cum primâ editione. *Idem.*

158. *Et luteum celſa ſub trabe figit opus.* ) Quidam *nectit.* quomodo Amor. I. Eleg. XIV.

*Cum leve deſertâ ſub trabe nectit opus.*

Petavianus & multi alii *fingit.* quod impenſe arridet. Lutea enim opera propriè fingi dicuntur. hinc *figuli.* & *figulina.* quo alludunt illa veteris poëtæ de Virgilio,

*—— Figuli ſoboles nova carmina finxit.*

ſimiliter & cerea opera. apud Virgilium apes *Dædala fingere tecta* dicuntur l. IV. Georg. & ibidem de iiſdem,

*Sufficiunt aulaſque & cerea tecta refingunt.*

male Salmaſius *refigunt.* Cicero de Officiis, *Apum examina non fingendorum favorum cauſa congregantur: ſed cum congregabilia natura ſint, fingunt favos.* Idem.

159. *Tum patitur cultus ager.* ] Non agnoſco hic numeros Ovidianos. Forte ſcribendum,

*Tunc cultum patietur ager renovatus aratro.* Idem.

163. *Bru-*

Digitized by Google

Hæc anni novitas jure vocanda fuit.
Quæſieram multis: non multis ille moratus,
Contulit in verſus ſic ſua verba duos.
Bruma novi prima eſt, veteriſque noviſſima Solis:
Principium capiunt Phœbus & annus idem.
Poſt ea mirabar, cur non ſine litibus eſſet
Prima dies. Cauſſam percipe, Janus ait.
Tempora commiſi naſcentia rebus agendis;
Totus ab auſpicio ne foret annus iners.
Quiſque ſuas artes ob idem delibat agendo:
Nec plus quam ſolitum teſtificatur opus.
Mox ego; Cur, quamvis aliorum numina placem,
Jane, tibi primo thura merumque fero?
Ut per me poſſis aditum, qui limina ſervo,
Ad quoſcunque velim prorſus, habere Deos.
At cur læta tuis dicuntur verba Kalendis;

Et

163. *Bruma novi, &c.*] Rationem affert Janus, in bruma ſolarem curſum terminari & renovari, ſic ab ipſa ſolaris curſus renovatione renovari annum, qui ad ipſius ſolis curſum inſtitutus eſt. Optime ergo faciunt, qui poſt hybernum tropicum annum inchoant, cum ſol fine ulterius progrediendi facto rurſus ad nos ſe recipit: fit enim naturale quodammodo hujusmodi principium, quo & lucis tempus augetur, tenebrarum vero & noctis diminuitur.

164. *Phœbus & annus capiunt idem principium.*] Solis curſus & anni idem eſt principium.

165. *Poſtea mirabar.*] Lege *ſcitabar.* ſic lib. IV.

*Da dea, quas ſciter, doctas Cybeleïa neptes.*

ita enim & illic eſt ſcribendum. *Heinſ.* *Poſt ea mirabar, cur non, &c.*] Quærit, cur prima dies non vacaret contentione & certamine. De more enim erat, Calendis Januariis certare demonſtratione artis, quam quiſque profiteretur: ut bono omine ab anni initio captato, idem toto anno profeſſuri eſſent. *Paul.*

169. *Quiſque ſuas artes ob idem delibat agendo.*] *Ibidem* multi ex ſcriptis. Alii, *obid*, *obide*, *inibi* & ſimilia. Lego, *obit & delibat agendo.* *Obire ſuas artes*, quomodo *obire ſuas res*, & *munia ſua* Ciceroni. niſi malis, *obiter delibat.* quod non minus arridet *Heinſ.* *Ob idem.*] Hoc eſt, ut fauſtum fœlixque omen & auſpicium ab initio captet. *Prælibat ſuas artes.*] Prægustat, & certatim præmonſtrat artes, quas profitetur. *Quiſque ſuas artes*] Hoc eſt, fullo fulloniam, ſutor ſutoriam delibabat; agricolæ ruſticum opus: Sed hoc apage lucelli cauſſa. Pari modo quiſque ſupellectilem domeſticam poliebat, ut toto fere anno niteret, Vide & Senec. Epiſt. LXXXIII.

172. *Jane tibi primum.*] *Primo* meliores. *Heinſ.*

174. *Ad quoſcunque voles, inquit.*] *Ad quoſcunque velim prorſus* venuſte liber Fulvii Urſini. ut Tò *inquit* ſubintelligatur, quomodo alibi ſæpe. & ſane *inquit* mox denuo ſequitur. Mazarinianus etiam *velis.* Idem.



177. *Quem*

Digitized by Google

Et damus alternas accipimuſque preces?.
Tum Deus incumbens baculo, quem dextra gerebat;
Omnia principiis, inquit, ineſſe ſolent.
Ad primam vocem timidas advertitis aures:
Et viſam primùm conſulit augur avem.
Templa patent aureſque Deûm: nec lingua caducas
Concipit illa preces; dictaque pondus habent:
Deſierat paucis: nec longa ſilentia feci;
Sed tetigi verbis ultima verba meis:
Quid vult palma ſibi, rugoſaque carica, dixi,
Et data ſub niveo candida mella favo?

Omen,

177. *Quem dextra tenebat.* ] *Gerebat* potiores ſcripti. ſupra habuimus,

*Ille tenens dextrá baculum, clavemque ſiniſtrâ.*

Puto tamen ſcribendum, *baculum quod dextra gerebat.* Adi Notas Met. II. vſ 682. *Idem.*

178. *Omina ſolent eſſe principiis.* ] Apud antiquos enim non ſolum publice, ſed etiam privatim nihil gerebatur, niſi auſpicio prius capto.

179. *Timidas advertitis aures.* ] Ita ſcripti noſtri fere omnes. malim *adverteris*, vel *advertimur.* nam *advertimus* in nonnullis exſtat codicibus. ſic contra *averti* & *deverti* dicebant. de quo Amor. lib. II. Eleg. VI. *ſurdá miſeros avertitur aure* Boëtius conſolatione Philoſophiæ. Satisberienſis lib. I. cap. XIII. de Nugis Curialium citat,

*Auditas voces timida perpendimus aure.* Heinſ.

180. *Conſulit augur avem.* ] Probat omina principiis ineſſe ex prima obſervatione in utroque augurio, oſcinum & præpetum: illud aure, hoc viſu captabatur. *Neapol.*

181. *Patent templa.* ] Deorum ædes calendis Januariis apertæ ſunt, idque Jano duce, qui aperit & claudit. *Caduca auſpicia* dixerunt veteres, cum aliquid in templo excidebat: *velut virga e manu*, inquit Feſtus. *Neapol.*

183. *Deſierat Janus.* ] *Deſierat paucis* Mazarinianus eleganter mehercules. hoc eſt, pauca locutus. *Heinſ.*

185. *Quid vult palma ſibi.* ] Anni novi initio, amici ſuis mella, palmulas & caricas mittebant. Vide Senec. Epiſtol. LXXXVII. *Rugoſaque carica.* ] Caricam ficum ſiccatam dixere Latini. Græci τὰ σῦκα vocant, recentes, Sole aduſtas, ἰσχάδας. Eæ autem ideo *caricæ* dictæ, quia ex Caria in Italiam translatæ: unde eædem cauneæ, à Cauno urbe ejuſdem Cariæ. Sed caricas noſtri poſtea pro qualibet ficu ſicca tranſmarina uſurparunt. *Neapol.*

186. *Et data ſub niveo condita mella cado.* ] Lege cum Voſſiano, Arundeliano & aliis nonnullis *ſub niveo candida mella favo.* lib. VIII. Met. *Candidus in medio favus eſt.* Nam *rubrum cadum* Martialis melli adſignat, lib. I. Ep. LV.

*Flavaque de rubro promere mella cado.*

*candida mella* etiam dixit lib. III.

*Jure repertori candida mella damus.*

ſic codices vêterrimi, non *ſplendida* Codex tamen Pomponii Læti *liquida mella*, quomodo & hic unus Vaticanus pro diverſa lectione. ita Virgilius non ſemels ſed primâ ſemper correptâ ſyllabâ, quomodo & Noſter alibi. *liquentia mella* Maroni quoque dicta, & Sereno Sammonico & Calpurnio, & *expreſſis mella liquata favis* Noſtro infra lib. IV. Sed hoc loco *candida mella* admittimus. *Heinſ.*

189. *Sti-*

Digitized by Google

Omen, ait, cauſſa eſt, ut res ſapor ille ſequatur;
Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.
Dulcia cur dentur video: ſtipis adjice cauſſam,
Pars mihi de Feſto ne labet ulla tuo.
Riſit; &, O quàm te fallunt tua ſæcula, dixit,
Qui ſtipe mel ſumtâ dulcius eſſe putes?
Vix ego Saturno quenquam regnante videbam,
Cujus non animo dulcia lucra forent.
Tempore crevit amor, qui nunc eſt ſummus, habendi.
Vix ultra, quo jam progrediatur, habet.
Pluris opes nunc ſunt, quam priſci temporis annis;
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit:
Dum caſa Martigenam capiebat parva Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis ulva torum.
Jupiter anguſtâ vix totus ſtabat in æde;
Inque Jovis dextrâ fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis:
Paſcebatque ſuas ipſe Senator oves.
Nec pudor, in ſtipula placidam cepiſſe quietem,
Et fœnum capiti ſuppoſuiſſe, fuit.

Jura

189. *Stipis adjice cauſam.*] Antiquiſſimum ſtrenarum commercium, & ſub Auguſto viguit. Vide Suet. lib. IV. c. XLII. Et vetera hæc rudera: IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONTIFEX MAXIMUS IMP. XIII. COS XI. TRIB. POTEST. XV. EX STIPE QUAM POPULUS ROMANUS NERONE CLAUDIO DRUSO. T. QUINTIO CRISPINO COS. VOLCANO. *Neapol.*

192. *Putas.*] *Putes* Urſini liber & quinque alii. rectius. *Heinſ.*

197. *Pluris opes ſunt.*] ——— ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα. Theoc. Idyll. 15. E Idyll. 16.

Χαιρέτω ὅστις τοῖος ἀνάριθμος δὲ οἱ εἴη
Ἄργυρος, αἰεὶ δὲ πλεόνων ἔχοι ἵμερος αὐτόν.

199. *Dum caſa Martigen.*] Hæc ubi ſita addubito. ſi una; ſi duæ, altera erat in Capitolio, altera in Palatio. *Neapol.*

200. *Et dabat exiguum fluminis herba torum.*] Λαχνῆεν τ' ὄροφον λειμωνόθεν ἀμήσαντες. Hom. Iliad. ω. χλωρῇσι ῥώπεσι. Odyſſ. ι. *Viridante toro conſederat herba.*

201. *Anguſta in æde.*] Pro hac intellige Pompilianum Capitolium humile & vetus, quod ſitum in regione VI. non illud novum & celebre in VIII. ni capias de Jovis Feretri templo, quod Romuli opus, anguſtum etiam; vix enim longitudine erat pedum XV.

202. *Inque Jovis dextra.*] Ita veteres omnes. ſed ſcribendum *Inque dei dextrá* cujus alterum illud *Jovis* eſt gloſſema. *Heinſ.*



205. *Nec*

Digitized by Google

Jura dabat populis poſito modo Conſul aratro;
  Et levis argenti lamina crimen erat.
At poſtquam Fortuna loci caput extulit hujus,
  Et tetigit ſummos vertice Roma Deos;
Creverunt & opes, & opum furioſa cupido:
  Et, cum poſſideant plurima, plura volunt.
Quærere ut abſumant, abſumta requirere certant:
  Atque ipſæ vitiis ſunt alimenta vices.
Sic, quibus intumuit ſuffuſa venter ab undâ,
  Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.
In pretio pretium nunc eſt. dat cenſus honores;
  Cenſus amicitias: pauper ubique jacet.
Tu tamen auſpicium ſi ſit ſtipis utile quæris,
  Curque juvent noſtras æra vetuſta manus.
Æra dabant olim; melius nunc omen in auro eſt:
  Victaque concedit priſca moneta novæ.
Nos quoque templa juvant, quamvis antiqua probemus,

Au-

205. *Nec pudor in ſtipula.*] Hæc nuda tritici aut hordei palea, quam antiqui legebant ad ſua cubilia: & unde lectus, niſi à legendo? Vid. Varro. lib. IV. de Ling. Lat.

207. *Jura dabat populis poſito modo prætor aratro.*] Turbant ſcripti codices, nec ſibi conſtant. Urſini codex & ſex alii, *conſul aratro.* at optimus Ambroſianus *miſſus modo conſul.* Voſſianus cum Arundeliano & aliis ſex *miſſo modo conſul aratro.* quatuor *miſſo modo prætor aratro.* Sed Urſini codicem ſequor. Noſter infra lib. III.

*Et caperet faſces curvo modo conſul aratro.* Val. Maximus lib. IV. cap. IV. *Illi etiam prædivites qui ab aratro accerſebantur, ut conſules fierent.* Heinſ.

208. *Et levis lamina.*] Etenim ex cenſoria nota damnabantur, qui quinque argenti pondo poſſiderent. *Paul.*

210. *Summo vertice Roma deos.*] *Summos deos* meliores libri. vide infra vſ. 308. & mox pro *plura petunt* Urſini codex, Voſſ. Arund. & tres alii probæ notæ *volunt.* Heinſ.

217. *Dat cenſus honores.*] *Dant* Arundelianus. ut conſtructio ſit, cenſus honores, cenſus amicitias dant. Eam vim habet repetita vox τοῦ *cenſus.* Sed vide notas noſtras Remed. Amor. vſ. 164. *Heinſ. Dat cenſus honores.*] Tangit publicam querelam eorum temporum, vide & Plin. proœm. lib. XIV. *Neapol.*

219. *Si ſit ſtipis utile quæris.*] *Cur ſit ſtipis* vetuſtæ editiones & ſcripti nonnulli. Puto, *ſi cur ſtipis utile, quæris.* Nondum enim id quæſiverat Naſo, ſed quæſtionem Janus prævenit. *Heinſ.*

222. *Victaque conceſſit.*] *Concedit* Urſinus, optimus Ambroſ. Voſſ. Arond. & duo alii. mox iidem cum aliis nonnullis *majeſtas iſta* non *ipſa.* atque ita Naugeriani quoque. *Idem. Conceſſit nova.*] Ceſſit aureo nummo. *Paul. Priſca moneta nova.*] Non tamen ea abiit, ſed in uſu fuit; habitaque vilior moneta, quam nigram alicubi vocat Martialis, ob mixturam plumbi. *Neapol.*

225. *Sed*

Aurea. majeſtas convenit iſta Deo.
Laudamus veteres, ſed noſtris utimur annis.
Mos tamen eſt æquè dignus uterque coli.
Finierat monitus. placidis ita rurſus, ut ante,
Clavigerum verbis alloquor ipſe Deum:
Multa quidem didici. ſed cur navalis in ære
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?
Noſcere me duplici poſſes in imagine, dixit;
Ni vetus ipſa dies extenuaret opus.
Cauſſa ratis ſupereſt: Thuſcum rate venit in amnem
Ante pererrato falcifer orbe Deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum.
Cælitibus regnis ab Jove pulſus erat.
Inde diu genti manſit Saturnia nomen:
Dicta quoque eſt Latium terra, latente Deo.
At bona poſteritas puppim ſervavit in ære;
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Ipſe

225. *Sed utimur noſtris annis.* ] Moribus noſtri temporis.

228. *Clavigerum verbis.* ] *Dictis* optimus Ambroſ. & unus Moreti. *Heinſ.*

230. *Altera ſignata eſt.* ] Ita ſcripti. malim nihilominus *in ære altera ſignato.* Idem.

232. *Extenuaſſet opus.* ] Meliores *extenuaret.* Idem. *Extenuaſſet opus.* ] Excidiſſet & attriviſſet imaginis notam, ſeu nummum ipſum.

233. *Deus falcifer.* ] Saturnus. *Venit in amnem Tuſcum.* ] In Tybrim Hetruriæ fluvium.

234. *Ante pererrato falcifer.* ] Id eſt, peragrato prius orbe, non ante quam nummus ſignaretur, ut placet rudi Scholiaſtæ. non ante Janum, ut videtur capiendus hic locus prima fronte: nam ille Saturno prior in Italiam venit, unde ſumpſit initium Dynaſtia Aboriginum

235. *Ego memini Saturnum receptum hac tellure.* ] Quia Italia inferior eſt quam Græcia, in qua mons eſt Olympus, finxere Poëtæ, illum ætherio Olympo ad Italiam adveniſſe.

236. *A Jove pulſus.* ] *Ab Jove* meliores infra lib. II. *ab Jove crimen habet.* & III. *Saturnus regnis ab Jove pulſus erat.* Met. l. III. *Ab Jove merſa ſuo.* lib. XIII. *ab Jove tertius Ajax.* lib. IX. *ab Jove Muſa parens.* & ſic paſſim tam apud Naſonem, quam alios ſcriptores veterrimi codices. *Heinſius.*

238. *Dicta quoque, &c.* ] Varroni placet, Latium dici Italiam, quod lateat inter præcipitia Alpium & Apennini. vel ſic dicta, quod Saturnus ibi latuerit.

239. *Puppim formavit in ære.* ] *Servavit* Urſini liber, optimus Ambroſ. Mazarin. & tres Farneſiani. quod & Naugerius ex ſuo expreſſit. *Heinſ. Formavit in ære puppem.* ] in æreo nummo navim formavere: quia navi fuerat Saturnus in Italiam advectus.

240. *Adventum teſtificata Dei.* ] Si vera hæc, cur in Græciâ cuſa etiam numiſmata cum Jano & rate? an ex Italia in Græciam; an Janus è Græcia in Italiam

Ipſe ſolum colui, cujus placidiſſima lævum
   Radit arenoſi Tibridis unda latus.
Hic, ubi nunc Roma eſt, incædua ſilva virebat:
   Tantaque res paucis paſcua bubus erat.
Arx mea collis erat, quem cultrix nomine noſtro
   Nuncupat hæc ætas, Janiculumque vocat.
Tunc ego regnabam, patiens cum terra Deorum
   Eſſet, & humanis numina miſta locis.
Nondum Juſtitiam facinus mortale fugarat.
   Ultima de Superis illa reliquit humum.
Proque metu populum ſine vi pudor ipſe regebat.
   Nullus erat, juſtis reddere jura, labor.

Nil

liam ſecum tulit? id certius: & puto, fictum illud pro ſervanda adventus Saturni memoria.

241. *Cujus placidiſſima lævum.* ] Fabius Pictor: *Is Janus ſub initium aurei ſeculi lævum latus Tiberis Hetruriæ tenuit.* Neapol. *Ipſe ſolum colui, &c.*] Saturnus cis Tybrim, & Janus trans Tybrim habitavere.

243. *Tunc ardua ſilva virebat.* ] *Incædua ſilva* legendum cum Naugeriano, Urſini & Ambroſ. bibliothecæ optimo, ac quinque aliis. infra lib. II.

*Monte ſub Eſquilio multis incæduus annis*
*Junonis magna nomine lucus erat.*

Amor. III. Eleg. I.

*Stat vetus & multos incædua ſilva per annos.*

Statius Theb. VI.

*Sternitur extemplo veteres incædua ferro*
*Silva comas.*

quidam libri *incidua* ſcribunt. *Heinſius.* *Tunc ardua ſylva virebat.* ] Fabius Pictor, in III. *Jam modo quæ fuerant ſylvæ pecorumque receſſus, Urbs erat.* Neap.

244. *Bobus erant.* ] *Bubus erat* meliores. *Heinſ.*

245. *Arx mea collis erat, quam vulgus nomine noſtro*
*Nuncupat.* ]

*Quem* cum melioribus legendum, nempe collem. Multi veteres *Ara mea eſt colli* vel *collis* Arundelianus *Ara mea colli erat.* alii, *Arx in ea eſt collis*, vel *Arx in ea eſt colli.* Exaratum nempe fuerat *Arx mea collis eſt.* Repone, *Arx mea collis is eſt, quem. erat* minus oportunè hic repetitur, cum præceſſerit paulo ante. pro *vulgus* ſcribendum *vulgo* opinor. ſed duo Farneſiani optimæ notæ cum Erfurtano, *cultrix.* ſc. ætas. quod amplector. De hac arce Virgilius L. VIII.

*Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem.*
*Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.*

ita vetuſtiſſimi codices; etiam Mediceus ille. Arx hæc dicta Antipolis. *Idem.* *Arx mea collis.* ] Agit hic de ſua veteri habitatione, quæ fuit in Janiculo, ubi oppidum ejuſdem nominis condidit. *Neapol.*

251. *Sine vi pudor ipſe regebat.* ] Fabius Pictor: *Ea ætate nulla erat Monarchia, quia mortalium pectoribus non hæſerat ulla regnandi cupiditas: Principes quaſi juſti erant & religionibus dediti: non enim arbitria illorum ab æquo, vel populus à jure innato diſcedebat; nullo tunc vindice aut metu, ſed ſua ſponte retinebant fidem & rectum. Pudor ipſe regebat populos & jus principes.* Neapol.

253. *Tun-*

Digitized by Google

Nil mihi cum bello: pacem poſteſque tuebar:
Et clavem oſtendens, Hæc, ait, arma gero.
Preſſerat ora Deus. tunc ſic noſtra ora reſolvo,
Voce meâ voces eliciente Deo.
Cum tot ſint Jani; cur ſtas ſacratus in uno,
Hîc ubi juncta foris templa duobus habes?
Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam,
Protinus Oebalii rettulit arma Titi.
Utque levis cuſtos armillis capta Sabinis

Ad

253. *Tuebar pacem & poſtes.*] Defendebam pacem, cui præeram, & ſervabam januas.

255. *Tunc ſic ego noſtra reſolvi.*] *Reſolvo* ſeptem ex præſtantioribus. *tunc ſic noſtra ora reſolvo* tres Farneſiani ex optimis & Arundelianus. placet. niſi malis, *ſic ora ego noſtra reſolvo.* Heinſ.

257. *Cum tot ſint Jani.*] Non templa, ut interpretes volunt: Unum fuit præcipuum Romæ Jani templum, at Jani plures. Occurrit ſæpe in lapidibus, primus, imus & medius: ut in hoc:
C. JULIUS C. L. NICOMACHUS
A. JANO PRIM. PAL. & in iſto:
C. LEPIDUS
C. L. ANICETUS
A JANO MEDIO.
*Imi* fit mentio ab Horatio lib. I. Epiſt. I. Sed hi tres in foro erant Romano. Excitatos puto anno DLXXX. à Fulvio Flacco Cenſore: de quo, *Curavit*, inquit Livius lib. XLI. *in his & cloacam circumducendam, & forum porticibus taberniſque claudendum, & Janos tres faciendos.* Suſpicantur Eruditi, pro marmoreis arcubus & fornicatis tranſitionibus *Janos* accipiendos: Græci interpretantur ἀψῖδας. *Cur ſtas ſacratus in uno.*] Editiones nonnullæ cum quibuſdam ſcriptis *cur ſic ſacratus in uno es.* Lege, *cur, dic, ſacratus in uno es?* Heinſ.

258. *Templa duobus.*] Piſcario & Boario. Hujus vero certus ſitus fuit unde calida illa aqua exiit, adverſus Tatium, Jani opera, ut fingit hic apud Noſtrum. Eum locum dixere antiqui *Lautolas.* Varro lib. IV. L. L. *Lautola à lavando; quod ibi ad Janum geminum aqua calida fuerint.* Neapol.

259. *Tatii Oebalii.*] Tatii Oebalii, regis Sabinorum, ab ipſis Laconibus illuc profectis. *Paul.*

260. *OEbalii rettulit arma Tati.*] Voſſianus pro diverſa lectione *Titi.* optime, ne Tatii nomen inconcinne repetatur. à Tito, quod Tatio prænomen, Titii, & Titienſes, de quibus lib. III. vſ. 131. agemus. Servius ad lib. VII. Virg. *Priſcique Quirites, id eſt Sabini. priſci autem ideo, quia poſt fœdus Titi & Romuli placuit ut quaſi unus de duobus populus fieret.* ſic veterrimus codex Leidenſis & Georg. II. *ſic fortis Etruria crevit.* ubi Scholiaſtes ineditus bibliothecæ Leidenſis, *Eleganter Italiam Etruria junxit, quoniam de primo loquitur Romuli imperio. Titum collegam ejus intelligi vult,* Propertius lib. IV. Eleg. IV.

*Romula ne faciem læderet haſta Titi.*

& mox,

*Dum captiva mei conſpicer eſſe Titi.*

ſic utroque loco, ſaltem poſteriori, ſcribendum cenſeo. niſi quod *conſpicer ora* cum Gronovio reponi placet, pro *eſſe.* nam *Tatii* nomen paulo ante præceſſerat, & mox ſequitur. Nec male Gottorphianus *OEbalii ſenis.* Heinſ. *Oebalii Tati.*] Nam Sabini τῶν Λακεδαιμονίων ἄποικοι. *Neapol.*

261. *Utque levis cuſtos armillis, capta, Sabinos*
*Ad ſumma tacitos duxerit arcis iter.*] ſcripti magno numero *armillis Sabinis,* recte.

Ad ſummæ Tatium duxerit arcis iter.
Inde, velut nunc eſt, per quem deſcenditis, inquit,
Arduus in valles & Fora clivus erat.
Et jam contigerat portam: Saturnia cujus
Demſerat appoſitas inſidioſa ſeras.
Cum tanto veritus committere numine pugnam,
Ipſe meæ movi callidus artis opus.
Oraque, qua pollens ope ſum, fontana recluſi;
Sumque repentinas ejaculatus aquas.
Ante tamen gelidis ſubjeci ſulphura venis:

Clau-

recte. In Amoribus,

*Non fuit armillas tanti pepigiſſe Sabinas.*

at multi codices etiam ex optimis *Sabinos Tatios:* certe *Tatium* in nullo noſtrorum comparet, quod editiones tamen nonnullas occupat, idque ex Scaligeri excerptis fortaſſis admittendum Sed ut ſententiam meam expromam puto *maniplos Tatios* ab Ovidio fuiſſe ſcriptum, ac *Sabinos* ex interlineari gloſſemate huc irrepſiſſe. ſic *Tatii Cures* & *Tatia pretoria turma* apud Propertium. Noſter lib. II. ex antiquis codicibus,

*Te Tatii parvique Cures Caninaque ſenſit.*

Heinſ.

263. *Per quem deſcenditis.*] Hunc puto, quem vocant urbis topographi *clivum Capitolinum*; non illum poſtea dictum *Publicium*, ut argutantur Interpretes, ab Ædilibus ejuſdem cognominis: de quo ſermo nobis erit in Feſtis Floralibus lib. V.

264. *In valles per fora.*] *Et fora* Urſini liber & quatuor alii. Voſſ. & Arundel. *ad fora.* utrumque vulgatæ lectioni præſtat. *Heinſius.*

265. *Et jam contigerant portam, Saturnia cujus*
*Dempſerat oppoſitas invidioſa ſeras.*] primo Petavii & Urſini liber cum decem aliis *contigerat.* quod confirmat ſuperius *Tatium* legi debere pro *Saturnia cujus*, Voſſianus *cuſtos*, Gottorph. *civis*. Puto *Saturnia poſti Demſerat.* nam *cuſtos* minus arridet, quod Tarpejam paulo ante cuſtodem portæ appellarit. *appoſitas* etiam *ſeras* præfero cum uno Vatic. & Puteaneo. de quo Amor. l. III. Eleg XIV. Denique *inſidioſa* legendum. quod multi ex melioribus agnoſcunt. *Idem. Et jam contigerant portam.*] Quæ dicta Palatina, ſive porta vetus Palatii. *Neapol. Et jam contigerant portam*] Jam venerant Sabini magno impetu ad portam, ſub radicibus Viminalis, ut inde ingredientes arcem aſcenderent. *Saturnia invidioſa.*] Juno, quæ ſummo odio Trojanos inſectata eſt, ſic & Romanos ab illis progenitos.

268. *Movi callidus artis opus.*] Male *opem* alii quod mox ſequitur Art. Am. I. *Uſus opus movet hoc.* lib. IV. Faſtorum,

*Sacra Palis ſuberant. inde movetur opus.*

Heinſ.

269. *Oraque recluſi.*] Ipſas aquarum ſcaturigines: *Aquas repentinas*]Repente ſcaturientes. nam magna vis aquarum ferventium ſubito in adverſos hoſtes erupit. *Paul.*

270. *Repentinas ejaculatus aquas.*] Hoc aliter ſe habet apud Hiſtoricos. Tabellæ vero etiam mentio apud Fab Pictorem lib. II. & Macrob. Saturn. I. ubi inepta quædam, ut, ex æde Jani aquam prorupiſſe, cum nondum ea per id tempus in nova urbe. *Neapol.*

271. *Madidis ſubjeci ſulphura venis.*] *Calidis* Urſini liber pro diverſa lectione & octo alii. quod & ex uno Ciofanus Vaticano profert. Rutilius Itiner. in hac narratione,

*Nempe*

Clauderet ut Tatio fervidus humor iter.
Cujus ut utilitas pulſis percepta Sabinis;
Quæque fuit, tuto reddita forma loco eſt;
Ara mihi poſita eſt parvo conjuncta ſacello:
Hæc adolet flammis cum ſtrue ſacra ſuis.
At cur pace lates, motiſque recluderis armis?
Nec mora; quæſiti reddita cauſſa mihi.
Ut populo reditus pateant ad bella profecto,
Tota patet demtâ janua noſtra ſerâ.
Pace fores obdo; ne qua diſcedere poſſit:
Cæſareoque diu nomine clauſus ero.

Dixit;

*Nempe tibi ſubitus calidarum gurges aquarum*
*Rupit Tarpeias hoſte ſequente vias.*
ita etiam alii. Sed cum *fervidus humor* mox ſequatur, ne bis idem dicat, arbitror *gelidis venis* eſſe reponendum. G enim & C cum in veterrimis libris promiſcue confundantur, *vena gelida* in *calidas* nullo negotio degenerare potuerunt. ut & lib IV. vſ. 146. in nonnullis membranis factum. Noſter in hac eadem fabula ſub finem lib XIV. Met.
*——— Jano loca juncta tenebant*
*Naïdes Auſoniæ gelido rorantia fonte.*
& deinde.
*——— Alpino modo quæ certare rigori*
*Audebatis aquæ, non ceditis ignibus ipſis.*
Sed vide totum locum. ſimilis omnino diverſitas lectionum in antiquiſſimis codicibus infra lib. IV. vſ. 144. Faſt. II.
*In medio gelidæ fons erat altus aquæ.*
Heinſ.

274. *Quæ fuerat tuto.*] *Quæque fuit* optimus Ambroſ. *Idem.*

275. *Ara mihi poſita eſt.*] Malim *Ponitur ara mihi.* pro *Hæc adolet* codex Caroli Strozzæ, *Hanc adolent* Puto *Hæc adolent.* pro *cum ſtrue* duo Vaticani *cum ſale*, ut molam ſalſam intelligat. Poſſit etiam legi *in ſtrue* ut libris de Ponto,
*Armaque cum telis in ſtrue mixta ſuis.*
Idem. *Ara mihi poſita eſt.*] Ubi fuere antiqua illa λετρά. diſce ex his, Naſonem, præter vulgum ædis hujus, Romulum, non Pompilium, auctorem feciſſe. Et hæc vetus opinio Varronis apud Auguſtinum. *Parvo conjuncta ſacello.*] De hoc Procopius primo de bello Gothico: *Id vero jam ſacellum totum ex ære conſtructum fuiſſe ſat conſtat, &c.*

276. *Cum ſtrue.*] *Jano ſtruem commoveto*, inquit luſtricum Catonis carmen. *Strues* libi genus de quo vide Feſtum. Solita hæc in ſacrificiis miſceri cum fercto; imo vero nunquam hoc ſine illa. Quæ qui adferebant *ſtruferctarii* appellabantur. Inde in veteri lapide: PORCAM ET AGNAM STRUIBUS ET FERTIS. Feſtum & ferctum pronuntiatum à priſcis *Neapol.*

277. *Motiſque recluderis armis.*] Legi in hac hæreſi quoſdam Romanorum perſtitiſſe uſque ad tempora Silverii P. M. & illius clari Ducis Beliſarii. Vide Procop. I. de bello Gothico. *Neapol.* *Motiſque recluderis armis.*] Quod erat ſacrorum. Nam is, qui belli ſuſceperat adminiſtrationem, ſacrarium Martis ingreſſus, primum ancilia commovebat, deinde haſtam ipſius ſimulacri, dicens, *Mars vigila*: conſule Scholiaſten Virgilii, ad illa l. 8. Æneid. —— *utque impulit arma* —— *Extemplo turbati animi.*

281. *Pace fores obdo.*] Huic portæ nomen fuit *Janualis.* Vide Varronem l. IV. de L. L. *Neapol.*

282. *Cæſareo nomine.*] Urbin. Voſſ. Arund.

Digitized by Google

Dixit; &, attollens oculos diverſa tuentes,
  Adſpexit toto quidquid in orbe fuit.
Pax erat; & veſtri, Germanice, cauſſa triumphi
  Tradiderat famulas jam tibi Rhenus aquas.
Jane, face æternos, Pacem, Paciſque miniſtros:

Neve

Arund. *nomine.* ut domum Cæſaream intelligat. *Heinſ.*

285. *Germanice cauſſa triumphi.* ] Hæc victoria ἀναμφισβητήτως Cæſari Germanico, non Tiberio datur. Vide Tacit. Annal. II. *C. Cælio. L. Pomponio Coſſ. Germaniam Cæſar A. D. VII. Kalendas Junias triumphavit de Cheruſcis Chattiſque. &c.* Fuit hoc anno DCCLXIX. male apud Euſebium anno MMXXXIII. præter unius anni metachroniſmum, legitur pro *Chattis,* Germanicus Cæſar de *Parthis* triumphavit. Nunc videamus, an potuerit Noſter hujus victoriæ meminiſſe, cum pleriſque eo anno ſit mortuus. nugæ: nam ipſe natus ab V. C. anno DCCX. Hirtio ac Panſa Coſſ. cui Chronologo ac de re fides, niſi ipſimet Naſoni habeam, lib. IV. Triſt. *Cum cecidit fato Conſul uterque pari.* Deceſſit Poëta noſter anno Urbis DCCLXX. Plene igitur potuit Ephemerides ejuſdem anni ſcriptitaſſe, multo magis Germanici victoriam, quæ incidit in annum DCCLXIX. *Neapol.*

286. *Domitas jam tibi Rhenus aquas.* ] *Famulas* libri plerique veteres. Martial. lib. IX.

*Dum grande famuli nomen adſeret Rheni*
*Germanicarum magna lux Kalendarum.*

ſic idem *famulas Iſtri aquas* dixit lib. V. Auſonius Moſella,

*Te rapidus Gelbis, te marmore clarus Erubrus*
*Feſtinant famulis quamprimum adlambere lymphis.*

Rutilius,

*Ipſe triumphali redimitus arundine Tybris*
*Romuleis famulas claſſibus aptat aquas.*

pari modo *Hydaſpes famulus* Claudiano Mallii Conſ. & *famulus Ganges* III. Conſ. Honorii. *famulus Orontes* Sidonio Panegyr. Anthemii. De *ſervâ aquâ* quod Cioſanus hic profert, nihil ad rem facit. *Heinſ.*

287. *Paciſque miniſtros.* ] *Miniſtri* nomen indignum majeſtate domus Cæſareæ. Et ſane vetuſtiſſimus Urſini liber *magiſtros* agnoſcit. ſed nec illud quidem ſatis aptum. Quid ergo? Opinor ſcriptum fuiſſe *paciſque ſtrem.* pro *paciſque ſequeſtrem* vel *ſequeſtrum* abſorptis duabus prioribus ſyllabis in *ſequeſtrum* à cognatis in præcedente *paciſque* voce ſyllabis. De uno autem Auguſto hic agi, ſequens verſus,

*Neve ſuum præſtа deſerat auctor opus,*

ſatis evincit. *pacis ſequeſter,* quomodo & *auctor Pacis* Noſtro Auguſtus dictus Pont. I. Eleg. I. Gloſſæ Stephani *ſequeſter* Μεσίτης, ἔντριτος συνθηκοφύλαξ. Gloſſæ Mss. *ſequeſter* ἐστὶ παρ᾽ ᾧ πολλοὶ ἐπίδικον παραδίδονται πρᾶγμα. Vide Feſtum in *ſequeſter.* & Gellium lib. XX. cap. ult. Obvia ea vox apud Juriſconſultos. *Pacis* igitur *ſequeſter,* hoc eſt, medius & arbiter. Arbitrum & ſequeſtrum Plautus conjunxit Rudente. *Tu iſthuc hodie non feres, niſi das ſequeſtrum aut arbitrum, cujus hac res arbitratu fiat.* Silius lib. VI.

*At nova Eliſſæi jurato fœdere patres*
*Conſultant mandare duci, paciſque ſequeſtrem*
*Mittere.*

Statius Theb. VII.

——*Ubi tunc fidei paciſque ſequeſtra*
*Mater eras?*

Ubi Scholiaſtes, *Sequeſter dicitur qui certantibus medius intervenit, apud quem cujuſcunque certaminis futuri pignora deponuntur, hoc vocabulum ab obſequendo factum eſt. quod ejus qui electus fuerit utraque pars fidem ſequatur.* quibus ſimilia habes apud Servium lib. X. Æneid. apud Lucanum libro X, *orator regis paciſque ſequeſter,*

*queſter.* hinc Virgilio & eidem Statio *pax ſequeſtra* lib. II. Theb. & Æneid. Contra *Carnifex rapinarum ſequeſter* Ammiano lib. XIV. *pudicitiam perjurii ſequeſtrem* Val. Maximus dixit lib. IX. cap. I. Prudentius Cathemerin. Hymn. X.

*Nunc ſuſcipe terra fovendum,*
*Gremioque hunc concipe molli.*
*Ominis tibi membra ſequeſtro*
*Generoſa & fragmina credo.*

de hujuſmodi nævis ex concurſu duarum ſyllabarum aut vocum cognatarum exortis jam egimus ad Epiſt. XIV. v. 194. Amor. I. Eleg. XIII. vſ. I. ſic Epiſt. XXI. vſ. 58. *pro perdere velle velis* legendum monui *perdere dure velis.* Apud Propertium l. I. Eleg. I. ubi nunc inconcinne & frigide legitur,

*Ibat & hirſutas ille videre feras.*

Perſuaſum habeo, debere ſcribi,

*Ibat & hirſutas ille ferire feras.*

& Eleg. III.

*Illa fuit lacrymis ultima cura meis.*

cum opiner manu Propertii eſſe *lacrymis ultima meta meis.* quomodo Noſter Amor. III.

*Raditur hac elegis ultima meta meis.*

& ipſe Propertius libro IV. Eleg. II. *hac ſpatiis ultima meta meis.* Eleg. VI. libri I. apud Propertium,

*Tu patrui meritas conare anteire ſecures,*
*Et vetera oblitis jura refer ſociis.*

*ſociis* Cyzicenos interpretantur, ſed cum multi libri veteres *referre ſonis* agnoſcant, puto Propertium reliquiſſe, *referre foris.* In foro enim jus dicebatur: rurſus Elegia VIII.

*Nam me non ulla poterunt corrumpere forma,*
*Quin ego, vita, tuo limine acerba querar.*

Ita opinor ſcribendos illos verſus. *corrumpere de te* valde friget. Idem lib. II. Eleg. ult.

*Amphiaraëæ nil proſunt fata quadrigæ,*
*Aut Capanei magno grata ruina Jovi.*

Tò *magno* non apparet in vetuſtis codicibus, quod magnus Scaliger etiam monuit, qui valde verſus illos diſtorquet. Scribe,

*Aut Capanei irato grata ruina Jovi.*

libro III. Eleg. XIX.

*Hac amor ipſe ſuo conſtringit pignora ſigno.*
*Teſtis ſiderea torta corona dea.*

alii de Corona Ariadnea, alii de Lunæ accipiunt aut Venere. nihil horum. Lege,

*Teſtis ſiderei tota corona chori.*

aſtra deſignat. ſic Tibullus l. II. Eleg. I.

*Ludite: jam Nox jungit equos, currumque ſequuntur*
*Matris laſcivo ſidera fulva choro.*

idem Propertius libro eodem El. XXIV.

*Limina jam noſtris valeant lacrymantia verbis.*

de lacrymis amantium ante limina puellæ rem novi. Sed quàm inſolens hoc & durum, *verbis lacrymantia limina!* Puto reponendum,

*Limina jam noſtris valeant halantia ſertis.*

de halandi verbo dixi Metamorph. lib. VII. vſ. 812. apud Virgil. l. I. Æneid.

*Thure calent aræ, ſertiſque recentibus halant.*

& libro IV. Georg. *halantes floribus horti.* Tibullus libro primo, Eleg. I.

*Nunc levis eſt tractanda Venus, dum frangere poſtes*
*Non pudet, & rixas inſeruiſſe juvat.*

non eſt plena oratio. Tò *juvat* etiam poſt Tò *pudet* frigide inculcatur. Non dubito ab elegantiſſimo Tibullo ſcriptum, *inſeruiſſe ſera.* eadem elegia paulo ante,

*Parva ſeges ſatis eſt: ſatis eſt requieſcere lecto*
*Scilicet, & ſolito membra levare toro.*

Tò *lecto* otioſum & ſuperfluum eſt, cum *toro* ſequatur. quare corrigebam *requieſcere feſſo.* Plura erant hujuſmodi, quibus proferendis nunc ſuperſedebimus. ne nimii ſimus. defungemur tamen in tranſcurſu reſtitutione Statiani loci, quem ex parte ad Epiſt. XIII. vſ. 35. caſtigavimus. Is exſtat Sylvarum libro V. Epicedio patris,

*Si chelyn Odryſiam pigro tranſmiſit Averno*
*Cauſa minor: ſi Theſſalicis Admetus in oris,*
*Si lux una retro Phylaceïda retulit umbram,*
*Cur nihil exoret genitor chelys aut tua manes,*
*Aut mea?*

Tò *Ad*

Neve ſuum, præſta, deſerat auctor opus.
Quod tamen ex ipſis licuit mihi diſcere Faſtis;
Sacravêre Patres hâc duo templa die.
Accepit Phœbo Nymphâque Coronide natum
Inſula, dividuâ quam premit amnis aquâ.
Jupiter in parte eſt. cepit locus unus utrumque:
Junctaque ſunt magno templa nepotis avo.
QUid vetat & ſtellas, ut quæq; oriturq; caditque,
Dicere? promiſſi pars ſit & iſta mei.
Felices animos, quibus hæc cognoſcere primis,

In-

τὸ *Admetus* valde turbat ſenſum. unde factum, ut verſum excidiſſe primo ſim opinatus. Non enim Admetus ab inferis reverſus. ſi recte perpendas *Theſſalicis in oris*, in duabus prioribus vocibus, invenies; τὸ *Alceſtin*. quæ vox à cognatis duabus proximis extrita fuit. Scribe igitur.

——*ſi Theſſalicas Alceſtin in oras,*
*Si lux una retro Phylaceïda rettulit umbram.*

ita omnia in hoc Statiano loco optime ſeſe habebunt. exſtat hujus argumenti Alceſtis tragœdia Euripidis. Sed ab his deverticulis ad Naſonem tandem revertamur. *Idem.*

290. *Hac die.*] Calendarum ſcilicet Januariarum. *Duo templa.*] Alterum Jovi, alterum Æſculapio. *Neapol.*

291. *Accipit Phœbo, &c.*] Ex Phœbo & Coronide nympha filia Phlegyæ, filii Martis, natus eſt Æſculapius, qui in Epidauro urbe colebatur. *Paul. Accepit Phœbo.*] Æſculapio ergo templum in inſula Tiberina ſacratum. Motus & cauſa dedicationis exſtitit peſtilentia vaſtans urbem & agros: hinc aditi libri Sibyllini, in quibus inventum ait Liv. lib. X. *Æſculapium ab Epidauro Romam arceſſendum, &c.* Arceſſitus tandem hic: ne cogites ſignum aliquod æreum aut ligneum ſimulacrum; anguis ſane fuit: ſed prô! quot mira iſte anguis eſt auſus? Vide Valerium l. I. de Miraculis, c. VIII. *Neapol.*

292. *Dividua aqua.*] Bene, quia flumen finditur in duas partes, ob inſulæ impedimentum. *Neapol.*

293. *Jupiter in parte eſt.*] Hoc templum ſi dicatum eodem die quo Æſculapii, illud incidet in a. CDLXII. *Neap. Juppiter eſt in parte.*] Ipſius inſulæ: quia & ibi templum eſt illi conſecratum.

294. *Templa nepotis.*] Æſculapii, qui nepos eſt Jovis: quoniam hic Phœbi pater, cujus ille filius.

296. *Propoſiti pars fuit iſta mei.*] *Promiſſi pars ſit & iſta* Urſini liber. Voſſ. & Arund. *promiſſi pars ſit & ipſa.* Petavianus *promiſſi pars fuit illa.* alii magno numero & ſuperiori verſu *Quid vetat* meliores pro *Quis.* dictum Ep. Ariadnes. *Heinſius.*

297. *Felices animæ.*] *Animos* Voſſ. Arund. duo Farneſiani cum uno Vaticano, venuſte. niſi *animas* malis. nam ſequenti verſu *illas* eſt in Urſini libro & tribus aliis. Triſt. lib. IV. Eleg. X. ex veſtigiis ſcripti codicis,

*Felices ambos, tempeſtiveque ſepultos!*

Pont. I. Eleg. II.

*Felicem Nioben, quamvis tot funera vidit.*

Ep. Herus.

*Felices illas, ſua quas præſentia noſſe*
*Crimina vera jubet.*

deinde pro *jociſque* ſcribendum *lociſque*, ut libri meliores habent, & ab aliis jam eſt monitum. ſupra, *humanis numina mixta locis.* Idem. *Felices animæ.*] Ad has etiam Plinius. *Macte ingenio, eſte cæli interpretes, rerumque naturæ capaces,*

argu-

Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit!
Credibile eſt illos pariter vitiiſque locisſque
Altius humanis exſeruiſſe caput.
Non venus & vinum ſublimia pectora fregit;
Officiumve fori, militiæve labor.
Nec levis ambitio, perfuſaque gloria fuco;
Magnarumve fames ſollicitavit opum.
Admovêre oculis diſtantia ſidera noſtris;
Ætheraque ingenio ſuppoſuêre ſuo.
Sic petitur cælum: non ut ferat Oſſan Olympus;
Summaque Peliacus ſidera tangat apex.
Nos quoque ſub ducibus cælum metabimur illis,
Ponemuſque ſuos ad ſtata ſigna dies.
ERgo ubi nox aderit venturis tertia Nonis,
Sparſaque cæleſti rore madebit humus,
Octipedis fruſtra quærentur brachia Cancri:
Præceps occiduas ille ſubivit aquas.
INſtiterint Nonæ: miſſi tibi nubibus atris
Signa dabunt imbres, exoriente Lyrâ.

Quat-

*argumenti repertores, quo homines Diiſque viciſtis.* Neapol.

298. *Inque domos ſuperas.* ] Sic Noſter de Pythagora. Metam. 15. fab. 2.

*Mente deos adiit, & quæ natura negavit*
*Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.*

301. *Sublimia pectora.* ] *Regales animos* dixit Manilius ſub initium primi. *Neap.*

303. *Perfuſa fuco.* ] Falſo & fictitio medicata colore. Gloſſæ: *fucus*, χρῶμα. *Neapol.*

308. *Summaque ſidera.* ] *Imaque* Petavianus. ſed fruſtra. initio libri III.

*Contigeratque ſuâ ſidera ſumma comâ.*
ſupra,
*Et tetigit ſummos vertice Roma deos.*
Heinſ.

309. *Cælum metabimur.* ] Ad condendum noſtrum parapegma: idem μετρεῖν οὐρανὸν dictum à Leone Philoſopho. ad hoc à patribus inventa inſtrumenta dioptrica; quæ primum excogitavit Hipparchus. *Neapol.*

310. *Ad vaga ſigna dies.* ] *Stata ſigna* nonnulli ex melioribus. quod & Neapoli recte approbatur. *Heinſ.*

311. *Ergo ubi aderit nox, &c.* ] Cum venerit nox, quæ diem tertium calendarum Januariarum præcedit. *Paul. Venturis tertia nonis.* ] III. Nonas Januarias Cancer mane occidit. *Neapol.*

313. *Quærentur brachia.* ] *Quæruntur* ſcripti majori ex parte. Quare & ſequenti verſu *ſubivit* reponendum, quicquid illi obnituntur. *Heinſ.*

215. *Inſtiterint imbres miſſi tibi nubibus atris*
*Nona ſigna dabunt exoriente lyrâ.* ] veteres plerique *niſi ſi tibi.* alii, *niſi ſi de* vel *miſſi de nubibus.* quomodo & Mazarin. Naugerius & Neapolis recte ex ſuis libris,.

*Inſtiterint Nonæ! miſſi tibi nubibus atris*
*Signa dabunt imbres exoriente lyrâ.*
quomodo & quinque ex noſtris, cum Petaviano. qui tamen, *niſi ſic ibi* na-

QUattuor adde dies ductis ex ordine Nonis;
Janus Agonali luce piandus erit.
Nominis eſſe potes ſuccinctus cauſſa miniſter,
Hoſtia cælitibus quo feriente cadit.
Quo calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros,
Semper (Agone?) rogas nec niſi juſſus agis.
Pars, quia non veniant pecudes, ſed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem.
Pars pùtat hoc feſtum priſcis Agnalia dictum;
Una ſit ut proprio littera demta loco.
An, quia prævíſos in aquâ timet hoſtia cultros,

A pe-

*nubibus*. at Urſini codex,

*Inſtiterint Nonæ: niſi ſit tibi nubilus aër.* Scribendum forte *ſi ſit ſubnubilus aër.* Rem. Am.

*Limes erat tenuis longâ ſubnubilus umbrâ.* Idem. *Inſtiterunt Nonæ, &c.*] Oſtendit ipſiſmet Nonis futuram tempeſtatem, & Lyræ ortum heliacum: hic eodem tempore eſt Cæſari apud Plin. lib. 18. c. 26. *Neapol.*

317. *Quattuor adde dies.*] V. Idus Januarias Agonalia Romæ erant: initium à Numa Pompilio ducunt. Iterabant hæc feſta veteres XII. Kalendas Junias. Et propridie Idus Decembris exſtat memoria in antiquo Kalendario: in eo Conſtantini Magni notatur ipſamet dies SEPTIMONIA, & bene: ne titubes. Vide Feſti fragmentum in vocula *ſeptimonium*, ſed aliqua in parte ſemiroſum. *Neapol.*

318. *Luce Agonali.*] Die quo Agonalia celebrantur arietis immolatione.

319. *Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſa miniſter.*] Prima opinio cauſæ nominis, à rogando: cum rex ſacrificulus mactaturus arietem, rogat populum ſeu principem civitatis, *Agone?* ab ea voce rogantis putat *Agonalia dici. Succinctus miniſter.*] Is erat victimarii cultus. *Neapol.*

322. *Semper agat ne rogat, nec niſi juſſus agit.*] Primo illud rectum, quod optimus Ambroſ. Læti codex & duo Farneſiani præſtantiores *Agone* exhibent. Varro de L. L. *Dies Agonales per quos Rex in regia arietem immolat, dicti ab Agone? eo quod interrogabatur Princeps civitatis, & princeps gregis immolabatur. Agones* quoque popas fuiſſe dictos vult Statii Scholiaſtes Theb. IV. pro *rogat*, Petavianus Urſin. Voſſian. Arundel. & ſeptem alii, *rogas*. unus Patavinus *roges. nec agat* vel *aget* etiam meliores. Scribe,

*Semper, agone, roges, nec niſi juſſus agas.* & paulo ante, *eſſe potes ſuccinctus cauſa miniſter.* non *poteſt.* quomodo unus meus. eleganter. Apoſtrophe eſt ad popam. Ita optime omnia ſeſe habebunt. Sequentes verſus eo, quo exprimendos curavi, ordine libri veteres agnoſcunt. *Heinſ.* *Nec niſi juſſus agit.*] Ex ritu Dionyſ. Halicar. lib. VII. Antiq. Συντελεσθείσης δὲ τῆς πομπῆς, ἐβουθύτουν εὐθὺς οἵ τε ὕπατοι, καὶ τῶν ἱερέων οἷς ὅσιον. Et paucis interjectis: Ἔπειτα κατευξάμενοι θύειν τότε τοῖς ὑπηρέταις αὐτὰ ἐκέλευον.

323. *Sed agantur ab actu.*] Inde Feſtus: *Agonium dies appellabatur, quo Rex hoſtiam immolabat: hoſtiam enim antiqui agoniam vocabant.* Idem. *Pars, quia non, &c.*] Altera opinio, quod pecudes ad ſacrificium ſponte non veniant, ſed agantur, ſeu abigantur, & inde *agonalia* dici.

327. *Timet hoſtia cultros.*] Sive, inquit, ducit originem ἀπὸ τῦ ἀγωνιάω, quod Græcis uſitatiſſimum, pro *metu angi*: unde qui temet, ἀγωνιάτης dicitur apud Diog. Laërtium. *Neapol.*

329. Fas

A pecoris lux eſt iſta notata metu?
Pars etiam, fieri ſolitis ætate priorum
Nomina de ludis Graja tuliſſe diem.
Et pecus antiquus dicebat Agonia ſermo:
Veraque judicio eſt ultima cauſſa meo.
Utque ea nunc certa eſt; ita Rex placare ſacrorum
Numina lanigeræ conjuge debet ovis.
Victima, quæ dextrâ cecidit victrice, vocatur.
Hoſtibus amotis hoſtia nomen habet.
Ante, Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis.
Nondum pertulerat lacrymatas cortice myrrhas

Acta

329. *Fas etiam.*] Imo *Pars etiam* cum Mazarin. Læti, quatuor Farneſianis, ac aliis nonnullis. Superiora ſatis id adſtruunt. Paulo ante *lux eſt iſta* etiam meliores libri. *Heinſ.*

330. *Nomina Græca.*] *Grata* optimus Ambroſ. & unus Patavinus. Lege *Graia.* quomodo ſæpe peccatum; ut alibi diximus. *Idem.* *De ludis ſolitis fieri ætate priorum.*] A ludis, quos veteres exercebant. Dicebantur enim *ludi Agonales.* Primus eos inſtituit Hercules in Elide, apud Jovem Olympium. *Paul.* *Nomina de ludis Graja.*] Huc pertinent illa Feſti: *Agonia ſacrificia, quæ fiebant in monte: hinc Romæ mons Quirinalis Agonus, & Collina porta Agonenſis. Agonium, locus in quo ludi initio facti ſunt, ob hoc dictum, quia fuerit ſine angulo.* Græcis angulus, *γωνία*, locus angularis *γωνιαῖος*; unde angulo carens *ἀγώνιος*. *Neapol.*

331. *Et prius antiquus dicebat Agonia ſermo.*] *Et pecus* Urſini liber, optimus Ambroſ. & ſex alii. cum priſcâ editione. recte. Vide Feſtum in *Agonius* & *Agonium*. Heinſ. *Et antiquus ſermo dicebat prius agnoia.*] Antiqui vocabant ipſa feſta agonia. De quo Pompejus: *Agonium* diem appellabant, quo rex hoſtiam immolabat. Hoſtiam enim antiqui *agoniam* vocabant. *Agonum* etiam putabant dici deum præſidem rebus agendis, *Agonalia* ejus feſtivitatem. *Paul.*

333. *Utque ea non certa eſt.*] Ita Ciofanus & Neapolis. Sed Urſini codex & decem alii, *nunc certa eſt.* quod verſus præcedens confirmat. *Heinſ.*

335. *Victima quæ cecidit.*] Intrudit huc multa de ſacrificiis veterum, anſa ſumpta ex iis quæ dixit in Agonalibus. Victimæ vero & hoſtiæ etymon non arridet. *Neapol.*

336. *Hoſtibus à domitis hoſtia.*] *Hoſtibus amotis* Urſini liber & Patavinus Hectoris Treviſani. quod arridet. Nam, ſi vulgatam ſequimur ſcripturam, nihil aut parum inter hoſtiam & victimam intererit. Nonius, *Hoſtire eſt comprimere, coërcere, dictum ab hoſtia. Pacuvius Teucro, Niſi coërcuero protervitatem atque hoſtire ferociam.* Ita lege. Hinc & *Hoſtilii Lares, quibus immolabant, quod ab his hoſtes arceri putarent*, teſte Feſto. *Heinſ.*

338. *Far erat.*] Idque à Jani ævo, teſte Q. Fabio lib. 1. de aureo ſæculo. *Puri lucida mica ſalis.*] *Liquidi ſalis* codex Regius. ut alterum ex gloſſemate irrepſerit. *Heinſ.*

339. *Nondum pertulerat.*] Suſpicor myrrham, coſtum, crocum, eodem tempore quo thus, noſtris avis fuiſſe cognita; cum ex iiſdem fere regionibus aſportata. Thuris vero notitia ad eos quando pervenerit, dubium: multa tamen diſces è loco quodam trito Arnobii. l. VII. adverſus Gentes. *Lacrymatas cortice.*]

 Nam

Acta per æquoreas hoſpita navis aquas.
Thura nec Euphrates, nec miſerat India coſtum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus aduſta ſono.
Si quis erat, factis prati de flore coronis,
Qui poſſet violas addere; dives erat.
Hic, qui nunc aperit percuſſi viſcera tauri,
In ſacris nullum culter habebat opus.
Prima Ceres avidæ gaviſa eſt ſanguine porcæ,
Ulta ſuas meritâ cæde nocentis opes.
Nam ſata vere novo teneris lactentia ſulcis

Eruta

Nam ſtillant ab ipſo ligno: inde fere omnes voce *Lacryma* hac in re uſi. Myrrhæ vero duæ ſpecies, liquida & dura, σακτὴ καὶ πλαστή. Vide Theophraſt. *Neapol.* *Pertulerat myrrhas.*] Myrrhas, quæ ex ſuorum arborum cortice tanquam ex oculis lacrymæ emanant. Et ad illud alludit, quod in 10. lib. Metam. dixit: *Eſt honor & lacrymis, ſtillataque cortice myrrha Nomen herile tenet, nulloque tacebitur ævo.*

343. *Herbis contenta Sabinis.*] Hæ ante thuris notitiam veteribus in uſu. hinc magnus Vates in Culice: *Herbaque thuris opes priſcis imitata Sabina:* neque poſt thuris inventionem ſpreta, ſed frequens fuit ad ſuffitus. de hac Dioſcorides. χρῶνται δέ τινες τοῖς φύλλοις ἀντὶ θυμιάματος.

345. *Factis prati de flore coronis.*] Ita noſtri omnes. Neapolis ex uno ſuo *plexis.* Heinſ.

346. *Qui poſſet violas addere.*] Sed hæ etiam poſtea inter flores coronarios habitæ in pretio. Vide Athenæum lib. XV. *Neapol.*

348. *Nullum culter habebat opus.*] Concludit tandem, priſcos illos ἀναθήματα Diis obtuliſſe, non θυσίας: dona, non victimas.

349. *Avida gaviſa eſt ſanguine porca.*] Ab hac igitur ſumpſit initium rei animatæ ſacrificium. Scripſit & Varro lib. II. de Re ruſtica: *Sus Græce dicitur ὗς, olim thyſus dictus, ab illo verbo quod dicunt θύειν, quod eſt immolare, &c.* Neapol.

351. *Teneris lactentia ſuccis.*] Libri meliores *ſulcis.* Recte. Triſt. III. Eleg. XII.

*Herbaque quæ latuit Cerealibus obruta ſulcis.*

Met. I.

*Semina tum primum longis Cerealia ſulcis*
*Obruta ſunt.*

Tibullus,

——*ſpes ſulcis credit aratis Semina.*

Virgilius,

*Cum primum ſulcos æquant ſata.*

Avienus Orbis Deſcript. de Ægypto,

*Vomere, qua duro, qua longi pondere aratri*
*Sollicitavit humum, qua fætus edere ſulcis*
*Tellurem docuit.*

quomodo ſcribendum ex veteri libro Mediolanenſi. niſi mavis *credere ſulcis.* Vulgo, *vectis cadere ſulcis.* Mox idem ex eodem veteri libro,

*Quaque gravi ſollers committit ſemina ſulco.*

hoc eſt, gravido ſulco. Atque ita paſſim auctores. Sulci etiam pro ſcrobibus ſumuntur, in quibus arbores plantantur.

Cal-

Eruta ſetigeræ comperit ore ſuis.
Sus dederat pœnas. exemplo territus hujus
Palmite debueras abſtinuiſſe caper.
Quem ſpectans aliquis dentes in vite prementem,
Talia non tacito dicta dolore dedit:
Rode, caper, vitem: tamen huic, cum ſtabis ad aram,
In tua quod ſpargi cornua poſſit, erit.
Verba fides ſequitur: noxæ tibi deditus hoſtis
Spargitur affuſo cornua, Bacche, mero.
Culpa ſui nocuit: nocuit quoque culpa capellæ.
Quid bos, quid placidæ commeruiſtis oves?
Flebat Ariſtæus; quod apes cum ſtirpe necatas
Viderat inceptos deſtituiſſe favos.
Cærula quem genitrix ægre ſolata dolentem,
Addidit hæc dictis ultima verba ſuis:
Siſte, puer, lacrymas. Proteus tua damna levabit;
Quoque modo repares, quæ periêre, dabit.

De-

Calpurnius Ecloga II.

——— *Sulcos ne forte priores*
*Languida mutatâ quærant plantaria terrâ*

Male & illic *ſuccos* legitur. Virgilius,

—— *nunc te quoque Medica putres*
*Accipiunt ſulci.*

vide Feſtum in *Sulci.* Heinſ.

356. *Verba dolore dedit* ] *Dicta* veteres plerique recte. nam *verba dare* alio ſignificatu dicitur. *digna dedit* Arundel. & ſex alii. *Idem.*

357. *Rode caper vitem.* ] Expreſſum hoc diſtichon ex verſiculis Eveni: Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω; Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι τράγε θυομένῳ. Neapol. *Tamen hinc.* ] *Hic* Petavianus & alii quatuor. Lege *huic* cum uno Farneſiano, id eſt, viti. *Heinſ.*

358. *Spargi in cornua.* ] Ex ritu ſacrorum. Virgil. 4. Æn.

*Ipſa tenens dextra pateram pulcerrima Dido*
*Candentis vaccæ media inter cornua fundit.*

359. *Noxæ tibi deditus hoſtis.* ] *Cum lex jubet*, inquit Feſtus, *noxæ dedere, pro peccato dedi jubet.* Neapol.

361. *Nocuit quoque culpa capellæ.* ] Hæc ob eroſam oleam Palladi ſacrificata. *N.*

363. *Flebat Ariſtæus. &c.* ] Mactatio bovis initium ſumpſit ab Ariſtæo: primus enim ille pro reparandis apibus bovem immolaſſe fertur. Vide in fine Georgicorum Virgil. *Ariſtæus.* ] Apollinis & Cyrenes filius. *Necatas cum ſtirpe.* ] Apes extinctas cum omni ſpe ſobolis. *Paul.*

365. *Cærula genitrix.* ] Κυρήνη. Neap.

367 *Proteus.* ] Redi ad Tom. I. pag. 427. vſ. 10. & p. 565. vſ. 761.

368. *Et dabit.* ] Docebit, quo pacto reparare poſſis examina extincta. *Proteus* à multis Oceani & Tethyos filius creditus eſt. & marinorum piſcium paſtor. Hunc artium peritum, & in varias ſe formas ſolitum vertere tradiderunt. Mater igitur nunc inſtruit filium, ne mutatione formæ decipiatur. ſed cum primum invenerit, alliget.

Decipiat ne te verſis tamen ille figuris;
Impediant geminas vincula firma manus.
Pervenit ad vatem juvenis: reſolutaque ſomno
Alligat æquorei brachia capta ſenis.
Ille ſuâ faciem transformis adulterat arte:
Mox domitus vinclis in ſua membra redit.
Oraque cæruleâ tollens rorantia barbâ;
Qua, dixit, repares arte requiris apes?
Obrue mactati corpus tellure juvenci:
Quod petis à nobis, obrutus ille dabit.
Juſſa facit paſtor. fervent examina putri
De bove: mille animas una necata dedit.
Poſcit ovem fatum. verbenas improba carpſit;
Quas pia Dîs ruris ferre ſolebat anus.
Quid tuti ſupereſt; animam cum ponat in aris
Lanigerumque pecus, ruricolæque boves?
Placat equo Perſis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.
Quod ſemel eſt triplici pro virgine cæſa Dianæ,
Nunc

373. *Ille ſuam faciem transformat & alterat arte.*] *Alterare* Latinum vix eſt, etſi memini in gloſſis Stephani occurrere *Altero*, ἑτερόω. Quare reponatur ex Urſini & Petavii optimis libris, quod & duo Medicei agnoſcunt; *transformis adulterat*. Pont. IV. Eleg. X.

*Copia tot laticum, quas haurit, adulterat undas.*

*transformia corpora* dixit Met. VIII.

*Aſt ubi habere ſuam transformia corpora ſentit,*
*Sæpe pater dominis Triopeida tradit.*

Scribe etiam *Ille ſuâ*, hoc eſt arte, ut bene unus Patavinus. *Heinſ.*

379. *Paſtor.*] Ariſtæus. *Fervent.*] Fervere & emicare pullulantes videntur.

380. *Dedit mille animas.*] Mille viventes apes. *Paul.* *Una necata dedit.*] Inde apud Græcos apis epithetum βουγενής. & vetus illud poëma, fortaſſis Eumeli, dictum βουγονία, de hac Ariſtæi fabella ſuſpicantur litteratores egiſſe. *Neapol.*

381. *Pavit ovis pratum.*] Parum Latine profecto, pro depavit. In nonnullis vetuſtioribus *Paſcit*. Petavii *Paſcit ovis prato*. optimus Ambroſ. *Paſcit oves pratum*. tres alii *Pavit oves*. At Urſini liber cum quinque aliis *Poſcit ovem fatum*. quod ſequor. *Heinſ.*

385. *Placat equo Perſis, &c.*] Perſæ equum Soli mactant ea ratione, quod celerrimo numini, celeris ſit offerenda victima. *Radiis Hyperiona cinctum.*] *Comtum* quatuor libri. ſic Virgil. lib. VII.

*Quin & Marrubia venit de gente ſacerdos*
*Fronde ſuper galeam & felici comtus oliva.* Heinſ.

*Radiis Hyperiona cinctum.*] Solem radiis vallatum, ceu telis. Recurre ad Tom. I. p. 56. vſ. 159.

387. *Qua ſemel.*] *Quod* meliores. pro tri-

Digitized by Google

Nunc quoque pro nullâ virgine cerva cadit.
Exta canum vidi Triviæ libare Sapæos;
Et quicunque tuas accolit, Hæme, nives.
Cæditur & rigido cuſtodi ruris aſellus.
Cauſſa pudenda quidem eſt, huic tamen apta Deo.
Feſta corymbiferi celebrabas Græcia Bacchi,
Tertia quæ ſolito tempore bruma refert.

*triplici virgine* duo libri, *gemina*. Codex Urſini *gemina*. An *Ægaa Diana?* Aulis enim in Ægæo mari. an *Eubœa*, pro *Eubœica?* quomodo apud Statium Sylvar. lib. v. Epicedio Patris,

*——ſtupuit primæva ad carmina plebes*
*Eubœa*. Heinſ.

*Pro virgine.*] Iphigenia. *Cerva datur.*] Si non erat, hujus ſuccedanea ovis; quam dixere *cervariam*. Neapol.

389. *Exta canum Triviæ.*] Ideo κυνοσφαγὴς θεὰ Lycophroni nuncupatur, cauſa eſt, quod Deam, teſte Euſtathio, τῶν νυκτερινῶν φόβων αἰτίαν εἶναι, veteres putarint & omnium ſpectrorum. Ea per canis latratum credita eiſdem evaneſcere. *Libare Sapæos.*] Hi Thraciæ populi. Herodot. lib. VII. Ἔθνεα δὲ Θρηΐκων, δι' ὧν τῆς χώρης ὁδὸν ἐποιέετο, τοσάδε. Παῖτοι, Κίκονες, Βίστονες, Σαπαῖοι, Δερσαῖοι, Ἠδωνοὶ, Σάτραι. Hos Sæpæos, ab Homero Sintas vocatos, auctor eſt Strabo l. x. *Triviæ libare Sabæos Sapæos* reponi debere recte vidit Neapolis. qui Thraciæ populus. Neque aliter primæ editiones & duo ſcripti ex noſtris. recte autem ſubjungit *vidi*. quia per Thraciam iter fecit miſſus in exilium. *Heinſ.*

390. *Accolit Hæme nives.*] Adludit haud dubie ad antrum Hecates in Thracia, quod Ζήρυνθος appellatum, de quo Stephanus: Ζήρυνθος πόλις, καὶ ἄντρον Ἑκάτης ἐν Θρᾴκῃ. Ibi ſolitos præcipue canes Hecatæ immolari, teſtis fidus Suidas. *Et ô Æme, quicunque accolit tuas nives.*] Quaſi omnes tuos accolas, & tua nivoſa ſaxa colentes. Æmus enim mons Thraciæ.

391. *Cuſtodi aſellus.*] Priapus hic; ſub cujus tutela priſca rura erant. merces obvia; propterea quidem nomine Perſpectus hæc illi:

*Villicus ærari quondam nunc cultor agelli,*
*Hæc tibi Perſpectus templa Priape dico:*
*Pro quibus officiis, ſi fas eſt, ſancte paciſcor,*
*Aſſiduus cuſtos ruris ut eſſe velis;*
*Improbus ut ſi quis noſtrum violabit agellum,*
*Hunc tu.* Neapol.

392. *Sed tamen apta Deo.*] *Huic deo* rectius octo ex melioribus. *Heinſ.*

393. *Feſta corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi.*] Nonno quoque κορυμβοφόρος dicitur. quomodo & κισσοφόρος idem dictus poëtis Græcis. codices tamen vetuſtiores *racemiferi*. Met. xv.

*Victa racemifero lyncas dedit India Baccho.*

pro *celebrabat* Petavii & Oxonienſis *celebrabas*. ut lib. III. ex veteri codice,

*Nondum tradideras victas victoribus artes*
*Græcia.*

at Farneſianus unus, *celebrabant*. Vide Notas ad Remed. Amor. vſ. 164. *Idem.*

394. *Quæ ſolito tempore bruma refert.*] Intelligit τριετηρίδας, Bacchi feſtum, Vide Herodot. lib. IV. de Gelono Budinorum oppido. Hic vero Noſter locutus eſt ex ſententia multorum, cum vere ſacrum illud fuerit annuum. *Trieteris* enim nihil aliud erat quam tres anni quadrimeſtres, ſeu duo ſemeſtres. Cenſorin. cap. XIX. *Neapol.*

Dî quoque cultores gelidi venêre Lycæi,
Et quicunque jocis non alienus erat:
Panes, & in Venerem Satyrorum prona juventus;
Quæque colunt amnes ſolaque rura Deæ.
Venerat & ſenior pando Silenus aſello,
Quinque rubro pavidas inguine terret aves.
Dulcia qui dignum nemus in convivia nacti
Gramine veſtitis accubuêre toris.
Vina dabat Liber: tulerat ſibi quiſque coronam.
Miſcendas parcè rivus agebat aquas.

Naï-

395. *Di quoque cultores in idem venere Lycei.* ] Urſini & Petavii liber cum multis aliis *Lyæi.* Mazarin. optimus cum tribus aliis vere, ut puto, *gelidi Lycêi.* ſic Met. I. *gelidi pineta Lycêi* dixit, & lib. IV. *gelidum Erimanthon.* Virgilius Ecl. X. *gelidi fleverunt ſaxa Lycéi.* Sequens diſtichon rectius huic præponatur. *Heinſius.* *Dii quoque cultores.* ] Dii Lycæum Arcadiæ montem incolunt, ubi eſt ſedes Panos Lycæi: à quo Lycæa ludicra, quæ nos *Lupercalia* dicimus; de quibus latius in ſecundo.

396. *Quicunque loci non alienus erat.* ] *Mero alienus* Urſini codex & Naugerianus cum aliis nonnullis. Idem Urſini liber *locis* pro diverſa lectione, quod Petavianus quoque & ſex alii agnoſcunt. Scribe *joci non alienus.* Di à jocis non alieni; quomodo Met. IV.

—— *atque aliquis de Dis non triſtibus optat*
*Sic fieri turpis.* & de Flora lib. V. Faſt.
*Non eſt de tetricis, non eſt de magna profeſſis.*

& poſtea:

—— *non eſt mihi credite, non eſt*
*Illa cothurnatas inter habenda deas.*

Salluſt. Catilin. *Ille eos in domum D. Bruti perducit, quod fore propinqua erat, neque aliena conſilii propter Semproniam.* ſic & Cicero non ſemel. Lucretius lib. III.

*Aut quia non veniunt omnino aliena ſalutis.*

lib. VI.

*Nec tamen hac ita ſunt aliarum rerum aliena.*

idem.

*Qua niſi reſpuis ex animo longeque remittis*
*Dis indigna putata alienaque pacis eorum.*

ita ſcribe. nam codices ſcripti *putare.* vulgati *putando.* Pont. I. Eleg. VII. etſi aliter id ſumi poſſit?

*Sim modo pars veſtra non aliena domus;*

ſic ἀλλότριος nunc cum tertio, nunc cum ſecundo caſu apud Græcos jungitur. *Heinſ.*

399. *Silenus.* ] Reſpicies Tom. 2. p. 167. vſ. 26.

400. *Qui rubroque avidas.* ] *Quique rubro pavidas* rectius legas cum pleriſque ſcriptis. Niſi malis *Quique ruber pavidas* cum Urſini libro & tribus aliis. Petavianus, *Quique rubro lividas.* mendoſe Horatius de Priapo,

*Obſcænoque ruber porrectus ab inguine palus.*

infra,

*At ruber hortorum decus & tutela Priapus.*

& lib. V.

*At ruber hortorum cuſtos.*

ſic & *rubicundus Priapus* ibidem dicitur & *ruber cuſtos* Tibullo. *Heinſ.*

404. *Miſcendas large.* ] Imo *parcè.* ut decet in Bacchi convivio. Atque ita Voſſian. Arundel. excerpta Politiani & duo alii codices. Ne dubita. *Idem.* *Miſcendas parce.* ]

Naïdes effuſis aliæ ſine pectinis uſu,
  Pars aderant poſitis arte manuque comis.
Illa ſuper ſuras tunicam collecta miniſtrat:
  Altera diſſuto pectus aperta ſinu.
Exſerit hæc humerum: veſtem trahit illa per herbas.
  Impediunt teneros vincula nulla pedes.
Hinc aliæ Satyris incendia mitia præbent:
  Pars tibi, qui pinu tempora nexa geris.
Te quoque, inexſtinctæ Silene libidinis, urunt.
  Nequitia eſt, quæ te non ſinit eſſe ſenem.
At ruber hortorum decus & tutela Priapus

Omni-

*ponte.*] Alii leg. *large*. In Græco convivio viſum Noſtro meminiſſe Græcanicæ temperaturæ: de qua Heſychius, τὸ πάλαι, inquit, ἐκιρνᾶτο τρία ὕδατος λαμβάνειν, τὸ δὲ τέταρτον οἶνον. Sed certius, nullam fuiſſe communem omnibus Græcis certam κρᾶσιν. Lege Athenæum l. IX. à cap. VI. ad IX. *Neapol.*

407. *Illa ſuper ſuras tunicam collecta.*] Hoc fere illud ἐκραγέντα χλανίδαν ἔσχεν μηρίν. Iſte priſcus Nympharum cultus, qualem nunc ſpectamus in earum picturis, quibus brachia detecta & femora apparent. Ejuſque veſtis originem inde deductam ſuſpicatur vir magnus, quod per initia caprinas pelles ad lumbos utrimque cinxerint, nodatas corio crurum anteriorum: merito igitur φαινομηρίδες appellatæ. Quo etiam nomine dictæ mulieres Lacænæ, quod incedentes femora retegerent: ſed eis id in uſu, quia tunicarum pinnæ, tunc non aſſui ſolitæ, explicabantur. *Tunicam collecta miniſtrat.*] *Succincta* duo veteres. *Heinſius.* *Tunicam ſuper ſuras collecta* —— *Virginis arma Spartana* —— Et mox, *Nuda genu, nodoque ſinus collecta fluentes.* Virg. 1. Æneid. Et deinde: *Succinctam pharetrâ, & maculoſa tegmine Lyncis.*

408. *Diſſuto ſinu.*] Λελυμένης ἐπωμίδος, ſoluta faſcia pectorali. Hæc ſupra ſubuculam aptabatur. Apulejus 11. Mileſiar. *Ipſa linea tunica mundule amicta, & ruſſea faſciola prænitente, altiuſculè ſub ipſas papillas ſuccincta.* Fuit illa fœminis uſui, ut graciles fierent: ut ventrale ad cohibendum ventris tumorem. Gloſſæ, *ventrale*, κοιλιόδεσμος, Neap.

409. *Veſtes trahit.*) *Veſtem* meliores *Heinſ.*

410. *Vincula nulla pedes.*] *Vincula* pro calceis, tritiſſimum. Vates: *unum exuta pedem vinclis.* Et unde Græcis ὑπόδημα, niſi ἀπὸ τοῦ ὑποδεῖσθαι; & aliud calcei genus καμψίον, à κάμπτειν, quod corrigiis & loris reticulatim vinciretur, de quo Heſychius: Καμψία, καινά, κανίσκια, κανίσκια, κυνηγετικὰ ὡς γύργαθοι, ἢ ὑποδήματα ποιά. Et illud dictum. καμπάγιον, noſtris *campagus*, cujus etymon evidens ἀπὸ τῶν καμπτῶν. Vide Gloſſar. Gr. Barb. I. Meurſii: Et ex his collige, antiquos calceis, ex eo quod vincirentur, plerumque nomina dediſſe. *Neapol.*

411. *Incendia mitia.*] Incutiunt dulces amoris ac libidinis ſtimulos.

415. *Hortorum deus & tutela Priapus.*] *Decus & tutela* Petavii & Urſini liber cum quatuor aliis. bene. ſic lib. XIII. Metam.

—— *decus & tutela Pelaſgi*
*Nominis Æacides.* Heinſ.

C 5        416. *Ex*

Omnibus ex illis Lotide captus erat.
Hanc cupit, hanc optat: ſolâ ſuſpirat in illâ:
Signaque dat nutu; ſollicitatque notis.
Faſtus ineſt pulcris, ſequiturque ſuperbia formam.
Irriſum vultu deſpicit illa ſuo.
Nox erat: &, vino ſomnum faciente, jacebant
Corpora diverſis victa ſopore locis.
Lotis in herboſâ ſub acernis ultima ramis,
Sicut erat luſu feſſa, quievit humo.
Surgit amans: animamque tenens, veſtigia furtim
Suſpenſo digitis fert taciturna gradu.
Ut tetigit niveæ ſecreta cubilia Nymphæ;
Ipſa ſui flatûs ne ſonet aura, cavet.
Et jam finitimâ corpus librabat in herbâ:
Illa tamen multi plena ſoporis erat.
Gaudet: &, à pedibus tracto velamine, vota
Ad ſua felici cœperat ire viâ.
Ecce rudens rauco Sileni vector aſellus
Intempeſtivos edidit ore ſonos.
Territa conſurgens Nymphe manibuſque Priapum
Rejicit, & fugiens concitat omne nemus.
At Deus, obſcœnâ nimium quoque parte paratus,
Omnibus ad Lunæ lumina riſus erat.
Morte dedit pœnas auctor clamoris: & hinc eſt
Helle-

416. *Ex omnibus illis.*] Ex omni illarum numero. *Lotide.*] Lotidos amore.

419. *Faſtus ineſt pulchris.*] Malo, *pulchra.* aliquis ſciolus interpolarat, ut ſæpe alias. *Heinſ. Faſtus ineſt pulchris.*] Huc pertinent illa Petronii: *Quia noſti venerem tuam, ſuperbiam captas vendiſque amplexus commodius.* Hinc alter vocat; *faſtoſas mœchas.* in ſuis Epigrammatis: *Ad nocturna jacet faſtoſa limina mœcha.* Neap.

420. *Deſpicit.*] Facit ſe faſtidii plenam. Recurres ad Tom. 1. p. 214. v. 97.

422. *Corpora victa ſopore.*] *Vincta* ſex libri. de quo l. XI. Met. v. 239. Urſini codex *jacta.* pro *tacta* aut *jacta ſopora.* Heinſ.

426. *Suſpenſo digitis gradu.*] Primo pede metuens audiri. Sic, *ſuſpendere vota labello*, apud Catullum, eſt vix labra movere, eamdem ob cauſſam. *Neapol. Suſpenſo gradu.*] Librato corpore. vſ. 429. Sic Ter. Phorm. 5.6. *Suſpenſo gradu placidè ire perrexi. acceſſi, adſtiti, animam compreſſi.* &c.

428. *Ipſe ſui flatus.*] *Ipſa aura* libri meliores. *Heinſius.*

435. *Territa conſurgit.*] *Conſurgens* Urſini liber & unus Patavinus. rectius. *Idem.*

439. *Morte dedit pœnas, &c.*] Ob illud

Digitized by Google

Helleſpontiaco victima grata Deo.
Intactæ fueratis aves ſolatia ruris;
Aſſuetum ſilvis, innocuumque genus;
Quæ facitis nidos, quæ plumis ova fovetis,
Et facili dulces editis ore modos.
Sed nihil iſta juvant: quia linguæ crimen habetis,
Dîque putant mentes vos aperire ſuas.
Nec tamen id falſum. nam, Dîs ut proxima quæque,
Nunc pennâ veras, nunc datis ore notas.
Tuta diu volucrum proles, tum denique cæſa eſt:
Juveruntque Deos indicis exta ſui.
Ergo ſæpe ſuo conjux abducta marito
Uritur ignitis alba columba focis.
Nec defenſa juvant Capitolia, quo minus anſer.

Det

illud facinus, quia nympham excitarat, aſellus mactatus eſt: & inde Lampſaceni accepere mortem aſini Priapo mactandi. *Et hac eſt.* ] Duo libri *hoc eſt.* unus Paravinus *hic eſt.* Lego, *& hinc eſt.* pro *Deo* mox unus Mediceus *mari.* ut *marem Helleſpontiacum* vocet Priapum. *Heinſ.*

440. *Deo Helleſpontiaco.* Priapo Lampſaceno: à Lampſaco urbe, quæ eſt in littore Helleſponti, in ora Aſiatica, Priapi patria. *Paul. Helleſpontiaco Deo.* ] A patria hoc epithetum; Ὀρειάτης (ſic illum vocat Euphronius Priapejorum ſcriptor, in Strabone lib. VIII.) & alia. à locis ubi cultus. *Neapol.*

443. *Et plumis ova fovetis.* ] *Qua plumis* tres libri. *Heinſ.*

444. *Dulces ſonos.* ] *Modos* Paravinus & multi alii. *Idem.*

447. *Ut proxima quæque eſt.* ] Rectius meliores τὸ *eſt* omittunt. *id falſum* Urſini liber, & alii nonnulli. duo *id falſo* vulgati *hoc falſum.* Idem.

448. *Nunc datis ore notas.* ] Quis non meminit in augurali diſciplina aves fuiſſe oſcines & præpetes? quæ ſic dictæ, quia ore & penna auſpicium facerent. *Neap.*

449. *Volucrum proles.* ] *Volucris* tres ſcripti. ſic *turba volucris* de avibus Met. v. ex antiquis libris,

—— *nuper & iſta*
*Auxerunt volucrem victa certamine turbam.*

*volucres penna* Art. Am. I. ex veteri libro. *nunc denique* tres itidem ſcripti. *Heinſ.*

452. *Uritur in calidis alba columba focis.* ] *Ignitis focis* Mazarin. optime. ſic *ignitum aërem* dixit Prudentius Hamart.

—— *ſulphure cum jam*
*Nimboſo ignitus cælum ſubtexitur aër.*

uſus quoque idem alibi ea voce non ſemel. *ignitum* quoque *vinum* videor legiſſe apud Gellium. *blanda columba* præterea ſex ſcripti. ut in Amoribus,

*Oſcula dat cupido blanda columba mari.*

Idem.

453. *Nec defenſa juvant Capitolia.* ] Scitum iſtud, quo auxilio tum urbs à Gallis liberata, in illius rei memoriam de ſuo ævo, inquit Plutarchus, in libello περὶ τῆς Ῥωμαίων τύχης. πομπεύει δὲ μέχρι νῦν ἐπὶ μνήμῃ τῶν τότε συμπτωμάτων ἡ τύχη, κύων μὲν ἀνεσταυρωμένος. χὴν δὲ μάλα σεμνῶς ἐπὶ στρωμνῆς πολυτελοῦς καὶ φορείῳ καθήμενος. Tamen ejuſdem exta dat Iſidi in ſacris.

454. *Inachi*

Det jecur in lances, Inachi lauta, tuas.
Nocte Deæ Nocti criſtatus cæditur ales,
Quod tepidum vigili provocat ore diem.
Interea Delphin clarum ſuper æquora ſidus
Tollitur; & patriis exſerit ora vadis.

POſtera lux hyemem medio diſcrimine ſignat:
Æquaque præteritæ, quæ ſuperabit, erit.

PRoxima proſpiciet Tithono nupta relicto
Arcadiæ ſacrum pontificale Deæ.
Te quoque lux eadem, turni ſoror, æde recepit;
Hic ubi Virgineâ Campus obitur aquâ.
Unde petam cauſſas horum, moremque ſacrorum?
Diri-

454. *Inachi lauta.*] Alii, *Inachi vacca.* Urſini liber *Inachi bacca.* alius *Baccha.* *Inachiam bovem* vocavit lib. XI. Faſt. & *Phariam juvencam* alibi non ſemel. *vaccam Memphitidem* Propertius, ſi bene memini. *Heinſ.*

455. *Dea noctis.* ] Lege *Dea Nocti.* Nox enim Dea apud Poëtas. Neque aliter præſtantiſſimus Urſini liber. ſequenti verſu *provocat* meliores. *Idem.* *Criſtatus ales.* ] De gallo gallinaceo non male Alcimus.

*Candida Phœbeo præfulgent ora rubore,*
*Criſta viget radiis, ignea barba micat.*
*Ala, colla, coma, pectus, femur, ungula, cauda,*
*Pæſtanis lucent floridiora roſis.*
*Flammea ſic rutilum diſtinguit pinna colorem,*
*Ut vibrare putes ignea membra faces.*

457. *Interea Delphin.*] Ipſa luce Agonali, hoc eſt, V. Idus oritur Delphin ἀκρονυχῶς. id Cæſari apud Plin. eſt pridie Nonas, lib. XVIII. cap. XXXVI. *Neapol.* *Clarum ſuper æthera ſidus.* ] Scripti præſtantiores *æquora.* Heinſ.

459. *Medio diſcrimine ſignat.* ] Parum certo oculo hoc diſcerno, & ambigo de vero: nam Noſter quarto Idus Januarias mediam hiemis partem hic facit. ac ſic Columella de Re ruſtica lib. XI. *Tertio nonas Januarii Cancer occidit, tempeſtas varia; pridie Nonas Januarii media hiems, Auſter multus, interdum pluvia.* Idem. cenſet tabula illa edita ſub nomine Ptolemæi. *Neap.*

461. *Proxima proſpiciet.* ] III. Idus celebrabantur publice Carmentalia (feriæ erant ſtativæ) ſed in qua urbis parte? ego opinor ſub Capitolio apud Carmentalem portam. ibi Carmentæ ara fuit antiquitus conſtituta. Vide Dionyſ. Halicarn. lib. 1. Antiq. Καὶ γὰρ Εὐάνδρου θυσίας. In Kalendario Conſtantini notatur hoc feſtum, DIES CARMENTARIORUM. *Neapol.* *Tithono Aurora relicto* ] *Nupta* Urſini, Petavii, Mazar. & tres alii libri. bene. lib. VI.

*Jam Phryx à nuptâ quereris Tithone relinqui.*

Heinſius.

463. *Æde recepit.*] Ad aquam Virginem: conſentiunt Urbis antiqui topographi; Victor & Rufus: & Frontinus de aquæ ductibus Romanis de hac eadem capiendus in his: *Ædicula fonti appoſita hanc Virginem pictura oſtendit.* Iſta ea fortaſſis eſt, à qua nomen aquæ inditum. *Neapol.*

464. *Campus.*] Martius. *Aqua virginea* ] Hanc aquam M. Agrippa in urbem perduxit, in agro Lucullano collectam. *Virgo* appellata eſt, quod quærentibus aquam militibus puella quaſdam venas monſtravit: quas ſequuti qui foderant, ingentem aquæ copiam invenerunt.

467. *Ipſa*

Dirigat in medio quis mea vela freto?
Ipſa mone, quæ nomen habes à carmine ductum,
Propoſitoque fave, ne tuus erret honos.
Orta prior Lunâ (de ſe ſi creditur ipſi)
A magno tellus Arcade nomen habet.
Hîc fuit Evander: qui, quamquam clarus utroque,
Nobilior ſacræ ſanguine matris erat.
Quæ, ſimul æthereos animo conceperat ignes;
Ore dabat vero carmina plena Dei.
Dixerat hæc nato motus inſtare ſibique,
Mul-

467. *Ipſa mone.*] Malim *Nympha, mone.* ſic infra de Carmenta vſ. 633.

*Sive fuga comites, Mænali nympha, tua.*

ubi plura. lib. III.

*Nympha, mone nemori ſtagnoque operata Dianæ.* Heinſ.

*A carmine ductum.*] Haud dubie à noſtris patribus Carmenta à carmine dicta. Vide Plutarch. ἐν αἰτίοις: τὴν δὲ Καρμένταν οἱ μὲν Εὐάνδρου μητέρα, &c. Nec aliud ſibi vult numiſma illud, quod Carmentam revelat in hunc modum: caput habet muliebre vegetâ formâ; comam inceptam, à fronte & à facie rejectam, premit corona ex fabarum foliis atque foliculis apte contexta; cincinnis ſub eadem per collum defluentibus citharam appoſitam reſpicit, ut vatem dicas, & nummus cuſus fuit Q. Fabio Maximo, ut ex inſcripto nomine perſpicio: nec fortuito huic mater Euandri à dorſo denarii inciſa; nam à Carmenta illuſtrem Fabiorum familiam & ſunt qui deducant.

469. *Orta prior Luna.*] Sic illa commenta eſt. Vide Clem. Alexandr. in admonitione ad Gentes. Minor fuit inſania Athenienſium, qui ſe αὐτόχθονας credidere: hi vero, ut in hujus rei indicium, cicadas aureas in capillorum cincinnis geſtabant, teſte Apoſtolio in Proverbio τεττίγων ἀνάμεστοι, Centur. XVIII. Arcadibus lunulæ in calceis uſui fuere, Romanis poſtea ad hanc nobilitatem reſpicientibus. *Neap. Orta prior luna, &c.*] Arcades olim auſi ſunt *Antelunares* ſe dicere, & ſolos ſe nobiles prædicare. unde à Græcis προσέληνοι vocantur. Ex quo factum putatur, ut apud Romanos qui nobilitate præſtabant, lunulas in calceis ferrent. Mos autem fuit Græciæ populis, in alienas ire terras, quas fertiles eſſe cognoverant, & eas habitare, pulſis veteribus incolis. Sed quoniam ſoli Arcades ob ſterilitatem agrorum pulſi non ſunt, ideo ſe veſtutate ac nobilitate cæteris præſtare dixerunt.

470. *Habet nomen à magno Arcade.*] Denominatur Arcadia ab Arcade Jovis M. Themiſtus, aut Caliſtus filio. Verum Arcadia nominata eſt aliquando *Pelaſgia*, aliquando *Parrhaſia*, aliquando *Lycaonia*.

471. *Hinc fuit.*] *Hic fuit* meliores. ſic Met. V.

*Hic fuit, à cujus ſtagnum quoque nomine dictum,*
*Inter Sicelidas Cyane celeberrima Nymphas.*

lib. XV.

*Vir fuit hic ortu Samius.* Heinſius.

473. *Æthereos ignes.*] Ignis æthereus. ἡ μανία, ὁ ἐνθουσιασμός: qui eiſdem eſt φοῖβος. Heſych. φοιβήσας, ἔνθουν ποιήσας. *Neap.*

474. *Ore dabat pleno carmina vera Dei.*] Lege,

*Ore dabat vero carmina plena Dei.*

quomodo Mazar. Voſſ. Arond. & tres alii. atque ita ex conjecturâ Scaliger. *Heinſ.*

476. *Mul-*

Digitized by Google

Multam præterito tempore nacta fidem.
Nam juvenis, verâ nimium cum matre, fugatus
Deſerit Arcadiam Parrhaſiumque larem.
Cui genitrix flenti, Fortuna viriliter, inquit,
(Siſte, puer, lacrymas) iſta ferenda tibi eſt.
Sic erat in fatis: nec te tua culpa fugavit;
Sed Deus, infenſo pulſus es urbe Deo.
Non meriti pœnam pateris, ſed Numinis iram.
Eſt aliquid magnis crimen abeſſe malis.
Conſcia mens ut cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora pro facto ſpemque mutumque ſuo.
Nec tamen ut primus mœre mala talia paſſus:
Obruit ingentes iſta procella viros.
Paſſus idem, Tyriis qui quondam pulſus ab oris,
Cadmus, in Aoniâ conſtitit exſul humo.
Paſſus idem Tydius, & idem Pagaſeus Iäſon:

Et

476. *Multaque præterea.*] Alter Puteaneus pro diverſâ lectione *præterito.* unus Ambroſ. *Multa.* vix dubito Ovidium noſtrum ſcripſiſſe,

*Multam præterito tempore nacta fidem.*

*præterito tempore* ut lib. VI.

*Ablue præteriti perjuria temporis, inquit.*
*Ablue præterito perfida verba die.*

ubi duo veterrimi codices *præterea die.* ſimiliter. *Idem.*

477. *Nam juvenis.* ] Euander. *Fugatus.* ] Diſſenſione & ſeditione civili. *P.* *Nimium vera cum matre.* ] Pari ſignificatione dixit in Epiſtolis: *Ah nimium miſera vates mihi vera fuiſti!* Neap.

478. *Deſerit Arcadiam.* ] *Arcadium* Strozzæ codex. quod præſtat. *larem* intellige. *Heinſ.*

480. *Siſte, precor, lacrymas.*] *Siſte, puer,* vetuſtæ editiones cum quinque ſcriptis. *Idem.*

482. *Offenſo deo.* ] *Infenſo* Matthæus Herculanus ex veteri libro notarat in codice ſuo. quod & marginem quarundam editionum occupavit. Sed vulgata lectio bene ſe habet. Cydippe,

*Nam pudet & timeo, quamvis mihi conſcia non ſim,*
*Offenſos videar ne meruiſſe deos.*

Idem.

486. *Spemque metumque.*] *Spemve metumve* malo. *Idem.*

489. *Ex quo exul.*] In Bœotia ſedem ſibi delegit, Thebaſque condidit. *Qui quondam pulſus.*] A patre ſcilicet. *Ab oris Tyriis.*] A Phœnicia ſeu à Tyro clariſſima Phœniciæ urbe. *Paul.* Vide Ovid. 3. Met. Hanc raptam à Jove fabulantur Mythici, ſed vere piratæ aliquot Cretenſes fuere. Vide Herodot. lib. I.

490. *In Aonia conſtitit.*] Nam deſperata ſororis ſalute, Bœotiam habitare decrevit: ea ab antiquis incolis Aonibus ſic dicta. Vide Strabonem lib. IX. *Neap.* *In humo Aonia* ] In Bœotia.

491. *Jaſon Pagaſæus.* ] Theſſalicus, à Pagaſis in Theſſalia. *Paul.* *Pagaſæus Iaſon.* ] Ille ob cædem Menalippi fratris fugit ad Argivos: Jaſon interfecto Pelia Corinthum abiit. Παγασαὶ, ſive cum Plinio *Pagaſa*, Theſſaliæ oppidum: unde ſinus Pagaſicus, Græcis, Παγα-σιτικὸς, ſeu Παγασικὸς, ut habent Mss. Strabones.

493. *Omni*

Digitized by Google

Et quos prætereа longa referre mora eſt.
Omne ſolum forti patria eſt; ut piſcibus æquor:
Ut volucri, vacuo quidquid in orbe patet.
Nec fera tempeſtas toto tamen horret in anno:
Et tibi (crede mihi) tempora veris erunt.
Vocibus Evander firmatâ mente parentis
Nave ſecat fluctus, Heſperiamque tenet.
Jamque ratem doctæ monitu Carmentis in amnem
Egerat, & Thuſcis obvius ibat aquis.

Flu-

493. *Omni ſolum forti patria.* ] Euripideum illud expreſſit;

*Ἅπας μὲν ἀνὴρ αἰετῷ περάσιμος.*
*Ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς.*

Excelſo vir animo contriſtari exſilio non debet. Et unde initia & principia cujuſque gentis, niſi ex totidem exſulibus? Vide Senec. Conſolat. ad Helviam. *Neap.*

494. *Ut volucri.* ] Δεῖξόν μοι, τί διαφέρει οἰκία ἀνθρώπου, καὶ νεοσσιὰ πελαργοῦ, ὡς οἴκησις. Arrian. Epict. lib. I. c. 28. *Et volucri.* ] Ut avibus patria eſt. *Quicquid patet in orbe vacuo.* ] Hoc eſt, in aëre.

495. *Errat in anno.* ] *Horret* legendum cum Urſini libro & Mazar. & quinque aliis. Noſter in Ibide,

*At cum triſtis hyems Aquilonis inhorruit alis.*

Feſtus Avienus Prognoſticis,

*Cum madefacta dies ſub tempeſtatibus horret.*

& Germanicus Aratêis,

*Frigidus ac rapidis horrebit Aquarius Euris.*

Lucanus libro IV.

*Pigro bruma gelu ſiccisque Aquilonibus horrens.*

ubi *harens* perperam legitur. Virgilii illa reſpexit *horrida cano Bruma gelu.* hinc *horrida tempeſtas* & *hyems horrida* paſſim apud poëtas. *Heinſ.*

496. *Tempora veris erunt.* ] πρῶτα μὲν εἴρεσιν, μελίπνευτα δὲ κάλλιμος ἦρος. Homer. Odyſſ. λ. vſ. ultimo. Et Eurip. Elect. Μόλις προβαίνουσ' ἡ τύχη, σταίν καλῶς. Ergo, ἀντελπίζειν. Thucyd. I.

497. *Et firmus mente parentis.* ] *Firmatâ mente* meliores. recte. Met. III.

*—— mentem firmat Deus, Excute, dicens,*
*Corde metum.*

In mortem Druſi,

*Firmavitque animum, deſtituitque preces.* Heinſius.

498. *Secat fluctus nave.* ] Navigat Ionium & Tyrrhenum æquor. *P. Italiamque tenent.* ] Quo anno ii in Italiam venere, diſce ex Dionyſ. Halicarn. lib. I. Antiq. Origo gentis Romanæ. *Regnante Fauno, ante annos circiter* LX. *quam Æneas in Italiam deferretur, Euander Arcas, Mercurii & Carmentis Nymphæ filius, cum matre eodem venit.* Tunc ad rudes Italos litteræ tranſlatæ. Neſcio an auctor Euander filius, ſeu Nicoſtrata mater. antiqui verſus:

*Mente Phœnices ſagaci condiderunt Atticas:*
*Quas Latinè ſcriptitamus, edidit Nicoſtrata.*

Marcus Victorius ſcribit, tantum cum Euandro ad nos tranſlatas XVI poſtea quaſdam à Palamede & Simonide adjectas. Sed apud Euripidem Palamedes ipſe totam ſcribendi rationem ſibi attribuit. Vide Joh. Tzetzem Chiliad. X. hiſt. CCCXXXII. *Neap.*

500. *Egerat.* ] Multi ex melioribus *vexerat.* forte pro *Rexerat.* Heinſius

*Obvius*

Fluminis illa latus, cui ſunt vada juncta Terenti;
Adſpicit; & ſparſas per loca ſola caſas.
Utque erat, immiſſis puppim ſtetit ante capillis;
Continuitque manum torva regentis iter.
Et procul in dextram tendens ſua brachia ripam,
Pinea non ſano ter pede texta ferit.
Neve daret ſaltum properans inſiſtere terræ,
Vix eſt Evandri vixque retenta manu.
Dîque petitorum, dixit, ſalvete locorum;
Tuque novos cælo terra datura deos:
Fluminaque, & Fontes, quibus utitur hoſpita tellus,
Et nemorum Divæ, Naïadumque chori;
Eſte bonis avibus viſi natoque mihique:
Ripaque felici tecta ſit iſta pede.
Fallor? an hi fient ingentia mœnia colles?

Ju-

*Obvius ibat aquis.*] Ex Virg. 8.

*Adverſum remis ſuperes ſubvectus ut amnem.*

501. *Vada juncta Tarenti.*] Ita editi & ſcripti fere omnes. manifeſto errore. meliores pauci *Terenti.* vide Feſtum in ea voce. *Heinſ. Illa.*] Carmentis. *Aſpicit latus fluminis.*] Dextram Tyberis ripam. *Terentum* aliqui eſſe putant inter Palatium & Aventinum, locum in quem Carmentis deſiliit. *Paul.*

502. *Per loca ſola.*] Sedes Aborigi num *Neap. Solas per loca ſola caſas.*] *Sparſas caſas* ſcripti plerique. ſic *ſparſi lata per arva greges* lib. II. & lib. IV. *ſparſi per nemus omne dei.* ita & *ſparſa mapalia* & *diſperſa mapalia* apud auctores. *ſparſo concita mapali Agreſtum manus.* Val. Flacco lib. II. *Heinſ.*

506. *Pinea texta.*] Hoc eſt, navim. Loquendi modus antiquus in XIV. Metamorph. *Fert ipſe avidas in pinea Turnus Texta faces.* Neap.

507. *Properans inſiſtere ripa.*] Vetuſtiores magno numero *terra.* & recte. nam alterum paulo ante præceſſerat. Sequenti verſu pro *Evandri manu* legendum puto *Evandrâ.* ut infra lib. III. *Telegona manu.* & lib. IV. *Parthi manu* pro *Parthâ.* poſſet & legi,

*Vix, Evandre, tuâ vixque retenta manu eſt.* Heinſ.

510. *Novos cælo terra datura deos.*] Leucotheam & Herculem: ni malis Romulum & duos primos Cæſares. *Neap.*

512. *Et nemorum Lympha.*] *Sylvæ* ſcripti fere omnes meliores. nimirum *divæ* legendum, quod tres codices agnoſcunt. Dryadas intelligit. Gratius initio,

*Adſcitaque tuo comites ſub numine Divæ*

*Centum omnes nemorum, centum de fontibus omnes.*

poſſet & legi *Et nemora, & ſylvæ.* quæ duo etiam diſtinxit Amor. lib. III. Eleg. VIII.

*Sed nemora & ſylvæ crimina veſtra tegunt.*

ita ſylvas etiam alloquitur apud Val. Flaccum Jaſon lib. V.

*Vos etiam ſylvæ, vos Colchidos hoſpitis oram*

*Pandite.*

perperam *ore* vel *ora* illic in vulgatis. *Heinſ.*

515. *Fallor, &c.*] Nunc incipit vaticinari. *An in colles, &c.*] An his collibus

Digitized by Google

Juraque ab hâc terrâ cætera terra petet?
Montibus his olim totus promittitur orbis.
Quis tantum fati credat habere locum?
Et jam Dardaniæ tangent hæc littora pinus.
Hic quoque cauſſa novi fœmina Martis erit.
Care nepos, Palla, funeſta quid induis arma?
Indue. non humili vindice cæſus eris.
Victa tamen vinces, everſaque Troja reſurges.
Obruet hoſtiles iſta ruina domos.
Urite victrices Neptunia Pergama flammæ:
Num minus hic toto eſt altior orbe cinis?
Jam pius Æneas ſacra, & ſacra altera patrem,
Afferet. Iliacos excipe, Veſta, Deos.
Tempus erit, cum vos, orbemque tuebitur idem:
Et fient ipſo ſacra colente Deo:
Et

bus magna urbs ſurget. Etenim ſeptem colles complexa eſt urbs ipſa, Palatinum, Capitolinum, Aventinum, Cœlium, Exquilinum, Viminalem, Quirinalem. *P.*

516. *Cætera terra petet.* ] *Petent* Zulichemianus antiquiſſimus. vide notas Rem. Am. vſ. 164. *Heinſ.*

517. *Totus promittitur orbis.* ] Ἐς καλὸν ὤχετο πύργος ὁ Τρώϊος, ἡ γὰρ ἐν ὅπλοις Ἠγέρθη κόσμου παντὸς ἄνασσα πόλις. Baſſus in anthol. *Omnia ſub pedibus vertique regique videbunt.* Virgil.

519. *Dardaniæ pinus.* ] *Dardaniæ* libri quatuor. Puto *Dardanides*, adi Notas lib. 1. Artis vſ. 172. *Heinſ. Tangent hæc litora pinus.* ] Et Æneæ adventum poſt annos LX. Sed mirum quod vates hanc feliciſſimam Monarchiam præviderint. Exſtat vaticinium Caſſandræ apud Lycophronem.

520. *Cauſſa novi fœmina Martis.* ] Lavinia. *Neap.*

521. *Funeſta quid induis arma?* ] Prædicit & cædem Pallantis: ſed Turnus occiſor cadet, inquit, Æneæ dextrâ. *Neap.*

523. *Victa tamen vinces.* ] Ennius 14. annal.

*Quei neque Dardaneis campeis potuere perire;*
*Nec, quom capta, capei; nec, quom combuſta, cremari.*

Ex quo Virgil. 7.

——— *num Sigeis occumbere campis,*
*Num capti potuere capi? num incenſa cremavit*
*Troja viros?*

526. *Nunc minor hic toto eſt altior orbe cinis.* ] *Non minor* multi ſcripti. alii *Num minor.* Urſini liber & duo alii, *Non minus.* Zulich. *Nec minus.* Tres, *Num minus.* bene. vide notas Ep. xi. vſ. 19. *Heinſ.*

527. *Sacra & ſacra altera patrem.* ] *Sacra altera & altera patrem* unus Vaticanus. *Idem.*

528. *O Veſta, accipe deos Iliacos.* ] De templo Veſtæ intelligit, quod poſtea Numa condidit: ubi ſervata ſunt ſacra Trojana, & Palladium, & dii penates.

529. *Tempus erit, &c.* ] Hoc ad C. Cæſarem refertur: qui & Pontifex maximus, & ſacerdos Veſtæ, curam erit illorum habiturus, & orbi imperaturus, & referendus in deos.

Et penes Auguſtos patriæ tutela manebit.
  Hanc fas imperii fræna tenere domum.
Inde nepos natusque Dei (licet ipſe recuſet)
  Pondera cæleſti mente paterna feret.
Utque ego perpetuis olim ſacrabor in aris;
  Sic Auguſta novum Julia numen erit.
Talibus auſpiciis noſtros deſcendit ad agros;
  Subſtitit in medios præſcia lingua ſonos.
Puppibus egreſſus Latiâ ſtetit exſul in herbâ.
  Felix, exſilium cui locus ille fuit!
Nec mora longa fuit. ſtabant nova tecta: nec alter
  Montibus Auſoniis Arcade major erat.
Ecce boves illuc Eritheïdas applicat heros

Emen-

531. *Tutela manebit.*] *Manebis* unus Mediceus probæ notæ. venuſte. *Heinſ.*

533. *Nepos.*] Germanicus. *Et natus.*] Tiberius filius. *Dei.*] Auguſti. *Paul.* *Inde nepos natuſque.*] Notavit id Dio lib. LVII. ſub initium, & Suetonius in eodem Principe. *Neapol.*

534. *Licet ipſe recuſet.*] Quamvis ipſe Tiberius recuſaturus ſit imperii molem.

536. *Sic Julia.*] Aut Livia Auguſta. *Erit novum numen.*] Nova dea. *Paul.* *Julia numen erit.*] Hæc ſecunda Cæſaris Auguſti conjux, quæ prius dicta Livia Druſilla, poſtea mariti adoptione in Juliorum domum admiſſa; unde in poſterum ei nomen fuit Julia Auguſta: quam à nepote Claudio conſecratam, tradit Suetonius lib. V. cap. XI. & Dio Caſſius lib. LX. Habuit & præter Virgines veſtales, ſuam Flaminicam. Et paſſim in Inſcriptionibus antiquis litatum Juliæ videmus, ut in his Fragmentis Fratrum Arvalium: DIVO AUGUSTO BOVEM MAREM, DIVÆ AUGUSTÆ VACCAM. Si hi honores à Claudii ævo mortuæ Liviæ: at fere omnes filius Tiberius per modeſtiam imminuit, addito, ne cœleſtis religio decerneretur. Adi Tacitum ſub initium Annalis V. *Neapol.*

537. *Talibus ut dictis noſtros deſcendit in annos.*] *Talibus auſpiciis* Arund. & tres alii. At Urſini. Zulich. Mazar. Nauger. Voſſ. & tres alii, *Talibus auſpiciis noſtros deſcendit ad agros.* *dicta* hic pro Vaticiniis ſumſit. vide notas in Epiſt. vſ. 33. *Heinſ.*

541. *Nec mora longa fuit.*] *Subit* puto, quia paulo ante præceſſerat *fuit.* niſi illic mavis,

*Felix, exilium cui locus ille ſuum!*

Idem.

543. *Boves illuc applicat.*] Malim *appulit.* ut lib. v. *huc captas appulit ille boves.* & lib. VI.

*Appulerat ripa vaccas OEtaeus Iberas.* pro *heros* unus Patavinus *oras.* Forte *illuc ora.* Idem. *Applicat illuc.*] In Latium, apud Pallantium. *Boves Erytheides.*] Armenta Geryonis: ab Erythia inſula in extrema Hiſpania. *Paul.* *Ecce boves.*] Paulo poſt Arcades quarta Græcorum claſſis in hanc Italiæ partem venit duce Hercule. Vide Halicarnaſſ. *Erytheidas.*] Statim explodes editiones in quibus *Erythreidas:* ubi leges Strabonis verba lib. III Ἐρύθειαν δὲ τὰ Γάδειρα ἔοικε λέγει ὁ Φερεκύδης, &c. Sed hoc parum obeſt; nam inſulæ Gadibus adjectæ, ſub uno Erytheæ nomine nuncupatæ. *Neapol.*

544. *Cla-*

Emenſus longi claviger orbis iter.
Dumque huic hoſpitium domus eſt Tegeæa; vagantur
Incuſtoditæ læta per arva boves.
Mane erat: excuſſus ſomno Tirynthius hoſpes
De numero tauros ſentit abeſſe duos.
Nulla videt taciti quærens veſtigia furti:
Traxerat averſos Cacus in antra feros;
Cacus Aventinæ timor atque infamia ſilvæ,
Non leve finitimis hoſpitibuſque malum.
Dira viro facies; vires pro corpore; corpus
Grande: pater monſtri Mulciber hujus erat.
Proque domo longis ſpelunca receſſibus ingens
Abdita, vix ipſis invenienda feris.
Ora ſuper poſtes adfixaque brachia pendent,
Squallidaque humanis oſſibus albet humus.
Servatâ male parte boum Jove natus abibas:
Mugitum rauco furta dedêre ſono.

Acci-

544. *Claviger.*] Hercules clavam ferens. *Emenſus iter longi orbis.*] Quaſi emenſus orbem longo itinere. Nam ex Creta, ubi exercitum paravit, in Ægyptum trajecit: & peragrata Libya, in Hiſpaniam venit, & inde in Italiam.

545. *Dum domus Tegeæa*] Domus regis Arcadici: à Tegeæa urbe quæ eſt in Arcadia. *Eſt huic.*] Herculi. *Hoſpitium.*] Quaſi dum hoſpes ab Euandro retinetur. *Paul.*

546. *Læta per arva.*] *Lata* Urſin. Mazar. Zulich. & quatuor alii. recte. ſic lib. IV.

*Sacrarumque Melam paſcua lata boum.*

Faſt. lib. V. ut codices duo veterrimi agnoſcunt,

*Omnia tentabo latis medicamina terris.*

& lib. III. Amor. Eleg. V.

*Carpebant tauri pabula lata procul.*

mox *ſenit* pro *ſenſit* meliores itidem. *Heinſ.*

547. *Heros Tyrinthius.*] A Tyrintho oppido in Bœotia, in quo natus eſt.

550. *Traxerat averſos Cacus in antra ferox.*] Alii codices *boves.* Sed *averſos feros* eſt ſcribendum. ut recte unus Farneſianus. vide Notas Ep. IX. vſ. 114. *Heinſ.* *Cacus.*] Latro: qui ab ipſa re dictus eſt Cacus.

551. *Aventinæ timor, &c.*] Incolebat Cacus Aventini montis ſylvam, quam ſuis graſſationibus & formidandam reddebat, & infamem: eratque tam vicinis, quam peregrinis infenſus.

553. *Dira viro facies.*] Tres apud me veteres, *Dura viro facies.* Ego quidem hic malim *dira:* licet *durus* ſit idem ac ἰσχυρὸς καὶ καρτερός. nam vires ſtatim commendat. *Neapol.*

554. *Mulciber.*] *Mulcifer* multi ex vetuſtioribus, quomodo ſæpe apud Noſtrum alioſque in antiquiſſimis membranis occurrit. *Heinſ.*

556. *Abdita.*] *Obdita* Urſini codex. Videantur quæ noto Art. Am. II. v. 636. *Idem.*

559. *Jove natus abibat.*] Petavianus *abibas.* ut Jove natus pro nate dixerit. *Idem.*



561. *Ac-*

Digitized by Google

Accipio revocamen, ait; vocemque ſecutus
Impia per ſilvas ultor ad antra venit.
Ille aditum fracti præſtruxerat objice montis:
Vix juga moviſſent quinque bis illud onus.
Nititur hic humeris, (cœlum quoque ſederat illis)
Et vaſtum motu collabefactat onus.
Quod ſimul evulſum eſt, fragor æthera terruit ipſum;
Ictaque ſubſedit pondere molis humus.
Prima movet Cacus collatâ prælia dextrâ;
Remque ferox ſaxis ſtipitibuſque gerit.
Quîs ubi nil agitur; patrias male fortis ad artes
Con-

561. *Accipio, Revocamur ait.* ] *Accipio revocamen* Petavianus, Nauger. Urſin. Arondel. & multi alii. vide notas ad Epiſt. XIII. vſ. 135. Sed & vulgata ferri poteſt. Valer. Flaccus lib. I.

*Accepere Deæ; celerique per æthera lapſu*
*Diverſas petiere vias:*

ſequenti verſu pro *victor* recte etiam vetuſtiores libri *ultor*. Virgil. in hac eadem narratione,

*——nam maximus ultor*
*Tergemini nece Geryonæ ſpoliiſque ſuperbus*
*Alcidas aderat.* Idem.

*Accipio revocamen, &c.* ] Mugitum incluſarum ſequutus Hercules ad ſpeluncam venit.

564. *Vix moviſſent.* ] Movere potuiſſent. *Illud onus.* ] Saxum. *Bis quinque juga.* ] Hoc eſt, decem jugatorum boum paria.

565. *Humeris.* ] Arondelianus.

*Nititur hic humero; cœlum quoque ſederat illi.*

Heinſ.

567. *Quod ſimul everſum eſt.* ] Primæ editiones & ſcripti quinque *evulſum*. Neapolis malit *avulſum*. cum Tò *eſt* à nonnullis abſit codicibus, ſcribendum puto *Quo ſimul avulſo*, vel *averſo*. ut & lib. IX. Met.

*Quo ſimul evulſo ſanguis per utrumque foramen*
*Emicuit.*

nam unus ex meis *Quo ſimul evulſum.* & lib. VI.

*Quo ſimul educto pars eſt pulmonis in hamis*
*Eruta.*

& utroque loco Tò *eſt* in multis ſcriptis deſiderabatur. niſi mavis *Cui ſimul.* vide Notas Amor. lib. I. El. IV. vſ. I. in Triſtibus *ſimul nobis habitare* dixit pro *cum nobis*. ita enim libri veteres. ſæpe in his elegantiis peccatum. *Id. Quod ſimul everſum eſt.* ] Alii leg. *Quod ſimul evulſum eſt.* Virgilius in re ſimili *avulſo* uſus: unde ſic malim in Noſtro legere, *Quod ſimul avulſum eſt.* Nec ambigo ita à germana manu olim ſcriptum. *Neapol.*

568. *Ictaque ſubſedit pondere mollis humus.* ] *Pondere molis* primo legendum cum caſtigatioribus ſcriptis. deinde pro *Icta*, quidam ex melioribus *Tactaque*. tres *Laxaque*. duo *Laſaque*. Zulich. *otaque*, ſic ut prima litera deſideretur. Vulgatam non muto. Triſt. I. Eleg. IX. de navi. *nec ſævis icta fatiſcit aquis.* & *icta hoſtia* pro percuſſa Metamorph. dicentur plura mox vſ. 720. *Heinſ.*

569. *Collata prælia dextra.* ] T. Lucretius lib. V. apte ad rem:

*Arma, inquit, antiqua manus, ungues denteſque fuerunt,*
*Et lapides, & item ſylvarum fragmina rami.*

Neap.

571. *Ad patrias artes.* ] Vulcani nempe filius, flammarum vomitu arcere
Hercu-

Confugit, & flammas ore ſonante vomit.
Quas quoties proflat, ſpirare Typhoëa credas,
Et rapidum Ætnæo fulgor ab igne jaci.
Occupat Alcides, adductaque clava trinodis
Ter quater adverſi ſedit in ore viri.
Ille cadit, mixtoſque vomit cum ſanguine fumos;
Et lato moriens pectore plangit humum.
Immolat ex illis taurum tibi Jupiter unum
Victor, & Evandrum ruricolaſque vocat.
Conſtituitque ſibi, quæ Maxima dicitur, aram,
Hic ubi pars Urbis de bove nomen habet.
Nec tacet Evandri mater, prope tempus adeſſe,
Hercule quo tellus ſit ſatis uſa ſuo.
At felix vates; ut Dîs gratiſſima vixit,
Poſſidet hunc Jani ſic Dea menſe diem.
IDibus in magni caſtus Jovis æde ſacerdos
Semimaris flammis viſcera libat ovis:
Redditaque eſt omnis populo provincia noſtro;
Et

Herculem tentat. Hæc pleraque ex Virgil. 8.

*Ille autem: (neque enim fuga jam ſuper ulla pericli eſt)*
*Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,*
*Evomit, involvitque domum caligine cæca, &c.*

577. *Occupat Alcides.*] Curtius lib. IX. *Juſſit quatuor admoveri canes, qui celeriter occupaverunt feram.* *Clava trinodis.*] Sic deſcribitur à Poëtis hæc Herculea, non levis ſeu polita, ſed ruſtica & inculta. *Neap.*

579. *Taurum tibi Jupiter.*] Poſt boves inventos aram exſtruit Jovi inventori, & unum è juvencis mactat. Vide Dionyſ. lib. 1. *Neap.* *Tibi, Jupiter.*] Similiter Virgil. 8.

*——tibi enim, tibi, maxima Juno,*
*Mactat ſacra ferens.*

580. *Conſtituitque ſibi.*] Hanc dictam à Pontificibus Maximam, non ipſe ſibi conſtituit: in quo Naſo fallitur, ſed Evander Herculi dicavit; ob ea quæ à matre Carmenta didicerat. Vide Dionyſ. *Neap.*

582. *Hic ubi pars urbis habet nomen de bove.*] Ubi eſt forum boarium: quod forum ita appellatum volunt aliqui quod ibi bovem Hercules immolaverit. Alii ab ænea bovis ſtatua, quæ ibi poſita erat.

583. *Mater Evandri.*] Carmentis.

584. *Quo tellus ſit ſatis, &c.*] Nam Hercules tellurem monſtris purgav:t.

586. *Sic dea.*] Ipſa relata in deas. *Poſſidet hanc diem.*] Quæ eſt tertia Iduum.

587. *Idibus in magni, &c.*] Idibus Januariis immolatur Jovi vervex, dieſque illa relata in Faſtos: in ea enim Octavius Cæſar, *Auguſtus* cognominatus eſt. *P.*

589. *Populo Provincia noſtro.*] Eadem luce, anno Urbis conditæ DCCXXVI. poſt orationem illam ſimulatam, habitam à Cæſare Octaviano de deponendo imperio, redditæ Senatui & populo o-

Et tuus Auguſto nomine dictus avus.
Perlege diſpoſitas generoſa per atria ceras;
Contigerunt nulli nomina tanta viro.
Africa victorem de ſe vocat: alter Iſauras,
Aut Cretum domitas teſtificatur opes.

Hunc

mnes pacatæ provinciæ; quæ vero nondum ſedatæ, à Cæſare retentæ: ſed in has omnes imperium tantum decennale voluit: hoc finito, aliud & aliud quinquennium decretum, inde rurſus decennium; adeo ut toto ævo imperium tractaverit. Vix in mentem interpretibus venit, hoc ſibi velle Naſonem in hoc verſiculo. *N.*

590. *Et tuus avus, &c.*] Hoc eſt, Cæſar Octavius, Tiberii ex adoptione pater, & avus tuus ô Germanice. *Auguſto nomine dictus avus.*] Sed alter Cenſorinus, qui rejicit in XVI. Kalendas Februarias: Oroſius, qui in VIII. Idus Januarias, qui magis ad Noſtrum accedit, eſt priſcus hic lapis: VII. Idus JANUARIAS, QUA DIE PRIMUM IMPERIUM ORBIS TERRARUM AUSPICATUS EST, THURE, VINO SUPPLICENT. Tu adhære cui voles, ego à Naſone non recedam. His ergo Idibus datum Octaviano Auguſti cognomen: Romul ſibi imponere animus erat, ni ſuſpectus affectati Regni fieret. Vide Dionem lib. LIII. Hinc poſtea omnes fere ſubſecuti Principes nomen illud uſurparunt. Sed pleriſque odio fuit. Quidam Germanici, quidam tantum Cæſares, quidam Antonini dicti: ſed nemo æquavit Caligulam, qui teſte Dione, ποτὲ δὲ τοῦ δήμου βοήσαντος, νεανίσκε Αὔγουστε, ὑβρισθῆναι ἐνομίζετο.

591. *Perlege diſpoſitas ceras.*] Subindicat *clypeos* ſeu *thoraces*, qui Græcis θώρακες καὶ ὅπλα. Τὸ vero *perlege* oſtendit, in baſi nomina geſtaque cujuſque ſubſcripta: & certe ita fuit. Vide Val. Max. L. V. c. VIII. *Titulus* eſt index & ἔλεγχος rerum geſtarum. *Annoſa per atria.*] Libri aliquot habent, *generoſa*; quidam *cineroſa*, qui reſpiciunt ad culinas, ſitas in atriis. *Neap.* *Perlege.*] Oculis perluſtra. *Ceras diſpoſitas.*] Statuas cereas. *Per atria annoſa.*] Per antiqua nobilium atria, nobilitatem generis, & clariſſima facta referentes. *Cineroſa per atria.*] De cineroſis atriis nugæ. primæ editiones & ſcripti plerique caſtigatiores *generoſa atria.* probe. ſic infra lib. II. *Quo ruitis generoſa domus.* & in Pont.

*O qui, nominibus cum ſis generoſus avitis,*
*Exſuperas morum nobilitate genus.*

duo noſtri minorum gentium, *numeroſa atria.* totidem *annoſa.* quod nollem ſecutus eſſet Neapolis. *Heinſ.*

592. *Contigerant.*] Alii *Contigerint.* Petavii veterrimus *Contigerunt.* bene. quomodo & Scaliger conjecerat. *Idem.* *Nulli viro.*] Nulli unquam ex Romanis ducibus.

593. *Africa victorem, &c.*] Ut magis illud Auguſti cognomen extollat, refert etiam, unde alii cognomenta acceperint. nam plerumque à victis gentibus fuere tradita. *Africa victorem de ſe.*] P. Cornelius Scipio, ab Africa devicta Africani meruit cognomen. *Alter.*] Hoc eſt, P. Servilius Iſauricus.

594. *Iſauras opes domitas.*] Potentiam Iſaurorum populorum, quos vicit, & multas eorum urbes expugnavit. *Aut Cretum domitas.*] Iſte Qu. Metellus Creticus, Eutropius de hoc: *Nec quidquam aliud de tam celebri victoria quam Cretici cognomen reportavit.* imo etiam triumphavit, licet non adeo magna pompa: nam Duces captivos ſubduxerat Pompejus (ornamentum erant victoriæ) de quo juſte ait queſtum Q. Metellum Paterculus lib. III. Vide & Dionem.

595. Hunc

Hunc Numidæ faciunt, illum Meſſana ſuperbum;
Ille Numantinâ traxit ab urbe notam.
Et mortem & nomen Druſo Germania fecit.
Me miſerum, virtus quam brevis illa fuit!
Si petat à victis; tot ſumat nomina Cæſar,
Quot numero gentes maximus orbis habet.
Ex uno quidam celebres aut torquis ademtæ,
Aut Corvi titulos auxiliaris habent.
Magne, tuum nomen rerum menſura tuarum eſt:
Sed qui te vicit, nomine major erat.

Nec

595. *Hunc Numidæ faciunt.* ] Hic etiam ex familia Metellorum: patrem habuit L. Metellum Calvum Conſulem anno DCXI. Marmora Copitolina: Q. CÆCILIUS L. F. Q. METELLUS AN. DCXLVI. NUMIDICUS PROCOS. DE NUMIDIS ET REGE IUGURTHA.... Roſit longa ætas voculam *triumphavit:* nam Eutropius bis de eodem Rege triumphatum tradit lib. IV. ſemel ab hoc Q. Metello, & iterum à Cajo Mario. Paterculus II. Hiſtoriæ: *Metelli tamen*, inquit, *triumphus fuit clariſſimus, & meritum virtutique cognomen Numidici inditum. Illum Meſſana ſuperbum.* ] Legant ſtudioſi, quæ Scalig. notavit ad Euſebii Chron. num. MDCCXLII. *Neapol. Hunc.* ] Cæcilium Metellum, qui Jugurtham per injurias Numidiam occupantem fudit, & univerſam Numidiam vaſtavit: inde *Numidicus* cognominatus eſt. *Meſſana.* ] Quæ urbs eſt in Sicilia. Nam Valerius Maximus, poſtquam Meſſanam nobiliſſimam Siciliæ urbem cepit, *Meſſala* cognominatus.

596. *Ille.* ] Scipio Æmilius. *Traxit notam.* ] Titulos & cognomentum. *Ab urbe Numantina.* ] A Numantia nobiliſſima Celtiberorum civitate. *Paul. Ille Numantina.* ] Numantia excisa & deleta anno DCXXII. à Scipione Æmiliano Africano, veteris Africani nepote: qui meruit etiam ſic dici, ob victoriam de Pœnis & Asdrubale anno DCVII. Ab ea igitur urbe Numantinus etiam cognominatus. Appian. in Iberica vide.

597. *Et mortem & nomen.* ] Id vero poſt mortem. Vide Dionem lib. LV. *Neapol. Et mortem & nomen, &c.* ] Druſus Tiberii frater, & Germanici pater, cum inter Salam fluvium & Rhenum adverſus Germanos belligeraret, victor oppetiit. *Germania fecit mortem & nomen Druſo.* ] Patri tuo: quia mortuus in Germania, & *Germanicus* appellatus.

598. *Me miſerum virtus* ] Jure: nam facit Paterculus adoleſcentem *tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, vel induſtria percipit, &c.*

599. *Tot ſumet nomina.* ] *Sumat* meliores. & mox *torquis ademta* pro diverſa lectione Urſini liber. & quinque alii cum Arundel. plures *adepta.* vel *adepti. adepta* Zulich. ut apud Propertium,

*Torquis ab inciſa decidit unca gula.*

Atque ita Quadrigarius & Varronem locutos monet Nonius in ea voce. *Heinſ.*

601. *Aut torquis adempti.* ] Denotat Manlium Torquatum, Valerium Corvinum, & ſequenti diſticho Pompejum Magnum: quorum tituli in ipſorum poſteros tranſlati, legi tamen olim ademptos his familiis à non bene ſano Caligula. Vide Sueton. lib. IV. c. XXXV.

604. *Sed qui te vicit, nomine major erat.* Hoc eſt, major omni nomine ac titulo. ac codex Urſini, Voſſ. Zulich. Mazar. & multi alii, *te quoque major.* quare fuit cum legendum cenſerem, *ſe quo-*

Nec gradus eſt ultra Fabios cognominis ullus.
  Illa domus meritis Maxima dicta ſuis.
Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes:
  Hic ſocium ſummo cum Jove nomen habet.
Sancta vocant auguſta Patres: auguſta vocantur
  Templa, ſacerdotum ritè dicata manu.
Hujus & augurium dependet origine verbi,
  Et quodcunque ſuâ Jupiter auget ope.
Augeat imperium noſtri Ducis, augeat annos:
  Protegat & veſtras querna corona fores.

Auſpi-

*quoque major erat.* ut occulte tangat clementiam Cæſaris, qua victis hoſtibus ignovit. Noſter Epiſtola Briſeidis,

*Vince animos iramque tuam, qui cætera vincis.*

Nota & iſta Claudiani,

*Tandem vince tuum, qui vincis cuncta, pudorem.*

& Martialis ad Domitianum, *Ducum victor, victor & ipſe tui.* nam,

*Fortior eſt, qui ſe, quam qui fortiſſima vincit*
*Mœnia.*

Succurrebat & altera conjectura, *re quoque major erat.* ut rem & nomen inter ſe opponat, quomodo & alibi ſæpe. Idque ipſum Viro elegantis terſiſſimique ingenii Gaſpari Gevartio in mentem venerat. ſed vulgatæ lectioni controverſiam non eſſe movendam nunc judico. *Heinſ.* *Sed qui vicit te.* ] Cæſar, à quo bello Pharſalico ſuperatus es. *Erat te quoque major.* ] Quia te & ſcientia militari, & virtute, & fœlicitate ſuperavit.

605. *Nec gradus eſt Fabios ſupra.* ] *Ultra Fabios* meliores omnes. ſic Seneca initio Suaſor. *Non magis quicquam ultra Alexandrum novimus, quam ultra Oceanum.* Heinſ.

609. *Sancta vocant auguſta patres.* ] Non abſimilia his ſunt illa Dionis lib. LIII. πάντα γὰρ, inquit, τὰ ἐντιμότατα, καὶ ἱερώτατα αὔγουστα προσαγορεύεται, &c. *Auguſta vocantur templa.* ] Nam locus ubi templum extruendum per augures prius conſtituitur, ſimul conſtitutus dici poteſt *Auguſtus*, & Diis conſecrari. Ad hanc mentem Feſtus: *Auguſtus*, inquit *locus ſanctus ab avium geſtu, &c. ſic dictus, ſive ab avium guſtatu, quia aves paſtæ id ratum fecerunt.*

610. *Sacerdotum.* ] Id eſt, pontificum: præibant enim illi verbis ſolennibus in dedicatione cujuſvis templi. Vide Livium lib. IX. de Cn. Flavio. Varronem lib. v. de L. L. *Sic enim ædes ſacra à Magiſtratu Pontifice praeunte dicatur.* *Rite dicata manu.* ] Non dubie, morem illum tangit, cum poſtem manu tenebat Pontifex, dum ara aut fanum ſacrabatur: quem Valerius inſinuat lib. V. cap. X. Idem teſtatur Senec. de eodem Conſolatione ad Marciam. *Neap.*

611. *Ab origine hujus verbi.* ] Auguſti. Nam & augurium & auguſtum deducuntur ab avium guſtu geſtuve.

614. *Protegat & noſtras.* ] Omnino *veſtras fores* ſcribendum cum vetuſtioribus. Triſtium III. Eleg. I.

*Cur tamen appoſita velatur Janua lauro,*
*Cingit & Auguſtas arbor opaca fores?*

Unus tamen Vaticanus *meritas fores.* eleganter. *Heinſ.* *Protegat veſtras fores.* ] Quaſi ſit in veſtris foribus clementia. Nam hæc civica corona, & militum virtutis & clementiæ principum inſigne clariſſimum erat. *Paul.* *Querna corona fores.* ] Quæ eodem die cum Auguſti cognomine Octaviano à Senatu conceſſa. Dio lib. LIII. Huc ſpectant nummi ei-

dem

Auſpicibuſque Deis tanti cognominis hæres
Omine ſuſcipiat, quo pater, orbis onus.

RESpiciet Titan actas ubi tertius Idus;
Fient Parrhaſiæ ſacra relata Deæ.
Nam prius Auſonias matres carpenta vehebant:
Hæc quoque ab Evandri dicta parente reor.
Mox honor eripitur, matronaque deſtinat omnis
Ingratos nullâ prole novare viros.
Neve daret partus; ictu temeraria cæco



dem coſſ., quidam cum corona ex hac fronde, & hiſce literis, OB CIVES SERVATOS: quidam cum aquila tenente unguibus quercum, & duobus arbuſculis à latere (lauri ſunt) alii cum orbe & iisdem ramulis, ſed hacce inſcriptione: PAX ORBIS TERRARUM. S.P.Q.R.

615. *Tanti cognominis heres.*] Intellige Tiberium. Vid. Sueton. lib. III. cap. XXVI. *Neapol.*

616. *Omine ſuſcipiat, quo pater, Urbis onus.*] *Orbis* vetuſtiores plerique. Met. XV.

*Ut Deus accedat cælo, templiſque colatur,*
*Tu facies natuſque ſuus, qui nominis hæres*
*Impoſitum feret orbis onus.*

ſic ſcribendum puto. nam Medicei duo, *orbis onus.* vulgo *unus onus.* Triſt. lib. V.

*O vir, non ipſo quem regis orbe minor.*

Heinſ.

617. *Reſpiciet Titan.*] XVIII. Kalendas Februarias fiunt rurſus ſacra Carmentalia; non iterum priori Carmentæ, ſed ejuſdem duabus ſororibus: quarum una Porrima, altera Poſtverta nominata. Cauſa novati ſacri ſubſequitur. *Neapol.*

618. *Fiunt ſacra relata.*] Iterum lata. *Dea Parrhaſia.*] Carmenti Arcadiæ.

619. *Matres.*] Datus nuptis hic honos paulo poſt captos Vejos. Aſſignanda erat Appollini decima urbis & agri capti, quam voverat in eo bello Camillus: negotium datum Tribunis militum conſularibus, cumque in ærario copia non exſtaret, *Matronæ,* inquit Livius lib. V. *cætibus ad eam rem conſultandam habitis, & communi decreto pollicita Tribunis militum, aurum & omnia ornamenta ſua in ærarium detulerunt. Grata ea res, ut quæ maxime Senatui unquam fuit: honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad ſacra ludoſque carpentis feſto profeſtoque uterentur. Carpenta vehebant.*] Hæc ſimilia canathris Spartanarum virginum; de quibus Dydimus: *αἱ μὲν ἐπὶ κανάθρων καμαρωτῶν τῶν ξυλίνων ἁρμάτων φέρονται.* potuiſſet etiam hic ſcribere, *ἐπὶ καμαρῶν.* nam hujuſmodi vehicula *καμάρας* legi dicta à Polluce lib. X. cap. XII. Erat enim *κάνθρον* currus ligneus tectus, velut baſterna, quam exponit Iſidorus *tectam manualem*: at hæc rotarum adminiculum non habuit, & à ſervis ſive pari burdonum portabatur. *Neap.*

620. *Ab Evandri dicta parente reor.*] Vult à Carmenta nomen inditum carpentis: quæ dea ſi vere dicta à carmine, ut ſupra dictum: qui in hoc veri umbra? Carpentis certe nomen eſt à carpendis & ſcindendis lignis è quibus conſtabant: hinc fabros tignarios *carpentarios* priſci appellarunt. *Neap.*

621. *Mox honor eripitur.*] Extat hæc memoria apud Plutarch. in Quæſtionibus. Rom. Sed in hoc per id tempus Porrimæ & Poſtvertæ faciebant.

622. *Prole novare viros.*] Quidam ex vetuſtioribus *juvare.* perperam. Dixi de hoc loco ad Epiſt. IV. vſ. 90. *Heinſ.*



Digitized by Google

Viſceribus creſcens excutiebat onus.
Corripuiſſe Patres auſas immitia nuptas,
Jus tamen exemtum reſtituiſſe, ferunt.
Binaque nunc pariter Tegeææ ſacra parenti
Pro pueris fieri virginibuſque jubent.
Scortea non illi fas eſt inferre ſacello,
Ne violent puros exanimata focos.
Si quis amas ritus veteres, aſſiſte precanti:
Nomina percipies non tibi nota prius.
Porrima placantur Poſtvertaque, ſive ſorores,
Sive fugæ comites, Mænali Nympha, tuæ.
Altera, quod porro fuerat, ceciniſſe putatur:

Alte-

624. *Creſcens onus.* ] Τὸ ἔμβρυον. Juvenal. Satyr. II. Domitianum carpit, qui Juliam, Titi fratris filiam inceſtavit. *Neap.*

626. *Jus ereptum.* ] *Amiſſum* Urſini, Zulich. Mazar. Voſſ. Arond. & ſex alii. Petavianus, *exertum.* tres, *exceptum.* Reliqui omnes *exemtum.* pro ademtum. quod ſequor. *Heinſ.* *Reſtituiſſe jus exemptum.* ] jus vehiculi, quod eripuerant.

627. *Tegeææ parenti.* ] Carmenti: à Tegea oppido in Arcadia.

629. *Fas eſt inferre ſacello.* ] Obſervato & id in aliis factitatum. Varro lib. VI. de L. L. *Scortari eſt, ſæpius meretriculam ducere, quæ dicta à pelle, &c. & nunc dicimus ſcortea ea, quæ ex corio & pellibus ſunt facta. Inde in aliquot ſacris ac ſacellis ſcriptum habemus, ne quid ſcorteum adhibeatur, ideo ne morticinum quid adſit.* Ex hac ſuperſtitione ſummæ curæ fuit veteribus, ne Flaminicæ ὑποδήματα ſive σανδάλια ex morticino corio geſtarent. Feſtus: *Mortua pecudis corio calceos aut ſoleas fieri Flaminicis, nefas habetur, &c. quoniam ſua morte extincta omnia funeſta ſunt.* Et Servius: *Sane Flaminicæ non licebat neque calceos neque ſoleas morticinas habere.* Græcis eſt νεκρίμαιον ſive θανάσιμον, ſcorteum vero σκύτινον, δερμάτινον: ex eo fecere Latini *ſcortiſcum* & *ſcordiſcum*, quod Gloſſis *ephippium*, quia illud è pellibus. *Neap.*

630. *Ne violent puros.* ] Veterrimus Zulich. *Ne tenuent.* Scribe *Ne temerent.* *Temerare* idem quod violare res ſacras Ovidio. vide Notas Am. I. Eleg. VIII. & Pont. II. El. II. vſ. 27. *Heinſius.*

633. *Porrima placatur Poſtvertaque.* ] *Placantur* bene quinque libri. Sequenti verſu recte *Mænala Nympha* pro *Diva* octo codices. Virgilius certe Carmentam bis *Nympham* appellat lib. VIII. Malim etiam *Poſtvorta.* ut apud Macrobium lib. I. Saturn. cap. VII. etiam Servio ad lib. VIII. Æneid. ubi *Poſt vota* pro *Poſtvorta* male ſcribitur. Is alteram ſororem *Porrimam* cum Ovidio vocat, quæ Gellio eſt *Proſa*, *Antevorta* Macrobio. quare fruſtra eſt Illuſtriſſimus Neapolis, qui Porrimam ab uno Naſone dictam arbitratur. *Idem.* *Porrima & Poſtverta.* ] Quas aliqui ſorores, aliqui comites Carmentis putavere. Ideo ipſis ſimul cum Carmenti res divina fit. Nam *Porrima* dicta eſt, quod id quod porro, hoc eſt, longe ante fuerat, caneret: *Poſtverta*, quod poſtea venturum eſſet, prædiceret. Unde dictum eſt: *Porrima* præteritum canit, & *Poſtverta* futurum. *P. Porrima placatur.* ] Vetus inſcriptio: DEO MERCURIO ET POSTVERTÆ C. ANTIUS TITI FILIUS EX VOTO. *Neap.*

635. *O diva Mænali.* ] A Mænalo monte Arcadiæ.

635. *Altera.* ] Porrima ſcilicet. *Putatur*

Digitized by Google

Altera verſurum poſtmodo quidquid erat.

CAndida, te niveo poſuit lux proxima templo,
Qua fert ſublimes alta Moneta gradus:
Nunc bene proſpicies Latiam, Concordia, turbam:
Nunc te ſacratæ reſtituêre manus.
Furius (antiquum) populi ſuperator Hetruſci
Voverat, & Voti ſolverat ante fidem.

Cauſ-

*tatur cecinisse.*] Veridica voce dixiſſe. *Quod porro fuerat.*] Quod longe ante fuerat. *P. Altera, quod porro fuerat.*] Porrima ſcil. an ideo ſic dicta, quod caneret omne præteritum, Poſtverta vero futurum? melius, meo judicio, Varro apud Gellium: Quando igitur contra naturam forte converſi in pedes, brachiis plerumque diductis retineri ſolent, ægriuſque tunc mulieres enituntur; hujus periculi deprecandi cauſſa aræ ſtatutæ ſunt Romæ duabus Carmentibus: quarum una Poſtverta nominata eſt, Proſa altera, à recti perverſique partus poteſtate & nomine. *Neap.*

636. *Altera venturum poſtmodo quicquid erat.*] Ut etymon hoc rectius quadret, quidam codices ſupra *Poſtventa* pro *Poſtverta.* Sed omnem ſcrupulum tollunt Zulich. & Mazarin. in quibus, *verſurum poſtmodo quicquid erat.*] Heinſ.

637. *Poſuit te templo niveo.*] Templo marmoreo, quod ea die tibi conſecratum eſt, qua alta Moneta, excelſum Junonis Monetæ templum: quod erat in ea parte Capitolii, in qua fuerat domus M. Manlii Capitolini. *P. Poſuit lux proxima.*] XVII. Kalendas Februarias templum Concordiæ dedicatum.

638. *Qua fert ſublimes.*] Oſtendit ſitum, inter forum ſcilicet & Capitolium regione VIII. prope ædem Junonis Monetæ. Dixit *ſublimes*; quia ad hanc à templo Concordiæ centum gradibus conſcendebatur. *Neap. Fert ſublimes gradus.*] Per hypallagen. hoc eſt, via qua ſublimibus gradibus ad Junonem Monetam itur.

640. *Sacrata conſtituere manus.*] *Reſtituere* Urſini, Naugerii, Zulich. Mazar. & ſex alii. & recte. de Tiberio enim & Livia agit, de Camillo mox acturus. Immeritus igitur vapulat Neapoli Berſmannus, qui iſtam lectionem probet. pro *proſpicias* multi codices *proſpiciens* aut *proſpicies.* & pro *Nunc te* quatuor libri *Hic te.* unus *Hinc.* Forte legendum,

*Ut bene proſpicias Latia Concordia turba,*
*Hic te ſacrata reſtituere manus.*

Heinſ. *Manus ſacra.*] Manus pontificum.

641. *Furius antiquam.*] Ita fere vetuſtiores libri. Alii *antiquus*, *antiqui*, *antiquo.* Recte omnino Neapolis *antiquum* ex ſuo codice. neque aliter duo ex noſtris. ſic *indignum*, *mirum*, & ſimilia apud poëtas. vide Notas Amor. lib. I. Eleg. VI. pro *voverat ille*, Urſini, Naugerii. Zulich. Mazar. tres Farneſ. unus Paravinus *ante.* & hoc bene. *Heinſius. Furius.*] Camillus. *Superator Hetruſci populi.*] Qui Vejentes vicit, Hetruriæ populos. *P. Furius antiqui.*] Aliquot ineſt *antiquis*: forte ad diſcrimen cujuſdam Furii junioris, ſeu verius filii, qui dictus Sp. Furius Camillus, & eo ſedato tumultu primus prætor Romæ creatus. Meus priſcæ editionis codex habet *antiquum*: hoc eſt, olim victor Hetruſci populi. rectiſſime. Penitus reprobo exemplaria, in quibus *antiquam*, fidei epithetum: nam à voto ad initium primi lapidis poſiti ad ſtructuram dies interfuere, non anni, ut ediſces. *Neap.*

642. *Voverat.*] Voti cauſſam poſtea ſubdam; votum certius pete è Plutarch, in Camillo, τοὺς δὲ βουλευτὰς, inquit, ἀναλαβὼν ἐβάδιζεν ἐπὶ τὴν σύγκλητον, &c. Nec potuit differri dedicatio ad

Tertii

Digitized by Google

Cauſſa, quod à patribus ſumtis ſeceſſerat armis
Vulgus; & ipſa ſuas Roma timebat opes.
Cauſſa recens melior. paſſos Germania Crines
Por-

Tiberii ævum, ut male ſuadet Fanenſis: nam Furius ædem vovit an. CCCLXXXVI. Tiberius ſuam Concordiæ conſecravit anno DCCLXIV. interſunt an. CCCLXVIII. *Neapol. Voverat antiquum.*] Vetus Concordiæ templum.

643. *Sumptis ſeceſſerat armis Vulgus.*] Petebat enim, ut non jam duo Conſules patritii, ſed alter nobilis, alter è plebe crearetur. Summa fuit hac de re diſſenſio; ſed obtinuit vulgus. Vide Livium lib. VI. *Prope ad ſeceſſionem plebis res, &c.*] Factus igitur è plebe Conſul L. Sextus, datus ei è patritiis collega L. Æmilius Mamercus. contigit id anno CCCLXXXVII. de quo & Livius lib. VII. *Annus hic erit inſignis novi hominis conſulatu, &c.* In Livio vero nulla mentio templi; ſed ob redactos in concordiam Ordines, ludos, inquit, magnos decretos, feriiſque Latinis diem unum ad triduum additum: quod non ſiluit Plutarchus in Camillo. *Seceſſerat.*] *Deceſſerat* quatuor ex melioribus. an *deſciverat?* quale mendum etiam ex Claudiano ſuſtulimus ſexto Conſulatu Honorii vſ. 252. ſed vulgata ſcriptura bene ſe habet. *Heinſ.*

644. *Et ipſa ſuas Roma timebat opes.*] Id quod & Tit. Liv. in præfatione operis ſui confirmat. Et Salluſt. B. Cat. *Sed, ubi juſtitia & labore Reſp. crevit: reges magni bello domiti: nationes feræ, & populi ingentes vi ſubacti; Carthago, æmula imperii Romani, ab ſtirpe interiit: cuncta mari terraque patebant: Fortuna ſævire, ac miſcere omnia cœpit. Qui labores, pericula, dubias atque aſperas res facile toleraverant, iis otium, divitiæ, optanda aliis, oneri miſeriæque fuere, &c. Roma timebat opes.*] Forte adludit ad leges, quas Tribuni pleb. tunc promulgarunt adverſus bona patritiorum pro vulgi commodis: tres fuere; & hæc una de ære alieno, ut deducto eo de capite quod uſuris pernumeratum eſſet, id quod ſupereſſet triennio æquis portionibus perſolveretur: altera de modo agrorum, ne quis plus quingenta jugera agri poſſideret: tertia, ne Tribunorum militum Comitia fierent, Conſulumque utique alter è plebe crearetur. hanc lucem quoque Livio debemus. *Neapol.*

645. *Cauſſa recens melior.*] Mentio nunc fit de novo templo Concordiæ; ni melius de veteri aliquo refecto, quod dedicavit Tiberius, non ob populi diſſenſionem, ſed ob devictum Illyricum & auctas Romanas opes. *Sparſos Germania crines corrigit.*] Id eſt, tu in cauſſa (ſubvereor ut fallar) ne eæ gentes vires propagarent: nam perdomito toto Illyrico, Germanos jungi Pannoniis non ſiviſti, qui animos ſumpſerant ob mortem Quintilii Vari & ejuſdem deletas tres legiones. *Quas ob res*, inquit Suetonius, *triumphus ei decretus eſt, multique & magni honores, &c.* Triumphus tamen ille non ſtatim, ſed biennio præterito celebratus: ea enim tempeſtate urbs tota clade Variana affligebatur. *Neapol. Sparſos Germania crines Porrigit.*] Scripti novem *paſſos.* bene. Petavianus & quatuor alii *panſos.* Triſtibus,

*Crinibus en etiam fertur Germania paſſis.*

infra lib II.

*Paſſis ſedet illa capillis.*

lib. III.

*Ut medium campi paſſis tetigere capillis.*

ſic vetuſtiſſimi Codices, ut & lib. IV.

——— *audire ſolemus*
*Threïcias paſſis Manadas ire comis.*

lib. V. *paſſis Acca capillis.* initio Triſtium,

*Hirſutus paſſis ut videare comis.*

quomodo & illic veteres libri. ſic & alibi frequenter Naſo; ut ſuis locis dicetur. pro *Porrigit* multi ex ſcriptis *Corrigit.* alii *Colligit.* ſed fruſtra Captivi tondebantur. quo alludit Naſo. hinc & *Africam tonſam* dixit Propertius pro victa. Noſter Amor. lib. I. Eleg. XIV.

Jam

Digitized by Google

Porrigit auſpiciis, Dux venerande, tuis.
Inde triumphatæ libaſti munera gentis;
Templaque feciſti, quam colis ipſe, Deæ.
Hæc tua conſtituit Genetrix & rebus & arâ,
Sola toro magni digna reperta Jovis.

HÆc ubi tranſierint; Capricorno, Phœbe, relicto,
Per juvenis curres ſigna gerentis aquam.

Septi-

*Jam tibi captivos mittet Germania crines:*
*Culta triumphatæ munere gentis eris.*

Claudian. lib. I. in Eutrop.

*Militet ut noſtris detonſa Sycambria ſignis.*

Heinſ.

647. *Libaſti munera, &c.*] Ex hiſtoricis, qui ajunt, prandium mille menſis, & congiarium trecenos nummos viritim dediſſe ex manubiis hoſticis. *N.*

648. *Templaque feciſti.*] Vide Dionem Caſſium lib. LVI. & Sueton. in Tiberio: *Dedicavit & Concordiæ ædem, item Pollucis & Caſtoris, ſuo fratriſque nomine de manubiis.* Ex his novâ operâ id templum à Tiberio exſtructum nondum elicio: nam licet inſerat Hiſtoricus *de manubiis*, impenſas quoque ſcio permultas in dedicatione ædium ſacrarum neceſſarias fuiſſe. Verum omnem ſcrupulum tollit Caſſius lib. LV. *Tiberius*, inquit, *Kalendis Januariis quibus Conſulatum inivit cum Cn. Piſone, in Octavii curiam (hac enim erat extra pomœrium) convocato ſenatu, fanum Concordiæ ſibimet ipſi reficiendum injunxit; ut ſuo id & Druſi nomine inſcriberet.* id vero ut vides, peregit Tiberius poſt annos XVII. illius victoriæ occaſione. *N.* *Quam colis ipſe.*] *Qua colis* multi codices. tres *quæ colis ipſa.* Maz. *quam colis ipſa.* Zulich. *quæ colit ipſa.* Forte, *quam colat ipſa*, nempe Germania. *Heinſ.*

649. *Et rebus & ara.*] Partem refectionis Liviæ matri noſtri attribuit. *N.* *Tua genitrix.*] Livia Druſilla: quam Auguſtus matrimonio Tiberii Neronis, & quidem prægnantem abduxit, dilexitque, & probavit unicè ac perſeveranter. *Et rebus.*] Ad rem ſcilicet divinam facientibus: aut quia re ipſa concors cum viro ſemper vixerit, voluit etiam Concordiæ ædem conſtituere.

650. *Sola.*] Livia. *Magni Jovis.*] Auguſti, quem Jovi comparat. Nam jam relatus in deos. *P.* *Toro digna, &c.*] Eandem pari adulatione proſequitur lib. II. Triſt. Elegia prima.

651. *Hæc ubi tranſierint.*] *Tranſieris* primæ editiones & duo ſcripti. totidem *tranſierit.* Lego, *Nox ubi tranſierit.* ſic infra lib. II.

*Nox ubi tranſierit, ſolito celebretur honore.*

lib. IV.

*Nox ubi tranſierit, cœlumque rubeſcere primo*
*Cœperit.*

atque ita frequenter in his libris. *Hæc* paulo ante præceſſerat. inde natus error. Poſſet etiam legi *Lux ubi tranſierit.* Heinſius. *Hæc ubi tranſierint.*] XVI. Kalendas Februarias Noſtro eſt Solis tranſitus in Aquarium: ut & Plinio: ſic enim ille lib. XVIII. cap. XXVI. *Et cum Sol in Aquarium ſentitur tranſire, quod fere XVI. Kalend. Febr. evenit.* Ptolemæo XVII. Cum hoc ſigno quantum Zodiacus emergat, vide apud Hipparchum lib. III. ad Arati & Eudoxi Phœnomena. *N.*

652. *Curres.*] Currere incipies. *Per ſigna juvenis regentis aquam.*] Per ſigna Aquarii. *Signa regentis aquas.*] *Aquam* ſcripti. Lege *gerentis aquam.* Nam *urniger* Aquarius dictus paſſim poëtis. *Heinſius.*

653. Sep-

Digitized by Google

SEptimus hinc Oriens cum ſe demiſerit undis;
Fulgebit toto jam Lyra nulla polo.
SIdere ab hoc, ignis venienti nocte Leonis
Qui micat in medio pectore, merſus erit.
TER quater evolvi ſignantes tempora Faſtos;
Nec Sementiva eſt ulla reperta dies:
Cum mihi, ſenſit enim, Lux hæc indicitur, inquit,
Muſa. quid à Faſtis non ſtata ſacra petis?
Utque dies incerta ſacro, ſic tempora certa;

Se-

653. *Septimus hinc oriens.*] X. Kalendas Lyra occidit occaſu heliaco. *Neapol.*

654. *Toto jam lyra nulla polo.*] Multi ex ſcriptis *nullo polo*. Forte *furvo polo*. de qua voce Met. III. *Heinſius.*

655. *Sidere ab hoc ignis*] IX. Kalendas clara ſtella in pectore Leonis occidit. accipe de occaſu coſmico. Columella ſcribit die Januarii XXVII immergi. *Neapol.*

656. *Qui micat.*] Lucet in medio pectore Leonis.

657. *Ter quater evolvi &c.*] Evolverat Poëta Faſtorum libros, nec invenire potuit diem ſementinam. Sed admonitus eſt, ſtatas non eſſe ferias. *Signantes tempora.*] In quibus ſignata & deſcripta ſunt tempora, & omnia quæ quibuſque temporibus fiunt. *Faſtos.*] *Faſtus* unus Fàrneſianus ut dixi ſupra initio libri primi. *Heinſius.*

658. *Nec Sementina eſt.*] *Sementinæ* Arundel. Læti, & quinque alii. *Sementiva* ſeptem. Urſini, Petavin. & decem alii, *Sementita*. Voſſ. *Sementitia*. Sed apud Varron. lib I. cap. II. bis *Sementivæ feriæ* occurrunt, quæ Feſto ſunt *Sementinæ*. ſed & illic in duobus codicibus bibliothecæ Leidenſis *Sementiva* quomodo in Varronis quoque ac Catonis exemplaribus ſcriptis extare monet Petrus Victorius. hinc & *pira Sementiva* Catoni ac Plinio lib. XV. cap. XV. ut recte libri veteres, & *frumenta Sementiva* eidem Plinio lib. XVIII. cap. VII. Varro lib. V. L. L. *Sementinæ feriæ, dies is, qui à Pontificibus dictus, appellatus à Semente, quod Sationis cauſâ ſuſcepta.* Scribe; *Sementivæ feriæ, dies is, qui à Pontificibus indicitur, appellata à ſemente. Sementivæ* quoque dicuntur Macrobio lib. I. Sat. in veterrimo codice Neapolitano. *Idem. Nec ſementina, &c.*] Qui poteras, ſi ſementinæ feriæ ſunt è conceptivis? Macrob. I. Saturnal. *Et ſunt ſtativæ univerſi populi communes certis & conſtitutis diebus ac menſibus, & in faſtis ſtatis obſervationibus annotata: in quibus præcipue ſervantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. Conceptivæ ſunt, quæ quotannis à Magiſtratibus vel Sacerdotibus concipiuntur in dies vel certos, vel etiam incertos: ut ſunt Latinæ, Paganalia, Sementinæ, Compitalia. Imperativæ ſunt, quas Conſules vel prætores pro arbitrio poteſtatis indicunt. Nundinæ ſunt paganorum, itemque ruſticorum, quibus conveniunt negotiis propriis vel mercibus provisuri. Sunt præterea feriæ familiarum propria, ut Claudiæ familiæ vel Æmiliæ, &c.* Neap.

659. *Indicitur.*] A ſacerdotibus ſcilicet, vel à magiſtratibus, cum ſint feriæ conceptivæ.

660. *Sacra non ſtata*] Quæ non ſunt fixa & certa conſtitutis diebus

661. *Sic tempore certo.*] *Tempora certa* multi ex melioribus. recte & pro *ſacris*, Urſini codex aliique nonnulli *ſacra eſt*. nonnulli *ſacri eſt*, *ſacro* Petavianus, Mazar. & unus Moreti. probe. ſequenti verſu *Seminibus jactis* multi ex vetuſtioribus. *Heinſ. Sic tempore certo.*] Semen ubi jactum: a quo inditum diei nomen. Varro: *Sementinæ feriæ dies is qui à Pontifici-*

Seminibus jactis eſt ubi fœtus ager.
State coronati plenum ad præſepe juvenci:
Cum tepido veſtrum vere redibit opus.
Ruſticus emeritum palo ſuſpendat aratrum:
Omne reformidat frigida vulnus humus.
Villice, da requiem terræ ſemente peractâ:
Da requiem, terram qui coluêre, viris.
Pagus agat feſtum. pagum luſtrate, coloni;
Et date paganis annua liba focis.
Placentur matres frugum Tellusque Cereſque

Farre

*tiſſcibus dictus, appellatus à ſemente, quod ſationis cauſſa ſuſcepta.* Neap.

662. *Ager eſt fœtus.* ] Gravidus. *Seminibus jactis.* ] Poſtquam ſunt jacta & condita ſolo ſemina, tunc erunt feriæ ſementinæ. Quod quidem fit vel celerius, vel ſerius, pro qualitate temporis & regionum. Jacto ergo ſemine, dies indicitur. Antiqui autem deam *Seriam*, à ſerendo: *Segeſtam* à ſegetibus appellabant.

663. *State coronati, &c.* ] Poſt peractam ſementem erit per hyemem à labore ruſtico vacandum, danda eſt tam bobus quam colonis quies, nec terra proſcindenda: noxia enim eſt hyberna glacies proſciſſæ nuper terræ. *State coronati.* ] Putavi olim pro vincire hic *coronare* intelligendum; quaſi, State vincti ad præſepe: moris eram inſcius, ex quo boves feriis ſerto fuſo per cornua, labore vacabant. Vide Tibull. lib. II. Elegia prima. Membranæ quædam habent, *vertice ſtare boves.* Neap.

664. *Vere redibit opus.* ] Vide Maronem 1. Georg. *Vere novo, gelidus canis, &c.* Uni & alteri vati lux erit à Columella lib. 11. cap. 11. de Re ruſtica *N.*

665. *Ruſticus.* ] *Villicus* Urſini liber & unus Paravinus. ſequenti verſu *frigida humus* non *frigore* idem Urſini. Zulich. Mazar. & decem alii. bene *Heinſ*. *Aratrum.* ] Hoc, & inſtrumenta alia, ſi operi ruſtico jam uſui eſſe non poterant, in triviis collocabantur. Ratio apud Scholiaſt. A. Perſii ad illud Sat. IV. *pertuſa compita.* in his: *Facta juga ab agricolis ponuntur velut ab emeritis; quod eſt elaborati operis indicium; ſive quod omne inſtrumentum exiſtimant ſacrum.* Neap.

667. *Villice da requiem, &c.* ] Apte præcipit villico, ſinat otiari familiam poſt jactam ſementem: nam id villici erat munus, qui cuncto operi ruſtico præerat; unde *villicari*, villæ præeſſe dixerunt veteres. Comperi etiam *villicum* pro quolibet cuſtode ſeu præfecto à Poëtis receptum. *Semente peracta.* ] Sparſo frumento ſequebatur ultima aratio; poſt hanc longa quies terris. In ea aratione boves *lirare* dicebantur, ut in aliis *proſcindere* & *effringere* terram. Servius: *Cum primo agri arantur, quando duri ſunt, proſcindi dicuntur; cum iterantur, effringi; cum tertiantur, lirari.* Vide & Varron. lib. I. de Re ruſtica.

669. *Pagus agat feſtum.* ] An ob ſementinas ferias? an novi feſti hic mentio, cui nomen fuit *Paganalia?* certe addubito, ſed magis ad Paganalia inclino; quæ poſt ſementinas ferias ſtatim puto concipi ſolita. *Pagum luſtrate.* ] Accenſis ſuſpicor ſtipulæ acervis, ut in Parilibus. *Neap. Luſtrate pagum.* ] Circuite ſolemni pompa in Sementinis & Paganalibus feſtis.

670. *Annua liba focis.* ] Quivis pagus ſuum foculum habebat, ex inſtituto Servii Tullii. Vide Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. IV. ἵνα δὲ καὶ τούτων πλῆθος μὴ δυσεύρετον ἀλλ', &c.

671. *Frugum matres.* ] Ut mox erat in præ-

Farre ſuo, gravidæ viſceribusque ſuis.
Officium commune Ceres & Terra tuentur.
Hæc præbet cauſam frugibus, illa locum.
Conſortes operum, per quas correcta vetuſtas,
Quernaque glans victa eſt utiliore cibo;
Frugibus immenſis avidos ſatiate colonos,
Ut capiant cultûs præmia digna ſui.
Vos date perpetuos teneris ſementibus auctus:
Nec nova per gelidas herba ſit uſta nives.
Cum ſerimus; cælum ventis aperite ſerenis:
Cum latet; æthereâ ſpargite ſemen aquâ.
Neve graves cultis Cerealia dona cavete
Agmine læſuro depopulentur aves.
Vos quoque ſubjectis, formicæ, Parcite granis:
Poſt meſſem prædæ copia major erit.

In-

prædicto ſationis feſto. Varro enim, inquit, de R. R. *Sementinis feriis in ædem Telluris veneram, rogatus ab æditimo. Ceresque.*] Hanc Empandam in Paganalibus ſacris dictam, didicimus ab antiquis. *Neap. Placentur frugum matres, &c.*] In ſementinis & paganalibus feſtis ſacrificandum eſt Terræ, Cererique, frugum parentibus, & farre & porca prægnanti. *Farre ſuo.*] Quod ipſæ tradunt.

672. *Farre ſuo, gravida viſceribuſque ſuis.*] Durus concurſus *ſuo, ſuis.* Scribe, *Farre pio.* ut apud Horatium lib. III. od. XXIII.

*Mollibit averſos Penates*
*Farre pio & ſaliente mica.*

& apud Tibullum lib. III. Eleg. III.

*Et vanum in curas hominum genus omina noctis*
*Farre pio placant & ſaliente ſale.*

Virgil. lib. V.

*—— cana penetralia Veſtæ*
*Farre pio, & plenâ ſupplex veneratur acerra.* Heinſ.

*Viſceribus ſuis gravida.*] Porcæ prægnantis.

673. *Tuentur commune officium.*] Ceres enim jacit ſemina, Tellus recipit: hæc alit, illa curat excutitque matura.

675. *Conſortes operum.*] *Superis* plerique. vel, *ſuperum.* duo *operis.* Heinſ. *Per quas vetuſtas eſt correcta.*] Quaſi quæ rudem vetuſtatem, & ſylveſtrem cultum ad civilem uſum redegiſtis. *P. Conſortes operum.*] Gloſſæ, *conſortes*, Κοινόζιοι, σύγκληροι. N.

677. *Fructibus immenſis avidos ſatiate colonos.*] *Frugibus* caſtigatiores magna ex parte. Pont. I. Eleg. IV. ſimile mendum ſuſtulimus. Zulichemianus etiam *augete colonos* pro diverſa lectione eleganter. ſic *augere opibus, honoribus*, apud optimos Latinitatis auctores. Triſt. II.

*Divitiis etiam multos & honoribus auctos*
*Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.*

Faſt. III.

*Jam pius Æneas regno nataque Latini*
*Auctus erat.* ſic & ſæpe alibi.

*Heinſ.*

681. *Aperite cælum.*] Pellite nubes, quæ cælum nobis claudunt. *Ventis ſerenis.*] Serenitatem inducentibus.

683. *Cerealia dona.*] Alii codices *rura*, alii *culta*. Nihil muto. Faſt. VI.

*—— jaciunt Cerealia dona.*

vide Notas Remed. Am. vſ. 173. *Heinſ.*

685. *Subjectis granis.*] *Suppoſitis* Gottorph. etiam bene. *Idem.*



Digitized by Google

Interea creſcat ſcabræ rubiginis expers,
 Nec vitio cœli palleat ægra ſeges.
Et neque deficiat macie, neque pinguior æquo
 Divitiis pereat luxurioſa ſuis.
Et careat loliis oculos vitiantibus agri;
 Nec ſterilis culto ſurgat avena ſolo.
Triticeos fœtus, paſſuraque farra bis ignem,
 Hordeaque ingenti fœnore reddat ager.
Hoc ego pro vobis, hoc vos optate coloni:
 Efficiantque ratas utraque Diva preces.
Bella diu tenuêre viros. erat aptior enſis
 Vomere: cedebat taurus arator equo.
Sarcula ceſſabant: verſique in pila ligones,
 Factaque de raſtri pondere caſſis erat.
Gratia Dîs domuique tuæ: religata catenis
 Jampridem noſtro ſub pede bella jacent.

Sub

687. *Scabra rubiginis.* ] Petavianus *Robiginis*, ut dea Robigo intelligatur. vide quæ noto lib. IV. vſ. 907. *Idem.* *Scabra rubiginis.* ] Quaſi ſine ulla aſperæ rubiginis læſione. Provenit enim *rubigo* ex calore ſolis, cum adurit madefactos aquis culmos. *P.* *Scabra rubiginis.* ] *Scabrum* eſt quodcunque aſperum. *Scabra ſaxa*, dixere Latini impolita. Barbatum & impexum hominem vocat etiam *ſcabrum* Flaccus Epiſt. VII. libri primi. *Neap.*

688. *Palleat ulla ſeges.* ] *Ægra* libri meliores. idque recte. ut apud Virgilium,

*Arebant herba & victum ſeges ægra negabat.*

Statius Theb. IV.

*Ægra ſolo macies, tenerique ab origine culmi*
*Inclinata ſeges.*

pro *ſeges* etiam *Ceres* duo libri Symmachus pro ara victoriæ, *ſecuta eſt fames publica & ſpem provinciarum omnium meſſis ægra decepit.* Heinſ.

691. *Oculos vitiantibus.* ] Plautus in milite glorioſo Act. II. Scen. III. Sc. *Mirum eſt lolio victitare te, tam vili tritico.* PA. *Quid jam?* Sc. *Quia luſcitioſus.*

692. *Surgat avena.* ] Dixit ſterilem, quemadmodum vates: *& ſteriles dominantur avenæ.* ut diſcernat à ſativa. Græci *ſterilem* dicunt αἰγίλωπα & στεῖρον πίλον. *Lolium* quoque ut vides, numeratur inter frumenti vitia. iiſdem. ἡ αἶρα. *N.*

693. *Paſſuraque farra.* ] Nam primo far veteres torrebant; deinde ſub mola in farinam redactum, pane jam facto, coquebatur iterum in furnis: ſic *bis toſtum* alibi Naſo meus appellat. *Neapol.*

696. *Efficiatque.* ] *Efficiantque* Patavinus ex melioribus. Art. libro I. vſ. 83. ex antiquis codicibus, *Utraque laudentur per carmina turba* præceſſerat. ſic & *caſſis erant* mox malim. *Heinſ.* *Utraque diva.* ] Ceres & Tellus.

699. *Verque in pila ligones.* ] Pilum fuit Romanorum antiquum & vetus armamentum. De quo vide quæ ad Polybium notavit Lipſius lib. III. Militiæ Dial. IV. *Neapol.*

702. *Jampridem.* ] Hoc & illud ſupra, *Bella diu tenuere viros*, videntur denotare cauſam bellorum poſt victoriam Actiacam

Sub juga bos veniat; ſub terras ſemen aratas.
Pax Cererem nutrit: pacis alumna Ceres.
AT quæ venturas præcedet ſexta Kalendas,
Hac ſunt Ledæis templa dicata Deis.
Fratribus illa Deis fratres de gente Deorum
Circa Juturnæ compoſuêre lacus.
IPſum nos carmen deducit Pacis ad aram.
Hæc erit à menſis fine ſecunda dies.
Frondibus Actiacis comtos redimita capillos,
Pax ades; & toto mitis in orbe mane.
Dum deſunt hoſtes, deſit quoque cauſſa triumphi.
Tu ducibus bello gloria major eris.
Sola gerat miles, quibus arma coërceat, arma:

Can-

ctiacam, quæ incidit in IV. Nonas Septembris. *Neapol.* *Veſtro ſub pede.*] *Noſtro* Arondel. & multi alii. & mox *præcedet* pro *præcedit* meliores. *Heinſ.*

704. *Ceres alumna pacis.*] Nam & ipſa à pace nutritur. *Paul.* *Pacis alumna Ceres.*] Non abeunt hinc iſta Albii Tibulli, ex Elegia ultima libri primi.

705. *At quæ venturas.*] VI. Kalendas Februarias dicata Caſtorum ædes. *Neapol.*

706. *Deis Ledæis.*] Caſtori & Polluci Ledæ filiis.

707. *Fratribus illa Deis.*] *Dies* ſcripti plerique. ſed male. quod arriſiſſe nobiliſſimo Neapoli miror. vide quæ noto ad Elegiam in mortem Druſi. vſ. 290. *Heinſius.* *Fratres.*] Tiberius & Druſus: non quod ambo ſimul dedicaverint, ſed quod Tiberius ipſe ſuo & fratris nomine dedicarit. *Paul.* *Fratres de gente Deorum.*] Intellige Tiberium & Druſum. vide Dionem l. IV. ſub. ann. DCCLIX. Sueton lib. III. Dio Caſſius dedicationem hanc rejicit ad annum DCCLXIX. *Neapol.* *Fratribus ille deis, &c.*] Legendum, *Fratribus illa deis, fratres de gente deorum, &c.* ut ſit ſenſus, Fratres de gente deorum, hoc eſt, Tiberius & Druſus, ex gente deorum Julii & Auguſti Cæſarum, conſtituere illa, ſcilicet templa, Fratribus deis, ſive diis, Caſtori & Polluci. *Micyl.*

708. *Circa Juturnæ.*] In regione VIII. Pub. Victor in eadem: *Templum Caſtorum ad lacum Juturnæ.* Neapol. *Compoſuere.*] Et templa ſcilicet.

709. *Ipſum nos carmen, &c.*] Trigeſimo die Januarii erit feſtum Pacis. Invocat igitur, & orat illam, ut diutius in orbe maneat, ne bella gerantur, niſi ad propulſandam, non ad inferendam injuriam. *Deduxit Pacis ad aram.*] Quæ ſita in regione urbis XIV.

710. *A menſis fine ſecunda dies*] Trigeſima ergo Januarii ad aræ pacalis ſacrificia aſſignata *Neap.* *Hæc dies.*] Pacis. *Erit ſecunda à fine menſis.*] Secunda ab ultimo die Januarii, retro numerando.

711. *Frondibus Actiacis.*] Corona victrici & triumphali. Ab Actio promontorio Epiri, apud quod Cæſar Octavius Antonium & Cleopatram fudit, poſt quam victoriam Janum Quirinum cluſit. *Protinus & totum pax alma effuſa per orbem.* *Comtos redimita capillos.*] *Canos* alter Petavianus. quod & alii in ſuis invenerunt. ſed nil muto. *Heinſ.*

715. *Quibus arma coërceat, arma.*] Id belli genus exoptat, quod ſolum ad medelam propulſandæ injuriæ. *Juſtum bellum,* inquit Livius, *quibus neceſſarium; & pia*

Digitized by Google

Canteturque ferâ, nil niſi pompa, tubâ.
Horreat Æneadas & primus & ultimus orbis:
Si qua parum Romam terra timebit, amet.
Thura, ſacerdotes, pacalibus addite flammis;
Albaque percuſsâ victima fronte cadat.
Utque domus, quæ præſtat eam, cum Pace perennet,
Ad pia propenſos vota rogate Deos.
Sed jam prima mei pars eſt exacta laboris;
Cumque ſuo finem menſe libellus habet.

*& pia arma, quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes.* Neapol.

720. *Perfuſâ victima fronte cadat.*] *Percuſſa fronte* legendum cum vetuſtioribus. ſupra,

*Hic qui nunc aperit percuſſi viſcera tauri.*
Triſt. IV. El. II.

*Candidaque adducta frontem percuſſa ſecuri*
*Victima purpureo ſanguine tingit humum.*

Prudentius Hymno S. Vincentii,

*His colla mugientium*
*Percuſſa taurorum cadunt,*

de ſacrificiis. alibi *icta*. ut Met. XV.

*Ictaque conjectos incalfacit hoſtia cultros.*
Triſt. IV.

*Victima Tarpejos inficit icta focos.*
lib. II. Pont.

*Victima pro templo cur cadat icta Jovis?*
Propert. libro IV. Eleg. IV.

*Et cadat ante meos icta juvenca focos.*

Heinſ. *Et cadat victima alba.*] Immoletur Paci pecus alba.

# P. OVIDII NASONIS
# FASTORUM
## LIBER II.

JAnus habet finem. cum carmine creſcit & annus.
Alter ut hinc menſis, ſic liber alter eat.
Nunc primum velis, Elegi, majoribus itis:

Exi-

CReſcat & annus.] Malo *creſcit* cum Maz. Zulich. Voſſ. & aliis non nullis. pro *Alter ut & menſis* veteres plerique, *ut hic*. Lege,

*Alter ut hinc menſis, ſic liber alter eat.*
lib. III.

*Nec mihi parva fides annos hinc iſſe priores.* Heinſ.

3. *Elegi itis.*] *Ite* Mazar. & ſex alii. ut in Pont.

*Ite leves Elegi doctas ad Conſulis aures.*
ſequenti verſu pro *Ipſe ego*, duo codices *Certe ego*. Idem. *Elegi*, *nunc primum*. Quaſi non antehac, ſed nunc primum. *Itis velis majoribus.*] Sublimiore ſtilo, per tranſlationem. *Paul.* *Nunc primum velis.*]



Digitized by Google

Exiguum (memini) nuper eratis opus.
Certe ego vos habui faciles in amore miniſtros;
Cum luſit numeris prima juventa ſuis.
Idem ſacra cano, ſignataque tempora Faſtis.
Ecquis ad hæc illinc crederet eſſe viam?
Hæc mea militia eſt. ferimus, quæ poſſumus, arma:
Dextraque non omni munere noſtra vacat.
Si mihi non valido torquentur pila lacerto;
Nec bellatoris terga premuntur equi;
Nec galeâ tegimur, nec acuto cingimur enſe;
(His habilis telis quilibet eſſe poteſt.)
At tua proſequimur ſtudioſo pectore, Cæſar,
Nomina: per titulos ingredimurque tuos.
Ergo ades, & placido paulum mea munera vultu
Reſpice: pacando ſi quid ab hoſte vacas.
FEbrua Romani dixêre piamina patres:
Nunc quoque dant verbo plurima ſigna fidem.
Pontifices ab Rege petunt & Flamine lanas,

Quîs

*velis.* ] Recta lectio: *Jam primum velis* Neapol.

8. *Ecquis illinc.* ] Ex ipſa re amatoria. *Eſſe viam ad hac.* ] Sacra ſcilicet, & tempora deſcribenda.

19. *Februa Romani dixere piamina.* ] M. Varro lib. 5. de L. L. *Rex cum ferias menſtruas Nonis Februariis edicit, hunc diem februatum appellat. Februum Sabinis purgamentum, & id in ſacris noſtris verbum: nam & Lupercalia Februario, ut in antiquitatum libris demonſtravi.* Vide & Plutarch. in Numa. *Neapol.*

20. *Nunc quoque dant.* ] *Huic quoque* decem libri. *Heinſ.*

21. *Pontifices ab, &c.* ] Cum capellæ per lupercos mactarentur, gemini adoleſcentes præclari, ſanguinolento gladio fœdatam ſibi faciem attingebant. Alii ilico cum lana lacte madida accurrebant, atque abſtergebant ſanguinem. Ergo inde ex Purgationibus lanæ uſus erat. *Pontifices. petunt lanas.* ] Ad expurgationem ſcilicet. *A rege.* ] A rege ſacrificulo. *Et flamine.* ] Sacerdote. *Paul. Pontifices à rege petunt.* ] Hoc eſt, ſacrificulo: pari modo dictum ab antiquis, ſine adjectione ulla ſacrorum, vidiſti ex loco citato Varronis; cui Tullium addimus. *Cum ex collegio*, inquit, *tanto non regem, non flaminem, non pontificem videret.* & alibi: *Diſcite pontifices, vos flamines, etiam tu rex diſce.* Id ſacerdotium L. Brutus Conſul anno poſt exactos Reges ſacris addidit: cauſam inſtitutionis pete è Dionyſ. lib. V. ibi deſcribitur quis primus illud exercuerit, imo etiam munus. Præerat ſacris omnibus, non vero cuivis ſacro miniſtro: oſtendit Liv. lib. II. *Regem*, inquit, *ſacrificulum creant: id ſacerdotium Pontifici ſubjecere, ne additus nomini honos aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret.* Ejus uxor erat regina ſacrorum. *Et flamine lanas.* ] Has igitur petebant pontifices à rege ſacrificulo & flamine Diali: ſuſpicor eas fuiſſe rufi coloris. Vide Clem. Alexandrin. Stromat. lib. VII. *Neapol.* *A Rege.* ] *Ab Rege*

Quis veteri linguâ Februa nomen erat.
Quæque capit lictor domibus purgamina certis,
Torrida cum micâ farra, vocantur idem.
Nomen idem ramo; qui cæſus ab arbore purâ,
Caſta ſacerdotum tempora fronde tegit.
Ipſe ego Flaminicam poſcentem februa vidi:
Februa poſcenti pinea virga data eſt.

De-

Lege meliores. mox pro *veterum lingua*, iidem *veteri*. nonnulli tamen *vetere in*. Heinſ.

23. *Quæque capit lictor.* ] Sed flaminius. de quo Feſtus: *Flaminis lictor eſt, qui flamini Diali ſacrorum cauſſâ præſto eſt.* Neapol. *Domibus purgamina certis.*] Primus Medic. *cernis*, Voſſ. Mazar. & alius Medic. *ternis*. Sarravianus pro diverſâ lectione *acernis*. Lege meo periculo *domibus terſis*. Scriptum fuerat *ternis*, quomodo veteres pro *terſis* dicebant. teſte Nonio. hinc natus error. ſic lib. IV. ex veſtigiis veteris libri,

*Uda prius ſpargat virgaque tergat humum.*

Propertius libro IV. Eleg. IX.

*Dum quemcumque locum externa tetigere puella,*
*Suffit, & hinc pura limina tergit aqua.*

Varro l. V. de L. L. *Februum Sabini purgamentum appellant.* & *februare* pro *purgare* apud Nonium. Agit autem de domo Flaminis quæ flaminea dicebatur. ut monet Gellius. de Lictore Flaminio nos docet Feſtus, quem locum ab Illuſtriſſ. Neapoli jam video occupatum. Adi eundem in *Februarius*. Heinſ.

24. *Turbida cum micâ farra.* ] *Torrida* primæ editiones cum Urſini, Voſſii ac aliis multis melioris notæ codicibus. idque etiam in Obſervationibus amplexus eſt doctiſſimus Gronovius. ſic *torridas fruges* pro toſtis dixit Accius Troadibus apud Servium Fuldanum lib. I. Æn.

*Nocturna ſaxo fruges franges torridas.*

& *Torrida limina* Propertius libro III. Eleg. XII.

*Torrida ſacrilegum teſtantur limina Brennum:*

de templo Apollinis à Gallis incenſo. *Idem.*

25. *Nomen idem ramo, &c.* ] Idem etiam vocatur & ex lauro ramus, quo ſacerdotes expiaturi coronabantur. *Idem nomen.* ] Februa ſcilicet. *Qui caſus ab arbore pura.* ] Quis ambigat, quin arbor pura ſit ipſiſſima pinus? nam paulo poſt dicit: *Februa poſcenti pinea virga data eſt.* Quin ad conciliandam caſtitatem Theſmophoriazuſæ hujus foliis lectulos ſibi ſternebant. Vide Stephan. *Neap.* *Pura arbore.* ] Sacris deſtinata, intacta ſecuribus. Sic dicuntur, *puri dies. Pura laurea.* Propert. ἐν καθαρῷ. à cæſorum cadaveribus purgato loco. ὅθι δὴ νεκύων διεφαίνετο χῶρος πιπτόντων. Hom. Iliad. κ. v. 199. *Pura mulier.* Quæ morbo Campano non laborat. Petron. ἁγνὸν πῦρ. Eurip. Electr. *Tempora pura, placatis ſepulcris.* vſ. 33. hic. *Haſta pura:* qua de re Tom. I. uberius

27. *Ipſe ego flaminiam.* ] Scribe cum melioribus *Ipſam ego flaminicam.* Flaminica, uxor flaminis. codices multi *flamineam*. Heinſ. *Ipſe ego flaminicam.* ] Flaminis conjugem: quam & *flaminam* comperi dictam. Verum ſcito non legi in omnibus libris *flaminicam*: in meo eſt *flaminiam*, id eſt, ſacerdotalem, quæ Diali præminiſtrabat. Joſeph. Scaliger mavult *flaminiâ*, quâſi ab ædibus flaminis. *Neap.*

28. *Pinea virga data eſt.* ] Lego *ſpinea.* omnibus enim ſpinarum generibus vim inſitam noxarum depellendarum veteres credebant. de ſpina alba Noſter l. VI. bis.

*—— ſpinam. qua triſtes pellere poſſet*
*A foribus noxas (hæc erat alba) dedit*



ab.

Denique quodcunque eſt, quo pectora noſtra piamur,
Hoc apud intonſos nomen habebat avos.
Menſis ab his dictus: ſectâ quia pelle Luperci
Omne ſolum luſtrant; idque piamen habent.
Aut quia placatis ſunt tempora pura ſepulcris,
Tunc cum ferales præteriêre dies.
Omne nefas omnemque mali purgamina cauſſam
Credebant noſtri tollere poſſe ſenes.
Græcia principium moris fuit. illa nocentes
Impia luſtratos ponere facta putat.

Acto-

ubi *virgam* fruſtra multi codices antiqui exhibent. quem locum ex Dioſcoride aliiſque erudite illuſtrat Neapolis. mox eodem libro,

*Virgaque Janalis de ſpinâ ſumitur alba.*
Heinſ.

29. *Denique quodcunque eſt*, &c. ] Ut aliquando concludat: Denique, inquit, omnia quæ ad expurgationem, à veteribus *februa* vocabantur. *Quo corpora noſtra piantur.* ] *Pectora noſtra pietur* Urſini liber. *pectora pientur* Voſſ. & ſex alii. *pectora piantur* tres. primus Med. & unus Bonon. *corpora piamur.* recte, qui familiaris Ovidio Græciſmus. *Heinſ.*

30. *Intonſos avos.* ] Horat. lib. II. Od. XV. *Non ita Romuli praſcriptum, & intonſi Catonis auſpiciis.*

31. *Secta quia pelle.* ] De hoc ritu plura nos ad Lupercalia hoc menſe Februario. *Neap.* *Menſis ab his*, &c. ] Ab his ergo menſis Februarius appellatus eſt, quo Luperci, hoc eſt, Panis ſacerdotes, ſectis caprarum coriis, omnia circumeunt, & expurgant. *Ab his.* ] Luſtrationibus. *Luperci.* ] Sacerdotes Panis *Secta pelle.* ] Secto caprino corio.

32. *Luſtrant.* ] Circumeunt. *Habent.* ] Habent expiationem. *Idque.* ] Hæc luſtratio.

33. *Aut quia placatis*, &c. ] In Februario non ſolum pro viventium expurgatione, ſed etiam pro mortuorum expiatione fiebant ſacrificia: quod niſi factum eſſet, putabant circa ſepulchra errare manes, & ex eo aëris intemperiem, tempeſtates, & peſtilentiam exiſtere. *Aut quia tunc.* ] Cum ferales dies, id eſt, dies in quibus fiebant feralia, hoc eſt, ſacra pro mortuis.

34. *Ferales prateriere dies.* ] Qui ſunt IX. Kalendas Martias. Vide quæ ad eos notabimus.

35. *Purgamine.* ] *Purgamina* meliores recte. *Heinſ.*

37. *Gracia principium moris dedit.* ] Primæ editiones & octo ex noſtris ac totidem ex ſcriptis Ciofani *principium fuit.* probe. Alcimus Avitus de laude Virginitatis:

*Et quia principium tam ſancti fœderis eſſes.*

Noſter infra hoc ipſo libro ex veteri codice,

*Aut quia principium tu dea lucis eras.*

&,

*Heu quantum fati parva tabella fuit!*

Remedio Amoris,

*Auxilium multis ſuccus & herba fuit.*

Mazarin. *putant* pro *putat* ſequenti verſu. quomodo & unus Medic. ex melioribus & Vatican. vide notas Rem. Am. vſ. 164. *Heinſ.* *Gracia principium moris.* ] Quibus? Romanis: hi fuere Græcorum ſimiæ: & Romanos ab eis accepiſſe fatemur, auctores vero negamus: nam ut Ægyptios omittam, Beroſus apud Joſephum lib. I. Originum à Noë rem repetit: nihil antiquius fere dici poteſt. *Neapol.*

39. *Acto-*

Digitized by Google

Actoridem Peleus, ipſum quoque Pelea Phoci
Cæde per Hæmonias ſolvit Acaſtus aquas.
Vectam frænatis per inane draconibus Ægeus
Credulus immeritâ Phaſida fovit ope.
Amphiaraïdes Naupactôo Acheloo,
Solve nefas, dixit. ſolvit & ille nefas.
Ah nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
Flumineâ tolli poſſe putatis aquâ!
Sed tamen (antiqui ne neſcius ordinis erres)
Primus, ut eſt, Jani menſis & ante fuit.
Qui ſequitur Janum, veteris fuit ultimus anni.
Tu quoque ſacrorum, Termine, finis eras.
Primus enim Jani menſis, quia janua prima eſt.
Qui ſacer eſt imis manibus, imus erat.
Poſtmodo creduntur ſpatio diſtantia longo

Tem-

39. *Actoridem.* ] Patroclum Actoris nepotem. *Paul.* *Actoridem Peleus.* ] Ob necem Cleſonymi ſeu Æanes, ut auctor Strabo lib. IX. Reliquas fabellas pete ab antiquis Mythicis. *Neapol.*

40. *Per aquas Æmonias.* ] Per aquas Theſſalicas. *Cæde Phoci.* ] Occidione fratris ſui, qui Phocus dictus eſt. *Hæmonias aquas.* ] *Hæmonidas* Zulich. adi Notas Art. 1. vſ. 172. *Heinſ.*

41. *Vectam frænatis, &c.* ] Medeam intelligit, Æetæ Colchorum regis filiam. quæ patrem prodidit: fratrem interemit: Athenas confugit, ab Ægeo Athenarum rege expurgata, & in matrimonium accepta eſt. *Ægeus credulus.* ] Quia credidit illius ſcelera aqua elui poſſe.

42. *Phaſida.* ] Medeam à Phaſi. *Fovit ope.* ] *Juvit ope* nonnulli ex præſtantioribus. *Heinſ.*

43. *Amphiaraides.* ] Alcmæon Amphiarai filius. *Naupacteo Acheloo.* ] *Naupactoo* Petavianus, Voſſ. & alii multi. ut Arctoo, Myrtoo, Lesboo. *Heinſ.*

44. *Dixit Acheloo Solve nefas.* ] Cædis ſcilicet patratæ, quia matrem interfecerat. *Achelous* fluvius Acarnanes ab Æ-tolis dividit.

46. *Putatis.* ] *Putetis* Mazar. & Zulich. rectius, *Heinſ.*

48. *Et ante fuit.* Tò *ante*, cave de Romuleo anno intelligas; ſed de Pompiliano; nam hic agit de Juliano: Romuli annus decimeſtris, & à Martio inchoatus.

49. *Veteris.* ] Jam vides qua de cauſa probata nobis lib. 1. lectio illa: *Menſibus antiquis addidit ille duos*; Nam Februarius à Numa & imis manibus & intercalationi deputatus; ultimum obtinuit locum, hoc tamen à Græcis diſcrimine; illi, confecto ultimo menſe anno intercalare tempus adjiciebant; Romani poſt XXIII. Februarii, peractis Terminalibus, inſerebant ſuperfluum, quinque deinde reliquos menſis dies poſt ἐμβολισμὸν ſuperaddebant. *Neap.* *Qui ſequitur anum, &c.* ] Februarius vero, qui nunc poſt Januarium eſt, tunc ultimo loco erat, duplici argumento: & quod in fine anni fiebant expurgationes, & quod finis ſacrorum, & Termini feſtum, de quo dicemus ſuo loco.

51. *Primus erat Jani.* ] Meliores *enim Jani.* Heinſ.



55. *Prin-*

Tempora bis quini continuaſſe Viri.

PRincipio menſis Phrygiæ contermina Matri
Soſpita delubris dicitur aucta novis.
Nunc ubi ſint, illis, quæris, ſacrata Kalendis,
Templa Deæ? longo procubuêre die.
Cætera ne ſimili caderent labefacta ruinâ
Cavit ſacrati provida cura Ducis:
Sub quo delubris ſentitur nulla ſenectus.
Nec ſatis eſt homines, obligat ille Deos.
Templorum poſitor, templorum ſancte repoſtor,
Sic Superis, opto, mutua cura tui.
Dent tibi cæleſtes, quot tu cæleſtibus, annos:

Pro-

55. *Principio menſis.*] Kalendis Januariis templum Junoni Soſpitæ conſecratum. *Phrygiæ contermina matri.*] Ergo exſtructum in Palatio. *Matri Phrygiæ.*] Templo Cybelis, quæ ex Phrygia advecta eſt.

56. *Delubris novis.*] Quis auctor huiuſce templi tacet Noſter. Pighius lib. X. Annalium, ex nummis cuſis a. DLXIX. ſuſpicatur Lucium Porcium Licinium Conſulem fuiſſe: Fanenſis ſcribit hoc templum illud eſſe, quod Cn. Cornelius vovit ſub initium belli Inſubrici, de quo Liv. lib. XXII. ſed fallitur: nam iſtud conterminum Matri magnæ locant in Palatio, regione X. Hoc vero Cornelii in foro Olitorio, regione XI. Quoniam ergo nihil certi invenimus, ideo facimus locum judicii ſanioris. *Neapol.*

57. *Nunc ubi ſint quæris illis ſacrata Kalendis.*] Urſ. Patavinus & reliqui majori ex parte cum primis editionibus. *Nunc ubi ſunt illis quæ ſunt.* Voſſ. & ſex alii, *ubi ſint illis quæris*, vel *ſunt* Mazar. Zulich. & decem alii. Recte. niſi forte mavis,

*Nunc ubi ſunt illis, quæſo, ſacrata Kalendis*
*Templa Deæ?* lib. IV.

*Subſtitit hic Erato. mora fit. Dic cætera, quæſo,*
*Dic, inquam, parvâ cur ſtipe quærat opes.*

ſic & ibi videtur ſcribendum. *illis Kalendis.* ut lib. III.

*Nonis ſacrata quod illis Templa patent.* lib. IV.

*Pinguia cur illis guſtantur larda Kalendis.* Heinſ.

62. *Obligat ille.*] Exercet aperte τέχνην κολακευτικὴν, ut alter ad ſuum Domitianum.

63. *Templorum ſancte repertor.*] Magnus Caſaubonus ad Suetonium, & poſt illum Neapolis, legunt *refector.* ſed primæ editiones, codex Pomp. Læti, Zulich. & decem alii, *repoſtor.* optime. Tacitus Annal. l. I. *Cæcina dubitanti quonam modo ruptos vetuſtate pontes reponeret.* apud Maronem Æneid. V.

*Ipſi tranſtra novant, flammiſque ambeſa reponunt*
*Robora navigiis.* Heinſ.

*Templorum poſitor.*] Juſta laus, imo debita fax erit huic diſticho locus Suetonii: *Principes viros ſæpe hortatus eſt, ut pro facultate quiſque vel monumentis vel novis, vel refectis & excultis Urbem adornarent: multaque à multis exſtructa ſunt. &c.* Nec ſolum ſacris, ſed & profanis ædificiis mirum quam deditus. *Neapol.*

64. *Opto ſit mutua cura tui ſuperis.*] Id eſt, ut ſic ſuperi tui tuarumque rerum curam gerant.

65. *Quos tu cæleſtibus annos.*] *Quot tu*

Re-

Digitized by Google

Proque tuâ maneant in ſtatione domo.
Tum quoque vicini lucus celebratur Aſyli;
Qua petit æquoreas advena Tibris aquas.
Ad penetrale Numæ, Capitolinumque Tonantem,
Inque Jovis ſummâ cæditur arce bidens.
Sæpe graves pluvias adopertus nubibus Auſter
Concitat, aut poſitâ ſub nive terra latet.
PRoximus Heſperias Titan abiturus in undas,
Gemmea purpureis cum juga demit equis;

Illâ

Regios. Unus Vaticanus *aequos caloſtibus.* argute. ſed nil muta. *Heinſ.*

66. *Pro tua domo.*] Pro ſalute tuæ familiæ. *P. Maneant.*] Excubent. *N.*

67. *Tunc quoque vicini, &c.*] In ipſis Kalendis itur cum pompa, hoc eſt, cum proceſſione, ad Aſylum, quod Romulus conſtituit: ut eo omnes qui tuti eſſe vellent, confugerent, & ab omni eſſent noxa liberi. *Celebratur.*] Cum pompa frequentatur. *Vicini lucus celebratur Averni.*] *Aſyli* Urſin. Arondel. Mazar. Zulich. Nauger. & decem alii. Hærent hoc loco interpretes, nec ſe expediunt. An intelligit lucum de quo Feſtus in *Lucaria?* quanquam Lucariorum feſtum in aliam diem rejiciunt Kalendaria antiqua. Ut opinionem meam dicam in re ſubobſcura, puto *Helerni* legendum, & agi de eo luco, de quo lib. VI.

*Adjacet antiquus Tiberino lucus Helerni.*

ſic enim codices veteres illic majori ex parte aut *Hilerni*, aut *Elerni*, aut *Ilerni*. Urſini vetertimus *Alerni*. tres alii *Averni*. unus Farneſianus non magnæ fidei *Hilernæ*. quod vulgatas majori ex parte editiones occupavit. Viderit igitur doctiſſimus Onuphrius, qua fretus auctoritate regione Urbis XIII. ÆDICULAM ET LUCUM HYLERNÆ ponat. *Heinſ.*

68. *Qua Tybris advena.*] Quia aliunde advenit, ut eſt ex Apenninis montibus, & Hetruria. *Petit aequoreas undas.*] Via qua Tybris in mare tendit.

69. *Ad penetrale Numæ, &c.*] Fit eodem die ſacrificium in templo Veſtæ, & in templo Jovis, in arce Capitolina. *P. Ad penetrale Numæ.*] Hoc eſt, templum Veſtale. Horat. *Ire dejectum monumenta Regis, Templaque Veſtæ.* Ibi veteres Magiſtri: *Regiam dicit Numæ Pompilii, qui ad Veſtæ ſuam habuit.* Neapol. *Tonantem Capitolinum.*] In templo Jovis Capitolini. Quod templum primus dedicavit Horatius Pulvillus.

70. *Inque Jovis ſummi.*] *Summâ arce* libri meliores, recte. Arcem Capitolinam (quam ab ipſo Capitolio diſtinguunt paſſim Livius atque alii) ſic appellabant κατ' ἐξοχήν. ut infra lib. VI.

*Arce quoque in ſumma Junoni templa Monetæ*
*Ex voto memorant facta, Camille, tuo.*

In mortem Druſi, de Auguſto,

*Ille vigil, ſumma ſacer ille locatus in arce,*

& alibi non raro. *Heinſ.*

71. *Sæpe graves pluvias.*] Habes idem à Columella lib. XI. cap. II. *Kalendis*, inquit, *Februariis Fidis incipit occidere; ventus Eurinus & interdum Auſter cum grandine eſt.* Neapol. *Adopertus nubibus Ather.*] *Auſter* Zulich. Mazar. & ſex alii. Appoſite Columella, lib. XI. cap. II. *Kalendis Februariis Fidis incipit occidere. Ventus Eurinus & interdum Auſter cum grandine eſt.* concitat *Auſter pluvias.* ut lib. III. Art.

*Et tepidus pluvias concitat Auſter aquas.*

hinc *nubilus* & *humidus* & *pluvius* & *udus* & *imbrifer* poëtis paſſim dicitur. *Heinſ.*

73. *Proximus Heſperias, &c.*] Secunda die Februarii occidit omnis Lyra. Occiduntur etiam Leonis terga. *Abiturus*



in

Digitized by Google

Illâ nocte aliquis, tollens ad ſidera vultum,
Dicet, ubi eſt hodie, quæ Lyra fulſit heri?
Dumque Lyram quæret; medii quoque terga Leonis
In liquidas ſubito merſa notabit aquas.
QUem modo cælatum ſtellis Delphina videbas,
Is fugiet viſus nocte ſequente tuos.
Seu fuit occultis felix in amoribus index:
Lesbida cum domino ſeu tulit ille lyram.
Quod mare non novit, quæ neſcit Ariona tellus?
Carmine currentes ille tenebat aquas.
Sæpe, ſequens agnam, lupus eſt hac voce retentus:
Sæpe avidum fugiens reſtitit agna lupum:
Sæpe canes leporeſque umbrâ cubuêre ſub unâ;
Et ſtetit infeſtæ proxima cerva leæ.

Et

*in undas Heſperias.*] Quaſi occaſurus, merſurus ſe in undas Hiſpanas.

76. *Ubi eſt hodie.*] IV. Nonas incipit Lyræ & medii Leonis occaſus; at hujus matutinus eſt, Lyræ vero veſpertinus. *Neap.*

77. *Dumque lyram quærit.*] *Quæret*, & *demit* paulo ante, meliores libri. *Heinſius.* *Dum quæret lyram.*] Quæ jam tota diſparuit. *Terga medii Leonis.*] Mediæ partis poſterioris. nam anterior occiderat. Nunc totum coſmice occidit. Sic coſmice totus oritur Aquarius, qui illi eſt oppoſitus.

79. *Quem modo cælatum, &c.*] Delphinem oriri quinto idus Januarias, ſuperiore libro diximus. Nunc vero, inquit, tertio nonas Febr. hoc eſt, tertia die menſis Delphinum occidere. *Cælatum ſtellis.*] Ornatum ſtellis. Nam ſtellas habet novem.

81. *Felix in Amoribus index.*] Legat puer quæ ex Eratoſthene tranſcripſit inſignis ille Auguſti libertus lib. II. Poëticõn Aſtronomicõn cap. XVIII. *Neap.* *Felix index.*] Qui fœliciter amorem indicavit. De amoribus Neptuni intellige. Nam Neptunus quo tempore voluit Amphitriten uxorem ducere, & illa cupiens virginitatem ſervare, cum ad Atlantem fugiſſet, complures ad eam quæſitum dimiſit. In his & Delphina quendam, qui pervagatus inſulas, ad virginem pervenit, eique perſuaſit, ut Neptuno nuberet: pro quo facto Delphinis effigies inter ſidera collocata eſt.

82. *Lyram Lesbida.*] A Lesbo inſula. *Cum domino.*] Hoc eſt, cum Arione; qui ex Methymna urbe Lesbi fuit. Hic muſicæ artis peritia nulli ſecundus. Ejus hiſtoria à Plin. l. 9. delibatur, itidem & à Gellio. *P.* *Seu tulit ille lyram.*] Sive is Delphinus, qui vexit ad Tænaron Arion Methymnæum. Sequitur nunc flebilis caſus, ne putes fabellam: fuit ad tempora Periandri, qui claruit circa XXXVIII. Olympiaden. Vide notas Joſ. Scaligeri ad Euſebii annum MCCCXCVIII.

85. *Lupus eſt à voce retentus.*] Lege *hac voce*, & ſic unus Vaticanus. *Heinſ.*

87. *Una jacuere ſub umbra.*] *Umbra cubuere ſub una* Zulich. Mazar. Arond. & quatuor alii bene. ſic Virgil. in Culice,

*At circum paſſim feſſæ cubuere capellæ.*

Idem.

88. *Et ſtetit in ſaxo proxima cerva leæ.*] Illud *in ſaxo* cum ſit omnino odioſum hoc loco, non dubitem codicis Puteanei lectionem admittere, in quo *infeſta leæ.* ut alibi,

Non

Et ſine lite loquax cum Palladis alite cornix
Sedit; & accipitri juncta columba fuit.
Cynthia ſæpe tuis fertur, vocalis Arion,
Tanquam fraternis obſtupuiſſe modis.
Nomen Arionium Siculas impleverat urbes;
Captaque erat lyricis Auſoniis ora ſonis.
Inde domum repetens puppim conſcendit Arion;
Atque ita quæſitas arte ferebat opes.
Forſitan, infelix, ventos undamque timebas.
At tibi nave tuâ tutius æquor erat.
Namque gubernator deſtricto conſtitit enſe,
Cæteraque armatâ conſcia turba manu.
Quid tibi cum gladio? dubiam rege, navita, pinum.
Non ſunt hæc digitis arma tenenda tuis.
Ille metu vacuus, Mortem non deprecor, inquit:
Sed

*Non docet infeſtos currere cerva canes.*
Idem.

89. *Cum Palladis alite cornix.*] *Corvus* Mazar. prim. Medic. & octo alii. Sed de noctuæ & cornicis inimicitiis vide Ælian. Hiſt. Animal. libro III. cap. IX. *Idem.*

91. *Cynthia.*] Diana, à Cyntho monte in Delo inſula.

92. *Tanquam fraternis.*] Velut Apollineis.

93. *Siculas impleverat undas.*] Quid mirum, ſi peragrarat eam inſulam & univerſam Italiam: Vetus editio, *Siculas impleverat urbes.* Neap.

95. *Inde domum repetens,* &c.] Ubi ditatus fuerat in Italia, redire volebat Corinthum ad Periandrum, in Lesbon inſulam in ſuam patriam. *Inde.*] Ex Italia. *Puppim.*] Corinthiorum navim. *P. Inde domum repetens.*] Tarento ultimo profectus. *Neap.*

99. *Diſtricto enſe.*] Alii *deſtricto.* quod præſtat. infr. ſic *deripere enſem vagina.* de quo hoc libro vſ. 794. agemus. *Heinſ.*

100. *Cæteraque armata.*] *Armata eſt* Urſini, Voſſ. Arondel. Maz. Zulich. & alii complures. Lego.

*Cæteraque armata conſcia turba manus.*
in quibus loquendi modis Noſter eſt totus: ſic infra hoc ipſo libro, vſ. 636.

*Parca precatura ſumite vina manus.*
& lib. IV.

*—— montes ululatibus implent,*
*Et feriunt mœſta pectora nuda manus.*
Ita utroque loco ex fide veterum librorum eſt ſcribendum. *Idem.*

101. *Dubiam puppim.*] *Pinum* liber Pomp. Læti & unus Farneſ. placet. *Idem.*

102. *Non hæc ſunt digitis arma tenenda.*] *Ferenda* quinque libri. Scribe *tenenda.* ſic Art. Am.

*Clypeo manus apta terendo eſt.*
ex antiquis itidem libris. *Idem.*

103. *Ille metu pavidus.*] Imo *vacuus:* Atque ita in uno Moreti pro diverſa lectione erat notatum. Met. II.

*Ille metu vacuus, Nomen mihi, dixit, Acœtes.*
Met. X.

*Iſque metu vacuus, naturalique pudore*
*Depoſito celebrare domos.*
Seneca Hippol.

*Tutum eſſe facinus credis & vacuum metu?*
*Erras.*

mox

Sed liceat ſumtâ pauca referre lyrâ.
Dant veniam, ridentque moram. capit ille coronam;
Quæ poſſit crines, Phœbe, decere tuos.
Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam:
Reddidit icta ſuos pollice chorda ſonos.
Flebilibus veluti numeris canentia durâ
Trajectus penna tempora cantat olor.
Protinus in medias ornatus deſilit undas.
Spargitur impulſa cærula puppis aqua.
Inde (fide majus) tergo Delphina recurvo

Se

mox pro *ſed liceat*, duo codices cum Mazar. *ſi liceat*. bene, ſi *deprecer* quoque præcedenti verſu legas. *Idem*.

107. *Induerat Tyrio diſtinctam murice pallam.*] *Bis tinctam* primo legendum ex caſtigatioribus. Artis Amat. III.

*Nec qua bis Tyrio murice lana rubes.*

ubi perperam plurimi ex ſcriptis *de Tyrio*. Quale mendum etiam e Martiali eluendum puto in Xeniis Ep. LXXXVII. *Murices*.

*Sanguine bis noſtro tinctas, ingrate, lacernas*
*Induis.*

*de noſtro* enim & illic legitur. Nam quod in Apophor. Ep. CLIV. habes,

*Ebria Sidonia cum ſim de ſanguine concha.*

de dibaphis illic non agi ipſum lemma epigrammatis ſatis evincit. Fulgentius præfatione Mythologiæ de Calliope, *talo tenus bis tinctam recolligens veſtem*. pro *pallam* quidam codices *Lanam*. ut Horat.

——— *te bis Afro*
*Murice tincta veſtiunt lanæ.*

ſed vulgata lectio præſtat. palla enim citharœdorum veſtis. Stat. Theb. IX. *bis OEbalio ſaturatam murice pallam* dixit. *Sidonio recocta fuco purpura* & *bis coctus aëno Sidonius murex* Apollinaris. *Sidonium bis cocti muricis oſtrum* Alcimus Avitus de laude Virginitatis. Horatius,

*Muricibus Tyriis iterata vellera lanæ.*

*Aſſyrio bis lauta colore Vellera* Virgil. in Culice. *Sidonio repetita aheno Lana* Auctor Herculis O Etæi. Sed modus non eſſet. pro *Induerat* multi veteres *Induit &*. Legam libenter *Induitur*. Scriptum nimirum fuerat *Induit turio*, cum geminari ſyllaba debuerit. *Idem*. *Tyrio diſtinctam murice.*] Ἔνηλον ſive ἐμπόρφυρον: noſtri dicerent. *prætextam clavo purpureo*. Nam clavus parvula erat aut rotunda figura, qua veſtes undique pingebantur; ſive faſcia, qua illæ in extremis oris ornabantur: Græcis παρυφὴ aut σημεῖον. Nec aliud *diſtincta murice*, quam pluribus clavis ex purpura picta ſeu ex eadem faſciis prætexta: ſed palla & cultus citharædi belle depingitur à Cornificio lib. IV. ad Herennium. Sed codex noſter ſic legit hunc verſum: *Induit & Tyrio depictam murice veſtem.* Neap.

108. *Reddidit icta.*] *Reddidit &* tres ſcripti. unus *Reddidit tacta*. Heinſius.

110. *Trajectus penna tempora cantat olor.*] *Threïcius* eſt in Zulich. Mazar. à manu prima, & uno Farneſ. ac Medic. Locus haud dubie mendoſus, cui medicinam non nunc fero. pro *canentia tempora* recte etiam *candentia* tres ſcripti. *olos* etiam ἀρχαϊκῶς Urſini liber. De oloribus alibi nihil ſimile legi. quare ſuſpectum habeo hoc diſtichon. *Idem*.

113. *Delphina ſe ſuppoſuiſſe.*] Quo alludit Propert. lib. 2. Eleg. 25. De ſomnio naufragii, ad Cynthiam. *Sed tibi ſubſidio Delphinum currere vidi, Qui puto Arioniam vexerat ante lyram.*

115. *Ille*

Digitized by Google

Se memorant oneri ſuppoſuiſſe novo.
Ille ſedens citharamque tenet, pretiumque vehendi
Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.
Dî pia facta vident. aſtris Delphina recepit
Jupiter; & ſtellas juſſit habere novem.
NUnc mihi mille ſonos, quoque eſt memoratus Achilles,
Vellem, Mæonide, pectus ineſſe tuum.
Dum canimus ſacras alterno pectine Nonas;
Maximus hinc Faſtis accumulatur honos.
Deficit ingenium, majoraque viribus urgent.
Hæc mihi præcipuo eſt ore canenda dies.
Quid volui demens Elegis imponere tantum
Ponderis? heroi res erat iſta pedis.
Sancte Pater Patriæ, tibi Plebs, tibi Curia nomen
Hoc dedit; hoc dedimus nos tibi nomen Eques.
Res tamen ante dedit. ſerò quoque vera tuliſti
Nomina. jam pridem tu Pater orbis eras.
Hoc tu per terras, quod in æthere Jupiter alto,
Nomen

115. *Ille ſedet, citharamque tenet.* ] *Sedens* & *tenens* libri meliores. vel, *ſedens tenet.* quod malo. *citharam quatiens* nonnulli. & pro *vehendi*, *ferendi*. Forte *citharamque ferit* vel *terit*. Idem. *Et cantat pretium vehendi.* ] Id eſt, pretium & mercedem vecturæ: ita ut ſuave illud carmen eſſet uberrimum vecturæ pretium. Et pro ipſa vectura hîc poni poteſt, in cujus mercedem cantabat. P. *Pretiumque vehendi.* ] Debitum ſeu mercedem. Terent. *Pretium*, inquit, *ob ſtultitiam fero.* Neap.

121. *Sacras Nonas.* ] His Patris patriæ cognomentum Cæſar Auguſtus accepit Lege Suetonium lib. II. cap. LVIII. Contigit hoc anno DCCLVIII. ſeptem annis poſt decimum tertium Auguſti Conſulatum. *Neap.* *Dum canimus ſacras, &c.* ] In nonis Februariis Auguſtus Pater patriæ eſt appellatus: unde eo die feſtum rei tantæ celebrabatur. *Dum canimus nonas ſacras.* ] Superius dixit, tutela Dei carere, ac ſi nulli deorum ſacræ eſſent: & nunc *ſacras* appellat, ob auctos Auguſti titulos: & cum ea die eo honore decoratus fuerit, *ſacras* appellavit, quia publico conſenſu conſecratas.

122. *Maximus his factis.* ] Lege *faſtis* cum ſcriptis. pro *his* multi *hic*. tres *hinc*. quod placet. *adcelebratur* etiam ſex veteres. *Heinſ.*

127. *Sancte.* ] De hoc vide Tranquill. Poëta, inquit, patres, equites, & plebem hoc ei nomen dediſſe.

128. *Hoc dedit.* ] De hujuſmodi honore, vide Dionis Caſſii judicium, lib. LIII.

129. *Res tamen dedit.* ] Nomen hoc ſcilicet. *Ante.* ] Antequam dederat ſenatus, & populus: quia re ipſa eras pater patriæ.

130. *Pater orbis eras.* ] Primæ editiones & multi ex ſcriptis *urbis*. Heinſ.

133. *Can-*

Digitized by Google

Nomen habes. hominum tu pater, ille Deûm.
Romule, concedas. facit hic tua magna tuendo
Mœnia: tu dederas tranſilienda Remo.
Te Tatius, parvique Cures, Cæninaque ſenſit.
Hoc Duce Romanum eſt Solis utrumque latus.
Tu breve neſcio quid victæ telluris habebas:
Quodcunque eſt alto ſub Jove, Cæſar habet.
Tu rapis, hic caſtas duce ſe jubet eſſe maritas.
Tu recipis luco, ſubmovet ille nefas.
Vis tibi grata fuit: florent ſub Cæſare leges.
Tu Domini nomen, Principis ille tenet.
Te Remus incuſat; veniam dedit hoſtibus ille.
Cæleſtem fecit te Pater; ille Patrem.

Jam

133. *Concedes.*] Rectius alii *concedas.* Idem.

135. *Te Tatius parvique Cures.*] *Tatii* tres ſcripti. ut apud Propertium lib. IV. Eleg. X.

*Sic Sancum Tatii compoſuere Cures.*

ita enim legi malim, quam *Tatia.* vide notas ſupra lib. I. vſ. 261. *parvi Cures* etiam Virgilio. *Idem. Te Tatius, &c.*] Romulus cum finitimis tantum pugnavit, cum Sabinis, Cum Ceninenſibus, quorum regem obtruncavit, cum Antenatibus, & poſtea cum Veientibus. Terminus autem imperii Romuli, decimus octavus ab urbe lapis fuit. At Auguſto principe, univerſus orbis Romano paruit imperio. *Tatius*, rex Sabinorum. *Et Cenina.*] Et oppidum hoc non longe ab urbe fuit. *Cures.*] Sabinorum oppidum.

139. *Rapis.*] Quia fictis ludis cum conveniſſent finitimi, multas rapuit. *Hic.*] Auguſtus ſcilicet. *Eſſe caſtas.*] Obſervare pudicitiam. Inſtauravit enim Auguſtus legem Juliam, ad coërcendos adulteros. Unde eſt: *Ubi nunc lex Julia dormis? Recipis nefas.*] Quaſi nefarios & ſceleratos homines. *Paul.*

140. *Reppulit ille nefas.*] *Submovet* meliores magna ex parte. Triſt. V. El. II.

—— *nullas ſubmovet ara preces.*

Heinſ. *Reppulit ille nefas.*] Exemplum ſit ædes Dianæ Epheſiæ, cui aſyli jus antiquum ab Alexandro & Mithridate conceſſum, auxit deinde duobus ſtadiis Antonius. *Neapol. Submovet ille nefas.*] Inter cæteras Auguſti laudes hæc quoque commemoratur virtus:

—— *evaganti frena licentia*
*Injecit, amovitque culpas,*
*Et veteres revocavit artes.*

Horat. 4. Carm. Od. 15.

142. *Tenet nomen principis.*] Auguſtus autem (ut teſtis eſt Tranquillus) *domini* appellationem ut maledictum & opprobrium ſemper exhorruit. *Paul. Principis ille tenet.*] Quam oderit Auguſtus *Dominum* ſe appellari notarunt Suetonius, Philo Judæus & alii: Principis vero titulum admiſit ea forte de cauſa, ob quam & ita dici Tiberio placuit; eam ſubindicat Caſſius. *Neap.*

143. *Te Remus incuſat, &c.*] Exprobrat Romuli immanitatem.

144. *Pater.*] Mars. Nam Martis filius Romulus creditus. *Fecit te cæleſtem.*] Retulit te in Deos, quaſi dicat: Non tuis meritis, ſed patris. *Fecit cæleſtem patrem.*] Julium Cæſarem: quia nepos & hæres ejus fuit. Solvit illi divinos honores, & pro Deo coli voluit. *Paul.*

145. *Jam*

JAm puer Idæus mediâ tenus eminet alvo:
Et liquidas miſto nectare fundit aquas.
En etiam, ſi quis Borean horrere ſolebat,
Gaudeat. à Zephyris mollior aura venit.
QUintus ab æquoreis nitidum jubar extulit undis
Lucifer, & primi tempora veris eunt.
Ne fallare tamen; reſtant tibi frigora, reſtant:
Magnaque diſcedens ſigna relinquit hiems.
TErtia nox veniat: Cuſtodem protinus Urſæ
Adſpicies geminos exſeruiſſe pedes.
Inter Hamadryadas jaculatricemque Dianam
Calliſto ſacri pars fuit una Chori.

Illa

145. *Jam puer Idæus.*] Aquarius, quem quidam Ganymedem eſſe volunt, oritur ipſis nonis Febr media alvo tenus antecedit ſolem orientem. Quod hoc tempore fieri neceſſe eſt, ſole Piſcibus propinquante: cum Aquarius & oriatur & occidat capite prius quam reliquis membris. *Ant. Media tenus eminet alvo.*] Intellige de dimidiato Aquario oriente: ſic aliqui hoc ſignum non totum oriri voluerunt, ut Aratus, quem Noſter in multis ſecutus. Vide & Hipparch. lib. II. cap. XIV. *Neapol. Puer Idæus.*] Ganymedes Trojanus: ab Ida monte prope Ilium, de qua raptus fuit.

148. *Mitior aura deo.*] *Mollier* meliores lib. III. Artis,

*Et Zephyri molles auraque, dixit, ades.*

vide] Notas ad Epiſt. III. vſ. 42. *Heinſ.*

149. *Quin ab aquoreis.*] Non Idibus (ut male Berſmannus; nam Idus expreſſim paulo poſt conſecrat Fauni feſto) ſed V. Idus: nec alia Poëtæ mens. Plin. confert in diem tertium poſt Nonas lib. XV. c. III. & lib. II. cap. 47. Incerti auctoris παράπηγμα, quod his Faſtis aſſui ſolet, ſtatuit VIII. Idus. *N. Nitidum jubar extulit.*] *Exerit* Voſſ. Arond. & ſeptem alii. *caput exerit* Zulich. & Mazar. ſequenti verſu *tempora veris eunt* pro *erunt* tres ſcripti. ut in Amorib. *tempora noctis eunt.* & hoc ipſo libro, *Fauni ſacra bicornis eunt.* & lib. VI. *tacita tempora noctis eunt.* opinor ſcribendum,

*Quintus ubi aquoreis nitidum jubar exerit undis*
*Cynthius, en primi tempora veris eunt.*

Heinſ.

152. *Relinquet hyems.*] *Reliquit* meliores. nonnulli etiam *relinquit* cum Naugeriano. *Idem.*

153. *Tertia nox veniet.*] *Veniat* ex melioribus repone. ſic ſæpe Noſter infra. *Idem. Tertia nox aderit.*] Tertio Idus Februarias Bootes, qui & Arctophylax dicitur, oritur. Non quod oriatur & occidat, ſed cum in plauſtro ſit, quod vertatur circa cardinem, in ipſa vertigine videatur occidere; & cum ſe elevat, oriri. *Arctophylax,* dictus eſt, quaſi urſæ cuſtos.

154. *Geminos exercuiſſe pedes.*] III. Idus eſt Arcturi ortus veſpertinus: quæ ſtella ſita in medio crurum τοῦ Ἀρκτοφύλακος. Vetus παράπηγμα III. Idus: *Subſolanus ſpirat, Arcturus oritur.*

155. *Jaculatricem Dianam.*] Ἰοχέαιραν hanc vocant. *Caliſto.*] Veteres ſcribunt *Calliſto* recte. *Neap. Inter Hamadryadas, &c.*] Aggreditur nunc fabellam ipſam, quæ & in Metamorph. & ab Heſiodo & ab aliis pluribus refertur.

156. *Caliſto fuit una pars ſacri chori.*] Quaſi una nympharum ſacri chori inter Hamadryadas & Dianam jaculatricem.

159. *Cyn-*

Illa Deæ tangens arcus, Quos tangimus, arcus,
Eſte meæ teſtes virginitatis, ait.
Cynthia laudavit, Promiſſaque fœdera ſerva,
Et comitum princeps tu mihi, dixit, eris.
Fœdera ſervaſſet, ſi non formoſa fuiſſet.
Cavit mortales: de Jove crimen habet.
Mille feras Phœbe ſilvis venata redibat;
Aut plus, aut medium Sole tenente diem.
Ut tetigit lucum (densâ niger ilice lucus;
In medio gelidæ fons erat altus aquæ)
Hac, ait, in ſilvâ, virgo Tegeæa, lavemur.
Erubuit falſo virginis illa ſono.
Dixerat & Nymphis: Nymphæ velamina ponunt.
Hanc pudet, & tardæ dat mala ſigna moræ.
Exuerat tunicas: uteri manifeſta tumore
Proditur indicio ponderis ipſa ſui.
Cui Dea, Virgineos, perjura Lycaöni, cœtus
Deſere, nec caſtas pollue, dixit, aquas.
Luna novum decies implêrat cornibus orbem:

Quæ

159. *Cynthia.*] Diana.

160. *Dixit eris.*] *Semper* Voſſ. Arondel. prim. Med. Mazar. ut *dixit* ſubintelligatur. *Heinſ.*

162. *De Jove*] *A Jove* prim. Vaticanus & duo alii. Lege *ab Jove.* dictum ſupra lib. I. *Idem.* *A Jove crimen habet.*] Qui indutus Dianæ facie, virginem compreſſit. *Neapol.*

167. *Hic ait in ſylva.*] *Hac* ſcripti meliores. Puto *Hac, ait, in lympha.* Heinſ. *O virgo Tegeæa.*] O Calliſto Arcadica, à Tegea oppido Arcadiæ.

168. *Erubuit falſo ſono.*] Non vero nomine virginis: nam virgo eſſe deſierat. *Paul.*

170. *Dat mala ſigna moræ.*] *Male* legendum omnino vel invitis membranis. lib. III.

*Tu quoque Thebana male præda tacebere matris.*

Triſt. lib. III. Eleg. X.

*Pellibus & ſutis arcent male frigora braccis.*

& lib. IV. Eleg. VI.

*Sic male quæ video non videoque nocent.*

& lib. V. Eleg. VII.

*Pellibus & laxis arcent male frigora braccis.*

qui loci vulgo mendoſi circumferuntur. *Heinſ.*

173. *Perjura*] Quia juraverat virginitatem ſe eſſe ſervaturam. *Lycaoni.*] Calliſto Lycaonis filia.

174. *Caſtas pollue dixit aquas.*] *Sacras* octo libri. ſed Cato Diris,

*Dulcia rura valete, & Lydia dulcior illis,*
*Et caſti fontes.*

at lib. II. Met. in hac fabula,

*I procul hinc, dixit, nec ſacros pollue fontes*
*Cynthia.* Idem.

175. *Implerat cornibus orbem.*] Implere cornibus orbem Luna dicitur, cum ἐκ τῆς μηνοειδοῦς πανσέληνος fit.

179. *Utque*

Quæ fuerat virgo credita, mater erat.
Læſa furit Juno, formam mutatque puellæ.
Quid facis? invito pectore paſſa Jovem eſt.
Utque feræ vidit turpes in pellice vultus;
Hujus in amplexus Jupiter, inquit, eat.
Urſa per incultos errabat ſquallida montes,
Quæ fuerat ſummo nuper amanda Jovi.
Jam tria luſtra puer furto conceptus agebat;
Cum mater nato eſt obvia facta ſuo.
Illa quidem, tanquam cognoſceret, adſtitit amens,
Et gemuit: gemitus verba parentis erant.
Hanc puer ignarus jaculo fixiſſet acuto;
Ni foret in ſuperas raptus uterque domos.
Signa propinqua micant. prior eſt, quam dicimus Arcton:
Arctophylax formam terga ſequentis habet.
Sævit adhuc, canamque rogat Saturnia Tethyn,
Mænaliam tactis ne lavet Arcton aquis.
IDibus agreſtis fumant altaria Fauni,
Hic ubi diſcretas inſula rumpit aquas.
Hæc fuit illa dies, in qua Veientibus arvis

Ter

179. *Utque fera.*] Malim *fera pellice.* Heinſ.

182. *Amata Jovi.*] *Amanda* Voſſ. Arond. Mazar. & Zulichemianus. *Heinſ.*

183. *Jam tria luſtra.*] Erat jam puer Arcas quindecim annos natus, cum venator factus eſt matri obvius. *Jam tria luſtra.*] Aperte luſtrum Noſtro eſt ſpatium quinquenne (de hoc apud litteratos adhuc controverſia) nam de eodem puero alibi:

*Ter quinque ferens natalibus annos.* N.

187. *Hanc puer ignarus, &c.*] Venator filius inſcius; matrem non agnoſcens, illam interemiſſet, ni Jupiter miſeratione motus, ambos in cœlum rapuiſſet. eamque *Arcton*, filium autem *Arctophylaca* nominavit.

191. *Canamque adiit Saturnia Tethyn.*] *Canamque rogat* libri meliores. quidam & *petit.* Heinſ.

192. *Mænaliam.*] Arcadiam: à Mænalo Arcadiæ monte.

193. *Idibus agreſtis fumant, &c.*] Idibus Februariis fiunt ſacrificia in honorem Fauni, cujus templum erat in inſula Tyberina, in angulo ſuperiore: & eadem die Fabii fuere ad Cremeram cæſi, de quo nunc agetur. *Paul.* *Fumant altaria Fauni.*] In Kalendariis nulla fit mentio hujus celebritatis. Forſan his Idibus iterabant veteres memoriam dedicationis: nec quidem hoc die ſacratum ei fanum reperio; non ita annum, qui fuit DIX. ab urbe condita. Liv. lib. XXXIV. *Neap.*

194. *Aquas.*] Quaſi in ipſo inſulæ angulo, quo flumen in duas partes dividitur.

195. *Hæc fuit illa dies.*] Sed annus CCLXXVI. Diodorus lib XI. Ἐν Ῥώμῃ δὲ ὕπατοι καθεστήκεισαν Τίτος Μινύκιος,

Ter centum Fabii, ter cecidêre tuo.
Una domus vires & onus ſuſceperat Urbis:
Sumunt gentiles arma profeſſa manus.
Egreditur caſtris miles generoſus ab îſdem;
E quîs dux fieri quilibet aptus erat.
Carmentis portæ dextro via proxima Jano eſt.
Ire per hanc noli, quiſquis es; omen habet.
[ Illâ fama refert Fabios exîſſe trecentos.
Porta vacat culpâ; ſed tamen omen habet. ]
Ut celeri paſſu Cremeram tetigêre rapacem;
( Turbidus hibernis ille fluebat aquis)

Caſtra.

κιος. & veteres, Μενήνιος καὶ Γάϊος Ὠράτιος Πυλβίλλος. & poſt multa ſubdit hanc cladem Fabiorum. Dies vero quam recenſet Ovidius, cum lego Livium ſub limen lib. VI. ſi verus, ille, quod ita ſentio, aliquantiſper anxium me habet, & miror in hanc foveam doctiſſ. Poëtam incidiſſe. Nota Hiſtorici verba: *Tum de diebus religioſis agitari cœptum, diemque ad XV. Kalendas Sextiles duplici clade inſignem, quo die ad Cremeram Fabii cæſi; quo deinde ad Alliam cum exitio urbis fœde pugnatum: à poſteriore clade Allienſem appellarunt, inſignemque rei nulli publice privatimque agendæ fecerunt*. Neap. *Veientibus armis.* ] *Arvis* Mazar. Læti, Nauger. & tres alii. quod malo. nam *arma* ſequitur. cæterum Urſini liber *Volſcentibus armis.* ſed id contra fidem hiſtoriæ, etſi cum *Volſcis* bellum ſub eandem tempeſtatem geſſere Romani. *Heinſ.*

196. *Cecidere.* ] Occubuere.

197. *Suſceperat vires & onus urbis.* ] Ergo quod unius erat civitatis, una gens ſuſcepit. *Paul. Et onus ſuſceperat urbis.* ] Nam Reſpub. in eo bello, milite & pecunia inanis erat: & hanc & militem obtulit gens Fabia. *Neap.*

198. *Sumunt.* ] *Sumite* codex Læti & unus Farneſianus. vide quæ infra verſ. 638. hoc libro mox à me dicentur. *Heinſius.*

201. *Carmentis porta dextra eſt via proxima Jano.* ] *Dextro Jano* Zulich. Mazar. Polit. Læti, & octo alii. bene. quod & Neapolis vidit Livius lib. II. in hac narratione, *Infelici via à dextro Jano portæ Carmentalis profecti.* pro *Carmentis* Urſini liber, Mazar. Zulich. & ſex alii *Carmenti.* an *Carmenti porta?* Erat autem ædes hæc Jani extra portam Carmentalem. vide Feſtum in *Religioni eſt.* Idem. *Dextro eſt via.* ] Porta Carmentalis ea, quæ etiam ſolita nuncupari *Vejentina* & *Tarpeja*; nam huic directo Capitolium incumbebat: ſed à clade Fabiorum dicta exinde *Scelerata.* Neap

202. *Quiſquis es, omen habet.* ] *Quæ fera nomen habet* Urſini liber. non probo. ſcelerata enim dicta, ut ex Feſto patet, non fera. ſequens diſtichon ab Urſini, Petavii, & aliis quibuſdam abeſt. *Heinſ.* *Omen.* ] Malum: quia qui per eam egreſſi ſunt, interempti ſunt Fabii.

205. *Ut celeri paſſu, &c.* ] Venere ad fluvium Cremeram, qui non longe à Veiis fluit: ibi caſtra poſuere. *Rapacem.* ] Ideo *rapacem*, quia tunc augebatur imbribus. *Cremeram tetigere rapacem.* ] *Tenuere* unus Medic. unus Moreti, cum prima editione. Adi Notas lib. III. vſ. 219. *Heinſ.*

206. *Hibernis ille fluebat aquis.* ] Sub initium Brumæ Urbe profectos credibile ſane eſt: nam poſt caſtellum prope Cremeram exſtructum, & infeſtationes aliquas à Fabiis in agrum hoſticum illatas:

Digitized by Google

Caſtra loco ponunt: deſtrictis enſibus ipſi
Tyrrhenum valido Marte per agmen eunt.
Non aliter, quam cum Libycâ de rupe leones
Invadunt ſparſos lata per arva greges.
Diffugiunt hoſtes, inhoneſtaque vulnera tergo
Accipiunt: Thuſco ſanguine terra rubet.
Sic iterum, ſic ſæpe cadunt. ubi vincere apertè
Non datur, inſidias armaque cæca parant.
Campus erat: campi claudebant ultima colles;
Silvaque montanas occulere apta feras.
In medio paucos, armentaque rara relinquunt:
Cætera virgultis abdita turba latet.
Ecce, velut torrens undis pluvialibus auctus,
Aut nive, quæ Zephryro victa repente fluit,
Per ſata perque vias fertur; nec, ut ante ſolebat,
Riparum clauſas margine finit aquas:
Sic Fabii latis vallem diſcurſibus implent;
Quoſque vident ſpernunt. nec metus alter ineſt.
Quo ruitis, generoſa domus? malè creditur hoſti.
Simplex nobilitas, perfida tela cave.
Fraude perit virtus. in apertos undique campos

Pro-

tas: Καὶ ὁ μὲν, inquit Dionyſ. lib. IX. χειμῶν ἐκεῖνος ἐτελεύτα. *Neap.*

207. *Diſtrictis enſibus.* ] *Deſtrictis* libri meliores. ut ſupra 99. *Heinſ.*

208. *Per agmen Tyrrhenum:* ] Hetruſcum.

209. *Libyca de gente leones.* ] *De rupe* meliores magno numero cum primis editionibus. *Heinſ. Libyca.* ] Nam Libya nutrix eſt leonum: & præcipue Mauritania, quæ eſt pars Libyæ.

211. *Inhoneſtaque vulnera tergo.* ] Cui opponitur; *pectus percuſſit honeſtum.* Et Tacit. *Vulnera ipſo loco decora.* πρηνὴς honeſte cadit. ὕπτιος, minus honeſte. Hom. paſſim. *Accipiunt vulnera.* ] Phraſis Virg. —— *nec vulnera tergo accipiunt.* Æneid. 3.

213. *Sic iterum, ſic, &c.* ] Sæpe victores fuere Fabii: unde cum Veientes aperto Marte nihil proficerent, occultas inſidias paravere.

214. *Armaque tecta.* ] *Operta* unus Puteaneus: alter, *cæca.* quod placet. unus Patavinus *cacata.* proximè verum. Statius Theb. II.

*Inſidias natura loco cæcamque latendi*
*Struxit opem.* Heinſ.

*Arma tecta.* ] Sic Virg. 3. Æn. —— *tectoſque per herbam* —— *Diſponunt enſes, & ſcuta latentia condunt.*

218. *Turba latet.* ] Malo *latens.* Heinſ.

224. *Quodque vident ſpernunt.* ] *Quoſque* multi ex ſcriptis. *Quodque vident ſpernunt* Voſſ. Mazar. Zulich. & duo alii. tres *Quoſque vident ſpernunt.* optime. Nam & Livius notat à Fabiis nimia ſuâ fiduciâ fuiſſe peccatum. *Idem.*

227. *In apertos undique campos.* ] Recipies te ad Tom. I. p. 64. vſ. 77.



230. Re-

Proſiliunt hoſtes, & latus omne tenent.
Quid faciant pauci contra tot millia fortes?
Quidve, quod in miſero tempore reſtet, habent?
Sicut aper ſilvis longè Laurentibus actus
Fulmineo celeres diſſipat ore canes;
Mox tamen ipſe perit: ſic non moriuntur inulti;
Vulneraque alternâ dantque feruntque manu.
Una dies Fabios ad bellum miſerat omnes:
Ad bellum miſſos perdidit una dies.
Ut tamen Herculeæ ſupereſſent ſemina gentis,
Credibile eſt ipſos conſuluiſſe Deos.
Nam puer impubes, & adhuc non utilis armis,
Unus de Fabiâ gente relictus erat.
Scilicet ut poſſes olim tu, Maxime, naſci;
Cui res cunctando reſtituenda foret.

Con-

230. *Reſtet, adeſt.*] *Habent* Urſini, Maz. Zulich. & decem alii. *Heinſ.*

231. *Silvis latratibus actus.*] Alii *latrantibus.* ſed elegantiſſime mehercules duo Mazar. duo Farneſiani, & unus Vaticanus *ſilvis Laurentibus.* Noſter Met. XIV.

*Exierat tectis Laurentes Picus in agros.*
*Indigenas fixurus apros.*

Virgil.

*Ac velut ille canum morſu de montibus altis*
*Actus aper, multos Veſulus quem pinifer annos*
*Defendit, multoſque palus Laurentia, ſilvâ*
*Paſtus arundineâ.*

quæ Noſter hoc loco reſpexit. Horat. lib. II. Sat. IV.

*Umber & ilignâ nutritus glande, rotundas*
*Curvat aper lances carnem vitantis inertem.*
*Nam Laurens malus eſt, ulvis & arundine pinguis.*

Martial. lib. IX. Ep. XIX.

*Inter qua rari Laurentem ponderis aprum*
*Miſimus.*

Idem lib. X. Ep. XIV.

*Ilia Laurentis cum tibi demus apri.*

Hinc & in Catalectis poëtarum veterum:

*Vite Sabine, Lacon ſulco, ſue cognite Laurens.* Idem.

237. *Ut tamen Herculea, &c.*] Erant Fabii è ſanguine Herculeo. Nam rediens ex Hiſpania Hercules, & ubi poſtea Roma condita fuit, hoſpitaretur, cum Arcadica puella concubuit, è qua natus eſt Fabius, à quo principium & originem ſumſit familia Fabiorum. Proviſum eſt ergo à diis ea clade, ut aliquis ex Herculea domo ſupereſſet. *Ut tamen Herculea.*] Hanc antiquitatem iſti familiæ tribuere veteres, Silius Italicus & alii: ex Hercule ſcil. & Evandri filia Vinduna primum Fabium natum. Certe ante urbem conditam mentio hujus gentis: ea eſt quam Remus habuit ſociam.

240 *Unus de Fabia gente.*] Hoc ſibi perſuadere non potuit Dionyſ. Halicarnaſſenſis; idque non uno probat argumento: ſed eâ quidem ſuper re diſſeruit, qua vix aliud certius apud Hiſtoricos.

241. *Olim tu, Maxime, naſci.*] De hoc viro incomparabili loquuntur fere omnia quæ extant Romanorum monumenta. *Neap. Olim.*] In futurum.

242. Re-

Continuata loco tria ſidera, Corvus & Anguis,
Et medius Crater inter utrumque jacet.
Idibus illa latent: oriuntur nocte ſequenti.
Quæ ſibi cur tria ſint conſociata canam.
Forte Jovi feſtum Phœbus ſolenne parabat:
Non faciet longas fabula noſtra moras.
I mea, dixit, avis, ne quid pia ſacra moretur:
Et tenuem vivis fontibus affer aquam.
Corvus inauratum pedibus cratera recurvis
Tollit; & aërium pervolat altus iter.
Stabat adhuc duris ficus denſiſſima pomis.
Tentat eam roſtro: non erat apta legi.
Immemor imperii ſediſſe ſub arbore fertur,
Dum fierent tarda dulcia poma mora.

Jam-

242. *Reſtituenda res.* ] Ex Ennio *Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.*

243. *Continuata loco tria, &c.* ] Nocte poſt Idus Februarias, hoc eſt, decimoſexto calendas Martias, Corvus, Anguis, & Crater oriuntur. *Continuata loco* ] In eodem loco. & ob id continuata, quia occupant ſpatium Cancri, Leonis, & Virginis. Aut *continuata*, quia ſimul ſociata ſunt, Corvus, Anguis, & Hydra.

244. *Inter utrumque latet.* ] Cum *latent* mox ſequatur, accedo Mazar. Voſſ. Arond. & aliis multis, in quibus *jacet.* ut recte Neapolis. unus Vaticanus *micat*. Heinſ.

245. *Illa.* ] Sidera: ſcilicet Corvus, Anguis, Crater. *Latent idibus.* ] Quia tunc non oriuntur coſmice, hoc eſt, quando ſol occidit. *P. Oriuntur nocte, &c.* ] XVI. Calendas. Columellæ veſperi oritur Crater: & addit ſub idem tempus venti mutationem. *Neap.*

246. *Quæ tibi cur tria ſint tam ſociata canam.* ] *Conſociata* Voſſ. Arondel. prim. Medic. ſeptem alii bene. In mortem Druſi.

*Quodque etiam magno conſociata Jovi es.*
Horat. libro II. Od. III.

*Umbram hoſpitalem conſociare amant.*
Phædrus Fab. LXVIII.

*Noviſſime interdiit, ne cum malefico*
*Uſum bonus conſociet ullius rei.*
Avienus Fab. XIX.

*Quos meritis nullus conſociaret honos.*
Utitur etiam eo verbo frequenter Tullius. pro *tibi* quoque probe *ſibi* tres ſcripti cum Zulichemiano. *Heinſ.*

247. *Forte Jovi Phœbus.* ] Cætera hæc φορτικὰ diſces clarius à Mythologis.

249. *I mea dixit avis.* ] Statius lib. II. Silvar. de Corvo: *Plangat Phœbeius ales.* Neapol. *O avis mea* ] O corve. Corvus enim eſt ſub Apollinis tutela, qui prius albus erat. At niger factus eſt, revelato adulterio Coronidis puellæ à Phœbo amatæ, de qua natus eſt Æſculapius, ut in 2. Metam.

250. *E vivis fontibus.* ] E ſcaturienti fonte.

251. *Corvus inauratum, &c.* ] Obtemperaturus Phœbo corvus, accepit craterem deauratum, & volare occœpit.

256. *Dulcia poma mora.* ] *Mitia* unus Patavianus optimæ notæ. Virg. eclog. I.

——— *ſunt nobis mitia poma,*
*Caſtaneæ molles, & preſſi copia lactis.*

 Hora-

Digitized by Google

Jamque ſatur nigris longum rapit unguibus hydrum;
Ad dominumque redit; fictaque verba refert:
Hic mihi cauſſa moræ vivarum obſeſſor aquarum:
Hic tenuit fontes officiumque meum.
Addis, ait, culpæ mendacia, Phœbus? & audes
Fatidicum verbis fallere velle Deum?
At tibi, dum lactens hærebit in arbore ficus,
De nullo gelidæ fonte bibantur aquæ.
Dixit: & antiqui monumenta perennia facti
Anguis, Avis, Crater, ſidera juncta micant.

TErtia poſt Idus nudos Aurora Lupercos
Adſpicit: & Fauni ſacra bicornis eunt.

Dici-

Horatius Epod. II.

*Vel cum decorum mitibus pomis caput*
*Autumnus arvis extulit.*

Arnob. lib V. *in puncti ſpatio poma extulit mitia perfectionis propria maturitate completa.* contra *cruda*, vel *acerba*. quæ & *dura* paulo ante dixit. Noſter Amoribus,

*Pomaque crudeli vellis acerba manu.*

Heinſ.

262. *Fatidicum verbis.* ] *Verſis* Mazar. *veris* Hamburg. Puto *veri*. ut Met. XII. *veri providus augur Theſtorides.* Idem.

263. *At tibi dum lactens.* ] Plin. lib. X. cap. XII. *Corvi ante ſolſtitium generant: iidem ægreſcunt ſexagenis diebus, ſiti maxime, antequam fici coquantur autumno. Lactens hærebis in arbore ficus.* ] Ficus lactens eſt viridis & recens. Lac vocarunt Latini fici rorem, qui Græcis ὀπὸς & ςακτὴ cuidam Anonymo, qui ſcripſit Alexandri vitam. *Neapol.*

264. *Bibentur aquæ.* ] *Bibantur* rectius ſeptem veteres. Eſt enim imprecantis. *Heinſ.*

265. *Monumenta perennia.* ] *Paſentia* Urſini liber. lib VI.

*Hæc hominum monumenta patent.*

lib. IV. ex veteri libro.

*Factum abiit, monumenta patent.*

Idem.

267. *Tertia poſt Idus, &c.* ] Decimoquinto calendas Martias fiunt in honorem Fauni Lupercalia: quæ quamvis à Romulo ſint qui dicant inſtituta fuiſſe, tamen in Latio ab Evandro originem habuere. In Panis ergo honorem hac die conſtituta ſunt Lycæa ludicra, quæ à noſtris *Lipercalia* dicta ſunt. Fiebant autem à nudis Lupercis: tecti tamen erant caprina pelle. Nam quo habitu ſimulacrum ipſius dei figurabatur, eo habitu ſua ſacra fiebant. *Nudos Lupercos.* ] Fauni ſacerdotes, qui Lupercalia ſacra faciebant in Lupercali, ut Varro inquit. Locum enim, ubi ſacra hæc fiebant, à Romanis *Lupercal*, à Græcis Lycæum. *Paul. Tertia poſt Idus.* ] XV. Kalendas Martias erant Lupercalia: nomen habuere à Lupercis; quorum plures ſodalitates. Una fuit Fabiorum, alia Quintiliorum, & hæ antiquiſſimæ: addita poſtea ea Juliorum à C. illo Cæſare. Cujus inſtitutionis mentio apud Dionem lib. 44. Γεροποιίας τε ἐς τὰ Πανὸς γυμνοπαιδίας τρίτην τινα ἑταιρίαν ἣν Ἰουλίαν ὠνόμασαν. Tria ergo Romæ Lupercorum collegia, quæ ſacra quotannis rite facerent: hæc aliquantum remiſſa Auguſti ævo ſed eodemmet reſtituta. Sueton. lib. II. *Nonnulla*, inquit, *etiam ex antiquis cærimoniis paullatim abolita reſtituit, ut Salutis augurium, Diale flaminium, ſacrum Lupercale. Nudos Lupercos.* ] De hoc more Plutarch. in C. Cæſare. Vide & Dionyſ. lib. I. nudum etiam corpus tum illis unctum.

ut

Dicite, Pierides, ſacrorum quæ ſit origo:
Attigerint Latias unde petita domos.
Pana Deum pecoris veteres coluiſſe feruntur
Arcades. Arcadiis plurimus ille jugis.
Teſtis erit Pholoë, teſtes Stymphalides undæ;
Quique citis Ladon in mare currit aquis;
Cinctaque pinetis nemoris juga Nonacrini;
Altaque Cyllene, Parrhaſiæque nives.

Pan-

ut ex Appiano apparet lib. II. Bel. civil. uncti igitur & ſeminudi diſcurrebant vicatim ludentes; hinc *Ludii* appellari. *Paul.*

268. *Et Fauni ſacris bicornis.* ] Huic Deo ſuſpicor capras illas immolatas: ex harum ſanguine tunc duo juvenes fronte linitâ, lanâ, lacte madidâ: eam detergebant, nec ſine riſu. Vide Plutarch. in vita Romuli. Canes etiam in eo ſacrificio cæſos, vid. apud eundem. *N.* *Sacra bicornis erunt.* ] *Eunt* libri meliores plerique. dictum ſupra vſ. 149. *Heinſ.*

270. *Latias unde petita domos.* ] Ex Arcadia primum ſuſpicatur cum Evandro tranſlata: & in hanc ſententiam Plutarchus Romulo & Clem. Alexandr. Strom. lib. I. de Carmenta: ἧς υἱὸς Εὔανδρος, ὁ ἐν Ῥώμῃ τοῦ Πανὸς ἱερὸν τὸ Λυπέρκιον καλούμενον κτίσας. Hoc fanum auxerunt poſtea magnis ædificiis Romani, ut auctor Halicarnaſſ. lib. I. nam vetus illud Arcadium fuit humile & in ſpelunca, multa fronde tecta.

271. *Coluiſſe feruntur Arcades.* ] Quippe quem ἐπιχώριον. Et ſane nulla prorſus fuit urbs aut angulus in ea regione, in quo ſacrum aliquod huic Pani non eſſet. Lege Arcadica Pauſaniæ. *Neap.*

273. *Teſtis erit Pholoë.* ] Φολόη mons ejuſdem regionis. Strabo lib. VIII. nomen ſortitus à Pholo illo Herculi intimo, ibi ſepulto. Vide Diodor. Βιβλιοθ. lib. IV. *Teſtes Stymphalida. und.* ] Stymphalus urbs in Arcadia. & ejuſdem nominis amnis. Pauſan. lib. VIII.

274. *Quinque citis.* ] Hic defluit è paludibus Phenei. *N.* *Et teſtis erit.* ] Eſt Ladon Arcadiæ fluvius: qui cum prius exitum non haberet, paludem faciebat. Poſtea terræ motu alveum invenit.

275. *Nemoris.* ] Nonacris etiam inter colles Arcadicos. Adi Plin. lib. IV. cap. VI. Is unus è quo fluebat Stygos hydor. cujus admiranda petas è Vitruvio lib. 5. cap. 3.

276. *Et alta Trœzene* ] Trœzen & Trœzene eſt urbs Arcadiæ. *Et nives Parrhaſia.* ] Parrhaſiam ſuperius Arcadiam dictam fuiſſe diximus, & erat etiam Parrhaſia urbs. Sed hic Parrhaſiæ nives, quaſi nivoſi omnes Arcadiæ montes. *Altaque Trœzene.* ] *Trœzene* non dicitur ſed *Trœzen* apud vetuſtiores Græcos ac Latinos ſcriptores, & ut dicatur, tamen Arcadiæ ea civitas non ſit, ſed Peloponneſi. Lege igitur *Cyllene* cum Voſſ. Mazar. Zulich. & decem aliis. Puteaneus & Doulæ liber *Tigene.* Κυλλήνη, ὄρος Ἀρκαδίας. unde Mercurium quidam dictum volunt Cyllenium. ſic lib. V. Metamorphoſeon,

*Uſque ſub Orchomenon Pſophidaque Cyllenenque*
*Mænalioſque ſinus, gelidumque Erymanthon & Elin*
*Currere ſuſtinui.*

lib. I. Met.

*Et cum Cyllene gelidi pineta Lycæi.*

ubi *Cylleno* perperam ſcribitur. lib. VII. *Dextera Cyllene eſt.* non *Cyllena* cum vulgatis. hujus montis meminit & Faſt. V. noſter Statius quoque Theb. IV. ubi varia Arcadiæ loca recenſentur. *Heinſ.*

Pan erat armenti cuſtos, Pan numen equarum:
  Munus ob incolumes ille ferebat oves.
Tranſtulit Evander ſilveſtria numina ſecum.
  Hîc ubi nunc Urbs eſt, tum locus Urbis erat.
Inde Deum colimus, deve&taque ſacra Pelaſgis.
  Flamen ad hæc priſco more Dialis erat.
Cur igitur currant; & cur (ſic currere mos eſt)
  Nuda ferant poſitâ corpora veſte, rogas?
Ipſe Deus velox diſcurrere gaudet in altis
  Montibus; & ſubitas concitat ille feras.
Ipſe Deus nudus nudos jubet ire miniſtros:
  Nec ſatis ad curſum commoda veſtis erat.
Ante Jovem genitum terras habuiſſe feruntur
  Arcades: & Lunâ gens prior illa fuit.

Vita

277. *Pan illic numen aquarum.* ] Urſini, Maz. Zulich. & octo alii. codex Pom. Læti, & tres alii,

*Pan erat amenti cuſtos, Pan numen aquarum*

quod amplector, ſi legas *equarum*. Idem. *Pan illic numen, &c.* ] Hinc in Græcorum Epigrammatis nil frequentius reperies, quam Pani deo vota piſcatorum: de his alicubi Zoſimus Thaſius: πρὸς νηῷ Πανὸς ἔθεντο λίνα. ad felicem ſane capturam. *Neapol.*

279. *Tranſtulit Evander.* ] Quo tempore, jam notavimus primo Faſtorum. *Neapol.*

281. *Pelaſgis.* ] Hoc eſt, ab Arcadibus. Nam ſuperius diximus Arcadiam aliquando appellatam fuiſſe *Pelaſgiam*, aliquando *Lycaoniam*, aliquando *Gigantida*, aliquando *Parrhaſiam*.

282. *Flamen ad hæc priſco more Dialis erat.* ] *Erit* duodecim ſcripti: duo *ineſt*. pro *ad hæc*, Mazar. & quatuor alii *ab hoc*. totidem *adhoc*. tres *adhuc*. unus *obhoc*. Urſini liber & duo alii diſtichon hoc omittunt. Forte,

*Flamen ad hæc priſco more Dialis erat.*

Heinſ. *Dialis erat.* ] Ne titubes. Idcirco hujus ſacris flamen hic affuit: quia Pan univerſa natura creditus, & ipſe Jupiter: norunt Mythici.

283. *Cur igitur currant.* Nunc dicendæ veniunt cauſæ celerrimi curſus & poſitæ veſtis: quibus diutius inſiſtit. *Neapol. Si currere mos eſt.* ] *Sic* cum ſcriptis pleriſque. *Heinſ.*

286. *Et ſubitas concitat ipſe fugas.* ] *Concitat ille feras* Macar. unus Vaticanus & Moreti. quam veram lectionem arbitror. Hi terrores πανικὰ vocabantur, καὶ πανικὰ δείματα. de quibus in Miſcellaneis vir ſummus Angelus Politianus. Appoſite Val. Flaccus lib. III. ubi de Pane,

*Ludus & ille Deo, pavidum præſepibus aufert*
*Cum pecus & profugi ſternunt dumeta juvenci.*

*concitare*, ut ſupra lib. I. *fugiens concitat omne nemus.* & ſic ſæpe alibi. Urſini tamen codex & quinque alii *concipit fugas*. non minus eleganter. pro qua lectione erudite, ut ſolet, multa Gronovius Obſervat. lib. IV. cap. XIV. reliqui codices *concipit feras.* Idem.

287. *Jubet ire miniſtros.* ] *Amat ire* codex Thuan. *Idem.*

290. *Orta prior luna.* ] Hinc Arcades προσέληνοι, id eſt, Antelunares dicti ſunt.

291. *Vita*

Vita feræ ſimilis, nullos agitata per uſus:
  Artis adhuc expers, & rude vulgus erant.
Pro domibus frondes norant, pro frugibus herbas:
  Nectar erat palmis hauſta duabus aqua.
Nullus anhelabat ſub adunco vomere taurus:
  Nulla ſub imperio terra colentis erat:
Nullus adhuc erat uſus equi. ſe quiſque ferebat.
  Ibat ovis lanâ corpus amicta ſuâ.
Sub Jove durabant, & corpora nuda gerebant,
  Docta graves imbres & tolerare Notos.
Nunc quoque detecti referunt monumenta vetuſti
  Moris, & antiquas teſtificantur opes.
Sed, cur præcipuè fugiat velamina Faunus,
  Traditur antiqui fabula plena joci.
Forte comes dominæ juvenis Tirynthius ibat:
  Vidit ab excelſo Faunus utrumque jugo.
Vidit, & incaluit, Montanaque numina, dixit,
  Nil mihi vobiſcum eſt: hæc meus ardor erit.
Ibat odoratis humeros perfuſa capillis

Mæo-

291. *Vita feris ſimilis.* ] *Fere & unus* Vaticanus. Lege *fera ſimilis.* pro ferinæ. Sed nec male Mazarin.

*Vita fere ſilvis nullos agitata per uſus.* ſequenti verſu *rude vulgus erant* unus Moreti pro diverſa lectione, rectius quam *erat* cum vulgatis. *Heinſ.* *Vita feris ſimilis.* ] Vid. Diod. Siculum in primo. *Τὰς δὲ ἐξ ἀρχῆς γεννηθέντας τῶν ἀνθρώπων φασὶν ἐν ἀτάκτῳ δὲ θηριώδει βίῳ καθεστῶτας*, &c. *Neap.*

294. *Hauſta duabus aqua.* ] Cum neque poculi, neque vini uſus erat. *Neapol.*

297. *Nullus uſus equi, &c.* ] Equo vehi Bellerophon primus edocuit. *Quiſque ferebat ſe.* ] Non vehebatur equo, ſed ambulabat.

298. *Sua lana.* ] Quia non tondebatur ad hominum veſtes.

299. *Durabant ſub Jove.* ] Sub dio: hoc eſt ſub aperto cœlo: quia tectis carebant. *Durabant* ergo, quaſi patienter perſeverabant ſub aëre. *Paul.* *Et corpora nuda gerebant.* ] Diodor. Siculus in primo: *τὰς οὖν πρώτας τῶν ἀνθρώπων, μηδενὸς τῶν πρὸς βίον χρησίμων εὑρημένου ἐπιπόνως διάγειν, γυμνὰς μὲν ἐσθῆτος ὄντας*, &c. Primus Pelaſgus ſubvenit his malis. Vide & Pauſan. l. 8.

301. *Detecti.* ] Hoc eſt, nudi.

305. *Juvenis Tirynthius.* ] Hercules, à Tyrintho oppido. *Ibat forte comes Omphala.* ] Cui ſerviebat.

306. *Faunus.* ] Ipſe Pan. *Vidit utrumque.* ] Herculem & Omphalen. *Ab excelſo loco.* ] A ſummo monte.

309. *Humeros perfuſa capillis.* ] De hac & alia crinium textura Lucian. *ἐν τοῖς Ἔρωσι* ſub finem. Quin ſic capillum geſtabant, nodo ad ſummum verticem religabatur. Sic & Apulejus de quadam lib. 11. Metam.



310. *Mæo-*

Mæonis, aurato conſpicienda ſinu.
Aurea pellebant rapidos umbracula ſoles;
Quæ tamen Herculeæ ſuſtinuêre manus.
Jam bacchêa nemus Tmoli vineta tenebat:
Heſperus & fuſco roſcidus ibat equo.
Antra ſubit, tophis laqueataque pumice vivo,
Garrulus in primo limine rivus erat.
Dumque parant epulas potandaque vina miniſtri;
Cultibus Alciden inſtruit illa ſuis.

Dat

310. *Mæonis.*] Nam Omphale domo Lydiâ. Mæones antiquitus dictæ Lydiæ populi. Strabo lib. XIII. Herodot. lib. I. ſub initium. Et nomina barbarica variis obnoxia mutationibus: nam & *Mæones* antiquior ſcriptura quam *Mæones*. *Gætulo muricetinctam.* Compones ex auro & purpura Veſtem *χιτῶνα ὁλοπόρφυρον, χρυσῷ κατάπαστον*, ſive melius *διάχρυσον σηρικὸν*, coloris vero purpurei, non ex lana: nam tunicæ epithetum eſt *tenuis*, quod Latinis ſcio paſſim pro ſerico in uſu. Poëta de crocota: *Tenuiſuccincta crocota.* Et hæc è ſerico fuit. *Neap.*

311. *Tepidos umbracula ſoles.*] Rectius decem libri *rapidos*. quo fervorem ſolis exprimit. Amor. lib. III. Eleg. V.

*Sint rapidi Soles ſiccaque ſemper hyems.*

Heinſ. *Tepidos umbracula Soles.*] Umbraculum Tò *σκιάδιον*: quod ex pellibus & è qualibet divite materia concinnari poterat, quæ Solis radios arceret. *Neap.*

313. *Jam Bacchi nemus & Tmoli vineta tenebant.*] Numeri in hoc verſu turbati. Puteaneus codex & unus Farneſ. *Jamque nemus Bacchi.* duo alii Tò *&* non agnoſcunt. Lege,

*Jam Bacchêa nemus Tmoli vineta tenebant:*

ita *Bacchêi ululatus*, pro Bacchicis, l. IV. Met. malo autem *tenebant* quam *tenebat*, quod in pleriſque eſt. ſic Virgil. Æn. VI.

*Inde datum molitur iter. jamque arva tenebant*
*Ultima.*

Æneas nempe & Sibylla. *Heinſ.* *Tmoli vineta.*] *Τμῶλος* Lydiæ mons, imminet Sardibus: quæ olim regia fuit Lydorum. Hinc Noſtro, *vineta Tmoli*, & Græcis celebris *οἶνος Τμωλίτης*. de quo Strabo lib. XIV. *Neap.*

314. *Heſperus.*] *Heſperos* Petavianus. ſic bis ſcriptum offendi Fragmento Prognoſticorum Germanici in vetuſto codice Puteaneo. *Heinſ.*

315. *Laqueata & pumice vivo.*] Rotundius decem veteres *laqueataque*. Id. *Tophis laqueata*] Naturâ magiſtra: nam tophus eſt nativus. *Neap.*

318. *Cultibus Alciden inſtruit illa ſuis.*] Quod illuſtrat Senec. Hippolyt. a. I. vſ. 317.

*Natus Alcmena poſuit pharetram,*
*Et minax vaſti ſpolium leonis;*
*Paſſus aptari digitis ſmaragdos,*
*Et dari legem rudibus capillis:*
*Crura diſtincto religavit auro,*
*Luteo plantas cohibente ſocco.*
*Et manus, clavam modo quæ gerebat,*
*Fila deduxit properante fuſo, &c.*

Et in Herc. Furente. a. 2. vſ. 65.

*Fortem vocemus, cujus ex humeris leo*
*Donum puellæ factus, & clava excidit,*
*Fulſitque pictum veſte Sidonia latus,*
*Fortem vocemus, cujus horrentes comæ*
*Maduere nardo? &c.*

Et alibi.

*Sed uſitatum eſt Herculi, captas amat.*
*Ubique caluit, ſed levi caluit face.*

*Alciden induit illa.*] O viro forti injuriam. ſed quia mortalis, *ἀλλοθροός*. riſit tamen id factum Herculis Tertullianus in pallio: vocando illum, *Scytale ſagitti-*

Digitized by Google

Dat tenues tunicas Gætulo murice tinctas:
  Dat teretem zonam, qua modo cincta fuit.
Ventre minor zona eſt: tunicarum vincla relaxat,
  Ut poſſit vaſtas exſeruiſſe manus.
Fregerat armillas non illa ad brachia factas:
  Stringebant magnos vincula parva pedes:
Ipſa capit clavamque gravem, ſpoliumque leonis,
  Conditaque in pharetrâ tela minora ſuâ.
Sic epulis functi, ſic dant ſua corpora ſomno;
  Et poſitis juxta ſecubuêre toris.
Cauſſa; repertori vitis pia ſacra parabant,
  Quæ facerent purè, cum foret orta dies.
Noctis erat medium: quid non amor improbus audet?
  Roſcida per tenebras Faunus ad antra venit.
Utque videt ſomno comites vinoque ſolutos;

Spem

*ſagittipelligerum. Induit illa ſuis.*] *Inſtruit* vetuſtiores. recte. ſic. Ep. IX. de hac eadem, ni fallor, Omphale.

*Inſtruxitque manum clavâ domitrice ferarum.*

hinc *inſtrumenta* pro cultu. Initio Triſt.

*Felices ornent hac inſtrumenta libellos.*

libro Met. XI.

*Inſtructamque fidem gemmis & dentibus Indis*
*Suſtinet à lava.*

hoc eſt ornatam. ita libri vetuſtiores. *Heinſ.*

319. *Dat tenues tunicas.*] Has *ἁβρὴν κύπασσιν* vocavit Dictinus Poëta vetus; traditque ab eadem in templo Dianæ conſecratas. Heſych. *Κύπασσις, περίζωμα καὶ χιτῶνος εἶδος. Neap. Gætulo murice.*] Purpura ex Africa. Gætuli enim Afri ſunt.

322. *Magnas manus.*] *Vaſtas* liber Pomponii Læti & duo Farneſiani pro diverſa lectione. quod placet. nam *magni pedes* ſequuntur. *Heinſ.*

324. *Scindebant magni.*] *Stringebant magnos* quinque codices. *Idem.*

328. *Secubuere toris.*] Nam in caſtu fuiſſe debebant, qui mane ſe rei ſacræ immiſſuri erant: receptiſſimus ritus apud veteres. In ſacris Iſidis factitatum obſervo diſertim ex Juvenale Sat. VI. vſ. 536. ubi maritus, ſi puris & obſervandis diebus à concubitu uxorio non abſtinuerat, veniam à Dea impetrat pro violato cadurco. Inde lectum, in quo per eos cubabant, variis herbis ſubſternebant, quibus vis aliqua ad tutelam caſtitatis; quod ſumma cura factum Athenis in Theſmophoriis. erat autem in uſu conyza, pinus folia, cneorum, vitex, & cicutæ liquor, &c.

829. *Repertori vitis, &c.*] Huic potiſſimum, cujus *Γεραιραὶ* in Limnis, ubi fiebant *τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια*, cogebantur antequam ſacra attrectarent, hanc ſacramenti formulam proferre: *Ἁγιστεύω καὶ εἰμὶ καθαρὰ καὶ ἁγνὴ ἀπὸ τῶν ἄλλων τῶν καθαρευόντων, καὶ ἀπ' ἀνδρὸς συνουσίας. καὶ τὰ Θεόγνια, καὶ Ἰοβακχεῖα γεραίρω τῷ Διονύσῳ κατὰ τὰ πάτρια, καὶ ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις.* Sunt verba Demoſthenis. *Neap. Quia ſacra parabant.*] Bene Zulich. Mazar. Voſſ. & alii nonnulli, *pia ſacra.* Heinſius.

333. *Vinoque ſolutos.*] Ita meliores.

quidam

Spem capit in dominis eſſe ſoporis idem.
Intrat; & huc illuc temerarius errat adulter:
Et præfert cautas ſubſequiturque manus.
Venerat ad ſtrati captata cubilia lecti;
Et primâ felix ſorte futurus erat.
Ut tetigit fulvi ſetis hirſuta leonis
Vellera, pertimuit, ſuſtinuitque manum;
Attonituſque metu rediit: ut ſæpe viator
Turbatum viſo rettulit angue pedem.
Inde tori, qui junctus erat, velamina tangit
Mollia, mendaci decipiturque nota.
Adſcendit; ſpondaque ſibi propiore recumbit:
Et rigido cornu durius inguen erat.
Interea tunicas ora ſubducit ab ima:

Hor-

quidam tamen *ſepultos*. quos inter Zulich. & Læti codices. alii *gravatos* vel *jacentes*. Idem.

334. *Eſſe idem ſoporis in dominis.*] Itidem dormire dominos, ut famulos putabat.

339. *Setis hirſuta leonis.*] Quibus Omphale Herculem mentiebatur. *Neap*

340. *Pertimuit.*] Quia putabat Herculem eſſe.

341. *Attonituſque metu rediit, ceu ſæpe viator.*] Lege *ſepe*. viſo in ſepibus angue. niſi *vepre* malis. nam in vepribus angues frequentiſſimi. hinc de iis Lucretius lib. IV.

*—— nam ſæpe videmus*
*Illorum ſpoliis vepres volitantibus auctas.*

*riguit* etiam Voſſ. Arond Zulich. Mazar. & tres alii. ne bis idem dicat. At Urſini, Læti, Petavii & plurimi alii, *rediit ut ſepe viator*. vide Notas Ep. VI. vſ. 31. Reſpexit illa principis poëtarum,

Ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη
Οὔρεος ἐν βήσσῃς, ὑπότε τρόμος ἔλλαβε γυῖα,
Ἄψ τ' ἀνεχώρησεν, ὦχρός τε μιν εἷλε παρειάς.

Quæ & Maro in animo habebat.

*Improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem*
*Preſſit humi nitens, trepiduſque repente refugit.*

Phædrus:

*Viator eſt deductus in eundem locum,*
*Feroque viſo rettulit retro pedem.*

Heinſ.

344. *Et decipitur mendaci nota.*] Id eſt, falſo ſigno muliebrium ornamentorum.

345. *Aſcendit.*] Oſtendit hac vocula fuiſſe λίχον ejuſdem κλινήριον. Hæc pro literatis. *Spondaque ſibi propiore.*] Sponda ſignificat hic quamlibet cubilis partem: & bene. Nam *ſpondas* dixere Latini utraque lecti latera, ſed cum diſcrimine: nam quæ parieti hærebat *interior* dicta, ſive *pluteus*; altera *exterior* ſive *prior*: in hac cubaſſe viros obſervo. *Neap.*

346. *Et tumidum cornu durius inguen erat.*] *Cupidum* Mazar. unus Moreti *rigidum*. Gottorph. *rigido*. Probe. Petronius, *Rogo adoleſcentulus mecum nocte dormiat: niſi illud tam rigidum reddidero quam cornu*. vide Notas Amor. III. Eleg. VII. vſ. 67. *Heinſ.*

349. *Cætera*

Horrebant denſis aſpera crura pilis.
Cætera tentantem cubito Tirynthius heros
Reppulit. è ſummo decidit ille toro.
Fit ſonus: inclamat comites, & lumina poſcit
Mæonis. illatis ignibus acta patent.
Ille gemit lecto graviter dejectus ab alto:
Membraque de durâ vix ſua tollit humo.
Ridet & Alcides, & qui vidêre jacentem:
Ridet amatorem Lyda puella ſuum.
Veſte Deus luſus fallentes lumina veſtes
Non amat; & nudos ad ſua ſacra vocat.
Adde peregrinæ cauſſas, mea Muſa, Latinas;
Inque ſuo noſter pulvere currat equus.
Cornipedi Fauno cæſa de more capellâ
Venit ad exiguas turba vocata dapes.
Dumque ſacerdotes verubus tranſſuta ſalignis,
Exta parant, medias Sole tenente vias;
Romulus, & frater, paſtoraliſque juventus,
Solibus & campo corpora nuda dabant:
[Cæſtibus, & jaculis, & miſſi pondere ſaxi

Bra-

349. *Cætera tentantem.* ] *Cunctantem* unus Medic. Dixi ad Claudian. lib. II. in Stilichon. *Idem.*

352. *Mæonis.* ] Omphale Mæonia.

356. *Lyda puella.* ] Omphale ex Lydia. *Puella.* ] De eadem Propert. *Lydia Gygæo tincta puella lacu.*

357. *Fallentes lumina veſtes.* ] En ſecundam cauſſam nudi inceſſus: nunc penſita aliam, quæ ſubſequitur. *Neap.*

359. *Adde peregrinis.* ] *Peregrina* Arondel. Mazar. Zulich. unam enim ſolummodo cauſam retulit. *Heinſ.* *Peregrinis.* ] Ut Græci, quicquid ſuum non erat, *barbarum* & *exoticum* dixere; ita Romani *peregrinum*: unde his peregrina lingua quævis extera: peregrina ſacra colebantur eorum more à quibus accepta; ut hæc Lupercalia, illa matris Idææ, &c. *Neap.*

361. *Cornipedi Fauno.* ] *Cervipedi* Zulich. eleganter. quomodo *Capripes* idem dictus. & *Capripedes Satyri* Lucretio ac Horatio. *Heinſ.*

363. *Tranſſuta.* ] quaſi trajecta.

364. *Exta parant.* ] Ex ritu antiquiſſimo, & exta ex victima ſibi parare eademque aſſa non elixa. *Neap.* *Medias ſole tenente vias.* ] *Fovente* idem Zulich. Mazar. Voſſ. & Arond. *medium ſole tenente diem* Læti & unus Farneſ. *Heinſius.*

367. *Cæſtibus & jaculis & miſſi pondere ſaxi.* ] Voſſ Mazar. Zulich. & tres alii, *Vectibus.* alii nonnulli cum Petaviano *Veſtibus.* unus Vatic. *Utribus.* ut harpaſtum intelligat. de cæſtu certe minus placet, qui ludus Romanis vix in uſu. *Vectes* ſeu *Sudes* militare exercitium. Conjunxit hæc tria, vectes nempe, jacula & ſaxa Silius etiam libro primo.

*Nunc*

Digitized by Google

Brachia per luſus experienda dabant.]
Paſtor ab excelſo, Per devia rura juvencos,
Romule prædones, eripe, dixit, agunt.
Longum erat armari. diverſis exit uterque
Partibus. accurſu præda recepta Remi.
Ut rediit, verubus ſtridentia detrahit exta:
Atque ait, Hæc certe non niſi victor edet.
Dicta facit, Fabiique ſimul. venit irritus illuc
Romulus, & menſas oſſaque nuda videt.
Riſit; & indoluit Fabios potuiſſe Remumque
Vincere: Quinctilios non potuiſſe ſuos.
Fama manet facti. poſito velamine currunt:
Et memorem famam, quod bene ceſſit, habet.

For-

*Nunc ſude, nunc jaculo, nunc ſaxis impiger inſtat.*

Cæterum hoc diſtichon duo codices aut tres non agnoſcunt, & videtur ex ſuperiori conflatum. *niſi etiam ſaxi* meliores. *Idem.* *Et miſſi pondere ſaxi.*] Solo brachio, an funda ſe exercuerint, ex his non colligo, licet veteres Gloſſæ λιθοβόλους *fundibulos* exponant: in qua vocula nihil τοῦ σφενδόνης. *Neap.*

370. *Et Reme dixit, agunt.*] Arondel. Voſſ. Mazar. & unus Vaticanus *eripe.* quod elegantius omnino, & animi conſternati ac præſentiſſimam opem urgentis ſigna egregie prodit. ſic apud Val. Flaccum lib. VI.

——*Mars ſævus ab altis*
*Hoſtis io, conclamat, equis, agite, ite, propinquat.*

& apud Silium lib. II.

——*mihi gloria magna.*
*State, venit pugna.*

Noſter Triſt. III. Eleg. IX.

——*tumulo ſpeculator ab alto,*
*Hoſtis, ait, noſco, Colchidis, vela, venit.*

Ita locum mendoſiſſimum puto eſſe ſcribendum. vide quæ illic notavi. *Heinſ.*

372. *Occurſu præda recepta Remi.*] Lege *accurſu* vel ſine libris. lib. VI.

*Territa voce ſui nutrix accurrit alumni.*

apud Horatium lib. I. Sat. IX.

*Accurrit quidam notus mihi.*

ſic præſtantiores codices, non *occurrit*, ut & apud Maronem Æn. V.

——*primuſque accurrit Aceſtes.*

Idem.

373. *Detrahit exta.*] *Detulit* Voſſ. Arond. Mazar. & unus Patavinus. an *depulit?* Idem.

375. *Dicta facit, &c.*] Facit Remus cum Fabiis, quod dixerat. Fabii enim erant Remi ſocii, & Quintilii erant Romuli.

380. *Et memorem famam, qui bene geſſit, habet.*] *Quod bene geſſit* Urſin. Mazar. Zulich. Petavianus, & multi alii. Voſſ. *quam bene.* puto pro *quum.* Excerpta Politiani & opt. Medicens, *quod bene ceſſit.* Scribe *quis bene ceſſit, habent.* Met. X. *ſeu quod male ceſſerat illi, ſive fidem dederat.* Seneca Controv. XXVIII. *Neſcit, quod bene ceſſit, relinquere.* ſic ille ſæpe. vel, *ſi bene ceſſit, habent.* Ep. Herm.

*Pars hæc una mihi conjux bene ceſſit Oreſtes.*

Triſt. V. Eleg. XII.

*An quia ceſſerunt primo bene carmina.*

Pont. IV. Eleg. II.

*Utiliter ſtudium quod tibi cedit, ama.*

Hora-

Forſitan & quæras, cur ſit locus ille Lupercal;
Quæve diem tali nomine cauſſa notet.
Ilia Veſtalis cæleſtia ſemina partu
Ediderat, patruo regna tenente ſuo.
Is jubet auferri parvos, & in amne necari.
Quid facis? ex iſtis Romulus alter erit.
Juſſa recuſantes peragunt lacrymoſa miniſtri.
Flent tamen, & geminos in loca juſſa ferunt.
Albula, quem Tyberin merſus Tyberinus in undâ
Reddidit; hibernis fortè tumebat aquis.

Hic,

Horatius lib. II. Sat. I.

*—— neque ſi male ceſſerat, uſquam*
*Decurrens alio, neque ſi bene.*

ubi libri quoque veteres plerique, *geſſerat*. Severus Ætna,

*Nec cuiquam ceſſit melius ſua tempora noſſe.*

Vetus Epitaph.

*Nec tibi, nec nobis æternum vivere ceſſit.* Heinſ.

381. *Cur ſit locus ille Lupercal.* ] Quærit etymon Lupercalis; quod locus in quo Fauni ſacra fiebant. Et primo ad lucem narratiunculæ præfero Dionyſii verba de nemore, quo ſcapha cum geminis expoſitis receſſit: Ἐλέγετο δὲ Πανὸς εἶναι τὸ νάπος καὶ βωμὸς ἦν αὐτόθι τοῦ θεοῦ. *Neap*

382. *Quæve diem tali nomine.* ] Voſſ. Arondel. Mazar. Zulich. & ſex alii, *tanto nomine*. Forte *noto nomine*. Heinſ.

383. *Sylvia Veſtalis cæleſtia ſemina partu.* ] *Ilia* rectius Voſſ. & ſex alii libri. Virgil.

*Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.*

& alibi,

*Romulus, Aſſaraci quem ſanguinis Ilia mater*
*Educet.*

atque ita eam vocat paſſim Noſter. ut Amor lib III. Eleg. VI. Triſt. II. infra lib. III. ex veteri Arondeliano,

*Ilia Veſtalis quid enim vetat inde moveri?*

Noſter alibi,

*Romulus Iliades Iliadeſque Remus.*

& lib. III. *Iliada fratres cæleſtia ſemina partum* Bonon. venuſta appoſitione. duo alii *cæleſti partu*. Heinſ. *Sylvia Veſtalis, &c.* ] Hiſtoriam aggreditur ortus & expoſitionis Romuli & Remi. Nam ubi expoſitis lupa lac tribuit, locus ille *Lupercal* dictus eſt. *Sylvia.* ] Quæ Rhea, & Ilia dicta eſt. *Paul.* *Sylvia.* ] Hinc eadem de ſe ipſa in III. *Ignibus Iliacis aderam, cum lapſa capillis Decidit ante ſacros lanea vitta focos.*

384. *Patruo regna tenente ſuo.* ] Amulio, qui fratre pulſo, regnum occupavit. *Neap.* *Veſtalis.* ] Veſtæ ſacerdos, Numitoris filia. *Ediderat.* ] Pepererat, enixa erat partu. *Semina cæleſtia.* ] Gemellos pueros ſemine cæleſti, hoc eſt, Marte, genitos. *Suo patruo.* ] Amulio, qui Numitorum fratrem regno fraudarat.

388. *Flent tamen, & geminos.* ] Lego, *ut geminos in loca juſſa ferunt.* Ita ſæpe apud Noſtrum peccatur. *loca ſola* quidam ex melioribus. etiam bene. *Heinſ.*

389. *Albula.* ] Fluvius, ita ab aquæ colore appellatus: Sed cum in eo merſus eſſet Tyberinus, qui Calpeto Albanorum regi ſucceſſit, Tyberis appellari cœpit.

390. *Hibernis forte tumebat aquis.* ] M. Varro lib. 4. de L. L. *Germalum à germanis Romulo & Remo, quod ad ficum ruminalem & hi inventi, quo aqua hiberna Tiberis eos detulerat in alveolo expoſitos.* Clarum ex his hiemali tempore in lucem editos. *Neap.*

391. *Hic*

Digitized by Google

Hic, ubi nunc Fora ſunt, lintres errare videres;
Quaque jacent valles, Maxime Circe, tuæ.
Huc ubi venerunt, nec jam procedere poſſunt
Longius; ex illis unus, an alter, ait:
At quam ſunt ſimiles! at quam formoſus uterque!
Plus tamen ex illis iſte vigoris habet.
Si genus arguitur vultu; (ni fallit imago)
Neſcio quem vobis ſuſpicor eſſe Deum.
At ſi quis veſtræ Deus eſſet originis auctor;

In

391. *Hic ubi nunc fora ſunt &c.* ] Ita inundaverat Tyberis, ut æquos circa ſe campos occuparet. *Fora.* ] Hoc eſt, forum Romanum, & forum boarium, & piſcarium.

392. *Jacent tua valles ô Circe Maxime.* ] Circus maximus dictus eſt quod circum ſpectaculis ædificatis, ibi ludi fiunt: & quod ibi circum metas fertur pompa, & equi currunt. *Paul. Quaque jacent valles.* ] Vallis Circi maximi eadem cum ea, quæ dicta *Murcia*, caveæ clamoribus nobilis. *Neap.*

393. *Huc ubi venerunt, neque enim procedere poſſunt Longius.* ] *Nec jam procedere* bene Urſini liber, & unus Patavinus. unus Farneſ. *ubi nunc ventum eſt.* Lege, *Huc ubi perventum eſt*. lib. I.

*Huc ubi perventum eſt, conſiſtite, præſcia mater.* Heinſ.

394. *Longus.* ] Propter aquas ipſas. *Unus & alter.* ] *An alter* Arond. & Maz. eleganter. ſic initio lib. IV. meliores libri,

*Sancius, an ſanus, nunquid tua ſigna reliqui?*

& eodem libro,

*Unaque paſtorem vidiſſet an arva colentem*

*Vox erat.*

Auſon.

*Rex, an Tyrannus, Lydia Crœſus fuit.*

ſive Tyrannus. Idem in Epitaph.

*Et jam deſieras puer, annepuella, videri.*

Remed. Amor.

*Damnius an Libycis miſſus tibi bulbus ab oris,*

*An veniat Megaris, noxius omnis erit.*

Juvenalis Satyra II.

*O proceres, cenſore opus eſt an aruſpice vobis.*

Gratius,

*Deus ille, an proxima divis Mens, fuit.*

Salluſtius apud Servium Fuldenſem, *Perrexere in Hiſpaniam an Sardiniam.* Vetus Epigramma; ut in vetuſtiſſimo codice ſcribitur.

*Nec ſibi congreſſi vir nocet an mulier.*

Heinſ.

395. *Ah quam ſunt ſimiles, ah quam.* ] *At* utroque loco Urſini & Petavii codd. bene. Martial.

*At quam non tetricus, quam nullâ nubibus irâ,*

*Quam placidâ noſtras reſpuit aure preces!*

eſt autem admirationis hic, alibi & indignationis. Vide Notas ad Epiſt. XII. initio. *Idem.*

396. *Ex iſtis iſte vigoris habet.* ] *Ex illis iſte* Zulich. Maz. Arond. Voſſ. & multi alii. recte. unus Farneſianus & Læti codex *ex iſtis ille*. quod tantundem. *Idem.* *Iſte vigoris habet.* ] Haud dubie hic Romulus. *Neap.*

397. *Niſi fallit imago.* ] *Ni fallit* quatuor. unus Farneſ. *non.* Lege, *nec fallit.* Heinſ.

398. *Neſcio quem è vobis.* ] *In vobis* Maz. & duo alii. Excerpta Politiani & tres alii probæ notæ *Neſcio quem vobis.* probe. ſcilicet auctorem, quod ſequitur proximo verſu. *Heinſ.*

401. *Fera*

In tam præcipiti tempore ferret opem.
Ferret opem certè, ſi non ope mater egeret:
Quæ facta eſt uno mater & orba die.
Nata ſimul, peritura ſimul, ſimul ite ſub undas
Corpora. deſierat; depoſuitque ſinu.
Vagierunt clamore pari: ſentire putares.
Hi redeunt udis in ſua tecta genis.
Suſtinet impoſitos ſummâ cavus alveus undâ.
Heu quantum fati parva tabella vehit!
Alveus in limo ſilvis appulſus opacis,
Paulatim fluvio deficiente, ſedet.
Arbor erat: remanent veſtigia: quæque vocatur
Rumi-

401. *Ferret opem certe.* ] Ad matrem refer. *Idem. Si non ope mater.* ] Nam ſacerdos illico vincta, in cuſtodiam data. *Neap.*

403. *Nata ſimul moritura ſimul.* ] Verba famuli lacrymantis ad puellulos. *Neapol. Moritura ſimul.* ] Duo veteres *peritura*. ſequenti verſu opt. Patavinus *Pignora* pro *corpora*. etiam venuſte. *Heinſius.*

405. *Vagierant ambo pariter.* ] *Vagierunt* Petav. Urſin. & Nauger. bene, ut jam monui Ep. VII. ſeptem codd. *Vagierant clamore pari: ſentire putares.* Recte, ſi *Vagierunt* reſcribas. Ep. Canaces,

*Vagitus dedit ille miſer; ſenſiſſe putares.*

Idem.

407. *Suſtinet impoſitos, &c.*] Alveus ille cum pueris parumper innatavit. *Suſtinet.* ] Non dejecit, ſed ſurſum tenet. *Summa unda.* ] Super ſummam undam. *Paul. Cavus alveus unda.*] Hac vocula plura adſignificarunt veteres: hic valet pro *cavato ligno.* Eſt & Latinis *alveus* πύελος, quod Græcis ſolium. *Neapolis.*

408. *Heu quantum fati parva tabella vehit.* ] *Dedit* Petav. pro diverſa lectione *vehit* tres alii. duo *curva tabella tulit.* alter Mazar. & unus Med. *curva tabella fuit. fatum fuit.* eleganter: ſic Propertius lib. II. Elegia I.

*Huic miſero fatum dura puella fuit.*

Remed. Amor.

*Auxilium multis ſuccus & herba fuit:*

quæ vera ſcriptura. Amor. libro II. Eleg. I.

*Clauſa tuo majus janua fulmen erat.*

ut & illi codices vetuſti. Martialis libro IV. Ep. XII.

*Ingenium Galli pulchra Lycoris erat.*

pro *curva* tamen *tabella*, malim *curva tabella fuit.* dixi Amor. II. Eleg. II. ſæpe in voce *curta* peccatum. ſic Triſt. lib. I. Eleg. I.

*Contigeriſque tuam ſcrinia parva domum.*

cum libri veteres *curva* agnoſcant, ego *curta* ſcribendum opinor. ut & *curta theca* apud Martialem pro *curva* lib. XI. Ep. LIX. *curtum larem* dixit Horatius lib. I. Ep. VII.

*Gaudentem parviſque ſodalibus & lare curto.*

Ita veterrimi libri. non *lare certo. curtum mulum* idem lib. I. Sat. VI. & *curtos Judæos*, Sat. IX. ſic *curta fides patria* apud Juvenal. Sat. XIV. & *curtum enthymema* Sat. VI. ut illic quoque vetus codex. *Heinſ. Tulit parva tabella.*] Alveus ipſe.

411. *Arbor erat, remanent veſtigia.* ]

Rumina nunc ficus, Romula ficus erat.
Venit ad expoſitos (mirum) lupa fœta gemellos.
Quis credat pueris non nocuiſſe feram?
Non nocuiſſe parum eſt: prodeſt quoque quos lupa nutrit,
Prodere cognatæ ſuſtinuêre manus.
Conſtitit, & caudâ teneris blanditur alumnis,
Et fingit linguâ corpora bina ſuâ.
Marte ſatos ſcires; timor abfuit. ubera ducunt;
Et ſibi permiſſi lactis aluntur ope.
Illâ loco nomen fecit; locus ipſe Lupercis.
Magna dati nutrix præmia lactis habet.

Quid

Quia adhuc ejus tempore truncus apparebat, nondum penitus aruerat. *Paul.* *Quæ vocatur Rumina.*] Ut & *ficus ruminalis*, à mamma: Gloſſæ, *rumis*, θηλὴ ἀρχαϊκῶς. Feſtus: *Mamma autem dicitur ſive ruma & rumen.* Neapol.

412. *Romula nunc ficus, Rumina ficus erat.*] *Rumina nunc ficus, Romula ficus erat*, Urſini liber, Zulich. Maz. & duo alii. recte. Neque aliter in codice ſuo emendarat magnus Scaliger. quatuor *Rumula*, mendoſe. Vidit veram quoque ex Livio lectionem Illuſtriſſimus Neapolis. *Ruminalis fici* præter Livium meminerunt Plutarchus in Romulo, in Problem. & de Romanorum Fortuna, Varro de L. L. & lib. I. de ſcenicis Originibus, Plinius lib. XV. cap. XVIII. Tacitus Annal. lib. XIV. Servius ad VIII. Æneid. Feſtus; alii. *Heinſ.*

416. *Perdere.*] *Prodere* Thuan. & alter Petav. eleganter. vide Notas Rem. Am. VI. 457. *Idem.*

418. *Et fingunt linguâ.*] Perperam ſcripti multi *lingunt* vel *lambunt*. Adi Notas ad Epiſt. XX. vſ. 134. *Idem.* *Et fingit.*] Ut in quinto hujus operis de Achille juxta ægrum Chironem, *manibus fingebat amicis.*

419. *Ubera ducunt.*] Male alii *ſugunt*. Triſt. I. Eleg. VII.

*Quæque tibi quondam tenero ducenda palato*
*Plena dedit nutrix ubera, tigris erat.*

Cicero initio lib. III. Tuſc. Quæſt. *Simul atque editi in lucem & ſuſcepti ſumus, in ſumma opinionum perverſitate verſamur, ut pene cum lacte nutricis errorem duxiſſe videamur.* Ita ſcribo. Juvenal. Satyr. XII.

——*quem jam pudet ubera matris*
*Ducere.*

nec dubito quin in Germanici Aratêis quoque reponendum ſit,

——*ſi vere Jupiter infans*
*Ubera Cretæa duxit fidiſſima capra.*

ubi *mulſit* nunc legitur. Prudentius tamen paſſione S. Romani,

*Multo ante clara, quam capellam Gnoſiam*
*Suxiſſe fertur Jupiter Martis pater.*

niſi & illic *duxiſſe* reponi placet. *Heinſius.*

420. *Nec ſibi promiſſa lactis aluntur ope.*] Scripti maxima ex parte *promiſſi*. *Et ſibi promiſſi* duo. *Nec ſibi promiſſi* Voſſ. Mazar. & quinque alii. *Et ſibi permiſſi* Urſin. & unus Vatic. bene. *Idem.*

421. *Illa loco nomen fecit, &c.*] A lupa ergo *Lupercal* locus ille appellatus eſt. *Locus ille.*] *Ipſe* meliores. *Heinſ.*

423. *Ar-*

Quid vetat Arcadio dictos à monte Lupercos?
Faunus in Arcadiâ templa Lycæus habet.
Nupta, quid exſpectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ:
Jam ſocer optati nomen habebit avi.
Nam fuit illa dies, durâ cum ſorte maritæ
Reddebant uteri pignora rara ſui.
Quid mihi, clamabat, prodeſt rapuiſſe Sabinas,
Romulus: (hoc illo ſceptra tenente fuit)
Si mea non vires, ſed bellum injuria fecit;
Utilius fuerat non habuiſſe nurus.
Monte ſub Eſquilio multis incæduus annis
Junonis magnæ nomine lucus erat.
Huc ubi venerunt; pariter nuptæque virique
Sup-

423. *Arcadio dictos à monte Lupercos.*] Accedit novum alterum etymon, à Lycæo ſcil. Arcadiæ monte. *Lupercum* enim vere reddes Græce *Λύκαιον*, & *Lupercalia Λύκαια*: quæ feſta in ea regione antiquiſſima. & congruunt aliquantum cum noſtris. Vide Plutarch. in vita Cæſaris. Hæc inſtituta à Lycaone Pelagi filio Vide Pauſan. ſub initium lib. VIII. *Neap.* *Dictos à monte Lupercos?* Lege *ductos.* hoc eſt originem trahere ex Arcadiâ. ſic infra lib. III.

*A te principium Romano ducimus anno.* ubi male *dicimus.* vulgo lib. I.

*Ipſa mone, quæ nomen habes à carmine ductum.*

lib. III. de Saliis, *à ſaltu nomina ducunt.* Heinſ.

427. *Fœcundæ patienter verbera dextræ.*] Plutarch. in Romulo: *Mulieres adultæ non declinant verbera, proficere ea ad conceptionem & partum rata.* Idque non à plebeis ſolum, ſed à nobiliſſimis matronis factitatum *Neapol.*

428. *Optatum nomen.*] *Optati* concinnius Maz. *Heinſ.*

429. *Nam fuit illa dies.*] Aperit nunc unde mos fuerit Lupercis, pellibus caprarum obvias quaſque cædendi: hæc enim verbera non ex Evandri adventu, ſed poſt annos plurimos, poſt raptas Sabinas, ut vides in urbe recepta. Subjicit ergo quod in alio non reperies, ob diuturnam in concipiendo ſterilitatem à ſexu muliebri aditum lucum Junonis Lucinæ; cumque ſuppliciter medelam à Dea his malis optaret, auditum ex luco ferunt, ut hircus nuptas iniret. Quod inſignis Augur Etruſcus interpretatus, cædendas mulieres corio caprarum, quas Luperci Deo Pani facerent. Dictum factum: priſtinæ fœcunditati matronæ reſtituuntur, Lupercis jus verberum datum. *Neapol.*

430. *Rara pignora.*] Rarum fœtum: quia raro parturiebant.

435. *Monte ſub Exquilio, &c.*] Lucus Junonis intactus ferro erat ſub monte Exquilino. In hoc ergo luco ſupplicatum eſt Junoni à nuptis & viris.

436. *Incæduus.*] Quaſi non cæduus. *Paul.* *Lucus erat.*] Vide Varronem lib. IV. L. L. in Exquiliarum etymologia.

Suppliciter poſito procubuêre genu.
Cum ſubito motæ tremuêre cacumina ſilvæ,
Et Dea per lucos mira locuta ſuos.
Italidas matres, inquit, caper hirtus inito.
Obſtupuit dubio territa turba ſono.
Augur erat: nomen longis intercidit annis.
Nuper ab Hetruſcâ venerat exſul humo.
Ille caprum mactat. juſſæ ſua terga maritæ
Pellibus exſectis percutienda dabant.
Luna reſumebat decimo nova cornua motu:
Virque pater ſubito, nuptaque mater erat.
Gratia Lucinæ: dedit hæc tibi nomina lucus;
Aut quia principium tu, Dea, lucis habes.
Parce, precor, gravidis, facilis Lucina, puellis;
Maturumque utero molliter aufer onus.

ORta dies fuerit; tu deſine credere ventis.

Per-

441. *Italidas matres inquit ſacer hircus inito.* ] *Italias* multi ex melioribus ſcriptis. de quo Met. xv. vſ. 9. unus Farneſ. *Etalides.* an *OEbalidas?* ut lib. III.

*Inde diem, qua prima, meas celebrare Kalendas*
*OEbalides matres non leve munus habent.*

Deinde pro *ſacer hircus* lege cum Maz. duobus Vatic. & Strozzæ libro *caper hirtus.* Voſſii *caper hircus.* ſic & *hirta capella* Virgilio & Avieno ora Marit. caper enim proprie hircus caſtratus, à quo iniri non poterant. *Heinſ.*

444. *Ab Etruſca venerat exul humo.* ] Peperit hæc tellus peritiſſimos artis auguralis. Scitum illud, Attium Nævium, hujus diſciplinæ virum mágnum, his à patre traditum, ut eam ſolum ediſceret.

445. *Juſſa ſua terga puella.* ] *Marita* rectius tres ſcripti, atque in iis opt. Mediceus. *Heinſ. Sua terga puella percutienda dabant.* ] Vere interſcapilium, quod Latinis pars ſub collo, Græcis τὸ κάταμον: unde noſtrum verbum catomidiari, quod proprium in Lupercalibus vide Scholiaſt. Juvenalis, ad illud,

*Agili palmas præbere Luperco.*

Neapol.

447. *Decimo nova cornua menſe.* ] *Motu* plerique ſcripti. & recte. ut in Obſervationibus jam monuit doctiſſimus Gronovius. Vide notas noſtras ad Epiſt. XI. vſ. 46. quidam codices *curſu.* Heinſ.

448. *Mater erat.* ] Concinnius *erant.* Idem.

450. *Habes principium lucis.* ] Quia tu naſcentes ad lucem producis, inde à luce *Lucina* dicta es. *Principium tu Dea lucis habes.* ] *Eras* duo ſcripti; & pro diverſa lectione Zulich. quod placeret, niſi verbum id ipſum clauſiſſet pentametrum præcedentem. *Heinſ.*

453. *Orta dies fuerit, &c.* ] Jam omnes Lupercalium cauſas abſolvit, & longius in his immoratus redit ad inſtituta, hoc eſt, ad dierum ordinem: monetque, poſt Lupercalia die proxima, quæ erit decimo quarto calendas Martias, hoc eſt, decimo ſeptimo die Februarii, credendum non eſſe ventis, & ob id minime

Perdidit illius temporis aura fidem.
Flamina non conſtant: & ſex reſerata diebus
Carceris Æolii janua laxa patet.
JAm levis obliquâ ſubſidit Aquarius urna.
Proximus ætherios excipe, Piſcis, equos.
Te memorant fratremque tuum (nam juncta micatis
Signa) duos tergo ſuſtinuiſſe Deos.
Terribilem quondam fugiens Typhona Dione,
Tunc cum pro cœlo Jupiter arma tulit.

Venit

me eſſe navigandum. *Orta dies fuerit.*] Eadem Lupercalium: hac Sol in Piſcibus, & ventorum inconſtantia per dies ſex. Hanc *ἀκαταστασίαν* faciunt etiam Ægyptii à XXI. fere Februarii uſque ad XXVI. *N.*

454. *Perdidit aura fidem.*] Non minus elegans quod libri tres veteres agnoſcunt *Prodidit fidem.* ſic *prodere fidem*, pro fidem fallere Salluſtio Catilinaria: *ſed ea ſæpe fidem prodiderat, creditum abjurarat.* Cicero in Lucullo, *Prodere officium aut fidem. Prodere commiſſa fidei* Horatius lib. I. Satyra III. quo & illa Propertii alludunt de Tarpeja libro IV. Eleg. IV.

*Prodiderat portaque fidem patriamque jacentem.*

ſuperiori etiam verſu *fuerit* pro *fueras* legendum cum pleriſque codicibus. *Heinſ.*

456. *Carceris Æolii.*] Virgil. I. Æneid.

*—— heic vaſto rex Æolus antro*
*Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras*
*Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.*

Αἴολον, ὅς ἀνέμοις αἰθρηγενέεσσιν ἀνάσσει. Argon. 4. vſ. 765. Κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων. *Janua lata patet.*] Scribe *laxa* cum uno Ambroſ. & Gottorph. lib. I. Am. Eleg. VIII.

*Clauſa ſit oranti tua janua, laxa ferenti.*

& lib. III. Eleg. I.

*Quam tu non poteris duro reſerare cothurno*
*Hæc eſt blanditiis janua laxa meis.*

ſic contra *janua ſtricta*, & *adſtricta.* Vide Notas Amor. III. Eleg. I. vſ. 50. *Heinſ.*

457. *Jam levis obliqua, &c.*] Eadem die ſol relicto Aquario, Piſcium ingreditur ſignum. *Urna obliqua.*] Oblique enim ſpectat & urna, qua aquas effundit verſus piſces: & ideo *obliqua.*

458. *Proximus.*] *Protinus* quinque libri. & duo ſuperiori verſu *ſubſidit.* Heinſ.

459. *Te memorant.*] Cauſam refert Piſcium in cœlo locatorum, quæ & ab Hygino traditur. Piſces vero duo ſunt: alter Notius, alter Boreus dicitur. Boreus inter æquinoctialem & æſtivum circulum ſub Andromedæ brachio collocatus, arcticum polum ſpectans conſtituitur. Alter in zodiaco extremo ſub ſcapulis Equi, non longe ab æquinoctiali circulo collocatus ſpectat ad occaſum: ſed pariter in curſu vadunt, & eodem micant tempore. *Paul. Nam juncta micatis ſigna.*] Junguntur enim modo illo cœleſti, quem Græci dicunt, *συνδεσμὸν τῶν ἰχθύων. Neap.*

461. *Terribilem quondam fugiens.*] Dione, Heſiodo teſte, Oceani & Tethyos filia, & Veneris mater fuit: ſed ſæpe à poëtis pro ipſa Venere ponitur, ut & hîc. *Fugiens quondam Typhona.*] Typhon unus è filiis Terræ fuit.



Digitized by Google

Venit ad Euphratem comitata Cupidine parvo;
  Inque Palæſtinæ margine ſedit aquæ.
Populus, & cannæ riparum ſumma tenebant:
  Spemque dabant ſalices, hos quoque poſſe tegi.
Dum latet, intonuit vento nemus. illa timore
  Pallet; & hoſtiles credit adeſſe manus.
Utque ſinu natum tenuit, Succurrite Nymphæ;
  Et Dîs auxilium ferte duobus, ait.
Nec mora; proſiluit. Piſces ſubiêre gemelli.
  Pro quo nunc dignum ſidera munus habent.
Inde nefas ducunt genus hoc imponere menſis,
  Nec violant timidi piſcibus ora Syri.

PRoxima lux vacua eſt: at tertia dicta Quirino.
  Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.

Sive

463. *Venit ad Euphratem.* ] Sed qua Syriam perluit, quam inundat, & Taurum penetrat, licet ab ipſo ducat originem: hanc enim habet ἐν τῷ προσβόρῳ μέρει τῦ Ταύρυ. Vide Strab. lib. XI.

464 *Inque Palæſtina.* ] Tres enim veteribus Syriæ: Συρία Κοίλη, Φοινίκη, Παλαιστίνη. Vide Ulpian. in lib. 1. de Cenſib. & apud Tibull. ſic legend. contra mentem Scaligeri: *Alba Palæſtino ſancta columba Syro.* Hæc Syria Palæſtina, eadem quæ Judæa. Hinc & Strabo Judæos jungit cum Syris, lib. XVI. *N.*

465. *Populus, &c.* ] Delituit Venus cum filio inter populos arbores, & cannas, & ſalices, qui in ripis erant.

466. *Tegi hos.* ] Venerem cum filio. *Hos quoque poſſe tegi.* ] Lege *his quoque* vel *hic.* nam in uno codice Vatic. *hoc* extat. in quatuor aliis *ſe quoque. ſalices has* Maz. & Zulich. *Heinſ.*

467. *Inſonuit vento nemus.* ] *Intonuit* Mazar. Voſſ. pri. Med. & quatuor alii. ſic ſæpe *tonare* pro *ſonare* apud poëtas. *Idem.*

472. *Pro quo nunc cernis ſidera numen habent.* ] Voſſ. Arondel. Mazar. & tres alii, *dignum ſidera munus.* quod ſecutus ſum. poſſet & *nunc cælum ſidera munus habent* legi. ſic Art. Am. *Munus habe cælum. dignum ſidera nomen* alii. *Pro quo, qua cernis, ſidera nomen* Nauger. Petav. Zulich. & tres alii. *nunc cernis ſidera nomen* Urſin. & plurimi alii. Forte,

*Pro quo nunc cerni ſidera munus habent.*

Idem.

473. *Genus hoc imponere menſis.* ] Quod hæc gens fuerit ἄνιχθυς. non dubium. Athenæus lib. 8. ὡς διὰ τὰ Σύρων πάτρια καὶ ἡμᾶς τῶν ἰχθύων ἀπεστέρησεν. Hinc Comicus ille Timocles apud eundem de Hyperide τῦ ὀψοφάγυ: Τὺς ἰχθυοπώλας ὗτος ἡμῶν πλυτιεῖ. Ὀψοφάγος γὰρ ὥς τε τὺς λάρυς εἶναι Σύρυς. Cauſſa cur piſcibus abſtinuerint, non eadem omnibus. *Neapol.*

474. *Ne violent.* ] *Nec violant* libri meliores. *Heinſ. Timidi Syri.* ] Ad religionem ſpectat epithetum; ut in Lemuralibus, *timiduſque Deorum,* Convenit & Syris, qui priſcis fuere pietate inſignes. An conjectura Scaligeri verior, alluſiſſe Naſonem ad Syriam phreneſim? ex eſu enim piſcium timuit ea gens, ne ſibi venter aut membrum aliud intumeſceret. *Neap.*

475. *Proxima lux vacua eſt.* ] XIV. Kalendas Martias. *At tertia dicta Quirino.* ] XIII. Kalend. erant Quirinalia

Inſti-

Sive quod haſta curis priſcis eſt dicta Sabinis:
(Bellicus à telo venit in aſtra Deus)
Sive ſuum Regi nomen poſuêre Quirites:
Seu quia Romanis junxerat ille Cures.
Nam pater armipotens, poſtquam nova mœnia vidit,
Multaque Romuleâ bella peracta manu,
Jupiter, inquit, habet Ramana potentia vires:
Sanguinis officio non eget illa mei.
Redde patri natum: quamvis intercidit alter,
Pro ſe, proque Remo, qui mihi reſtat, erit.
Unus erit, quem tu tolles in cærula cœli;
Tu mihi dixiſti: ſint rata dicta Jovis.
Jupiter annuerat. nutu tremefactus uterque
Eſt polus; & cœli pondera ſenſit Atlas.
Eſt locus: antiqui Capream Dixêre paludem.



Inſtituta hæc non eodem die quo Romulus eſſe deſiit in terris, ſed multo poſt ejus exceſſum. *Neap.*

477. *Sive quod haſta Quiris.* ] *Cures* Urſini & Petavii liber, *cujus* Maz. Zulich. & quatuor alii. recte, ut & Neapolis vidit. Adi Feſtum in ea voce. etiam in *Quirinus* & *Quirites*. Heinſ. *Priſcis eſt dicta Sabinis.* ] Teſtes M. Varro, Feſtus, Plutarch. &c. Inde iidem Sabini Martem primo *Curinum* appellarunt, & tractu temporis *Quirinum*; cujus ſtatua illis & Romanis nihil aliud quam haſta.

478. *Bellicus à telo.* ] Feſtus: *Curis eſt Sabinè haſta: unde Romulus Quirinus, qui eam ferebat eſt dictus.* Neapol.

479. *Sive ſuo Regi nomen.* ] *Suum Regi nomen* meliores. *Heinſ.* *Sive Quirites.* ] Romani. *Poſuere nomen ſuo regi.* ] Quod à Quiritibus Quirinus ſit dictus.

480. *Junxerat Cures.* ] Sabinos. *Romanis.* ] Nam ubi inter Romanos & Sabinos compoſitæ res fuere, par honor Romulo & Tatio datus eſt, & ex duobus populis unum fecêre. *P.* *Junxerat ille Cures.* ] Hac tamen lege, ut Romani à Tatii patria Curites dicerentur, urbs antiquum ei nomen à Romulo impoſitum ſervaret. Vide Plutarch. in vita hujus Principis. *Neapol.*

487. *Quem tu tolles, &c.* ] Duo veteres, *in cærulp cœli.* Utrumque hauſtum ex Ennii Annalibus, de eodem Rege in numerum Deorum adſcribendo *Neapol.* *In cærula cœli.* ] Ita Regius, Petav. Zulich. & Mazar. probe. Reliqui *in ſidera* vel *ad ſidera.* vide Notas Met. XIV. vſ. 814. *Heinſ.*

490. *Cœli pondera.* ] Nam Atlas fingitur cœlum humeris ſuſtinere. *Pondera movit Atlas.* ] Bene etiam meus liber: *pondera ſenſit Atlas.* *Pondera movit Atlas.* ] *Senſit* quinque noſtri. ut Met. IX, *ſenſit Atlas pondus.* alii *movit.* Heinſ.

491. *Caprea dixere paludem.* ] *Capream* bene primus Med. ſic ſupra *Carmens porta*, quæ Carmentalis. *collis Quirinus* lib. XIV. Met. pro Quirinali. infra hoc ipſo libro ex veteri codice *penetralia Collatina.* atque ita paſſim veteres. *flumen Tolenum* lib. V. itidem ex antiquis libris. ſic via Appia, via Flaminia, via Domitiana, via Trajana, forum Trajanum, aqua Marcia, aqua Claudia, Baſilica Ulpia, horrea Sulpicia, & infini-

Forte tuis illic, Romule, jura dabas.
Sol fugit; & removent ſubeuntia nubila cœlum:
Fit gravis effuſis decidit imber aquis.
Hinc tonat, hinc miſſis abrumpitur ignibus æther.
Et fuga: Rex patriis aſtra petebat equis.
Luctus erat, falſæque Patres in crimine cædis.
Hæſiſſetque animis forſitan illa fides.
Sed Proculus Longâ veniebat Julius Albâ:
Lunaque fulgebat; nec facis uſus erat.

Cum

ta hujuſmodi in antiquis monumentis. *Idem.* *Caprea dixère paludem.* ] A qua Nonas illas Quintiles dictas aliqui putarunt *Caprotinas*: ego vero de etymo magis ad Varronem proclino: *Quod eo die*, inquit, *in Latio Junoni Caprotinæ mulieres ſacrificant.* lib. 5. L. L. Vide & Plutarch. poſtrema in vita Romuli, *ἡ δ' ἡμέρα ᾗ μετήλλαξεν.* *Neapol.* *Caprea paludem.* ]De Caprotinis invenies aliquid in Tom. 1. p. 588. vſ. 257.

492. *Forte tuis.* ] *Viris* Maz. Zulich. *Heinſ.*

493. *Sol fugit, & removent.* ] Malo *en removent.* Idem. *Sol fugit.* ] Notarunt hanc Solis defectionem in Romuli exceſſu veterum omnium monumenta: ſed Dion Halycarnaſſ. addit rem miram in ejuſdem regis conceptione obſervatam; quem vide, illo loco: *Ἔοικε δὲ οὐ μικρὰν ἀφορμὴν παρέχειν τοῖς θεοποιοῦσι τὰ θνητά*, &c. *Neap.*

495. *Hinc tonat, hinc miſſis.* ] *Intonat emiſſis* Mazar. & quinque alii. unus Patav. *immiſſis.* Heinſ.

496. *Rex.* ] Romulus ſcilicet. *Petebat aſtra.* ] Quaſi cœlum aſcendebat. *Equis patriis.* ] Equis Martis. Curru enim ſuo Mars illum in cœlum referebat. *P.* *Fit fuga.* ] Græci inquiunt, diem illum Romani, *τὴν τροπὴν τοῦ πλήθους.* id eſt, POPLIFUGIA, appellarunt, ut habet vetus Kalendarium. Vide & Varron. lib. 5. de L. L. & Macrob. *Neap.*

497. *Luctus erat &c.* ] Flebat populus Romuli mortem, & parricidii ſenatus accuſabatur: creditumque eſſet, à patribus interfectum fuiſſe, niſi adveniens ex Alba Julius Proculus juraſſet, vidiſſe Romulum humana forma auguſtiorem. & alia, quæ mox dicemus.

499. *Sed Procul è longa.* ] Scribe,

*Sed Proculus Longâ veniebat Julius Albâ.*

Quomodo codex Læti: duo Farneſ. unus Patav. Zulich. & Mazar. optime, & ex fide hiſtoriæ; *Julius* enim *Proculus* paſſim vocatur à ſcriptoribus. Sic Livius, Halicarnaſſeus, Plutarchus, Florus, Jul. Obſequens, Xiphilinus, Tatianus contra Græcos, Lactantius, Tertullianus & Auguſtinus non uno loco. niſi quod *Proculum* nonnulli ex iis, omiſſo *Julii* prænomine, appellarunt. *Heinſ.* *Veniebat Julius Alba.* ] Hic faſſus Romulum vidiſſe, & in eo quid humano majus: iſti creditum, & ſedati plebis animi, cum & dictis jusjurandum addidiſſet. Vide Xiphilin. ſub finem Auguſti. Perjurium illud velut hæreditarium poſtea uſui fuit in omni Cæſarea conſecratione. Vide & Juſt. Martyr. Apologia II. *Producentes quempiam quo jurejurando confirmet, vidiſſe ſe è rogo in cœlum aſcendere ardentem Cæſarem?* Neapol.

500. *Lunaque fulgebat.* ] *Surgebat* Petav. & multi alii. etiam bene. ſic Met. VIII.

*Sexta reſurgebant orientis cornua Lunæ.*

Heinſ. *Lunaque fulgebat.* ] Tu refer ad Romanum diem, qui ex media nocte in mediam noctem terminabatur. Ergo hodierna prima luce, prima parte diei. & ſic etiam nox eſſe poterat.

501. Sope.

Cum ſubito motu nubes crepuêre ſiniſtræ.
Rettulit ille gradus: horrueruntque comæ.
Pulcher, & humano major, trabeâque decorus
Romulus in mediâ viſus adeſſe viâ:
Et dixiſſe ſimul, Prohibe lugere Quirites:
Nec violent lacrymis numina noſtra ſuis.
Thura ferant, placentque novum pia turba Quirinum,
Et patrias artes militiamque colant.
Juſſit: & in tenues oculis evanuit auras.
Convocat hic Patres: juſſaque verba refert.
Templa Deo fiunt. collis quoque dictus ab illo:
Et referunt certi ſacra paterna dies.
Lux quoque cur eadem Stultorum feſta vocetur,

Acci-

501. *Sepes tremuere.*] Prim. Ambroſ. *ſonuere*, & novem alii. quidam *nubes crevere*, quos inter Mazar. & Zulich. & Arond. pro *crepuere*. quomodo recte Voſſianus, addito interpretamento, *Dis proſpera, hominibus ſiniſtra.* ut ad omen alludat, quod ex ſiniſtro fulmine ac tonitru captabant. virgil. lib. VIII.

*Suſpiciunt: iterum atque iterum fragor increpat ingens.*
*Arma inter nubem cæli regione ſerenâ*
*Per ſudum rutilare vident, & pulſa tonare.*

ita vetuſtiſſimus codex Mediceus. Perperam vulgati *fragor intonat.* cum *tonare* mox ſubſequatur. ſequenti verſu *horrueruntque* pro *horruerantque* Petav. Mazar. Urſin. Voſſ. & decem alii. de quo ad Epiſt. VII. vſ. 166. *Heinſ.*

505. *Et dixiſſe ſimul.*] Malim, *dixiſſe viro.* Idem.

506. *Ne violent.*] *Nec* meliores. & ſequenti verſu, *placentque.* Idem.

508. *Et colant patrias artes.*] *Hæ tibi erunt artes, paciſque imponere morem, Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.*

509. *Oculis evanuit auras.*] Puto *evanuit ocius.* Scriptum fuerat nempe *ocius evanuit.* niſi forte malis, *in tenuem ex oculis evanuit auram.* ut apud Virgil. IX.

*Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.* Heinſ.

510. *Convocat hic populos.*] *Patres* primæ edit. & ſex ſcripti cum Naugeriano. *Idem.*

511. *Collis quoque dictus.*] Non adeo verum quin titubet. Feſtus: *Quirinalis collis qui nunc dicitur, olim Agonus appellabatur, antequam in eum commigrarent fere Sabini Curibus venientes, &c. à quo hanc appellationem ſortitus eſt, &c.* N. *Templa deo faciunt, &c.*] Verbis Proculi plebs mota eſt, Quirino templum dedicavere in eo colle, qui ab hoc, *Quirinalis* dictus eſt.

512. *Certi ſacra paterna dies.*] Ergo Quirinalia ſtata & annua. Vide Dionyſ. lib. 2. *Neap.*

513. *Lux quoque cur eadem.*] Eadem die, qua Quirini feſtum eſt, ſeu Quirinalia celebrantur, feriæ ſunt ſtultorum, quas ita diffinivit Pompejus: Stultorum feriæ appellabantur *Quirinalia*, quod eo die ſacrificant hi, qui ſolemni die aut non potuerunt rem divinam facere, aut ignoraverunt. In qua quidem ſententia & ipſe poëta eſt. *P. Stultorum feſta vocetur.*] Vide Plutarch. Quæſt. Rom. & Feſtum Pompejum. *Neap.*

 514. *Sed*

Accipe: parva quidem cauſſa, ſed apta ſubeſt.
Non habuit tellus doctos antiqua colonos:
Laſſabant agiles aſpera bella viros.
Plus erat in gladio quam curvo laudis aratro:
Neglectus domino pauca ferebat ager.
Farra tamen veteres jaciebant, farra metebant:
Primitias Cereri farra reſecta dabant.
Uſibus admoniti flammis torrenda dedêre;
Multaque peccato damna tulêre ſuo.
Nam modo verrebant nigras pro farre favillas;
Nunc ipſas igni corripuêre caſas.
Facta Dea eſt Fornax: læti Fornace coloni
Orant, ut fruges temperet illa ſuas.
Curio legitimis nunc Fornacalia verbis

Maxi-

514. *Sed apta ſubeſt.* ] *Fides* Voſſ. & Maz. Lego *fide*, pro fidei. quomodo Noſter non uno loco in Metamorphoſeon libris, Virgilius, aliique ex optimis ſcriptoribus locuti. ſic *commiſſa fide* pro fidei apud Horatium Sat. III. lib. I. *Heinſ.*

519. *Veteres jaciebant farra.* ] Pari ſignificatione dictum à Demoſthene *κατοβάλλειν σπέρμα*. Porro far in uſu Romanis ccc. annorum ſpatio fuiſſe, tradit M. Verius Flaccus apud Plinium lib. 18. Hiſt. Nat. cibus ex eo confectus appellatus *farratum*. Vide Juvenal. Sat. XI. *Neap.*

520. *Farra reſecta.* ] *Secata* quidam ex melioribus. & *dedere* ſequenti verſu pro *dederunt*. Heinſ.

521. *Uſibus admoniti.* ] Poëta inquit, veteres utilitate admonitos far torrere cœpiſſe, ſed torrendi ignorantia damna plurima tuliſſe. Nam usque adeo torrebant, ut in cinerem verterentur: & caſæ, ubi torreretur, ſæpe adurerentur. Inſtituta igitur Fornaci deæ fuere *Fornacalia*, quo torrendæ fruges temperarentur.

522. *Suo peccato.* ] Sua ignorantia. *P. Damna tulere ſuo.* ] Nam ſecuta ſementis jactura ex ignota torrendi ratione. *N.*

524. *Nunc ipſas ignes.* ] *Igni* Urſin. Læti, Maz. & octo alii. *Heinſ.*

525. *Facta Dea eſt Fornax.* ] A Numa habuit initium, & feſta quæ Fornacalia vocata. Plin. lib. 18. cap. 2. *Numa inſtituit Deos fruge colere, &c. Is & Fornacalia inſtituit, farris torrendi ferias.* ſed fecit indictitias, non ſtatas. Hinc illi, qui ea die cum Fornacalia indicebantur, feriari non poterant, Quirinalibus ſacra illa omiſſa coacti peragere. Forte quia hæc inter popularia. Feſtus: *popularia ſacra ſunt, quæ omnes cives faciunt; nec certis familiis attributa ſunt: Fornacalia, Parilia, &c.* Oppoſita ergo his privata, Gentilitia & Familiaria ſacra. *Neap.*

526. *Ut fruges temperet.* ] *Ut vires temperet* prim. edit. & tres ſcripti. ſequenti verſu *nunc Fornacalia* meliores. *Heinſ.*

527. *Curio legitimis.* ] Romulus urbem trifariam diviſit, & unicuique parti unum præfecit: hi appellati fuere tribuni. Rurſus unamquamque tribum in denas diviſit partes. has appellavit *curias*, quæ triginta fuere. Singulis curiis ſingulos præfecit. hos appellavit curiones. Sed curionum officium erat, ſacris præſidere, feſta & ludos populo prædicare, & ordinibus in militia præeſſe.

Curio

Maximus indicit; nec ſtata ſacra facit.
Inque Foro, multâ circum pendente tabellâ,
Signatur certâ Curia quæque notâ.
Stultaque pars populi, quæ ſit ſua curia, neſcit:
Sed facit extremâ ſacra relata die.
Eſt honor & tumulis. animas placate paternas;
Parvaque in extinctas munera ferte pyras.

Parva

*Curio* ergo, quaſi ille qui curiæ præerat, Fornacalia feſta indicebat. nam non erant ſtata. *Curio Maximus indicit: nec ſtata ſacra.*] Hic caput & ἔξαρχος XXX. Curionum. Hujus auctoritate, Curiæ & illi regebantur. Græce diceres ἀρχιλοχαγόν. Curiones enim Dionyſius φρατριάρχας καὶ λοχαγοὺς appellavit: inde Curialium conventus φρατριακῶν σύνοδοι. Et obſervandum, Curionem maximum ad annum V. C. DXLIV. ſemper ex patribus creatum, ex plebe vero deinceps. Liv. lib. 27. *Legitimis verbis.*] Ut illa apud Arnob. lib. 7. LAVATIO DEUM MATRIS EST HODIE. JOVIS EPULUM CRAS EST, &c. *Legitimum* erat, quicquid certa formula dicebatur ſive ediſcebatur.

528. *Indicit.*] Hic Curiones ſive Curiones in Carmine Saliari, hoc eſt, Calatores, ſive Sacrorum præcones. *Neap.*

529. *Multa tabella.*] Nam à ſingulis curiis ſingulæ tabellæ, & erant numero quinque & triginta. Romulus triginta inſtituit, ſed poſtea quinque ſuperadditæ fuere. *P.* *Pendente tabella.*] In eâ exaratum, ut hæc populi pars in Titia curia cogeretur, pars in Tifata, pars in Sancia, reliqua in attributis cuique curiis; hæ velut ædiculæ erant, in quibus, qui urbem colerent, ſingillatim in ſua quiſque ſacra faceret. *Neapol.*

532. *Sacra relicta.*] Opt. Ambroſ. Voſſ. Arond. Mazar. & tres alii *relata*. bene. ſacra in diem extremum relata. paulo ante dixerat,

*Et referunt certi ſacra paterna dies.*

lib: I.

*Reſpiciet Titan actas ubi tertius Idus,*
*Fient Parrhaſia ſacra relata Deæ.*

ſic *ferre* & *referre leges* vel *jura*. Martialis lib. VI.

*Julia lex populis ex quo, Fauſtine, relata eſt.*

ita quidam ſcripti. non *renata*. quod tamen non damno. Propert. libro I. Eleg. V.

*Et vetera oblitis jura referre foris.*

quomodo Notis ad præcedentem librum illa caſtiganda eſſe monuimus ex veſtigiis membranarum. nunc *jura refer ſociis* illic ſcribitur inconcinne. *Heinſ.* *Die extrema.*] Extrema parte diei, poſteaquam cæteri ſacrificium abſolviſſent. *P.*

533. *Eſt honor & tumulus.*] Quirinalibus Feralia ſuccedebant, ſed poſt dies tres. In his juſta piis manibus ſolvebantur: quod hoc etiam menſe Græci peragebant. Heſych. *Μιαραὶ ἡμέραι τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνός*, &c. Notum Antheſterionem inter menſes Atticos Februarii & Martii Romani partem complexum. *Neapol.*

534. *In exſtructas munera ferre pyras.*] *In exſtinctas pyras* Mazar. & unus Vatic. recte. tumulos & ſepulcra intelligit. ſic lib. V.

*Et tamen extinctæ cineri ſua dona ferebat,*
*Compoſitique nepos buſta piabat avi.*

Idem Mazar. *ferte pyras*. Lege,

*Eſt honor & tumulis, animas placate paternas,*
*Parvaque in extinctas munera ferte pyras.* Heinſ.

535. *Pietas*

Parva petunt Manes. pietas pro divite grata eſt
Munere. non avidos Styx habet ima Deos.
Tegula projectis ſatis eſt velata coronis;
Et ſparſæ fruges; parcaque mica ſalis:
Inque mero mollita Ceres, violæque ſolutæ.
Hæc habeat mediâ teſta relicta viâ.
Nec majora veto: ſed & his placabilis umbra eſt.
Adde preces poſitis & ſua verba focis.
Hunc morem Æneas pietatis idoneus auctor
Attulit in terras, juſte Latine, tuas.
Illè patris Genio ſolennia dona ferebat;

Hinc

535. *Pietas pro divite grata eſt Munere.*] Malo *gratis.* ut τὸ *eſt* ſubintelligatur. Pietas apud gratos manes eſt pro magno munere. *Idem.*

537. *Tegula porrectis.*] *Prorectis* excerpta Politiani & unus Medic. Lege *projectis coronis.* & ſic alter Maz. pro diverſa lectione. Coronæ poſt exacta convivia à domum abeuntibus projiciebantur. Amor. I. El. VI.

*At tu non latis detracta corona capillis,*
*Dura ſuper totâ limina nocte jace.*
*Tu domina, cum te projectum mane videbit,*
*Temporis abſumti tam male teſtis eris.*

Epiſtola Cydippæ,

*Projicit ipſe ſuas deductâ fronte coronas,*
*Spiſſaque de nitidis tergit amoma comis.*

Val. Max. lib. VI. cap. IX. *coronam capiti detractam projecit.* Idem. *Velata coronis.*] Hæ etiam ſolitæ in ſepulchra mortuorum afferri: ideo eædem Noſtro, lib. III. Triſt. ſunt *Feralia munera.* Et in lapide priſco hæc lego: ET AD MONUMENTUM ITUM ADITUM AMBITUM ADQUE HAUSTUM CORONARE VESCI MORTUUM MORTUAS MORTUOSVE OSSA INFERRE UT LICEAT. Scito hæc non omnibus paruiſſe, ſed iis quibus à monumenti domino permiſſum. quibus non nominatim excipiebantur. *N.*

538. *Et ſparſa fruges, parvaque mica ſalis.*] Quidam ex melioribus *ſparſaque.* non male. Urſin. Petav. & unus Vatic. *parcaque.* Puto.

*Et parca fruges, parcaque mica ſalis.*

parum molæ ſalſæ. *Heinſ.*

539. *Inque mero mollita Ceres.*] Hæc aut panis vino madidus. aut farina vino ſubacta. Vide Feſtum. *Neap.*

540. *Teſta relicta via.*] *Teſta reperta* Naugerianus. non male. Lego tamen *relecta.* pro recollecta. ut apud Horatium, *Omnem relegit idibus pecuniam* pro recollegit, fractam teſtam & inutilem innuit. *curtam* dixit infra vſ. 645. ubi vide quæ notamus. ſimile mendum ſuſtulimus Met. VIII. vſ. 173. ubi *filo relicto* pro *relecto* male legebatur. *Heinſ.*

541. *Nec majora veto.*] Multum ſane conſumſit antiquitas in his epulis monumentariis. Vide Tertullianum de reſurrect. carnis. *Neapol.* *Nec veto majora.*] Non prohibeo, quod majora facias ſacrificia.

544. *O juſte Latine.*] Latinum genitum ex Fauno & Marica nympha Virgil. dixit. *Paul.* *In terras, juſte Latine.*] Bene in Latium: nam ritus antiquior & à Plutone initium ſuum habuit. Vide & Diod. Sicul. lib. V.

545. *Solemnia dona.*] Prima tulit ille patris reliquiis in Sicilia noſtra ubi conditæ. *Neapol.* *Genio patris.*] Deo loci: pro ipſo loco, in quo pater erat ſepultus.

546. *Edi-*

Digitized by Google

Hinc populi ritus edidicêre pios.
At quondam, dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella, Parentales deſeruêre dies.
Non impune fuit. nam dicitur omine ab iſto
Roma ſuburbanis incaluiſſe rogis.
Vix equidem credo: buſtis exîſſe feruntur,
Et tacitæ queſti tempora noctis avi.
Perque vias Urbis, Latioſque ululaſſe per agros
Deformes animas vulgus inane, ferunt.
Poſt ea præteriti tumulis redduntur honores;
Prodigiiſque venit funeribuſque modus.
Dum tamen hæc fiunt, viduæ ceſſate puellæ:
Exſpectet puros pinea tæda dies.
Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas haſta recurva comas.

Conde

546. *Edidicêre novos.* ] *Pios* plerique ſcripti. Arond. *ſuos.* Heinſ.

547. *Gerunt pugnacibus armis Bella.* ] *Legunt* Maz. Voſſ. Zulich. Idem Maz. & duo alii *deſeruiſſe* ſequenti verſu pro *deſeruere*. Idem.

548. *Déſeruere dies parentales.* ] Diem parentalium ſacrorum, in quibus pro parentibus ſeu majoribus extinctis epulæ ſepulchris ferebantur. *Paul.* *Parentales deſeruere dies.* ] Tibi ſit in hoc fides, mi magiſter: nam ſi eam annalium ſequimur, non meminimus legiſſe, Parentalia aliquando ob bella intermiſſa. *Neapol.*

550. *Suburbanis rogis.* ] Hi enim ante urbem excitabantur. *Neap.*

553. *Latoſque ululaſſe per agros.* ] Voſſianus *Latioſque.* ut & tres Medicei. haud dubie recte. ſic lib. III.

—— *quid in Latios illa veniret agros?*
lib. V.

*Exul ab Arcadia Latios Evander in agros*
*Venerat.*

Met. XIV. ex antiquis libris, *Latios errat veſana per agros.* plurimi *latos ululaſſe.* mox pro *fiens* meliores *fiunt.* Heinſ.

556. *Prodigiiſque venit funeribuſque.* ] Has ſpecies miraculorum repulſas vide in Arnobio lib. VII. adverſus Gentes.

557. *Vidua ceſſate puella.* ] His igitur diebus vitabantur viduis nuptiæ, ut novis feriis & atris aliquot lucibus: ſed ferias minime religioſas ajebat olim ſolus Verrius Flaccus, idque non futili ratione. Vide Macrob. I. Saturnal. *Neap.*

558. *Exoptat puros.* ] Ac ſi hi impuris ita eſt; nec alia cauſa dixerunt Græci τοῦ Ἀνθεστηριῶνος ἡμέρας μιαρὰς, ut ex Heſychio probavimus. *Pinea teda.* ] *Pinea*, an *ſpinea* legendum, in incerto eſt, cum ſpinus & pinus utraque pro face novis nuptis in uſu fuerit. Illud maneo, accenſam è foculo maritæ, non viri. Varro apud Nonium de vita P. R.

559. *Matura videbere matri.* ] Idem vetat cuique virgini, ætate etiam nubili. *Neap.*

560. *Haſta recurva comas.* ] Hæc acus celibaris, diverſa ab acu comatoria, qua compago crinium ſuſtinebatur, & quæ Græcis βελόνας. De celibari vide Feſtum & Plutàrch. qui δοράτιον vocat, ut

Noſter

Digitized by Google

Conde tuas, Hymenææ, faces; & ab ignibus atris
Aufer. habent alias mœſta ſepulcra faces.
Dî quoque templorum foribus celentur opertis:
Thure vacent aræ: ſtentque ſine igne foci.
Nunc animæ tenues, & corpora functa ſepulcris
Errant: nunc poſito paſcitur umbra cibo.
Nec tamen hæc ultra, quam tot de menſe ſuperſint
Luciferi, quot habent carmina noſtra pedes.
Hanc, quia juſta ferunt, dixêre Feralia lucem.
Ultima placandis manibus illa dies.
Ecce anus in mediis reſidens annoſa puellis,
Sacra facit Tacitæ: vix tamen ipſa tacet.

Et

Noſter in Quæſtionibus Romanis. *Neapol.*

561. *Conde tuas Hymenae faces.*] Κύρυς γαμηλίυς. *Neap.*

563. *Foribus celentur opertis.*] Ut arcerentur ab aſpectu funeſto: qua de cauſa hoc etiam vetitum iis qui rem ſacram facturi erant, ut Pontifici, flamini Diali & aliis miniſtris: quin ſtatuas Deorum in viis poſitas, ſi illac funeſtum aliquod transferendum erat, panno velatas memini legiſſe. *Neapol.*

567. *Nec tamen hoc ultra, quam cum de menſe ſuperſunt.*] *Hæc* meliores, & *tot de menſe ſuperſint.* optime. ſequens pentameter confirmat. *Heinſ.*

568. *Quot habent carmina noſtra pedes.*] Si recte verba capio, oſtendit. XII. Kalendas Februarias finita Feralia: ſic remanent è menſe dies undecim, & his includo diem ipſum Feralem; in quo Vates aberrat à veteribus Kalendariis, quibus Feralia ſunt die XXI. Februarii. Suſpicor ego, incepiſſe Feralia à VI. Idus, terminataque XII. Kalendas; hæc inquit, non ultra, *cum tot de menſe ſuperſunt.* Et non elicitur ex his; per undecim dies continuata Feralia; ſed per aliquot: nam ſupra dixit, *dies parentales.* Vide & Athenæum lib. III. de Februarii etymo. *Neap.*

569. *Hanc quia juſta, &c.*] Ab hoc igitur, quod epulæ ſepulchris ferantur, feralis dies dicta eſt, & *feralia ſacra.*

571. *Ecce anus in mediis.*] Recenſet nunc quid actum ultima Feralium luce. Ut vides, anicula cum puellulis nymphæ Mutæ neſcio quid magicum parant. Præerat hæc Dea compeſcendis linguis. Debet Regi Numæ ſuum cultum. Vide & Plutarch. nunc ambigas quid velint hoc ſacrificio veteres, & cur potiſſimum Parentalibus adjunxerint: forſan ut nos edocerent, manes convicio non laceſſendos. *Neap.*

572. *Tacita.*] Deæ Mutæ. *Nec tamen ipſa tacet.*] Quia ſilentibus utitur. *Nec tamen ipſa tacet.*] *Vix tamen* ex melioribus nonnulli. pro *anus annoſa* ſuperiori verſu, quod paulo durius videtur, *vinoſa* malim. hoc enim ſi volebat, poterat *longæva* aut *grandæva* dixiſſe. certe liber Gottorph. *animoſa.* mox dicet, *ebriaque exit anus.* Anus vino deditas eſſe notum eſt. qualis illa apud Plautum merobiba. & apud Græcos comicos paſſim lib. V. Faſt. de ſacris Bacchi,

*Cur anus hoc faciat quæris? vinoſior ætas*
*Hæc erat, & gravidæ munera vitis amat.*

ſic *vinoſus ſenex* Anacreon Noſtro. l. III. Art. dictus, & *Homerus* Horatio *vinoſus.* Propertius lib. IV. Eleg. V.

*Terra tuum ſpinis obducat, lena, ſepulchrum,*

Et

Et digitis tria thura tribus ſub limine ponit,
Qua brevis occultum mus ſibi fecit iter.
Tum cantata ligat cum fuſco licia rhombo;
Et ſeptem nigras verſat in ore fabas.
Quodque pice adſtrinxit, quod acu trajecit ahenâ,
Ob-

*Et vetula invisam ſentiat umbra ſitim.*

ita locum mendoſum eſſe ſcribendum opinor. de quo pluribus ad ipſum Propertium. *Heinſ.*

573. *Ponit tria thura.*] Id eſt, tria thuris grana. *Sub limine.*] Et cur ſub limine: qua tranſituri eſſent detractores, quorum linguas compeſcere volebant. *P.*

574. *Mus ſibi fecit iter.*] Tria igitur grana thuris jacent ad limen, qua murium aditus ad ſua domicilia. *Neap.*

575. *Cantata tenet cum fuſco licia plumbo.*] *Ligat* ſex ex vetuſtioribus, & decem alii. quomodo magicis iſtis in Ciri Virgiliana,

*Terque novena ligat triplici diverſa colore*
*Fila.*

Deinde novi, & plumbum eſſe, quod nigrum vocetur, & eſſe ejus quoque uſum in magicis, contra *albi plumbi* meminiſſe cum alios, tum Lucretium. ſed cum in multis veteribus ſit *bombo*, vel *bumbo*, amplector quod in Politiani codice & uno Patavino pro diverſa lectione erat notatum, *rhombo*. Amor. I. Eleg. VIII. ubi licia cum rhombo conjungit,

*Scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo*
*Licia, quid valeat virus amantis equa.*

Erat enim Rhombus *figura tetrapleuros, non tamen recti anguli* apud Geometras. In rebus magicis trochus eſt ſeu turbo qui rotabatur, liciis nunc verſicoloribus nunc pullis nexus, unde *Stamina rhombi rota* apud Propertium. Heſych. Ῥόμβος, περιφορὰ κινήσει. Suidas κύλινδρον interpretatur. hinc ῥομβεῖν, σφενδονᾶν. & ῥομβώδης παράταξις apud rei militaris ſcriptores & apud Eubulidem comicum, Δημοσθένους ῥομβοστωμυλήθρα, pro Demoſthenicæ linguæ volubilitate eleganter dicitur. apud Theocritum in Pharmaceutria ῥόμβος χάλκεος eſt, quem τροχὸν χάλκεον Scholiaſtes interpretatur. quare poſſit vulgata lectio ferri hoc Ovidii loco, ut rhombus plumbeus ſubintelligatur. apud Propert. *magico torti ſub carmine rhombi.* & *torti magicâ vertigine rhombi* Lucano, lib. VI. Martial. lib. XII. Ep. IX.

*Cum ſecta Colcho luna vapulat rhombo.*

ubi rectius legas *Iölco rhombo.* nam l. IX. idem *Theſſalico Lunam deducere rhombo* dixerat. ſic *Iolcos venenorum ferax* Horatio. apud Propertium etiam male vulgo legitur,

*Colchis Colciacis urat aëna focis.*

pro *Iolciacis.* nam in Theſſaliâ Æſon ab illâ recoctus. In Ciri Virgilianâ,

*Tentat Iolchiacis animum defigere votis.*

quod mendum etiam pleroſque Ovidii codices, ex veterrimis occupavit l. VII. Met. illo verſu,

*Victor Iolciacos intrat cum conjuge portus.* Heinſ.

*Licia.*] Quæ neverit virginea manus. *Cantata.*] Incantata. *Cum fuſco licia plumbo.*] Licia ad implicandas linguas, plumbum ad reprimendas adhibet. *Ant.* *Cum fuſco licia plumbo.*] En utrumque ad rem magicam. Vide Pſellum lib. de Dæmonibus. *Fuſco plumbo.*] Hujus duo genera, nigrum & candidum. Lege cap. Plin. XVI. & ſequens lib. XXXIV.

576. *Nigras verſat in ore fabas.*] Quod actum etiam in Lemuralibus. *Paul.* *Et verſat ſeptem fabas nigras in ore.*] Per fabas nigras mortui referebantur: quibus ut ſilentium datum eſt, ita detrahentibus ſilentium incuteretur.

577. *Quodque pice adſtrinxit.*] Demum

Digitized by Google

Obſutum mænæ torret in igne caput:

Vina

mum caput aut vere humanum, aut ex alia materia huic ſimile, pice linebat, & acu pingebat à cranio ad mentum. legitur in antiquo noſtro codice: *Obſuto mento torret in igne caput.* dein vivis carbonibus admotum, aridum jam vino conſpergebat. *Neap.*

578. *Obſutum mentâ torret in igne caput.*] Diu fateor me hæſiſſe in hoc loco. nam, quod in nonnullis exaratum *mento* offendebam, parum aberat quin *lento igne* ſcribendum arbitrarer. ut Triſt. III. Eleg. XI.

*Et falſum lento torruit igne bovem.*

& mox,

*—— hunc lentis carbonibus uro.*

& Arte Amat.

*Ignibus hic lentis uratur, ut humida tæda.*

ita & alii paſſim. Nunc, dum veterrimos codices conſulo, longe aliter videtur. Naugerianus certe & Urſini, *Obtuſum menta.* Petav. & unus Put. *Obſutum menta.* Zulich. *Obſutum mena.* quomodo & in Mazariniano fuiſſe à manu primâ videtur. Lege *Mana caput.* Singula nunc videamus. primo *Obſutum* bene ſe habet, etſi libri ex fidiſſimis nonnulli *Obtuſum* ſuggerant. Obſuebatur enim acu & pice os mænæ. Virgil. l. IV. Georg.

*—— huic geminæ nares & ſpiritus oris*
*Multa reluctanti obſuitur.*

ita venerandæ vetuſtatis Mediceus. non *obſtruitur* cum vulgatis Florus lib. IV. cap. XII. *unius os ſutum, prius abſciſſa lingua.* Lege *os obſutum*, *obſuta lectica* Suetonio in Tiberio cap. 64. Noſter lib. X. Metam.

*Jamque gravem creſcens uterum perſtrinxerat arbor,*
*Pectoraque obſuerat, collumque operire parabat.*

ita cenſeo ſcribendum, non *obruerat. os conſuere* apud Senecam Ep. XLVII. *ſic fit ut iſti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet. At illi, quibus non tantum coram dominis, ſed cum ipſis erat ſermo, quorum os non conſuebatur, parati erant pro domino porrigere cervicem.* ſic Noſter ſupra, *verubus tranſſuta ſalignis exta.* ubi male multi ex ſcriptis *tranſfixa* vel *tranſjecta.* *tranſſutos OEdipi pedes* dixit Seneca Phœniſſis. Nunc de mæna. Mæna piſciculus marinus, qui Græcis *μαινὶς*, non magni pretii, & ſale condiri ſolitus in vaſis ſive orcis. Hinc Perſius,

*Mænaque quod primâ nondum defecerit orcâ.*

atque hoc eſt quod Martialis vult. l. XII. Ep. XXXII.

*Fuiſſe gerres atque inutiles mænas*
*Odor impudicus urcei fatebatur,*
*Qualem marina viſſit aura piſcina.*

ubi nollem doctiſſimum Rondeletium hæſiſſe, ac *hircii* pro *urcei* repoſuiſſe. Mænas enim ſaliri ſolitas ex Plinii quoque loco non uno apparet. opponit eas acipenſeri Cicero lib. II. de Finibus: *Qui voluptatem contemnunt, eis licet dicere, ſe acipenſerem mænæ non anteponere.* Ad exilitatem earum alludit Martialis, cum *breves mænas* alicubi vocat, ut & Arnobius *cum piſtricum & mænarum dominum* Neptunum appellat. Gloſſæ Stephani, Μενὶς ἰχθύδιον. Lege Μαινὶς: quicquid ordo literarum iſti lectioni repugnat. Hujus uſus plurimus in ſacris inferis, quomodo hic apud Noſtrum. Euſtathius in Homerum: *θύεται μαινὶς τῇ Ἑκάτῃ, ταυτὸν δὲ εἰπεῖν τῇ Σελήνῃ. διὰ τὸ δοκεῖν ἐστιν οἷς μανιῶν αἰτία εἶναι.* Hinc *μαινίδας καὶ τριγλίδας Ἑκάτης βρώματα* vocat Antiphanes ἐν Ἀγροίκῳ apud Athenæum lib. VII. Nihil igitur mirum, ſi Deæ infernæ, qualis Tacita hæc noſtra, idem, qui & Hecatæ, piſcis dedicetur: deinde Deæ Mutæ, mutum animal. Quid quod Mæna Deæ Tacitæ ſacra poteſt videri, ob cognationem nominis, ſiquidem Athenæus lib. VII. docet id in multis obtinuiſſe: ac propterea *τρίγλην* ſacram fuiſſe Hecatæ, quod illa *τριοδῖτις καὶ τρίγληνος* ſit dicta. Ἀπολλόδωρος δὲ ἐν τοῖς περὶ θεῶν, τῇ

Ἑκά-

Ἑκάτῃ φασὶ θύεσθαι τρίγλην διὰ τὴν τοῦ ὀνόματος οἰκειότητα. τρίμορφος γὰρ ἡ θεός. Addit & cauſas, cur citharus piſcis Apollini, Mercurio boces, exocœtus Baccho, Veneri phalaris, aphya Neptuno, atque ita porro piſces alii aliis dis conſecrentur. Eſt autem cognatio nominis inter mænam piſcem & Deam Tacitam, quod illa etiam Mania ſit dicta. Mania certe Macrobio in Saturnalibus & Arnobio mater Larum, quemadmodum Noſtro & Plutarcho in Numâ Tacita. Eandem Laram & deam Mutam vocat Lactantius, quomodo & Noſter paulò poſt appellabit. Alii Larundam. ſed Maniæ nomen illi proprium fuiſſe in carminibus Saliaribus ex Varrone lib. VIII. L. L. diſcimus. Mænam igitur cum Euſtathius loco ſupra jam allato deducere videatur ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, ac Furias etiam ſeu Eumenidas μανίας dictas fuiſſe ex Pauſania liqueat, nihil impedit nomen maniæ inde quoque derivari. Caput præterea mænæ ad fulmen expiandum adhiberi Plutarchus nos docet, eumque ritum à Numâ promanaſſe, In cujus vitâ, fabulam de Jove Elicio recenſens à Noſtro quoque narratam libro Faſt. III. hæc addit inter alia, ἐπεὶ δὲ ἔγνωσαν ἑαλωκότες ἰσχυρὰν καὶ ἄφυκτον ἅλωσιν, ἄλλα τε προθεσπίσαι πολλὰ τῶν μελλόντων καὶ τὸν ἐπὶ τοῖς κεραυνοῖς ἐκδιδάξαι καθαρμὸν, ὃς ποιεῖται μέχρι νῦν διὰ κρεμμύων, καὶ τριχῶν, καὶ μαινίδων, ἔνιοι δὲ οὐ τοὺς δαίμονάς φασιν ὑποθέσθαι τὸν καθαρμὸν, ἀλλ᾽ ἐκείνους μὲν καταγαγεῖν τὸν Δία μαγεύσαντας. τὸν δὲ θεὸν ὀργιζόμενον τῷ Νουμᾷ, προστάσσειν ὡς χρὴ γενέσθαι τὸν καθαρμὸν κεφαλαῖς. ὑπολαβόντος δὲ τοῦ Νουμᾶ, κρομμύων, εἰπεῖν, ἀνθρώπων τὸν δὲ αὖθις ἐκτρέποντα τὸ τοῦ προστάγματος, δεινὸν, ἐπερέσθαι θριξίν. ἀποκριναμένου δὲ τοῦ Διὸς ἐμψύχοις, ἐπαγαγεῖν τὸν Νουμᾶν μαινίσι. Arnobius initio lib. V. ubi ex Val. Antiate eandem rem narrat, *Jovem diu cunctatum expiabis dixe capite fulgurita, regem reſpondiſſe capitio, Jovem rurſus, humano: retuliſſe regem, ſed capillo. Deum contra, anima, mana ſubjeciſſe Pompilium.* Ita ſcribendus locus mendoſiſſimus. vulgati, *piſcis ſubjeciſſe Pompilium.* ſed codex Regius Τὸ *piſcis* non agnoſcit. vox *anima* abſorpſerat ſequentem vocem *mana* ob cognationem literarum, quod & alii jam ſunt ſubodorati. Apud Plautum Pœnulo Act. V. ſc. V. *Deglupta mana.* ut libri meliores agnoſcunt illic. cujus loci opportune me admonuit ocellus ille bonarum artium Gronovius meus. Male viri eruditi ex *mana* illic *Manadem* concinnant. *Degluptam manam* vocat lepide hominem glabrum & nullius pretii. recte etiam fœmineum piſciculi molliuſculi nomen dat cinædo. Sic Fidus Cornelius Naſonis Gener Corbuloni *Struthiocamelus depilatus* dicitur apud Senecam de Conſtantia ſapientis. Præterea hominem fœtidum & male olentem hoc convitio deſignat, quomodo *halec viri* paulo ante dixerat. ita enim ſcribo. *Hálec viri* igitur, *fax viri*, & quidem ſalſamentaria, quæ omnium putidiſſime olet. unde & *putre halec* Martiali dicitur. Pergit conviciando Plautus, & addit ἀλλαγορᾶς *hama.* ita enim rectius leges cum Ms. Camerarii, quam ἁλὸς ἀγορᾶς. ἀλλαγορὰ. Forum ſalſamentarium hamæ vaſis odor eſt ingratus. Fœtorem quoque hominis deſignat, cum *alli ulpicique plenum* paulo poſt nuncupat. Salſamenta autem eſſe graviſſimi odoris quis neſcit? quod jam ſupra in loco Martialis de urceo, in quo mænæ fuerant conditæ, vidimus; qui ad illuſtrationem hujus Plautini nonnihil facit. Denique mænarum etiam Noſter meminit in Halieutico,

*Fœcundumque genus Mana Lamyroſque Smariſque.*

Ita enim eſt ſcribendum. Atque hæc pluribus forte, quam par erat. ſed in loco hactenus non intellecto ſi feliciter, ut ſpero, verſati ſumus, periculum non eſt, ne dicamur nimii fuiſſe. *Heinſ.*

Vina quoque inſtillat. vini, quodcunque relictum eſt,
Aut ipſa, aut comites, plus tamen ipſa, bibit.
Hoſtiles linguas, inimicaque vinximus ora,
Dicit diſcedens, ebriaque exit anus.
Forſitan à nobis, quæ ſit Dea Muta, requiras.
Diſce, per antiquos quæ mihi nota ſenes.
Jupiter indomito Juturnæ captus amore
Multa tulit, tanto non-patienda Deo.
Illa modo in ſilvis inter coryleta latebat:
Nunc in cognatas deſiliebat aquas.
Convocat hic Nymphas, Latium, quotcunque tenebas:
Et jacit in medio talia verba choro:
Invidet ipſa ſibi, vitatque, quod expedit illi,
Veſtra ſoror ſummo jungere membra Deo.
Conſulite ambobus: nam quæ mea magna voluptas,
Utilitas veſtræ magna ſororis erit.
Vos illi in primâ fugienti obſiſtite ripâ,
Ne ſua flumineâ corpora mergat aquâ.
Dixerat: annuerunt omnes Tiberinides udæ,

Quæ-

581. *Hoſtiles linguas, &c.*] Egreditur poſtea è loco anus, peracto ſacro, & dicit anus Vinximus, id eſt, alligavimus. *Vinximus ora.*] Proprie dixerunt veteres, cum arte magica quidam functione aliqua prohibebatur, ut à ſaga hic linguæ uſus maledici. *Neap.*

583. *Protinus à nobis requires.*] *Forſitan requiras* duo veteres. ut ſæpe alibi. *Heinſ.*

585. *Immedico Juturna victus amore.*] *Indomito captus amore* libri meliores magno numero. quidam tamen *victus*. de quo infra lib. IV. Faſt. vſ. 224. *Idem.*

587. *Inter coryleta jacebat.*] *Latebat* rectius Voſſ. & tres alii.

589. *Latium quacunque tenebant.*] *Quotcunque* unus Med. alius, *quotcunque tenebas.* venuſte. *Idem.*

591. *Summo concubuiſſe Deo.*] *Jungere membra* meliores magno numero cum paimâ editione. vide notas Rem. Am. vſ. 407. Propertius tamen *Dicitur & nuda concubuiſſe dea* de Endymione lib. II. Eleg. XV. *ſummo Jovi* codex Pom. Læti. quomodo Virgil. & alii. Noſter ipſe ſupra hoc libro, ut eſt in nonnullis codicibus, *Inque Jovis ſummi caditur arce bidens.* Idem.

593. *Nam qua mea magna voluptas.*] *Nam qua eſt* meliores plerique. Placet *nam quod* cum uno Mediceo. Gottorph. *quoniam.* Idem.

596. *Flumineа corpora mergat aqua.*] Duo libri *mandet.* Puto, *flumineа corpora mandet aqua.* Attius Philoctete apud Ciceronem lib. II. Tuſcul.

*Heu quis ſalſis fluctibu' mandet*
*Me ex ſublimi vertice ſaxi?*

Idem.

597. *Annuerant nympha Tyberinides omnes.*] Primo *annuerunt* cum Naugeriano & uno Mediceo legendum. deinde

Digitized by Google

Quæque colunt thalamos, Ilia diva, tuos.
Forte fuit Nais, Lara nomine: prima ſed illi
Dicta bis antiquum ſyllaba nomen erat,
Ex vitio poſitum. ſæpe illi dixerat Almo,
Nata, tene linguam. nec tamen illa tenet,
Quæ, ſimul ac tetigit Juturnæ ſtagna ſororis,
Effuge, ait, ripas: dicta refertque Jovis.
Illa etiam Junonem adiit: miſerataque nuptam,
Naïda Juturnam vir tuus, inquit, amat.
Jupiter intumuit: quaque eſt non uſa modeſtè,



deſcripti plerique *omnes Tyberinides unda*. duo, *nympha Tyberinidos unda*. Lege *omnes Tyberinides uda*. Similes errores notavi Epiſt. VI. vſ. 107. *Heinſ.* *Omnes unda Tyberinides.*] Omnes nymphæ Tyberinides.

598. *Quæ colunt thalamos tuos.*] Nymphæ quæ colunt Anienem fluvium. *Ilia diva.*] Lege, *Ilia dia.* ut apud Ennium,

*Ilia dia nepos, quantas ærumnas tetuliſti?*

Idem Annal. I. apud Servium lib. III. Georg.

*Divum ex ſe Anchiſen generat.*

ubi *Pium* perperam nunc ſcribitur claudicante verſu. ſic Homero ſæpe δῖος Ἀχιλλεὺς & δῖος Ὀδυσσεὺς, & δῖα γυναικῶν & δῖα θεάων. δῖα Θεανὼ Iliad. & δῖα Καλυψώ. Odyſſ. E. etiam de civitatibus. ſic Ἤλιδα δῖαν habes Iliad. Ϛ. & δῖαν Ἀρίσβην Odyſſ. Γ. Λακεδαίμονα δῖαν, & ſimilia. *dia Camilla* Virgilio. Plura vide lib. IV. Met. v. 535. Fl. Soſipatro *dius Ulyſſes* quoque dicitur. ubi de tropis agit. quomodo in veteri codice ejus legi monet Pierius Valerianus ad lib. II. Æneïdos Virgilianæ. *Heinſ.*

599. *Forte fuit Nais Lar nomine.*] *Lara* Mazar. Zulich. Læti, & ſex alii. quomodo & ex Lactantio Neapolis. optime. *Lara* etiam eſt Varroni. *Lala* antiquis dicta, ἀπὸ τοῦ λαλεῖν. Hoc vult Ovidius. *Idem.* *Lar nomine.*] Legend. *Lara nomine.* Firmianus: *Quis cum audiat Deam Mutam, tenere riſum queat? hanc eſſe dicunt ex qua nati Lares, & ipſam Laram nominant vel Larundam.* quod veriſſimum. *Prima ſed illi Dicta bis ſyllaba.*] Lalara, inquit, fuit ei primum nomen. *Neap.*

600. *Sed antiquum nomen erat illi.*] Syllaba prima bis dicta: hoc eſt, *Lala.*

601. *Poſitum ex vitio.*] Hoc eſt, ex garrulitate linguæ. λαλέω enim Græce loquor. *Sæpe Almo.*] Qui erat ejus pater. Almo fluvius eſt paulo extra urbem, via Hoſtienſi, qui ex paludibus oritur, non longe à templo divi Pauli. *Paul.* *Dixerat Almo.*] *Almon* opt. Ambroſ. & unus Patav. ſic & lib. XIV. Met. veteres nonnulli, & lib. IV. Faſt. vſ. 338. *Heinſ.*

602. *Nata tene linguam.*] Fingit hanc Naïdem Almone natam. *Neap.*

603. *Juturnæ ſororis.*] Lacus Juturnæ erat juxta Pallantium, non longe à templo Veſtæ.

605. *Miſerataque nuptas.*] *Nuptam* rectius nonnulli. alii *nympha* vel *nympham.* Heinſ.

607. *Quaque eſt non uſa modeſte.*] Malim, *quaque eſt minus uſa modeſte.* Idem. *Quaque eſt non uſa modeſte.*] Non ſano modo. ſic Cic. *Prima commendatio proficiſcitur à modeſtia. Quem tum moderatum, alias modeſtum & temperantem vocamus.* Livius etiam hoc explicat: *Rebus ſecundis modeſte ac moderate utendum.* Et Plaut. in Bacchid. 4. 7. *ſine modo & modeſtia ſum. In modeſtia enim modus eſt.*

Eripuit linguam: Mercuriumque monet;
Duc hanc ad Manes: locus ille ſilentibus aptus.
Nympha, ſed infernæ Nympha paludis, erit.
Juſſa Jovis fiunt. accepit lucus euntes.
Dicitur illa duci tum placuiſſe Deo.
Vim parat hic: vultu pro verbis illa precatur;
Et fruſtra muto nititur ore loqui.
Fitque gravis, geminoſque parit, qui compita ſervant,
Et vigilant noſtrâ ſemper in urbe, Lares.

PRoxima cognati dixêre Cariſtia cari,
Et venit ad ſocias turba propinqua dapes.

Sci-

Cic. 2. Offic. Hinc explicatur illud Taciti 2. Annal. *Modeſtia hyemis.* Hæc eſt illa σωφροσύνη.

608. *Me uriumque rogat.* ] *Monet* Urſini, Voſſ. Zulich. Maz. & quatuor alii. rectius. & pro *Eripit huic*, *Eripuit* iidem. Forte,

*—— Mercuriumque monet,*
*Ducat ut ad manes.*

vel etiam, cum libri proximo Pentametro nonnulli habeant *Nympham hac inferna*, legi poſſit,

*Duc hanc ad manes (locus ille ſilentibus aptus)*
*Nympham, ait: inferna nympha paludis erit.*

Heinſ.

612. *Duci tum placuiſſe ſuo.* ] *Placuiſſe Deo* ſcripti plerique cum primâ editione *Idem. Duci deo.* ] Hinc ψυχοσόλος Ἑρμῆς. Tryphiod. ψυχοπομπός. ψυχαγωγὸς πομπαῖος. Æſchyl. Eumen. Νεκροπομπός. Lucian. in Dial. Mercur. & Majæ.

615. *Fitque gravis, &c.* ] Ex Mercurio facta eſt illa gravida, peperitque duos filios, qui appellati ſunt Lares, & præſunt cuſtodiæ urbis, & ſervant compita. *Geminoſque parit.* ] Hæc igitur Larunda ſive Diva Muta, eſt Mania Macrobii. *Neap.*

616. *Semper in æde Lares.* ] *In urbe* ſcripti iidem. recte. Lares enim non familiares tantum, ſed publicos etiam ſeu viales deſignat, qui in compitis colebantur. *Heinſ.*

617. *Próxima cognati, &c.* ] Inter feralia pro mortuis ſacrificia convivium fit inter cognatos & affines, undecimo calendas Martias, hoc eſt, decimonono die Februarii. De quo Valerius, ita Convivium etiam ſolenne majores inſtituerunt, idque *Chariſtia* appellavere, cui præter cognatos & affines nemo intererat: ut ſi qua inter neceſſarias perſonas querela orta eſſet, inter ſacra menſæ, & inter hilaritatem animorum, adhibitis concordiæ fautoribus tolleretur. *Proxima cognati dixere Chariſtia.* ] VIII. Kalendas Martias erant Chariſtia. Bene Kalendarium Conſtantini Magni: IX. FERALIA. VIII. CHARISTIA. VII. TERMINALIA, in Rureſtri, poſt Parentalia & Lupercalia, legitur, CARA COGNAT. mallem CARI COGNAT. id eſt, Cariſtia cognatorum. Vide Valer. lib. II. cap. I. *Convivium etiam ſolemne majores inſtituerunt, idque Chariſtia appellarunt, &c.* Dies ergo ille totus deditus conviviis. hinc eundem, *Feſtum epularum* dixerunt. *Neap.*

618. *Ad ſocios turba propinqua Deos.* Pro diverſa lectione in quatuor ſcriptis *dapes* inveni. in uno *patres.* in alio *cibos.* Quare arduum non fuit *ſocias dapes* conjectare. quod unus Mediceus poſtea confirmavit. *ſocias dapes* vocat ea convivia, quibus feſtum illud dabatur.

Scilicet à tumulis, &, qui periêre, propinquis,
Protinus ad vivos ora referre juvat:
Poſtque tot amiſſos, quidquid de ſanguine reſtat,
Adſpicere; & generis dinumerare gradus.
Innocui veniant: procul hinc procul impius eſto
Frater, & in partus mater acerba ſuos:
Cui pater eſt vivax, qui matris digerit annos,
Quæ premit inviſam ſocrus iniqua nurum.
Tantalidæ fratres abſint, & Iäſonis uxor,
Et quæ ruricolis ſemina toſta dedit:
Et ſoror, & Progne, Tereuſque duabus iniquus:
Et quicunque ſuas per ſcelus auget opes.
Dîs generis date thura boni. Concordia fertur
Illo præcipuè mitis adeſſe die.

Et

tur. Vide quæ notat Illuſtriſſ. Neapolis ad hunc locum. Gloſſæ Steph. *Cara cognatio*, Τιμὴ συγγενείας. Martial. lib. IX. Ep. IV.

*Cara daret ſolenne tibi cognatio munus.*

Quo alludens *caros* etiam pro cognatis poſuit Auſonius præfatione Parentalium, & carm. IX. *ſocia dapes*, ut alibi *ſocii lares* & *penates*. de quibus nonnihil epiſtola V. vſ. 126. & *ſociare hoſpitia, menſas, penates*, & ſimilia. hic Valerio Flacco *jungere Penates*, pro hoſpitale fœdus inire, libri tertii initio,

—— *manibuſque datis junxere penates.*

ut vere reſtituit Gronovius noſter. *Sacrare laribus fidem* idem Valerius eodem libro,

*Nec tibi Theſſalicos tunc profuit, Ornyte, reges*
*Hoſpitiis, aut mente moras fovíſſe benigna,*
*Et Laribus ſacraſſe fidem.*

ubi *diem* perperam nunc legitur de Chalybum gente idem lib. IV. *Hoſpitii quis nulla fides. Fidas hoſpitis ædes* Noſter dixit lib. VI. Faſt. v. vſ. 689. ut illic recte codices ſcripti. *Heinſ.*

623. *Innocui veniant.* ] Arcet ab hac menſa Atreos & Thyeſtes, Medeas & Inones, Philomelas & Prognes, Tereos, & tandem capita quæ bona ſceleri & crimini debent. *Neap.*

624. *In partus mater acerba ſuos.* ] *Tuos* rectius codex Hamburgenſis. *Heinſ.*

627. *Fratres Tantalidæ.* ] Fratres Tantalidis ſimiles, ut Atreus & Thyeſtes fuere, Tantali nepotes, Pelopis filii.

628. *Ruricolis.* ] Agricolis: Ino Phryxi & Helles noverca, Athamantis uxor agricolis aduſta ſemina dabat: quæ cum minime naſcerentur, ſequuta eſt annonæ caritas, &c.

631. *Dis generis date thura boni.* ] *Bonis* multi ex ſcriptis. ut in illo Virgiliano, *vos ô mihi manes Eſte boni.* ubi videatur Servius. *Heinſ.* *Diis generis.* ] Diis ejuſdem cognationis. *Concordia.* ] Dea. *Paul.* *Dis generis date thura boni.* ] Vos mentes recti conſciæ. In antiquo meo eſt, *date thura bonis.* Non reprobo ſcripturam: nam boni manes, & boni lemures (alios vocarunt noxios & averſos) erant dii lares, quibus modo ſupplicabant pro incolumitate reliquæ familiæ. huc ſpectat vetus hic lapis: LARIBUS PRO SALUTE ET INCOLUMITATE DOMUS Q. SERTORII. *Neap.*

 633. *Ut*

Et libate dapes: ut grati pignus honoris
Nutriat incinctos miſſa patella Lares.
Jamque ubi ſuadebit placidos nox ultima ſomnos,
Parca precaturæ ſumite vina manus.

Et,

633. *Ut grati pignus amoris Nutriat intinctos miſſa patella cibos.*] *Grati pignus honoris* Voſſ. Arond. Urſin. Petav. Zulich. & multi alii melioris notæ, ut in Triſt. III. El. IV.

*Ante volebatis, gratique erat inſtar honoris,*
*Verſibus in noſtris nomina veſtra legi.*

ſic recte vetus liber. Martial. Apophor. Ep. XXXIV.

*Militiæ decus en, grati geſtamen honoris!*
*Arma tribunitium cingere digna latus.*

Ita verſus iſti videntur eſſe legendi de Parazonio, ex veſtigiis veterrimorum codicum. Cæterum pro *Nutriat intinctos cibos*, quod Latinum non eſt, *inventos cibos* Hamburg. *intactos cibos* Arond. *immiſſos cibos* undecim alii. quinque *incinctos cibos* Voſſ. *intinctos Lares.* quomodo Zulich. & Mazar. à manu primâ. cujus ſcripturæ fugitiva etiamnum veſtigia apparebant. Lege nulla fere mutatione & conjectura indubitata, *incinctos Lares.* Lares enim in marmoribus ac ſignis æneis antiquis exprimuntur incincti, ſeu ſuccincti. ut Perſius loquitur,

*Cum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,*
*Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit.*

ſic *incincta Diana* & *incincta Hebe* & *incinctus tunica mercator* pro *ſuccinctus* apud Noſtrum. Denique alter Maz. & unus Medic. *uncta patella*, quomodo & Perſio,

*—— unctâ vixiſſe patellâ*
*Semper, & aſſiduo curata cuticula ſole.*

unus Farneſ. *juncta.* Zulich. *juſſa.* Sed cum τὸ *miſſa* vox ſit convivalis, unde & *miſſus* pro cibo, & *miſſilia* pro donis, nil temere mutem. lib. VI.

*Fert miſſos Veſta pura patella cibos.*

& lib. V.

*Accidere in menſas ut roſa miſſa ſolet.*

Art. lib. I.

*Huic detur capiti miſſa corona tuo.*

hinc & *miſſa pullo fruges* apud Livium in auguralis ſacri deſcriptione. *Heinſ.*

634. *Miſſa patella cibos.*] Tibullus alicubi Lares compellans: *Adſitis Divi; nec vos è paupere menſa Dona nec è parvis ſpernite fictilibus.* Quid hic, *parva fictilia*, niſi veteres patellæ? hinc *patellarii Dii* Plauto. & à Varrone ſcriptum: *Deos colere ac dare in patellam, μεμερὴ κρέας.*

635. *Placidos nox humida ſomnos.*] *Nox ultima.* Voſſ. Arondel. Maz. unus Vatic. & Farneſ. haud dubie recte. Atque ita fuerat in Zulichemiano à manu prima. Solenniora apud veteres convivia in multam noctem aut primam quandoque lucem protrahebantur, quod veſpertino tempore inſtituerentur. ſic Met. VI. fabula Prognes,

*—— lucis pars ultima menſa*
*Eſt data, nox ſomno.*

ita codices vetuſti. nam *lucis pars optima*, quod vulgo legitur, contra ritum veterem pugnat, ut dixi illic loci. Bene igitur *nox ultima* hoc loco, ut appareat tempus indulgendo genio fuiſſe datum ſolito ſpatioſius. atque ita Virgilianum illud, *ſuadentque cadentia ſidera ſomnos*, intelligendum eſſe opinor, ut extremam noctis partem deſignet. Propert. lib. IV. El. IV.

*Et jam quarta canit venturam buccina lucem,*
*Ipſaque in Oceanum ſidera lapſa cadunt.*
*Experiar ſomnum.* Heinſ.

636. *Larga precaturi ſumite vina manu.*] *Parca* Mazar. & pro diverſa lectione Voſſianus. optime. ne dubita. Non

enim

Et, bene nos, Patriæ, bene te Pater, optime Cæſar,
Dicite ſuffuſo, ſint rata verba, mero.

Nox

enim pocula deſcribit in ſalutem Principis haurienda, quod volunt interpretes, ſed libationem, quæ parco mero in focum aut menſam effuſo fiebat, ut jam videbimus. duo codices *precatura manu.* unus Medic. *manus.* Lege, *Parca precatura ſumite vina manus*, ut ſupra monuimus. ſic antea hoc libro de Fabiis.

*Sumite gentiles arma profeſſa manus.*

lib. IV.

*Et feriunt molles taurea terga manus.*

Triſt. I.

*Et feriunt mœſta pectora nuda manus.*

Triſt. III.

*Sumite plebeia carmina noſtra manus.*

Idem.

637. *Et bene vos, bene tu patria pater, optime Cæſar.*] *bene te* meliores omnes. recte. de quo vide quæ notavi lib. I. Arte. Am. vſ. 601. Nec accedo codicibus, qui *bene nos* habent. Auguſto Cæſari hic ingenioſe blanditur, idque ex ritu Græcorum, qui finito convivio poculum hauriebant Διὸς σωτῆρος καὶ ἀγαθοῦ δαίμονος dictum, ut ex Athenæo aliiſque ſat liquet. horum loco Ovidius Cæſari Patriæ Patri & Laribus libandum ſuadet. Nam ἀγαθοὶ δαίμονες nihil aliud quam Genii. ut recte Servius etiam notavit ad Georg. III. ἀγαθοὶ δαίμονες, *quos Latine genios vocant*. Genii autem Laribus iidem. Agi autem de vino non bibendo ſed in focum effundendo illud quod ſequitur *ſuffuſo mero* abunde oſtendit, ac proinde *Parca vina* recte ſuperiori verſu à nobis reponi. Appoſite omnino & ad rem Horatius lib. IV. Ovid. V. ad Auguſtum,

*Condit quiſque diem collibus in ſuis,*
*Et vitem viduas ducit ad arbores:*
*Hinc ad vina redit lætus, & alteris*
*Te menſis adhibet deum.*
*Te multâ prece, te proſequitur mero,*
*Defuſo pateris, & Laribus tuum*
*Miſcet numen, uti Græcia Caſtoris,*
*Et magni memor Herculis.*

Hanc libationem etiam Græcis in uſu fuiſſe Athenæus lib. XV. docet. Φιλόχορος ἐν δευτέρῳ Ἀτθίδος καὶ Θεσμόσφησιν, ἐτέθη τότε προσφέρεσθαι μετὰ τὰ σιτία πᾶσιν ἀκρατέμενος, ἓν γεῦμα καὶ δεῖγμα τῆς δυνάμεως τοῦ ἀγαθοῦ θεοῦ. Deinde menſas fuiſſe amotas ex eodem conſtat. quanquam Euſtathius in Odyſſ. Γ. id menſis jam remotis factitari ſolitum aſſeverat. Sed & in conviviis ſi viri principis ſaluti poculum libarent, eidem bene precabantur, ut hic Auguſto Ovidius. Apud Lucianum in Cataplo Megapenthes tyrannus jam mortuus, καὶ μὴν σπένδοντες ἐν τοῖς συμποσίοις, μεγάλῃ τῇ φωνῇ ἐπηύχοντό μοι πολλὰ καὶ ἀγαθά. In eo qnoque gratificatur Auguſto Noſter, atque ex fide hiſtoriæ agit, quod eum Laribus adjungit, cujus Genius inter duos Lares medius in compitis eſſet dedicatus, de quo infra,

*Mille Lares Geniumque ducis, qui tradidit illos,*
*Vrbs habet, & vici numina trina colunt.* Idem.

*Et bene vos.*] Nota formula hæc inter ſcyphos & pocula antiquorum. Vide Plautum in Perſa, Act. V. Scen. I. & in Sticho Act. V. Scen. IV. *Bene tu patria pater optime Cæſar.*] Piaculum enim fuit apud antiquos, in quavis publica ſive privata menſa, ſuo etiam Principi non bene precari. Vide Ambroſ. de Helia & jejunio cap. XVIII. *Neap.*

638. *Dicite ſuffuſo per ſacra verba mero.*] Quidam veteres *poſt ſacra. ſint bona verba* Mazar. Voſſ. Læti, pri. Ambroſ. atque alii nonnulli. In Zulich. Hamb. & Gottorph. *ſint ſacra*. Petav. Arondel. Urſin. & plurimi alii, *in ſacra*, biante verſu. Lege, *ſint rata verba*, vel, *ter rata verba.* aut *ter bona verba*, ut Tibullus lib. II. Eleg. II. *Dicamus bona verba.* Ternarius numerus boni erat augurii, etiam obſervatus apud Græcos. Apoſto-

NOx ubi tranſierit, ſolito celebretur honore
  Separat indicio qui Deus arva ſuo.
Termine, ſive lapis, ſive es defoſſus in agro
  Stipes, ab antiquis ſic quoque numen habes.
Te tua diverſâ domini pro parte coronant;
  Binaque ſerta tibi, binaque liba ferunt.

Ara

poſtolius in Parœmiis. Ἔθος εἶχον οἱ παλαιοὶ μετὰ τὸ δεῖπνον πίνειν ἀγαθοῦ δαίμονος, ἐπιῤῥοχῦντες ἄκρατον, καὶ τοῦτο δὲ τρίτον. Neque aliter in ſacrificiis. Gratius Volcanalium deſcriptione.

*—— des lapſis ultima rebus*
*Auxilia, & meriti ſi nulla eſt noxia tanti,*
*Tot miſerare animas, liceatque attingere fontes,*
*Sancte tuos; ter quiſque vocantes pinguia libant*
*Thura foco.*

Ita verſus iſti ſcribendi. Noſter Faſt. IV. vſ. 778.

*—— hac tu converſus ad ortum*
*Dic ter, & in vivo perlue rore manus.*

Quomodo bene optimi codices. Valerius Flaccus libro I.

*Ipſe ter æquoreo libans carcheſia patri*
*Sic ait Æſonides.*

*ſint rata verba*, ut ſupra hoc libro,

*Tu fore dixiſti: ſint rata dicta Jovis.*

de *ratis votis* ac *verbis*, vide Notas ad Epiſt. XVI. vſ. XV. Noſter lib. ſuperiori,

*Efficiatque ratas utraque diva preces.*

lib. III.

*Vox rata ſit, patrioque vocat de nomine menſem.*

Met. III.

*Prima fide vocisque rata tentamina ſumſit*
*Cærula Liriope.*

quæ vera ſcriptura. ita *ratum opus* in Ibide dixit,

*Quaque ratum triplici pollice netis opus.*

Heinſ.

639. *Nox ubi tranſierit.* ] VII. Kalend. Martias erant feſta Terminalia dies N. P. ut notatur in Kalendariis.

640 *Indicio qui Deus arva ſuo.* ] Is à Numa Pompilio primo cultus & inſtitutus. Ut enim contenti recilis propriis non ambirent alienas, fecit, ut unusquiſque ſuum agellum circumſcriberet, & finibus lapides inſigeret. Vide Dionyſ. lib. II. *Neap.*

641. *Sive lapis, ſive es ſtipes.* ] Ex utroque confecta ſacra illa indicia rei alien : hinc illud: Πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον τὸ δὲ προσκυνῦντες. Inde paſſim & lapidis & ſtipitis nomine terminus exauditur. Tertullianus alicubi, nec fallor, vocavit *palos terminales*, alius *cancellos.* hinc *cancellare*, *cancellatie*, pro limitatione in Siculo Flacco.

642. *Ab antiquis.* ] Hi Græci ſunt, qui τέρμονας dicunt: nos una mutata littera, *terminos.* Neap. *Tu quoque nomen habes.* ] *Numen* cum melioribus legendum. Gottorph. & tres alii, *ſic quoque.* Heinſ.

643. *Te duo diverſa.* ] Agrorum utrimque poſſeſſores. Hoc erat ſacrificium privatum; publicum vero, quod fiebat ἀμφιτεὶ ſexto ab Urbe lapide. de quo Noſter paulo poſt. Vide Plutarch. in vita Numæ. *N.*

644. *Binaque dona ferunt.* ] *Binaque liba* Urſin. Voſſ. Arond. Zulich. Mazar. Nauger. & multi alii cum prima editione. ſupra lib. I.

*Et datè paganis annua liba focis.*

Juvenalis Sat. XVI. appoſite de Termino

*——— ſaxum*
*Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo.*

*pro parte* etiam ſuperiori verſu optimus Ambroſ. Mazar. Zulich. Voſſ. Arondel. & multi alii ex melioribus. *Heinſ.*

645. Huc

Digitized by Google

Ara ſit: huc ignem curto fert ruſtica teſtu
 Sumtum de tepidis ipſa colona focis.
Ligna ſenex minuit: conciſaque conſtruit altè;
 Et ſolidâ ramos figere pugnat humo.
Dum ſicco primas irritat cortice flammas;



645. *Huc ignem curto fert ruſtica teſtu.* ] *Curta teſta* Naug. & quidam alii. *Curto teſto* Urſin. & Mazar. *curto texto* Petav. Zulich. *tecto*, pro *teſto*. Omnia bene. nam *teſtum* idem cum *teſta*. Similis diverſitas lectionum lib. v. Faſt.

*Et fumant teſtu preſſus uterque ſuo.*

Nonius Marcell. *Teſta genere fœminino ſape invenitur: neutro apud obſcura auctoritatis ſed ſummos ſcriptores legimus.* ubi de *teſtu* nihil. Petronius, *Necdum ſuperaveram cellula limen, cum animadverto Enothem cum teſto ignis pleno venientem.* Nam teſta ignem petebant. Auctor Rhetoricæ ad Herennium, *de tanto patrimonio teſtam, qua ſibi petat ignem, non reliquit.* Sed & *teſtu* veteres dicebant; quod Chariſius indeclinabile, ut *genu*, ponit. Unde Varro lib. IV. de L. L. *Teſtuatium quod in teſtu calida coquebatur.* Perperam vero plurimi veteres *curva teſta* pro *curta*. ſupra *mediâ teſtam relictam viâ* habuimus. Martial. lib. III. Ep. XI.

*Curtáque Leda ſobrius bibat teſtâ.*

ſic & *curtam antliam* dixit idem lib. IX. Ep. XIX. ubi *curva* perperam nunc legitur,

*Sed de valle brevi, quas det ſitientibus hortis,*
*Curta laboratas antlia ducit aquas.*

Ita optime libri veteres. *ducit* pro haurit. ſic *ducere poculum*, *ducere ubera*. de quo ſupra. vulgatum illud *tollit aquas* frigidiuſculum eſt. *curtum calicem* idem dixit lib. I. Ep. XCIII.

*Nec curtus Chiones Antiopeſve calix.*

& lib. XII.

*Matella curto rupta latere meiebat.*

*curtam ofellam* pro minutâ habes Apophor. CCXXI.

*Rara tibi curtâ craticula ſudet ofellâ.*

Ita optime Thuanus liber, non *Parva craticula*, niſi quod nos *curta* repoſuimus conjecturâ ducti, quod meminiſſemus *parvam* à Juvenale etiam dici *ofellam*. Sat. XI. *exigua fruſtis imbutus ofella. Rara craticula*, quomodo apud eundem Juvenalem Sat. XI.

*Sicci terga ſuis rara pendentia crate.*

*Tabellam curtam* habes & apud Prudentium περὶ στεφ. Hymno XII.

*Buxa crepant cerata genis impacta cruentis,*
*Rubetque ab ictu curta & humens pagina.*

ſic ſcribunt veterrimi codices. idque in ſuis Giſelinus invenit non intellectum. *dolia curta* Lucretio lib. IV. Juvenalis *curtum temone jugum* dixit Sat. XII. cæterum quemadmodum *teſta hic curta*, ſic *tegula curta* Propertio lib. IV. Eleg. V.

*Horruit algenti tegula curta foco.*

ita vetus liber ut & recte legit Salmaſius, non *pergula*. Idem Eleg. VII.

*Læſit & objectum tegula curta caput.*

ſic eidem lib. IV. Eleg. V.

*Sit tumulus lena curto vetus amphora còllo.* Idem.

*Curva fert, &c.*] Vaticani verius, *curto teſtu*. Pauperis eſt habere fictilem nec integram patellam, & rupto latere guttum. *Neap.*

647. *Conciſaque conſtruit alto.* ] Sic Urſini liber. Reliqui *arte* majori ex parte. duo *apte. deſtruit* unus Patav. ex optimis. Forte *conciſa ſuperſtruit ara*. Nam alter Petav. *ara*. Tibullus tamen libro II. Eleg. VI.

*At ſibi quiſque dapes & feſtas exſtruet alte*
*Ceſpitibus menſas ceſpitibuſque torum.*

Heinſ.

649. *Irritat cortice flammas.* ] *Invitat* alii. quod Grutero arridebat. nil muta. dixi Am. II. Eleg. IV. *irritare flammas* non ſemel habes apud Corn. Severum

Stat puer, & manibus lata caniſtra tenet.
Inde, ubi ter fruges medios immiſit in ignes,
Porrigit inciſos filia parva favos.
Vina tenent alii: libantur ſingula flammis.
Spectant, & linguis candida turba favent.
Spargitur & cæſo communis Terminus agno:
Nec queritur, lactens cum ſibi porca datur.
Conveniunt, celebrantque dapes vicinia ſimplex;
Et cantant laudes, Termine ſancte, tuas.
Tu populos, urbeſque, & regna ingentia finis:
Omnis erit ſine te litigioſus ager.
Nulla tibi ambitio eſt: nullo corrumperis auro.
Legitimâ ſervas credita rura fide.
Si tu ſignaſſes olim Thyreatida terram;
Corpora non leto miſſa trecenta forent:

Nec

in Ætnâ. Sed ſcribe pro *Tum*, *Dum*.

*Dum ſicco primas irritat cortice flammas.*

& ſic unus Vaticanus. *Idem*.

650. *Stat puer.* ] Hunc communi conſenſu litterati ſuſpicantur, quem Græci *παῖδα ἀμφιθαλῆ* vocant, Latini *Camillum*. Inclino: ſed quid diſſimulem? lente. Mallem, boni ſenis filium pro puero intelligi: nam colona ejuſdem etiam erat proles. *Neap.*

651. *Inde ubi ter fruges.* ] Dionyſium de ſacrificiis ad eundem vide. *Neap.*

655. *Spargitur & caſo communis Terminus agno.* ] *Caſa agna* Junianus. & placet, quia *lactens porca* ſequitur. ita enim meliores omnes, non *lactans*. Horat. Epod. II.

*Vel agna feſtis caſa Terminalibus,*
*Vel hædus ereptus lupo.*

mox pro *vicinia ſimplex* multi veteres *ſupplex*. *ſimplices colonos* Manilius dixit lib. IV. & Noſter ſupra de Fabiis *ſimplex nobilitas*. Heinſ. *Spargitur.* ] Et ubi ſacra illa Numæ lex de ſervandis puris à ſanguine his ſacris? abiit. audi Plutarchum: Νῦν μὲν ἔμψυχα, immolant, &c. *N.*

657. *Celebrantque dapes.* ] Frequentes adſunt. Celebrare, pro frequentare, jam ſatis notum eſt. Hinc, mercatus celebris. Cicero: *Domus mea quotidie celebratur.*

663. *Signaſſes olim terram Thyreatida.* ] Quem locum Thucydides in Cynoſura eſſe, inquit, ad Argivi & Lacedæmonis agri confinia. Tyream Herodotus Argivorum & Lacedæmoniorum contentionem & pugnam fuiſſe aſſerit. Nam inter eos pactum fuit, ut utrimque trecenti dimicarent. Occubuêre Argivi omnes, præter Alcenum & Mathinum. Spartani, ſeu Lacedæmones, præter Othryadem ducem eorum, omnes cæſi. Ob quod dedecori aſcribens Othryades, quod cæteris pro patria cæſis, ſolus ſupereſſet, inter extinctorum cadavera ſeipſum interemit. *P. Thyreatida terram.* ] Sic rectè veteres. Thyreatis terra pars erat terræ Argolicæ, Lacedæmonii tamen interceptam tenebant. Vide Thucydid. l. 4. *Thyreatida terram.* ] Ita ſcripti potiores. tres tamen *Thyreida*. ut apud Statium dicitur.

*—— Lacedæmonium Thyre lectura cruorem.*

ſed à Θυρέα ſeu Θύρη οἱ οἰκοῦντες Θυρεάται ὡς Τεγεάται, καὶ θηλυκῶς Θυρεᾶτις, inquit Stephani epitome. Nihil igitur muta. *Heinſ.*

664. *Miſſa trecenta forent.* ] Imo ſexcenta;

Nec foret Othryades congeſtis tectus in armis.
  O quantum patriæ ſanguinis ille dedit!
Quid, nova cum fierent Capitolia? nempe Deorum
  Cuncta Jovi ceſſit turba locumque dedit.
Terminus (ut veteres memorant) conventus in æde
  Reſtitit: & magno cum Jove templa tenet.
Nunc quoque, ſe ſupra ne quid niſi ſidera cernat,
  Exiguum templi tecta foramen habent.
Termine, poſt illud levitas tibi libera non eſt.
  Qua poſitus fueris in ſtatione, mane.
Nec tu vicino quicquam concede roganti;
  Ne videare hominem præpoſuiſſe Jovi.
Et ſeu vomeribus, ſeu tu pulſabere raſtris;
  Clamato, Meus eſt hic ager, ille tuus.

Eſt

centa: ex his tres ſolum ſupervixêre. Vide Herodot. lib. I. Atrox hæc pugna fuit, ſi bene ſupputo, anno MCCCCLXXII. nam paulo poſt captus Crœſus, & Sardes, quod rejicitur in MCCCCLXXIII. *N.*

667. *Quid nova, &c.* ] Tarquinius Priſcus, cum eſſet Jovi Optimo fanum conſtructurus, de loco augures conſuluit: Reſponſum eſt, In Tarpejo colle. Sed cum ibi multæ eſſent deorum aræ, viſum eſt auguribus, ut de unaquaque ara deos conſulerent: an ſe moveri concederent. Dii cæteri geniique permiſere, in alia loca ſuas aras transferri. Terminus autem & Juventa minime annuerunt. *P.* *Quid? nova, &c.* ] Opus inceptum à Tarquinio Priſco ex voto; ſed à nepote Superbo abſolutum. *Neap.*

669. *Inventus in æde.* ] *Conventus* Maz. Voſſ. & tres alii. probe. ſic lib. XV. Met. veteres codices,

*Incerti quid agant proceres ad templa petiti*
*Conveniunt operoſa Dei.*

Faſtorum III.

*Conveniunt nuptæ dictam Junonis in ædem.*

lib. VI.

*Convenere patres, &c, ſi bene floreat annus,*
*Numinibus noſtris annua feſta vovent.*

Statius Theb. XII. de ara Miſericordiæ Athenis,

*Huc victi bellis, patriaque è ſede fugati*
*Conveniunt.* Heinſ.

670. *Reſtitit.* ] Inde prodiit ænigma illud perantiquum tribus verſibus ſenariis:

*Semel minuſne, an bis minus ſit, non ſcio,*
*An utrumque eorum, ut quondam audivi dicier,*
*Jovi ipſi Regi noluit concedere.* Neap.

672. *Foramen habent.* ] Servius lib. II. *Unde in Capitolio ſuperna pars tecti patet, qua lapidem ipſum Termini ſpectat: nam Termino non niſi ſub divo ſacrificabatur.* Non tamen huic ſoli: cuivis enim Numini, cui in loco aliquo fulgurito ara erecta, ſine tegmine veteres faciebant, ſed his plerumque. Vide & Vitruv. l. II. c. II. *N.*

673. *Termine, poſt illud, &c.* ] Ex illo, Terminus ubicunque fixus eſt, effodi non poteſt. Et Pœna erat, quam ſuperius diximus, in eos, qui aut occuluiſſent, aut tranſtuliſſent Terminum.

676. *Præpoſuiſſe hominem Jovi.* ] Quin Jovi non ceſſiſti, non cedas homini.

678. *Clamato tuus eſt hic ager, ille tuus.* ]

Sic

Digitized by Google

Eſt via, quæ populum Laurentes ducit in agros
Quondam Dardanio regna petita duci.
Illac lanigeri pecoris tibi, Termine, fibris
Sacra videt fieri ſextus ab Urbe lapis.
Gentibus eſt aliis tellus data limite certo;
Romanæ ſpatium eſt Urbis & orbis idem.
NUnc dicenda mihi Regis fuga. traxit ab illâ
Sextus ab extremo nomina menſe dies.
Ultima Tarquinius Romanæ gentis habebat
Regna: vir injuſtus, fortis ad arma tamen.

Ce-

Sic vetuſtiores nonnulli. alii plurim: *tuus eſt hic ager, ille ſuus.* vel *ſuus eſt hic ager, ille tuus.* Gottorph. & unus Medic. *meus eſt hic ager, ille tuus.* Puto,

*Clamato, meus eſt, eſt ager ille meus.*

ſic apud Stat. *meus ille meus.* quomodo & alii loquuntur. quanquam & alterum *hic meus, ille tuus,* ſatis arridet. Ep. Med.

*Clamarem, Meus eſt, injiceremque manus.*

Am. I. Eleg. IV.

*Et dicam, Mea ſunt; injiciamque manus.*

Metam. IV.

*Vicimus, & Meus eſt, exclamat Nais.*

Heinſ.

679. *Eſt via, quæ, &c.*] In privatorum agris ſupra terminos à privatis ſacrificabatur, in confinibus autem urbium publice ſacrificium fiebat. *Quæ ducit populum in agros, &c.*] Eſt via, per quam itur Laurentum, quæ fuerat regia Latina. Dicta eſt *via Laurentina*, quæ eſt inter viam Hoſtienſem & Appiam.

680. *Petita duci Dardanio.*] Hoc eſt, Æneæ, quia illuc appulit, & poſt mortem Latini regnavit.

681. *Illâ lanigeri.*] Multi ex ſcriptis *Illic.* Arond. *Illac.* quod placet. mox Stroz. & unus Med.

*Nunc dicenda mihi Regis fuga.*

Heinſ.

682. *Sextus ab Urbe lapis.*] Num hi antiqui agri Romani fines? haud dubie ita eſt: ideo ſacerdotes ibi ſacrum Deo Termino agebant, nec aliam ob cauſam ἐς μακρὰν ambarvale ſacrificium extendebatur. Vide Strabon. lib. 5. *Neap.*

685. *Nunc mihi dicenda.*] Vigeſima tertia dies menſis Februarii, hoc eſt, ſeptimo calend. Martias, appellata eſt Regis fuga, quando Tarquinius Superbus cum filiis ejectus eſt.

686. *Sextus ab extremo.*] *Quintus* legit ex uno ſuo veterrimi Neapolis; quomodo Kalendaria antiqua exigant ſcribi. Noſtri omnes pro vulgatâ ſtant lectione, præter unum Hamburg. in quo, *ſeptimus extremo.* Heinſ. *Quintus ab extremo.*] Sic legend. nec alio die notatur in Faſtis lapideis Regifugium. Alii falſo ad Calendas Junias differunt, ut Macrob. Saturn. lib. 1. c. 12. Non ambigo quin Macrobium deceperit carmen Ovidii V. Faſtor. cum canit 9. Calend. Junias: *Quattuor inde notis locus eſt: quibus ordine lectis, vel mos ſacrorum vel fuga Regis ineſt.* Sed in his nulla mentio Regifugii: ſed tantum harum litterarum, Q. R. C. F. quæ ſignificant, quando Rex, id eſt, ſacrorum, Comitio fugit. Fuſius ad V. de hoc ritu priſco nos vide ad eoſdem verſiculos. *M.*

688. *Vir injuſtus.*] Id ipſum regni initium aperuit, quod occiſo Servio Rege ſocero invaſit. Multa hujus Tyranni impia referunt ſeverioris notæ Hiſtorici; multa quidem, quæ non illi, Theophilus Patriarcha Antiochenus l. 3. Imo omne convitium comprehendit Latinus Pacatus Panegyrico ad Theodoſium. *N.*

689. Ce-

Digitized by Google

Ceperat hic alias, alias everterat urbes;
Et Gabios turpi fecerat arte ſuos.
Namque trium minimus, proles manifeſta Superbi,
In medios hoſtes nocte ſilente venit.
Nudarant gladios: Occidite, dixit, inermem.
Hoc cupiant fratres, Tarquiniusque pater,
Qui mea crudeli laceravit verbere terga.
Dicere ut hoc poſſet, verbera paſſus erat.
Luna fuit. ſpectant juvenem, gladioſque recondunt:
Tergaque deductâ veſte notata vident.
Flent quoque, &, ut ſecum tueatur bella, precantur.
Callidus ignaris annuit ille viris.
Jamque potens, miſſo genitorem appellat amico,
Prodendi Gabios quod ſibi monſtret iter.
Hortus odoratis ſuberat cultiſſimus herbis,
Sectus humum rivo lene ſonantis aquæ.
Illic Tarquinius mandata latentia nati
Accipit, & virgâ lilia ſumma metit.

Nun-

689. *Ceperat hic alias, &c.*] In Volſcos bellum movit, Sueſſam & Pometiam vi captas diripuit, Gabios fraude cepit. *Alias everterat urbes.*] *Averterat* Naugerii liber, ex noſtris Erfurtenſis & unus Vaticanus. ut ſit furari, furto occupare, vel etiam averſas ſibi reddiderat. *Heinſ.*

692. *Venit in medios hoſtes.*] Transfugit Gabios. *Proles manifeſta Superbi.*] Sextus patri ſimillimus, qui minimus ex tribus erat, ut ſcribit Naſo, ex Hiſtorico Paravino: ſi Dionyſium ſequimur, natu maximus. *Neap.*

694. *Hoc cupiunt fratres.*] Rectius Petav. & tres alii *cupiant.* ut Epiſt. Dejaniræ,

*Hoc velit Euryſtheus, velit hoc germana Tonantis.* Heinſ.

*Fratres.*] Titus & Aruns.

696. *Verbera paſſus erat.*] Eaque in foro publice. *Neap.*

697. *Luna fuit.*] Plena luce ſplenduit. Regredere ad Tom. 1. p. 131. vl. 17.

698. *Notata vident.*] Ad idem fere ſenſum torſit *notare* Petronius in Satyrico; *Sequar ego frontes notans inſcriptione ſolerti, ut videamini ſtigmate eſſe puncti.* Neap.

702. *Perdendi Gabios quod ſibi monſtret iter.*] *Quod* vel *quo* Voſſ. *quo* etiam in multis aliis. in nonnullis *qui.* *Prodendi* quoque Junianus. quomodo & infra vſ. 710. pro *Traduntur mœnia,* unus Moretanus *Produntur.* Heinſ.

704. *Hortus ſectus rivo aqua.*] Dividit. Lucret. lib. 6. *Qua via ſecta ſemel liquido pede detulit undas.* Sic eleganter dicitur, *ſecare viam.* Virgil. *Secare medium agmen:* pro compendio viæ uti, Ut Silius: *Fallaci gyro campum ſecat.* Διαπρήσσειν κέλευθον. Homer. Odyſſ. β. verſ. 213. Πέλαγος μέσον τέμνειν. Odyſſ. γ. vſ. 174.

706. *Lilia ſumma.*] Poëta lilia decuſſa inquit, Dionyſius & Livius papavera dixere. eo docens ipſum oportere ſpectatiſſimos cives perdere. *Paul.* *Lilia ſumma*

Nuntius ut rediit, decuſſaque lilia dixit;
Filius, Agnoſco juſſa parentis, ait.
Nec mora: Principibus cæſis ex urbe Gabinâ,
Traduntur ducibus mœnia nuda ſuis.
Ecce (nefas viſu) mediis altaribus anguis
Exit, & exſtinctis ignibus exta rapit.
Conſulitur Phœbus. ſors eſt ita reddita: Matri
Qui dederit princeps oſcula, victor erit.
Oſcula quiſque ſuæ matri properata tulerunt,
Non intellecto credula turba Deo.
Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, ut eſſet
Tutus ab inſidiis, dire Superbe, tuis.
Ille jacens pronus matri dedit oſcula Terræ,
Creditus offenſo procubuiſſe pede.
Cingitur interea Romanis Ardea ſignis,

Et

*ma mais.*] Imitatus factum Thraſybuli Mileſii, qui rogatus à Periandro per quemdam, neceſſaria moneret ad impetium diuturnum, agrum mutus cum Legato petit, & ariſtas cædit altiores: ſi quietem, innuens, Rex tuus quærit in regnis, extinguat validiores. *Neap.*

711. *Ecce nefas, &c.*] Gabiis receptis, Tarquinius pacem cum eorum gente fecit, fœdus cum Thuſcis renovavit, inde ad negotia urbana animum convertit. Hæc agenti, ut Livius cum Poëta concordans inquit, portentum terribile viſum. *Paul.* *Altaribus anguis exit.*] Tria ſimul triſte aliquod portendebant: viſus coluber in arâ, rapta exta, & ignis exſtinctus: ſed duo poſtrema non recenſet Livius; nec illud in altari ſediſſe, ſed è columna lignea (eam templi Capitolini veteris ſuſpicor) elapſum in regiam prorupiſſe. *Neap.*

714. *Qui dederit primus oſcula.*] Præſtantiores plerique *princeps* non *primus*. quomodo apud Virgilium libro XI.

—— *princeps turmas invaſit Aſylas.*

& apud Statium Theb. XII.

*Cujus in Ogygio princeps ſtet lancea muro.*

Noſter ipſe ſupra hoc libro,

*Et comitum princeps tu mihi, dixit, eris.* Heinſ.

715. *Properata dederunt.*] *Tulerunt* iidem codices præſtantiores magno numero. *Oſcula ferre paſſim* apud Naſonem alioſque occurrit. Apud Livium libro I. in narratione hujus rei, *Imperium ſummum Roma habebit, qui veſtrum primus, ô juvenes! oſculum tulerit.* Idem.

717. *Brutus erat ſtulti ſapiens imitator.*] Effigiem indolis ſuæ, tanquam per ambages oſtendebat in corneo illo baculo, qui aurum habebat incluſum.

719. *Ille jacens pronus.*] Malim *Ille cadens.* Livius, libro I. quem Noſter in aliis quoque narrationibus ſtudioſe exprimit, *Brutus alio ratus ſpectare Pythicam vocem, velut ſi prolapſus cecidiſſet, terram oſculo contigit.* Noſter libro VIII. Metamorph.

*Pronus ab arborea cecidit radice retentus.* Heinſ.

721. *Cingitur interea.*] Ex fide Annalium. *Neap.* *Cingitur interea, &c.*] Ardea 23. millia paſſuum ab urbe diſtans. Hanc obſedit Tarquinius, cauſam prætendens quod Ardeates Romanos exules ſuſcepiſſent, conſpirarentque cum eis de reditu.

722. *Lon-*

Digitized by Google

Et patitur lentas obſidione moras.
Dum vacat, & metuunt hoſtes committere pugnam;
Luditur in caſtris: otia miles agit.
Tarquinius juvenes ſocios dapibuſque meroque
Accipit. ex illis Rege creatus ait:
Dum nos difficilis pigro tenet Ardea bello,
Nec ſinit ad patrios arma referre Deos;
Ecquid in officio torus eſt ſocialis? & ecquid
Conjugibus noſtris mutua cura ſumus?
Quiſque ſuam laudant. ſtudiis certamina creſcunt;
Et fervent multo linguaque corque mero.
Surgit cui clarum dederat Collatia nomen;
Non opus eſt verbis, credite rebus, ait.
Nox ſupereſt: tollamur equis, Urbemque petamus.
Dicta placent: frænis impediuntur equi.
Pertulerant dominos. regalia protinus illi
Tecta petunt: cuſtos in fore nullus erat.
Ecce nurum Regis fuſis per colla coronis

In-

722. *Longas obſidione moras.*] *Lentas moras* Mazar. Zulich. Voſſ. & ſex alii. ſic *lentum duellum* habes apud Horatium libro I. Epiſt. II. & l. II. Epiſt. II. *Heinſ.*

725. *Tarquinius juvenis ſocios.*] Lege *juvenes ſocios.* agi enim de patre Tarquinio non filio, quæ ſequuntur evincunt, *ex illis rege creatus ait.* Idem. *Tarquinius Juvenis.*] Neſcio cur ambigant interpretes, an hic Tarquinius ſit Sextus, cum de eodem paulo poſt legerint: *Interea Juvenis furiales regius ignes Concipit.* & mox ipſemet multa ſecum animo volutans: *Cepimus audendo Gabios.* Neap.

727. *Dum nos ſollicitas pigro tenet Ardea bello.*] *Difficilis Ardea* Arond. Voſſ. Zulich. Maz. Læti, aliique complures. & recte. ſic *Janua difficilis*, apud Noſtrum libro Met. VIII. & Propertium *difficiles fores* libro I. Amor. Eleg. VI. ad quas facilis non erat acceſſus. Artis Amatoriæ libro I.

*Tempore difficiles veniunt ad aratra juvenci.* Heinſ.

729. *Ecquid in officio torus eſt ſocialis?*] Numquid nos reciproce amant uxores noſtræ? num ſervant conjugales leges? *Neap.*

730. *Mutua cura.*] Mutuus amor. Virgil. —— *Mea cura, palumbes.* *Mutuum ſentire.* Cæſar. B. Alex.

732. *Et fervet multo.*] *Fervent* Mazar. Zulich. Voſſ. Arondel. & octo alii ex præſtantioribus. Superiori etiam verſu *Quiſque ſuam laudant* non *laudat* Gotorphianus. venuſte. de quo alibi eſt dictum. *Heinſ.*

733. *Surgit cui dederat.*] Scribendum vel invitis membranis *Surgite.* ut Collatini ſocios alloquentis oratio hinc incipiat. *Idem.* *Collatia.*] Oppidum fuit prope Romam, ſic dicta, quod ibi opes aliarum civitatum fuerint collatæ, à quo porta Romæ *Collatina* appellata eſt. *P.* *Clarum Collatia nomen.*] Tarquinius Collatinus Egerii F. *Neap.*

739. *Fuſis.*] Erat id vinolentiæ nota.

740. *Po-*

Digitized by Google

Inveniunt poſito pervigilare mero.
Inde cito paſſu petitur Lucretia. nebat.
Ante torum calathi, lanaque mollis, erant.
Lumen ad exiguum famulæ data penſa trahebant:
Inter quas tenui ſic ait ipſa ſono:
Mittenda eſt domino (nunc, nunc properate, puellæ)
Quamprimum noſtrâ facta lacerna manu.
Quid tamen audiſtis? nam plura audire ſoletis.
Quantum de bello dicitur eſſe ſuper?
Poſtmodo victa cades: melioribus, Ardea, reſtas
Improba; quæ noſtros cogis abeſſe viros.
Sint tantum reduces. ſed enim temerarius ille

Eſt

740. *Poſito pervigilare mero.* ] Lege Livium, ſed non meminit vini, cujus potus grave crimen ſexui muliebri: ſcita lex illa Romuli. Inde ex Polybio Athen. lib. 10. Λαθεῖν δὲ ἐστὶ ἀδύνατον τὴν γυναῖκα πιοῦσαν οἶνον, &c. Nota hos mores & oſcula hæc licita. Vide & Dionyſ. Halicarn. *Neap.*

741. *Inde cito paſſu petitur Lucretia, cujus.* ] *Lucretia. nebat.* Mazar. Zulich. duo Farneſiani, unus Mediceus, & pro diverſa lectione Voſſianus. quod egregie auget feliciſſimæ brevitatis artificium in hac narratione. verſu proximo *calathi lanaque mollis erant*, non *erat* ſex ſcripti. *Heinſ.*

742. *Ante torum calathi.* ] Antiquæ noſtræ matres in atrio, ubi & lectus ſtratus, lanificio operam dabant. En hæc omnia uno exemplo. Aſconius. Æmilium Probum etiam vide in Præfatione ad ſuos Cæſares. Γυναικωνῖτις pars erat in ædibus, in qúa mulieres habitabant; ut ἀνδρωνῖτις, in qua ſeorſim viri. *Neap.*

743. *Data penſa trahebant.* ] A Lucretio præſcripta: hoc matrifamilias incumbebat. *Neap.*

744. *Sic ait illa.* ] *Ipſa* Mazar. Zulich. Arondel. & quinque alii. & mox *veſtra manu* pro *noſtra* totidem. *Heinſ.*

746. *Lacerna.* ] Hinc elicias, lucernam fuiſſe veſtem militarem. Eadem dicta *penula* Tertulliano & Suetonio: qui etiam in vita Claudii, *tunicas ruſſulas militares* appellavit. vide & Interpretem Juvenalis, in illa: *trita donare lacerna.* Neap.

747. *Nam plura audire poteſtis.* ] *Soletis* Læti codex & unus Farneſianus. pro *auditis* etiam *audiſtis* multi veteres. *Heinſ.*

749. *Poſtmodo victa cades. melioribus Ardea reſtas* ] verſus de mendo ſuſpectus. Cogitabam aliquando, *Dummodo victa cadas, melioribus Ardea reſta* ut ſit voventis. *Idem.*

751. *Sed enim temerarius ille Eſt meus.* ] Pro *ille* duo veteres *ultro*. In uno Vaticano ſatis antiquo, *eſto*. Forte, *ſed enim temerarius eſt ô, Eſt meus*, mox pro *qualibet ruit* multi veteres *quolibet*. unus Moreti, *quemlibet petit*. Poſſet & legi, *quamlibet enſe furit*, ut apud Valerium Flaccum libro 1.

*Hic Peleus, hic enſe furens agnoſcitur Æſon.*

quod ex Carrionis codice non fuerat mutandum. Idem Valerius l. VI. vſ. 105. ut caſtigandum cenſeo;

*Te quoque venturis, ingens Ariaſmene, ſæclis*
*Tradiderim, molem belli, lateque furentem*
*Undique falcato deſerta per æquora curru.*

pari modo & apud Propertium corrigo libro IV. Eleg. VI.

Dixerat

Digitized by Google

Eſt meus; & ſtricto quolibet enſe ruit.
Mens abit, & morior, quoties pugnantis imago
Me ſubit: & gelidum pectora frigus habet.
Deſinit in lacrymas: intentaque fila remittit;
In gremio vultum depoſuitque ſuum.
Hoc ipſum decuit: lacrymæ cecidere pudicæ;
Et facies animo dignaque parque fuit.
Pone metum, venio, conjux ait. illa revixit;
Deque viri collo dulce pependit onus.
Interea juvenis furiatos regius ignes
Concipit, & cæco raptus amore ruit.
Forma placet, niveuſque color, flavique capilli;
Quique aderat nullâ factus ab arte decor.
Verba placent, & vox; & quod corrumpere non eſt;
Quoque minor ſpes eſt, hoc magis ille cupit.
Jam dederat cantum lucis prænuntius ales;
Cum referunt juvenes in ſua caſtra pedem.

Car-

*Dixerat: & pharetrâ pondus conſumit in arcus*
*Proxima poſt arcus Cæſaris haſta furit.*
non *fuit.* quomodo frigide nunc legitur, *Idem.*

755. *Deſinit in lacrymis, inceptaque fila remiſit.* ] *In lacrymas* repone ex caſtigatioribus ſcriptis. deinde multi veteres *intentaque fila remittit.* quod & Naugerius in poſteriori editione Aldina eſt amplexus. Sed l. VI. Met. de Arachne,

*Aſpicit hanc torvis; inceptaque fila relinquit.* Idem.

757. *Lacryma decurre pudicam.* ] *Cecidere pudica* Urſin. & octo alii. probe. neque aliter codex Naugerii. nonnulli *cecidere pudica.* proxime verum. *cadere lacryma* paſſim Noſtro aliiſque dicuntur. Val. Flaccus libro I. *lacryma cecidere caventi.* Idem.

159. *Pone metum, veni.* ] *Venio* plerique præſtantiores. ut apud Statium Theb. XI.

*Eumenis ejecit fractis Etheoclea portis,*
*Clamantem, Venio.* Idem.

761. *Furiales regius ignes.* ] *Furiatus* Mazar. Urſin. & ſex alii. Puto *furiatos ignes.* ſic *furiata mens* apud Maronem. mox *captus amore* non *raptus.* Arondel. Voſſ. & octo alii. *Idem.*

764. *Nulla factus ab arte decor.* ] Sine fuco & pigmento. unde Noſter alibi: *Scitis & inducta candorem quærere cerâ: Sanguine quæ vero non rubet, arte rubet.* Malim legas; *candorem quærere cretâ* Neap. *Decor ab arte nulla.* ] *Nulla mala re expolita fœmina, ut quæ ornantur ſibi.* Ter. Hinc Eurip. Electr. rectè monet:

Γυνὴ δ' ἀπόντος ἀνδρὸς ἥτις ἐκ δόμων
Εἰς κάλλος ἀσκεῖ, διάγραφ' ὡς οὖσαν
Κακήν.

Et Menand. in fragm. l. 25.

Γυναικὶ κόσμος ὁ τρόπος, καὶ οὐ χρυσία.

766. *Quoque minor ſpes eſt.* ] *Minus* primus Mediceus, & duo alii. Forte, *Quoque ſpei minus eſt.* proximo verſu *dederat cantum* meliores. non *cantus.* Heinſ.

Carpitur attonitos abſentis imagine ſenſus
  Ille: recordanti plura magiſque placent.
Sic ſedit: ſic culta fuit: ſic ſtamina nevit:
  Neglectæ collo ſic jacuere comæ:
Hos habuit vultus: hæc illi verba fuere:
  Hic decor, hæc facies, hic color oris erat.
Ut ſolet à magno fluctus langueſcere flatu;
  Sed tamen à vento, qui fuit ante, tumet:
Sic, quamvis aberat placitæ præſentia formæ,
  Quem dederat præſens forma, manebat amor.
Ardet; & injuſti ſtimulis agitatus amoris
  Comparat indigno vimque dolumque toro.
Exitus in dubio eſt: audebimus ultima, dixit.
  Viderit, audentes Forſne Deuſne juvet.
Cepimus audendo Gabios quoque. talia fatus
  Enſe latus cingit; tergaque preſſit equi.
Accipit æratâ juvenem Collatia portâ:
  Condere jam vultus Sole parante ſuos.
Hoſtis, ut hoſpes, init penetralia Collatina:
  Comiter excipitur: ſanguine junctus erat.
Quantum animis erroris ineſt! parat inſcia rerum

In-

772. *Injecta collo ſic jacuere coma.*] *Neglecta coma* reponantur ex auctoritate codicis Urſini, quatuor Farneſianorum, Mazar. Zulich. Arondel. aliorumque complurium. *Hypſipile neglecta comam.* Statio Theb. IV. unus Moreti *Impexa.* non male. *Idem.*

776. *A vento qui fuit, unda tumet.*] *Qui fuit ante* ſex veteres. *Idem.*

780. *Vimque metumque.*] *Dolumque* cum præſtantioribus. pro *injuſti ſtimulis amoris* malim *inceſti amoris.*

782. *Audentes forſque Deuſque juvat.*] Alii *forſque Venuſque* & *juvant.* vel *forſque metuſque.* Codex Politiani *forſne Deuſne.* quomodo & Læti codex & unus Patavinus ex melioribus. huc & Voſſianus alludit, in quo *Forſve metuſve.* Lege *Viderit audentes forſne Deuſne juvet.* Viderit fors & Deus, uter audentes juvet. Vide de hoc loquendi modo quæ notamus lib. I. Pont. Eleg. II. *forſne Deuſne,* ut apud Statium Theb. II. *audenti Deus & Fortuna receſſit.* apud Ciceronem frequenter habes, *De iſtis Fortuna viderit.* Mezent. apud Maron.

——— *aſt de me divûm pater, atque hominum rex*
*Viderit.* Idem.

787. *Penetralia Collatini.*] *Collatina* unus Mediceus. quomodo apud Maronem,

*Hi Collatinas imponent montibus arces.*
Idem.

788. *Comiter.*] Dionyſius: Ἐξένιζεν αὐτὸν ὡς συγγενῆ τοῦ ἀνδρὸς πολλῇ προθυμίᾳ τε καὶ φιλοφροσύνῃ. *Sanguine junctus erat.*] Nam Tarquinius Collatinus nepos Tarquinii Superbi, Sexti filii conſobrinus. *Neapol.*

791. Po-

Infelix epulas hoſtibus illa ſuis:
Functus erat dapibus: poſcunt ſua tempora ſomni.
Nox erat; & totâ lumina nulla domo.
Surgit, & auratum vagina deripit enſem;
Et venit in thalamos, nupta pudica, tuos.
Utque torum preſſit; Ferrum, Lucretia, mecum eſt,
Natus, ait, Regis, Tarquiniuſque vocor.
Illa nihil: neque enim vocem vireſque loquendi,
Aut aliquid toto pectore mentis habet.
Sed tremit, ut quondam ſtabulis deprenſa relictis,
Parva ſub infeſto cum jacet agna lupo.
Quid faciat? pugnet? vincetur fœmina pugna.
Clamet? at in dextrâ, qui necet, enſis adeſt.
Effugiat? poſitis urgetur pectora palmis;
Nunc primum externâ pectora tacta manu.
Inſtat amans hoſtis precibus, pretioque, miniſque:
Nec prece, nec pretio, nec movet ille minis.
Nil agis; eripiam, dixit, per crimina vitam:
Falſus adulterii teſtis adulter ero.
Interimam famulum; cum quo deprenſa fereris.

Suc-

791. *Poſcunt ſua tempora ſomnum.*] *Somni* meliores. *Heinſ.*

793. *Auratâ vaginâ liberat enſem.*] *Auratum* concinnius libri meliores. ut recte vidit Neapolis. iidem *deripit enſem*. etſi non ignorem alterum quoque elegans eſſe. Met. VI.

*Quo fuit accinctus vaginâ liberat enſem.*

ubi pari modo *deripit* in ſcriptis nonnullis veterrimis exaratum. ut lib. X.

*Pendenti nitidum vaginâ deripit enſem.*

ſic *enſem deſtringere* non *diſtringere* in antiquiſſimis codicibus paſſim legitur. *Idem.* *Auratum vaginâ.*] Enſis auratus idem ac auro vinctus ad capulum, χρυσόδετος. Ni melius, manubrium vere fuiſſe ex ſolido auro & argento confectum. *Neap.*

795. *Utque thorum.*] Livius: Siniſtraque manu mulieris pectore oppreſſo, Tace Lucretia, inquit; Sextus Tarquinius ſum, ferrum in manu eſt, morieris, ſi emiſeris vocem. In eandem ergo ſententiam & verba cum Poëta conveniunt.

801. *Fœmina pugnans.*] *Pugnâ* meliores. & *qui necet* proximo pentametro octo ſcripti pro *vetet*. & *enſis adeſt* pro *erat* Urſini codex optimus cum tribus aliis. *Heinſ.*

803. *Urgentur pectora palmis.*] *Urgetur* ex veteri libro Modius in Novantiquis Lectionibus. eleganti Græciſmo. ſic ſupra,

*Carpitur attonitos abſentis imagine ſenſus.*

atque ita paſſim Noſter. *Nunc primum* ſequenti verſu unus Moreti & Farneſ. *Idem.*

807. *Pro crimine vitam.*] *Per crimina* ſcripti & *adulter erit* pro *ero* mox meliores. *Idem.*

809. *Famulum.*] Hoc terrore obſtina-

 tam

Succubuit famæ victa puella metu.
Quid, victor, gaudes? hæc te victoria perdet.
Heu quanto regnis nox ſtetit una tuis!
Jamque erat orta dies: paſſis ſedet illa capillis;
Ut ſolet ad nati mater itura rogum.
Grandævumque patrem fido cum conjuge caſtris
Evocat: & poſitâ venit uterque morâ.
Utque vident habitum; quæ luctus cauſa requirunt:
Cui paret exſequias, quove ſit icta malo.
Illa diu reticet, pudibundaque celat amictu
Ora. fluunt lacrymæ more perennis aquæ.
Hinc pater, hinc conjux lacrymas ſolantur, & orant
Indicet: & cæco flentque paventque metu.
Ter conata loqui; ter deſtitit: auſaque quarto,
Non oculos adeò ſuſtulit illa ſuos.
Hoc quoque Tarquinio debebimus? eloquar, inquit,
Eloquar infelix dedecus ipſa meum.
Quæque poteſt narrat. reſtabant ultima; flevit:
Et matronales erubuêre genæ.
Dant veniam facto genitor conjuxque coacto.
Quam, dixit, veniam vos datis, ipſa nego.
Nec mora; celato figit ſua pectora ferro:

Et

tam pudicitiam vicit: quæ non precibus, non metu mortis movebatur, victa eſt metu dedecoris. *Paul.* *Cum quo deprenſa feretis.* ] Nihil hic ποιητικὸν: totum pura puta veritas. *N.* *Cum quo deprenſa fereris.* ] *Quocum* liber optimus Læti. Puto *qui cum.* Heinſ.

816. *Et poſitâ.* ] Forte, *ut poſitâ venit uterque mora; Utque vident habitum.* Idem.

824. *Non oculos ideo ſuſtulit.* ] *Ad eos ſuſtulit* Zulich. Mazar. Voſſ. & alii ſeptem. Urſini cum ſex aliis, *adeo.* Poſſet etiam *ab humo* legi. *Idem.*

825. *Hoc quoque Tarquinio.* ] Ad ſtuprum reſpicit: quaſi exclamet Lucretia, Expugnatum mihi quoque muliebre decus Tarquinio debemus. *N.*

829. *Dant veniam.* ] Et Livius: Conſolantur ægram animi, avertendo noxam à coacta in autorem delicti: mentem peccare, non corpus: & unde conſilium abfuerit, culpam abeſſe, &c. *Conjuxque coacta.* ] *Coacto* meliores. *Heinſ.*

830. *Ipſa nego.* ] Hæc Phædra in caſto pari Theſeo conjugi dixit apud Senec. in Hippolyto, Act. 3.

*Tentata precibus reſtiti: ferro ac minis*
*Non ceſſit animus; vim tamen corpus tulit.*
*Labem hanc pudoris eluet noſter cruor.* N.

831. *Fixit ſua pectora ferro.* ] *Figit cultro* meliores. *culter* eſt etiam Livio, & D. Halicarnaſſæo ξιφίδιον. Val. Maximus lib. VI. cap. I. *ferrum* vocat, ut vulgati apud noſtrum codices. quod ſequendum duco, cum *cultrum* mox ſit dicturus. *Heinſ.*

837. *Sua*

Et cadit in patrios ſanguinolenta pedes.
Tunc quoque jam moriens, ne non procumbat honeſtè,
Reſpicit. hæc etiam cura cadentis erat.
Ecce ſuper corpus communia damna gementes
Obliti decoris virque paterque jacent.
Brutus adeſt; tandemque animo ſua nomina fallit:
Fixaque ſemanimi corpore tela rapit.
Stillantemque tenens generoſo ſanguine cultrum,
Edidit impavidos ore minante ſonos:
Per tibi ego hunc juro fortem caſtumque cruorem,
Perque tuos Manes, qui mihi numen erunt:
Tarquinium pœnas profugâ cum ſtirpe daturum.
Jam ſatis eſt virtus diſſimulata diu.
Illa jacens ad verba oculos ſine lumine movit;
Viſaque concuſsâ dicta probare comâ.
Fertur in exſequias animi matrona virilis:
Et ſecum lacrymas, invidiamque trahit.
Vulnus inane patet. Brutus clamore Quirites
Concitat, & Regis facta nefanda refert.
Tarquinius cum prole fugit. capit annua Conſul
Jura. dies regnis illa ſuprema fuit.

Fal-

837. *Sua nomina fallit.* ] Oſtendit ſe non eſſe *brutum*. P. *Sua nomina fallit.*] Cognomen hoc L. Junii Græci interpretantur ἠλίθιον. Neap.

840. *Ore minante.* ] *Micante* unus Medic. Lege *minace*. *Heinſ.*

843. *Qui mihi numen erunt.* ] Manes ſunt defunctorum genii, quos antiquitas venerata ut Deos. *N.*

844. *Virtus diſſimulata.* ] Celata eſt. *Mihi.* ] A me. quia tyranni metu ſtultum ſe ſimulaverat.

845. *Illa jacens ad verba.* ] *Adverſa* octo veteres. quod placet. *Heinſ.*

847. *Fertur in exequias.* ] Hoc diſtichon ſequenti concinnius poſtponatur. *Idem.*

849. *Vulnus inane.* ] Erat ante curiam jacens Lucretiæ corpus, ſpectaculum populo crudele, patebat vulnus. Convenerant jam non modo qui in foro erant, ſed in urbe tota. Congregato ergo populo omni, Brutus longam habuit orationem, quam Dionyſius refert.

851. *Conſul capit jura annua.* ] Nam creati fuere duo conſules, qui ſummam in rempublicam poteſtatem haberent, L. Junius Brutus, & Tarquinius Collatinus.

852. *Illa dies fuit ſuprema.* ] Ultima. *Regnis.* ] Quia ex illo reges defecere *N.* *Tarquinius cum prole fugit.* ] Anno ab urbe condita CCXLIV. Regno præfuit annos XXXVIII. ſeu verius XXXXVII. *Capit annua Conſul.* ] Abit prima ætas (ſic vocarunt illam ſub regibus) accedit ſecunda. Univerſa poteſtas datur Conſulibus, ſed duobus libertatis vindicibus, L. Junio Bruto, & L. Tarquinio Collatino. Vides Florum. *Neap.*



Digitized by Google

FAllimur? an veris prænuntia venit hirundo;
  Et metuit, ne qua verſa recurrat hiems?
Sæpe tamen, Progne, nimium properaſſe quereris;
  Virque tuo Tereus frigore lætus erit.
JAmque duæ reſtant noctes de menſe ſecundo,
  Marſque citos junctis curribus urget equos:
Ex vero poſitum permanſit Equiria nomen:
  Quæ Deus in Campo proſpicit ipſe ſuo.
Jure venis, Gradive; locum tua tempora poſcunt:
  Signatuſque tuo nomine menſis adeſt.
Venimus in portum, libro cum menſe peracto.
  Naviget hinc aliâ jam mihi linter aquâ.

853. *Dies regnis illa ſuprema.*] Caligula primus ſpeciem principatus convertiſſe videtur in regni formam; ſed regis regnique nomen non uſurpatum, niſi inclinato jam Romano Imperio, à Gothis, Francis & Vandalis. *Neapol.*
*Fallimur.*] Incipiunt circa Februarii finem redire hirundines: *Tum blandi ſoles, ignotaque prodit hirundo.* Redeunt ergo his diebus: metuunt tamen ne revertatur hyems.

854. *Prænuntia venit hirundo.*] Videtur rejicere hirundinum adventum in diem XXII. ſive XXI. die IV. poſt Solis ingreſſum in Piſces: in eadem ſententia Eudoxus. *Neap.*

857. *Jamque duæ, &c.*] Tertio Kalendas Martias Equiria celebrabantur frequenti equorum curſu; quæ à Romulo Marti inſtituta ad inſtar Conſualium. *Neapol.*

858. *Junctis curribus urget equos.*] Nam ſingulis miſſibus quatuor aut plures quadrigæ laxato repagulo certatim ſeſe effundebant ad palmam: unde *amuli currus.* Jul. Solino in Polyhiſt. *Neapol.*

859. *Permanſit Equiria nomen.*] Varro lib. V. de L. L. *Equiria ab equorum curſu: eo enim die currunt equi in campo Martio.*

860. *Perſpicit ipſe ſuo.*] *Proſpicit* rectius veteres multi. *Heinſ.*

861. *Locum tua tempora poſcunt.*] Lego *ſua.* nam *tuo nomine* mox ſequitur. ſic ſupra,

—— *Poſcunt ſua tempora ſomnum.*

Idem.

864. *Jam mihi linter.*] *Mea linter* quatuor codices. ſic in veteri exemplari lib. VI. Faſt.

*Ferte coronatæ juvenum convivia lintres.* ſic & *lembus* fœminini generis in antiquis codicibus Claudiani, ut *Phaſelus.* Virgil. *Centauro invehitur magna.* Idem.

P. OVI-

Digitized by Google

# P. OVIDII NASONIS FASTORUM
## LIBER III.

Bellice, depoſitis clypeo pauliſper & haſtâ,
    Mars, ades; & nitidas caſſide ſolve comas.
Forſitan ipſe roges, quid ſit cum Marte poëtæ.
    A te, qui canitur, nomina menſis habet.
Ipſe vides manibus peragi fera bella Minervæ.
    Num minus ingenuis artibus illa vacat?
Palladis exemplo ponendæ tempora ſume
    Cuſpidis. invenies & quod inermis agas.
Tum quoque inermis eras, cum te Romana ſacerdos
    Cepit; ut huic Urbi ſemina digna dares.
Ilia Veſtalis (quid enim vetat inde moveri?)
    Sacra lavaturas mane petebat aquas.

Ven-

B*Ellice depoſitis.* ] Ordinem menſium per Romulum, & poſtea per Numam primo libro expoſuimus, multaque in ſecundo. Venircus nunc ad tertium & librum & menſem, quem primum Romulus inſtituit: & tanquam primum anni menſem Marti genitori ſuo dicavit. Hujus die prima ignem novum Veſtæ aris accendebant, & in regia & curiis, & in flaminum domibus laureæ veteres novis mutabantur. Eodem menſe ad Annum Perennam ſacrificatum itur, ut annare, perennare commode liceat. Mercedes evolvebant magiſtris, comitia auſpicabantur, vectigalia locabant, &c.

2. *Mars ades.* ] Invocat ipſo initio Martem, à quo nomen Menſi inditum, ſed inermem, exemplo Palladis, quæ vacat pacis & belli ſtudiis. *Neap.*

6. *Non minus.* ] *Num minus* meliores, ut monui ad epiſtolam XI. vſ. 19. atque ita Neapolis. *Heinſ.*

8. *Quid agas.* ] *Quod* cum melioribus. jam dixi Art. Am. II. vſ. 702. *Idem.*

9. *Romana ſacerdos.* ] Amor. lib. III. El. VI. monui rectius videri legendum, *Trojana.* ſequenti verſu pro *ſemina magna*, Urſini liber & unus Patav. *ſemina digna.* ut & Nauger. *Idem.*

11. *Silvia Veſtalis.* ] *Ilia* Arondelianus. vide quæ ſupra obſervamus, ad lib. II. vſ. 383. ſic & infra paulo poſt vetus liber Moreti *Ilia ſit mater.* Idem.

12. *Sacra lavaturas, &c.* ] E more cotidiano Veſtalium. Vide Plutarch. Silviam credibile è flumine Tiberino tunc undam hauſiſſe. *Neapol.* *Mane petebat aquas.* ] Intellige non de Tyberi, quod volebat Neapolis, ſed de Numicio: Servius ad illa Virgilii Æn. VII. *fontis ſtagna Numici. Quod ait fontis ſtagna, verum eſt. Nam Numicus ingens ante fluvius fuit, in quo repertum eſt cadaver Æneæ & conſecratum. poſt paulatim decreſcens in fontem redactus, qui & ipſe ſiccatus eſt, ſacris interceptus. Veſtæ enim libare non niſi de hoc fonte licebat.* Heinſ.



13. *Mollem*

Ventum erat ad molli declivem tramite ripam:
Ponitur è ſummâ fictilis urna comâ.
Feſſa reſedit humi; ventoſque accepit aperto
Pectore; turbatas reſtituitque comas.
Dum ſedet; umbroſæ ſalices, volucreſque canoræ
Fecerunt ſomnos, & leve murmur aquæ.
Blanda quies victis furtim ſubrepit ocellis:
Et cadit à mento languida facta manus.
Mars videt hanc, viſamque cupit, potiturque cupitam:
Et ſua divinâ furta fefellit ope.
Somnus abit: jacet illa gravis. jam ſcilicet intra
Viſcera, Romanæ conditor Urbis, eras.
Languida conſurgit; nec ſcit cur languida ſurgat:
Et peragit tales arbore nixa ſonos;
Utile ſit fauſtumque, precor, quod imagine ſomni
Vidimus. an ſomno clarius illud erat?
Ignibus Iliacis aderam: cum lapſa capillis
Decidit ante ſacros lanea vitta focos.

Inde

13. *Mollem declivo tramite ripam.* ] *Molli declivem* præſtantiores omnes. unus Farneſ. *molli declivam.* ſic *per decliva* pro *declive* Met. 11. vſ. 206. in optimis membranis. *Idem.*

14. *E ſumma coma.* ] E capitis ſummitate. *P. Ponitur è ſumma.* ] Mos geſtandi quodcunque pondus, non magis veteri Latio receptus, quam aliis gentibus. Noſter de Argivis, in Amatoriis: *Cum premeret ſummi verticis urna comas.* Neap.

15. *Feſſa reſedit humo.* ] *Humi* meliores. quare fruſtra eſt Carrio, qui ad l. 1. Val. Flacci *ſedere humo* paſſim apud auctores contendit legendum. *Heinſ.*

17. *Dum ſedet.* ] *Omnia ſunt dulces hac invitantia ſomnos, Aura, umbra & cantus, leneque murmur aqua.*

19. *Furtim victis obrepſit ocellis.* ] *Subrepſit* ſcripti plerique. *victis furtim ſubrepſit* opt. Ambroſ. utrumque bene. Ep. Merus,
*Sed movet obrepens ſomnus anile caput.*
perperam alii *victos oppreſſit ocellos. ſubrepit* Voſſ. Maz. & quatuor alii. bene. niſi Naſonem contendimus ſcripſiſſe, *victos obrepſit ocellos.* quod verbum Lucanus quoque cum quarto caſu conjungit. Vide quæ noto Met. VII. vſ. 155. *Heinſ.*

21. *Potiturque cupita.* ] *Cupitam* opt. Ambroſ. Læti, & unus Farneſ. quomodo etiam legit hoc loco Diomedes Grammaticus. *Idem.* *Et potitur cupita.* ] Ilia quam cupivit.

22. *Fefellit ope.* ] Ἐνεργητικῶς, pro abdidit, occultavit. *Neap.*

24. *Conditor urbis eras.* ] *Eras* Mazar. pr. Med. & Politiani excerpta. bene. Sequenti verſu *nec ſcit* meliores, non *neſcit.* Zulichemianus eleganter,
*Languida cum ſurgat, neſcit cur languida ſurgat.* Heinſ.

30. *Ante ſacros lanea, &c.* ] Ex ſeipſa à Pontifice convictæ jam adimenda. Dionyſius de Oppia ſeu Opimia ad ſupplicium damnata: Αὐτὴν μὲν τῆς κορυφῆς ἀφελόμενοι τὰ ςέμματα, καὶ πομπεύοντ-

Inde duæ pariter (viſu mirabile) palmæ
Surgunt. ex illis altera major erat:
Et gravibus ramis totum protexerat orbem;
Contigeratque novâ ſidera ſumma comâ.
Ecce meus ferrum patruus molitur in illas.
Terreor admonitu; corque timore micat.
Martia Picus avis gemino pro ſtipite pugnant,
Et Lupa. tuta per hos utraque palma fuit.
Dixerat: & plenam non firmis viribus urnam
Suſtulit. implêrat, dum ſua viſa refert.
Interea creſcente Remo, creſcente Quirino,
Cæleſti tumidus pondere venter erat.
Quo minus emeritis exiret curſibus annus,
Reſtabant nitido jam duo ſigna Deo.
Sylvia fit mater: Veſtæ ſimulacra feruntur
Virgineas oculis oppoſuiſſe manus.
Ara Deæ certè tremuit pariente miniſtrâ;
Et ſubiit cineres territa flamma ſuos.
Hæc ubi cognovit contemtor Amulius æqui;
(Nam

πιόντες δὶ ἀγορᾶς, ἐντὸς τείχες ζῶσαν κατώρυξαν. Inſigne erat, quod ut Veſtalibus proprium, ita aliis cuivis numini conſecratis. *Neap. Lanea vitta.*] *Laurea vitta* multi ex ſcriptis. alii *vitta ſoluta* pro *voluta*. Omnia bene. *laneam vittam* Virgilius quoque dixit. De *laurea vitta* habes ſupra initio lib. II. Triſt. IV. Eleg. II.

*Et dabitur merito laurea vitta Jovi.*

ita enim ſcripti meliores. *Heinſ.*

34. *Sua ſidera ſumma coma.*] *Novâ comâ* Maz. Zulich. Voſſ. Arondel. & quatuor alii. *Idem.*

36. *Corque timore micat.*] *Uſque metu micuere ſinus.* Tom. I. pag. 8. vſ. 45. ubi multa præclara Nobiliſſ. Heinſius. Et p. 61. vſ. 37. ibid.

37. *Martia picus, &c.*] Portendebat hoc, educandos eſſe eos à lupa & pico. Unde Plutarchus in vita Romuli: Ait lupam quandam, ac volucrem picum, adeo ſumma cum benevolentia infantibus aſtitiſſe, ut & hæc ubera benigne, & ille alimenta plurima contulerit.

40. *Dum ſua viſa refert. Sata* pr. Med. an *rata?* Heinſ.

44. *Reſtabant jam duo ſigna Deo nitido.*] Soli, qui nitidis orbem radiis illuſtrat. *Duo ſigna.*] Duo menſes. *P.*

45. *Veſta ſimulacra, &c.*] Ficta hæc. Nec ſimulacrum ullum fuit unquam in æde Veſtæ.

46. *Oculis oppoſuiſſe manus.*] Simile evenit ſceleſtæ illi Tulliæ, viſo parentis ſigno in fano Fortunæ. *Neap.*

47. *Ara Dea certe tremuit.*] Hanc in denariis videre licet cum carbonibus in medio accenſis, & his litteris in ora, VESTA. SC.

48. *Et ſubiit cineres.*] Fere extincta: quod ſuper omnia gravia & timenda Romani habebant. *Neap.*

(Nam raptas fratri victor habebat opes)
Amne jubet mergi geminos. ſcelus unda refugit.
In ſiccâ pueri deſtituuntur humo.
Lacte quis infantes neſcit creviſſe ferino,
Et picum expoſitis ſæpe tuliſſe cibos?
Non ego te, tantæ nutrix Larentia gentis,
Nec taceam veſtras, Fauſtule pauper, opes.
Veſter honos veniet, cum Larentalia dicam:
Acceptus geniis illa December habet.
Martia ter ſenos proles adoleverat annos;
Et ſuberat flavæ jam nova barba comæ,
Omnibus agricolis armentorumque magiſtris
Iliadæ fratres jura petita dabant.
Sæpe domum veniunt prædonum ſanguine læti,
Et redigunt actos in ſua rura boves.
Ut genus audierunt; animos pater agnitus auget:

Et

54. *Expoſitis.*] Τοῖς χαμαιῤῥιφέσι. Neap.

55. *Nutrix Laurentia.*] Alter Mazar. *Larentia* pro diverſa lectione. quomodo & unus Mediceus. ſequenti verſu *Larentalia* ex uno ſuo Neapolis. recte. ita enim in Kalendariis marmoreis id feſtum ita à Varrone, Feſto, Livio, Halicarnaſſæo, aliis appellatur. ſic certe in Livii & Halicarnaſſenſis vetuſtis ſcribi exemplaribus monet Sigonius. Codex veterrimus Egmondanus Prudentii libro II. contra Symmachum vſ. 562. *Larentina* quoque agnoſcit. *Heinſ.*

58. *December.*] Dicimus ergo Decembrem acceptum geniis, ob Saturnalia, quæ eo menſe fiebant, quo convivia voluptuoſa celebrabantur. P. *Cum Laurentalia dicam.*] In meo: *Larentalia.* Firmat Feſtus editionem in his: *Larentalia, conjugis Fauſti, nutricis Remi & Romuli; Larentia feſta.* Sunt in veteri Kalendario menſe Decembri X. Kal. quod & è Macrobio obſerva. *Primo Satur. X. Kal. feria ſunt Jovis, qua appellantur Larentalia.* Sacra faciebat flamen Martialis teſte Plutarcho in Romulo. *Acceptus geniis.*] Ob Saturnalia. Iberus epigrammatarius ad Fuſcum: *Otia dum medius præbet tibi grata December.* Ad geniales hos dies alludit; cum fora clauſa, & otium cauſidicis ſtudiis etiam intermiſſio. *Neapol.*

60. *Jam nova, &c.*] Antiquo verbo utar, *pilabant.* Feſti Abbreviator: *Pilat, pilos habere incipit.* Novam barbam exponunt Gloſſæ. πρωθήβην, quæ Lucilio dicta, barbula prima. *Neap.*

62. *Fratres Iliadæ.*] Romulus Remuſque Iliæ filii. *Miniſtris armentorum.*] Hoc eſt, paſtoribus.

64. *In ſua jura boves.*] *In ſua rura* meliores. *Heinſ.*

65. *Ut genus audierant, animos pater editus auget.*] *Audierunt* bene Patav. de quo Ep. VII. vſ. 166. neque aliter Nauger. deinde *pater agnitus* Urſin. duo Patav. duo Medicei. ut Ep. Parid.

*Regius agnoſcor per rata ſigna puer.*

& epiſt. Hypſipyles:

*Si quæris cui ſint ſimiles, agnoſceris illis.*

Idem.

66. In

Et pudet in paucis nomen habere caſis:
Romuleoque cadit trajectus Amulius enſe:
Regnaque longævo reſtituuntur avo.
Mœnia conduntur: quæ, quamvis parva fuerunt,
Non tamen expediit tranſiluiſſe Remo.
Jam, modo qua fuerant ſilvæ, pecorumque receſſus,
Urbs erat. æternæ cum pater Urbis ait:
Arbiter armorum, de cujus ſanguine natus
Credor; & ut credar pignora certa dabo:
A te principium Romano ducimus anno:
Primus de patrio nomine menſis eat.
Vox rata fit; patrioque vocat de nomine menſem.
Dicitur hæc pietas grata fuiſſe Deo.
Et tamen ante omnes Martem coluêre priores.
Hoc dederat ſtudiis bellica turba ſuis.
Pallada Cecropidæ, Minoïa Creta Dianam,

Vul-

66. *In parvis caſis.* ] *In paucis* Urſin. pri. Farneſ. Zulich. Mazar. Nauger. Petav. & octo alii. *Idem.*

68. *Avo longævo.* ] Numitori jam ſeniori. *Paul.* *Reſtituuntur avo.* ] Cæſo Amulio Numitori regnum Albanum. *Neap.*

71. *Qua fuerant ſilvæ pecorumque receſſus.* ] *Quæ* pri. Ambroſ. Læti, aliique complures, quomodo apud Propertium libro IV. Eleg. I.

*Hoc quodcunque vides, hoſpes, qua maxima Roma eſt.*

eam enim eſſe veram ſcripturam jam alii viderunt. deinde, *nemorumque receſſus* duo codices, ut apud Lucanum l. v.

*Caſtalios circum latices nemorumque receſſus.*

Mazar. aliique duo *pecudumque receſſus*. forte pro *ſpecuumque*. Heinſ. *Pecorumque receſſus.* ] Qui in palatio: ea propter ejuſdem pars dicta *pecuſcum*, auctore Feſto: cujus & meminit Varro lib. IV. de L. L. *Neap.*

74. *Pignora multa.* ] Sarrav. & duo alii *pignora certa.* quod in ſuis quoque Naugerius invenerat. ſic libro Met. II.

*Pignora certa petis, do pignora certa timendo.*

infra hoc libro,

*—— Imperii pignora certa dabo:*

& mox,

*Jupiter imperii pignora certa dabit.*

Pont. libro IV. Eleg. XIII.

*Qui dederint animi pignora certa ſui.*

Severus in Ætna,

*Certaque ventura præmittit pignora flammæ.* Heinſ.

75. *A te principium Romano dicimus anno.* ] Repone *ducimus* ex potioribus ſcriptis. ſic Germanicus Arateorum initio,

*Ab Jove principium magno deduxit Aratus.* Idem.

76. *Menſis erit.* ] *Eat* Zulich. Mazar. Voſſ. Arondel. & tres quatuorve alii. quomodo libri II. initio,

*Alter ut it menſis, ſic liber alter eat.*

*eris* Petav. cum aliis duobus. *Idem.*

81. *Pallada Cecropidæ, &c.* ] Quæque externa regio ſuum habet numen. Latini tamen Martem præ cæteris colunt. Colunt Pallada Athenæ, Creta Dianam, Lemnos Vulcanum. *Cecropidæ.* ] Athenien-

Digitized by Google

Vulcanum tellus Hypſipylea colit:
Junonem Sparte, Pelopeïadeſque Mycenæ:
Pinigerum Fauni Mænalis ora caput.
Mars Latio venerandus erat; quia præſidet armis.
Arma feræ genti remque decuſque dabant.
Quod ſi forte vacas, peregrinos inſpice Faſtos:
Menſis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Faliſcis:
Sextus apud populos, Hernica terra, tuos.
Inter Aricinos, Albanaque tempora conſtant
Factaque Telegoni mœnia celſa manu.
Quintum Laurentes, bis quintum Æquicolus aſper,

A tri-

nienſes, à Cecrope rege, qui in Attica regnavit. *Creta Minoia.* ] A Minoë primo Jovis & Europæ filio. *Colit Dianam.* ] Cujus templum eſt in Dictæo monte Cretæ. unde & *Dyctinna* appellata eſt.

82. *Tellus Hypſipylea.* ] Hoc eſt, Lemnos inſula, ab Hypſipyle Thoantis filia, quæ in ea regnavit. *Paul.*

83. *Junonem Sparte, &c.* ] Spartani & Mycenæi ante alios deos Junonem colebant, & Arcadia Faunum, Sparta eadem quæ & Lacedæmon in Laconia. *Et Mycenæ Pelopeiades.* ] A Pelope; tum quod fuit in Peloponneſo, tum quod ea regia Pelopidarum.

84. *Ora Mænalis.* ] Arcadia, à Mænalo monte.

87. *Faſtos.* ] Faſtorum libros. *Peregrinos.* ] Non intelligas Græcos aut Barbaros, ſed aliarum urbium in Italia. *P. Peregrinos inſpice Faſtos.* ] In his invenies etiam menſem hujus nominis. Vide Cenſorin. de die nat. *Varro*, inquit, *Romanos à Latinis nomina menſium accepiſſe arbitratur, &c.* Neap.

88. *Nomine Martis.* ] Erit inſcriptus Martius menſis. Albani cum annum decem menſium haberent, habent & ipſi menſem Marti dicatum, eumque tertio loco numerabant: Phaliſci autem quinto, Hernici ſexto, Aricini vero & Tuſculani eodem loco habebant, quo Albani.

90. *Sextus apud.* ] *Habet* Voſſian. & prior Puteaneus. *Heinſ. O Hernicâ terra, tuos, &c.* ] Fuit ſextus apud populos tuos. Hernici populi ſexto loco Martium numerabant. Via Latina ſunt Hernici, in quibus eſt Anagnia urbs, olim inſignis, ut Strabo ait.

91. *Inter Aricinos Albanaque tempora conſtat.* ] *Conſtant* Urſin. & quatuor alii. ut conſtructio ſit, *inter Aricinos & Albana mœnia conſtant tempora. reſtant* Mazarin. Zulich. *reſtat.* Heinſ. *Et conſtat.* ] Convenit idem ordo menſis inter Albanos, Aricinos, & Tuſculanos. *Paul.*

92. *Telegoni mœnia.* ] Telegonus Ulyſſis ex Circe filius, à quo Tuſculum conditum ajunt Laurentes quinto loco, & Æquiculi decimo loco Martium numerabant, Forenſes verò quarto.

93. *Laurentes.* ] A Laurento oppido, ubi regia Latini fuit. *Bis quintum.* ] Nam decimo loco Martium menſem habebant. Æqui & Æquiculi ſunt inter Marſos & Sabinos, utriſque finitimi. Et Alba erat Æquorum caput. *Æquiculus acer.* ] *Aſper* præſtantiores magno numero. Virgilius libro VII.

*Horrida præcipue cui gens aſſuetaque multo*
*Venatu nemorum, duris Æquicola glebis.*

eidem

Á tribus hunc primum turba Curenſis habet.
Et tibi cum proavis, miles Peligne, Sabinis
Convenit: hic genti quartus utrique Deus.
Romulus hos omnes ut vinceret ordine ſaltem,
Sanguinis auctori tempora prima dedit.
Nec totidem veteres, quot nunc, habuêre Kalendas:
Ille minor geminis menſibus annus erat.
Nondum tradideras victas victoribus artes,
Græcia, facundum ſed male forte genus.
Qui bene pugnarat, Romanam noverat artem:
Mittere qui poterat pila, diſertus erat.
Quis tunc aut Hyadas, aut Pleiadas Atlantêas
Sen-

eidem paulo ante *Saticulus aſper.* & *aſper Acarnan* Statio in Achilleide. *Heinſ.*

94. *Turba Forenſis.* ] Forum Appii Politianus intelligebat. Hæret & Neapolis in hoc loco. Sed Urſin. Zulich. aliique decem ex melioribus noſtris *turba Curenſis* cum veterrimo Naugerii libro. ut Cures Sabinorum intelligat. *Idem.* *Turba Ferenſis.* ] Hoc eſt, Ferentini, à Ferentino oppido, quod Strabo via Latina ponit & eſt in ipſis Hernicis. *Paul.* *Turba Forenſis habet.* ] Pro Forenſis turba vult intelligi Scaliger, Forulorum gentes: qui foruli, Sabinorum oppidum. Strabo lib. V. Σαβίνων δ' εἰσι, καὶ οἱ φόρυλοι πέτραι, πρὸς ἀπόστασιν μᾶλλον ἢ κατοικίαν εὐφυεῖς. Doctiſſ. vero Geographus, *Forum populi*, oppidum ſitum in Albano monte, cujus accolas vocat Plin. lib. III. cap. V. *Foro-populienſes.*

95. *Cum proavis Sabinis.* ] Peligni, ut vides, genus Italicum. ſed Illyricum Feſto Pompejo: tua tamen fides certa mihi, Naſo, in rebus incertis. *Neap.*

96. *Huic genti quartus utrique Deus.* ] *Hic* legendum ex Arondel. Voſſ. aliiſque tribus nonnulli atque inter illos Zulich. & Mazarin. *hic uterque.* proxime verum. *Heinſ.* *Quartus Deus.* ] Martius quartus anni menſis. *Fuit huic utrique genti.* ] Sabinis, & Pelignis.

101. *Nondum tradideras.* ] Unus Medicens, *Nondum tradideras.* Heinſ. *Victoribus artes Gracia.* ] Intromiſſæ igitur poſt bella Punica; & Romanum illud robur ac ſeveritas paululum mutata, vide Manut. lib. I. in Quæſitis. cui adde Strabonis locum lib. IX. ubi contrarium docet, & cunctas ſcriptor ille Imperii auctas opes his diſciplinis refert acceptas. *Neap.*

103. *Qui bene pugnarat Romanam noverat artem.* ] Virgil.

*Excudent alii ſpirantia mollius æra:*
*Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus:*
*Orabant cauſas melius, cælique meatus*
*Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent:*
*Tu regere imperio populos, Romane, memento.*
*Hæ tibi erunt artes, paciſque imponere morem,*
*Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.*

His nempe artibus Romana potentia crevit.

105. *Quis tunc, &c.* ] Nondum Romæ habebatur ulla aſtrologicæ diſciplinæ ratio, ſic nec aſtrorum curſus obſervatus: quia nondum penetraverant in Græciam Latini, nec in Phœniciam aut in Ægyptum. *Aut Pleiadas Atlanteas.* ] Atlantis ex Pleione filias. Videtur hoc dicere, Quis obſervaverat ſidera aut verna aut hyemalia? Hyades enim ortu hye-

Senſerat, aut geminos eſſe ſub axe polos?
Eſſe duas Arctos; quarum Cynoſura petatur
Sidoniis; Helicen Graja carina notet?
Signaque quæ longo frater percenſeat anno,
Ire per hæc uno menſe ſororis equos?
Libera currebant, & inobſervata per annum
Sidera: conſtabat ſed tamen eſſe Deos.
Non illi cælo labentia ſigna movebant;
Sed ſua: quæ magnum perdere crimen erat.
Illaque de fœno. ſed erat reverentia fœno,
Quantum nunc Aquilas cernis habere tuas

Per-

hyemem referunt, *Pleiades* vero oriuntur in vere, inde *Vergiliæ*.

107. *Eſſe duas arctos.* ] Urſam majorem & minorem.

108. *Sidoniis.* ] Hoc eſt, à Phœnicibus, à Sidone urbe. *Petatur Cynoſura.* ] Hoc eſt, minor urſa, ad cujus obſervationem Phœnices navigant. *Notat Helicen.* ] Majorem urſam, ad cujus obſervationem Græci navigant.

109. *Et quis ſenſerat ſigna.* ] Duodecim illa ſigna, quæ ſunt in zodiaco. *Longo anno.* ] Anno ſolari, qui conſtat ex duodecim menſibus, quibus duodecim illa ſigna ſol permeat. nam in unoquoque ſigno menſem unum abſumit.

111. *Non obſervata per annum.* ] *Et inobſervata* Urſini, opt. Ambroſ. Mazar. Zulich. Voſſ. Arondel. & ſex alii ex melioribus. Metamorph. IV.

*At puer ut vacuis it inobſervatus in herbis.*

Martialis libro VIII. Epig. XXXIII.

*Aëra per vacuum delapſa ſedentis in ipſos*
*Fluxit Aretulla blanda columba ſinus.*
*Fluxerat huc caſu, niſi inobſervata maneret;*
*Permiſſaque ſibi nollet abire fuga.*

ita opinor ſcribendum. *Luſerat hoc caſus* nunc legitur. Crederes caſu huc fluxiſſe, inquit. poſſes & legere, *Lapſa erat huc caſu.* Heinſ.

112. *Conſtabat ſed tamen eſſe Deos.* ] De Diis hæc præter rem videntur. cenſeo corrigendum,

*Libera currebant & inobſervata per annos*
*Sidera, conſtabat ſed tamen eſſe ſuos.*

certe in præſtantiſſimo Zulichemiano codice τὸ *deos* à manu ſecunda erat, eraſa veteri ſcriptura. *conſtabant ſed tamen eſſe deo* veterrimus Petavianus. *Idem.*

113. *Signa tenebant.* ] *Movebant* Mazarin. Voſſian. & quinque alii. tum verſu proximo *qua magnum prodere crimen erat*, non *perdere* alter Bononienſis. ſic *ſigna movere.* & *prodere ſigna* apud Lucanum. *Idem.*

114. *Perdere crimen erat.* ] Ob hoc legi, coërcitos milites pane hordeaceo, decimatione, diſcinctione, exercitu ſpectante. Legi, amictos veſte muliebri, pœna morte graviori rata.

115. *Illa quidem fœno.* ] *Illaque de fœno* legendum, idque ex auctoritate unius Vaticani, & prioris Bononienſis. neque aliter editio Gryphiana. quomodo & Scaliger in ora codicis ſui caſtigarat. ut mirer in contraria iviſſe Ciofanum. Forte tamen verior ſcriptura, *Illa quidem è fœno.* quam alter Puteaneus confirmat. *Heinſ.* *Illa quidem fœno.* ] Donatus in Terent. Eunuch. Sibi ſertum vel coronam ex manipulo herbæ vel hujuſmodi conficiebant, quod pro ſigno ſequebantur. *Sed erat reverentia fœno.* ] Quanta, inquit, tuis aquilis. *Neapol.* *Illa quidem fœno, &c.* ] Prima Romanorum ſigna fuere fœni manipuli, unde *manipulares milites* dicti. Verum poſtea ſigna Romanorum fuere aquilæ, lupi, leones, &c.

117. Ple-

Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos:
Unde maniplaris nomina miles habet.
Ergo animi indociles, & adhuc ratione carentes.
Menſibus egerunt luſtra minora decem.
Annus erat; decimum cum Luna repleverat orbem.
Hic noſtris magno tunc in honore fuit.
Seu quia tot digiti, per quos numerare ſolemus:
Seu quia bis quino fœmina menſe parit.
Sed quod aduſque decem numero creſcente venitur;
Principium ſpatiis ſumitur inde novis.
Inde pares centum denos ſecrevit in orbes
Romulus: Haſtatos inſtituitque decem.
Et totidem Princeps totidem Pilanus habebat
Corpora: legitimo quique merebat equo.

Quin

117. *Pertica longa.* ] Haſta rudis pertica, velut ex nemore erat avulſa. *Portabat manipulos.* ] Suſpenſos, manipulum fœni.

118. *Unde maniplaris.* ] A manipulo dictus manipularis. Vetus nomen & ante urbem conditam. Vegetius vocat *manipulum*, contubernium, unde & iidem *contubernales*. N.

120. *Luſtra minora.* ] Nam ex quinis annis decimeſtribus, luſtrum menſibus L. conſtabat.

122. *Hic numerus magno tunc in honore fuit.* ] *Hic noſtris* Voſſianus, & Mazarinianus. *Heinſ.*

123. *Per quos ſolemus numerare.* ] Plerumque enim digitis numeros computamus. *Seu quod.* ] Venimus uſque ad decimum, numero creſcente. cum numeramus, aſcendimus uſque ad decem, poſtea reſumitur primus numerus decimo additus, ut decem, poſtea undecim, viginti, poſtea viginti unum: ſic de reliquis. *Paul.*

127. *Inde patres centum.* ] *Pares centum* ex potioribus ſcriptis. quomodo & Scaliger caſtigarat in ora codicis ſui, & Lipſius de Militia Romana lib. II. c. II. Vide Livium libro primo cap. VIII. & XVII. *Heinſ. Inde pares centum.* ] Centuriam ætate & robore æqualem diviſit in decurias. *Neapol. Novis ſpatiis.* ] Per quæ numeramus. *Inde pares.* ] Non modo in anni computatione ſervatus eſt denarius numerus, ſed etiam in militia, cum centurias, haſtatos principes, pilanos equites, & omnes ordines denario numero diviſit.

128. *Haſtatos inſtituitque decem.* ] Hi in acie primi pugnam capeſſebant, deinde principes, poſtea triarii. ſed hoc ſtante Repub. nam ſub Cæſaribus principes haſtatis & triariis antepoſiti. Vide Ald. Manut. in Quæſitis lib. I. Epiſt. III.

129. *Et totidem princeps.* ] Hinc primus, ſecundus, tertius princeps, uſque ad decimum. Qui caput erat iſtius ordinis. Peculiare etiam illis nomen, *principales*, *& principia legionum. Totidem pilanus habebat.* ] Pilani iidem cum triariis, ut ex M. Varrone colligimus; & cum vexillariis, ut ex Livio, Tacito, &c. *N.*

130. *Legitimo quiſque merebat.* ] Legitimum interpreteris publicum & legibus datum. Equo publico merere, dixere Græci, Δημοσίᾳ ἱππεύειν. *Merebat equo.* ] Non ſolum ergo peditum genera in decem quæque partes diſtributa, ſed & equitum, Vide Varron, l. IV. de L. L. *N.*

131. *Quia*

Quin etiam partes totidem Titienſibus idem,
Quoſque vocant Ramnes, Luceribuſque dedit.
Aſſuetos igitur numeros ſervavit in anno.
Hoc luget ſpatio fœmina mœſta virum.
Neu dubites, primæ fuerint quin antè Kalendæ
Martis; ad hæc animum ſigna referre potes.
Laurea Flaminibus, quæ toto perſtitit anno,
Tollitur: & frondes ſunt in honore novæ.
Janua nunc Regis poſitâ viret arbore Phœbi:
Ante tuas fit idem, Curia Priſca, fores.
Veſta quoque ut folio niteat velata recenti,
Cedit ab Iliacis laurea cana focis.
Adde, quod arcanâ fieri novus ignis in æde
Dicitur; & vires flamma refecta capit.

Nec

131. *Quin etiam ille.* ] Romulus. *Dedit totidem partes Titienſibus, &c.* ] Etiam denario numero diviſit tribus, Titienſem, Ramnenſem & Lucerem. nam unaquæque tribus in decurias decem diviſa eſt. Titienſes à Tatio, Ramnenſes à Romulo: Luceres, ut ait Junius, à Lucumone. Sed omnia hæc vocabula Thuſca. *Tatienſibus ille.* ] *Titienſibus* optimi codd. & recte. quomodo & apud alios ſcriptores in veterrimis membranis exaratum occurrit. ut apud Livium, Florum, Propertium, Feſtum in *Sex Veſta*, Servium, Varronem de L. L. & ſane cum Livius libro 1. cap. XIII. *Ramnenſes à Romulo, ab Titio Tatio Titienſes appellatos* affirmat, nihil neceſſe erat *Titi* prænomen addi, niſi eo *Titienſium* relatam voluiſſet originem. Mazarinianus tamen hoc loco *Cupientibus.* Heinſ.

137. *Quæ toto perſtitit.* ] En orditur à prima. cujus & meminit Solinus Polyhiſt. cap. 3. *Romani*, inquit, *initio annum decem menſibus computabant, à Martio auſpicantes, &c.* Neap. *Laurea flaminibus.* ] Quæ pependit in flaminum domibus.

139. *Poſita viret, &c.* ] Macrob. 1. Saturnal. *Eodem quoque ingrediente menſe, tam in regia curiiſque atque Flaminum domibus laurea veteres novis laureis mutabantur.*

140. *Ante tuas itidem.* ] *Fit idem* Urſin. pri. Ambroſ. Zulich. Nauger. aliique complures. *Heinſius. Curia priſca fores.* ] Curiæ priſcæ, erant, Forenſis, Velienſis, Rapta, Velitia, & reliquæ XXVI. In harum unaquaque & cœnaculum erat, & focus ad rem ſacram, ex Romuli inſtituto. Auctor Dionyſ. lib. II. Novæ totidem XXX. quæ poſtea exſtructæ, in quas evocata ſacra ab antiquis: ſed illarum quatuor, quas ſupra retuli, & de quibus nunc Naſo noſter, exaugurari per religionem licitum haud fuit. Vide & Feſtum. *Neap.*

141. *Veſta quoque ut niteat folio.* ] *Folio niteat* plerique veteres. mox pro *laurea cana* alter Petavianus *laurea vitta*. Heinſius.

143. *Arcana.* ] Dixit, quia non licebat ingredi maribus. *P. Fieri novus ignis in æde.* ] Habes id ex Solino. cui addo Macrob. in hæc verba: *Hujus etiam prima die ignem novum Veſtæ aris accendebant, ut incipiente anno, cura denique ſervandi novati ignis inciperet.* ſubdit deinde: *Hoc menſe mercedes exſolvebant magiſtris; comitia auſpicabantur, vectigalia locabant.* Neap.

148. *Initi*

Nec mihi parva fides, annos hinc iſſe priores;
Anna quod hoc cœpta eſt menſe Perenna coli.
Hinc etiam veteres initi memorantur honores
Ad ſpatium belli, perfide Pœne, tui.
Denique quintus ab hoc fuerat Quintilis: & inde
Incipit, à numero nomina quiſquis habet.
Primus oliviferis Romam deductus ab arvis
Pompilius menſes ſenſit abeſſe duos.
Sive hoc à Samio doctus, qui poſſe renaſci
Nos putat; Egeriâ ſive monente ſuâ.
Sed tamen errabant etiamnum tempora; donec
Cæſaris in multis hæc quoque cura fuit.
Non hæc ille Deus tantæque propaginis auctor
Credidit officiis eſſe minora ſuis:

Pro-

148. *Initi memorantur, &c.*] Uſque ad finem, inquit, belli Punici, imo uſque ad annum DC. urbis conditæ, Q. Fulvio & T. Annio Coſſ. hi primi Kalendis Januariis ſuum magiſtratum inierunt: qui dies deinceps, ſtante Imperio Romano, ſolemnis ineundis Conſulatibus eſt habitus. *Neap.*

150. *A numero nomina quiſquis habet.*] *In numero* decem codices antiqui. *Heinſius. Habet nomina à numero.*] Nam *Sextilis* à ſex, *September* à ſeptem, *October* ab octo, &c.

151. *Primus Pompilius.*] Numa Pompilius, *deductus Romam ab arvis oliviferis.*] Accitus in regem ex Sabinis arvis olea abundantibus. *Paul. A numero nomina, &c.*] Vide Solin. loco citato vſ. 143. *Neap.*

153. *A Samio.*] A Pythagora Philoſopho, qui Samius fuit.

154. *Egeria ſua.*] Quam ſuam conjugem eſſe fingebat. Egeriam enim (ut Dionyſius inquit) fabulati ſunt nympham quandam fuiſſe, Numam docentem ſapientiam regiam. *Paul. Sive hoc à Samo.*] Σάμιος eſt abſolute Sophus Pythagoras. *A Samio doctus.*] Tu in hunc ἀντιχρονισμόν; Miror. interim audi Tullium lib. IV. Tuſcul. *Pythagoras fuit in Italia temporibus eiſdem, quibus L. Brutus patriam liberavit.* nec fallitur: calculum addit Strabo, Livius, &c. *Neap.*

155. *Errabant tempora.*] Quia annus ad ſolis curſum non perficiebatur: & menſes verni, factum eſt eo errore, ut hyberni aliquando eſſent. *Etiam tunc.*] *Etiam nunc* plerique veteres. unus Regius *etiam non.* Lege *etiamnum.* mox pro *in multis* complures ſcripti *ut multis.* Heinſ.

156. *Fuit una.*] Quaſi fuit inter cæteras præcipua, ut annum ad certiorem ordinem redigeret. Sed cum intercalationibus eſſet erratum, rem emendavit Auguſtus; ſublato omni errore intercalari.

157. *Et autor tantæ propaginis.*] Tantæ ſobolis, pater Auguſti, avus Tiberii, & proavus tuus ô Germanice. *P. Hæc quoque cura fuit.*] Vide Dion. Caſſium lib. XLVIII. ταῦτά τε ἐνομοθέτησε, καὶ τὰς ἡμέρας, &c. præter Merkedinum, quem ex more in Februarium inſeruit: nam LXVII. illos dies diſtribuit inter Novembrem & Decembrem. *Fuit is annus*, inquit Sueton. l. 1. cap. 40. *quo hæc conſtituebantur quindecim menſium, cum intercalario, qui ex conſuetudine in eum annum inciderat.* Neap.



161. Mos

Promiſſumque ſibi voluit prænoſcere cælum:
Nec Deus ignotas hoſpes inire domos.
Ille moras Solis, quibus in ſua ſigna rediret,
Traditur exactis diſpoſuiſſe notis.
Is decies ſenos tercentum & quinque diebus
Junxit, & è pleno tempore quarta die.
Hic anni modus eſt. in luſtrum accedere debet,
Quæ conſumatur partibus, una dies.
SI licet occultos monitus audire Deorum
Vatibus; ut certè fama licere putat;
Cum ſis officiis, Gradive, virilibus aptus;
Dic mihi, matronæ cur tua feſta colant.
Sic ego: ſic poſitâ dixit mihi cuſpide Mavors;

Sed

161. *Moras ſolis.* ] Hoc eſt, tempora quæ eundo & redeundo ſol abſumit. Aut ipſa ſolſtitia intellige, hybernum & æſtivum. *Rediret in ſua regna.* ] Rediret ſol è Cancro in Capricornum, & è Capricorno in Cancrum. *Paul.* *Quibus in ſua ſigna rediret.* ] *Regna* Urſin. opt. Ambroſ. Zulich. Mazar. Voſſ. Arondel. & plures melioris notæ. ut Zodiacum regna Solis appellet. ſed vulgatum placet. *Heinſ.*

162. *Ille moras Solis.* ] Quæ Lunares excedunt diebus XI¼. Finitur autem Lunaris annus ſpatio dierum CCCLIV. hanc ob cauſſam menſis Lunaris dies habuit XXIX½. tempus vero bimeſtre IIX. unde cavus unus & plenus alter eſſe debet. Hoc anno uſi olim Romani, & obſcura intercalatione; ſed nunquam fere notum illis certum aliquod anni tempus. Cauſam dat Galen. comment. in I. Epidem. *Neap.*

164. *Tempora quinta.* ] Dixit: non quod quinis annis fiat intercalatio, ſed quaternis. hoc eſt, in fine cujuſque anni, ſed quia de quinto in quintum numerando utrumque intercalatum.

165. *Accedere in luſtrum.* ] In quinquennium.

166. *Qua conſumatur.* ] *Conſummatur.* Urſin. Petav. & multi alii, ſed *conſumi dies* Latine & eleganter dicitur. ſic *diem apparando conſumere* Terent. Adelph. & Sulpicius ad Ciceronem Ep. Famil. lib. IV. Ep. XII. Noſter Triſt. V. Eleg. V.

*Conſumatque annos, ſed diuturna, ſuos.*

paulo ante pro *tempora quarta* Petav. pr. Ambroſ. Arondel. & plurimi alii cum primis editt. *quinta* Maz. Urſin. & quinque alii *juncta*. Heinſ.

170. *Matronæ cur tua feſta.* ] Quinque recenſet cauſſas: cuique ſuus inerit locus. Solemnitas hæc Martiis erat Kalendis: dies dictus *Matronalia*; fuitque quondam primus anni feſtus: cœpta illa ex Sabino Romuleoque inſtituto. Vide Plutarch. in ejus vita. Hinc Juvenalis Kalendas Martias nuncupat *fœmineas*: & Tertullianus; *Matronales ferias*. Tunc ſolitæ munuſcula illæ invicem miſſitare, ut auctor Plautus in Milite Glor. *Da mihi vir Kalendis, qua mittam quom Martia venerint.* Neap.

171. *Poſita dixit mihi caſſide Mavors.* ] *Cuſpide* pr. Ambroſ. Zulich. & quinque alii. bene. Sequens verſus id comprobat initio libri,

*Bellice depoſitis clypeo paulisper & haſtâ*
*Mars ades.*

& mox,

*Palladis exemplo ponenda tempora ſume*
*Cuſpidis*, Heinſ.

175. Juve

Sed tamen in dextrâ miſſilis haſta fuit:
Nunc primum ſtudiis pacis, Deus utilis armis,
Advocor: & greſſus in nova caſtra fero.
Nec piget. incepti juvat hac quoque parte morari:
Hoc ſolam ne ſe poſſe Minerva putet.
Diſce, Latinorum vates operoſe dierum,
Quod petis: & memori pectore dicta nota.
Parva fuit, ſi prima velis elementa referre,
Roma: ſed in parvâ ſpes tamen hujus erat.
Mœnia jam ſtabant populis anguſta futuris:
Credita ſed turbæ tunc nimis ampla ſuæ.
Quæ fuerit noſtri ſi quæris regia nati;
Adſpice de cannâ ſtraminibuſque domum.
In ſtipulâ placidi carpebat munera ſomni:
Et tamen ex illo venit in aſtra toro.
Jamque loco majus Romanus nomen habebat:
Nec conjux illi, nec ſocer ullus erat.
Spernebant generos inopes vicinia dives:

Et

175. *Juvat hac quoque parte morari.* ] Uterque Mazar. Zulich. Gottorph. & alii quatuor *moveri.* ut ſupra,

*Ilia Veſtalis, quid enim vetat inde moveri?*

& lib. v.

*Sacra Palis ſuberant: inde movetur opus.*

Idem.

178. *Memori pectore dicta nota.* ] *Tene* duo veteres. *Idem.*

181. *Mœnia jam ſtabant.* ] Et quadriennium excurſum à condita urbe, ad raptum & diſcordiam cum finitimis. Vide Dionyſ. l. II. *Neap.* *Populis anguſta futuris.* ] Ita diſtingue. *Heinſ.*

185. *Capiebat munera ſomni.* ] Quidam ex melioribus *carpebat*, quos inter opt. Ambroſ. ut apud Virgil. *placidam carpebant membra quietem.* & *carpere noctem ſecuram* Val. Flacco. *Idem.* *Munera ſomni* ] Expreſſit Homericum illud, ὕπνου δῶρον ἕλοντο. *Neap.*

189. *Spernebat generos inopes vicinia dives.* ] Urſin. Petav. Arondel. & ſex alii *Spernebant.* vere. ſupra libro II.

*Conveniunt celebrantque dapes vicinia ſimplex.*

Met. II.

*Senſerat hoc furtum nemo, niſi notus in illo*
*Rure ſenex: Battum vicinia tota vocabant.*

Ita optime vetuſtiores libri. & lib. IV. ex optimo Florentino, *& humum vicinia nulla premebant.* lib. VIII. *meritaſque luent vicinia pœnas.* ſic & ibi ſcribendum cenſeo. Faſt. II.

*Quo ruitis, generoſa domus? male creditur hoſti.*

lib. III. ex veteri libro,

*Ergo ut tyronum celebrare frequentia poſſint,*

*chorus clamans.* Faſt. IV.

*At chorus æqualis cumulatis flore caniſtris,*
*Perſephone clamant.*

apud Prudentium Pſychomachia ex vetuſtiſſimo codice Puteano,

*Auribus intentis expectant concio.*

Heinſ.

 191. Et

Et male credebar ſanguinis auctor ego.
In ſtabulis habitaſſe, boves paviſſe, nocebat;
Jugeraque inculti pauca tenere ſoli.
Cum pare quæque ſuo coëunt volucreſque feræque:
Atque aliquam, de qua procreet, anguis habet.
Extremis dantur connubia gentibus: at, quæ
Romano vellet nubere, nulla fuit.
Indolui; patriamque dedi tibi, Romule, mentem.
Tolle preces, dixi: quod petis, arma dabunt.
Feſta para Conſo: Conſus tibi cætera dicet;
Ipſo feſta die dum ſua ſacra canes.
Intumuêre Cures, & quos dolor attigit idem.
Tum primùm generis intulit arma ſocer.
Jamque ferè raptæ matrum quoque nomen habebant;
Tractaque erant longâ bella propinqua morâ.
Conveniunt nuptæ dictam Junonis in ædem:
Quas inter mea ſic eſt nurus orſa loqui:

O pa-

191. *Et oves paviſſe nocebat.* ] *Boves paviſſe* rectius alter Ambroſ. & pro diversâ lectione Farneſ. optimus. quomodo & Mazar. à manu primâ. *Idem.*

195. *Externis dantur connubia gentibus.* ] *Extremis* legendum, ut meliores libri. *Idem.*

199. *Para feſta Conſo.* ] Deo conſiliorum. *P. Feſta para Conſo.* ] Antiquiſſima hæc in Italia & ab Evandri adventu. Dionyſ. lib. 1. Romulus ergo omiſſa ſacra iterat, inventa fortuito ala quadam ſubterranea: ſed de ficta hac ſive vera cauſa Hiſtorici non conveniunt; non ob quod ea tamen efficta. *Neap.*

200. *Illo feſta die dum ſua ſacra canes.* ] Scripti præſtantioris notæ non pauci *Illa* vel *Illo facta*. Mazar. *Illi facta*. *Ipſo feſta* pr. Med Gottorph & tres alii. quod placet. Sed verſus eſt ſuſpectus, ne quid diſſimulem. *Heinſ. Dum ſua ſacra facis.* ] Intellige certamen equorum: ob quod Strabo lib. V. Conſualia vocat, Ἀγῶνα ἱππικὸν, & ſacrificia quæ ad aram fiebant. de quibus Dionyſius lib. 11. Alii pro *facis*, leg. *canes*. Nec diſpliceret, ſi torqueri poſſet ad ſaltationes ad tibiam: nam de illismet ludis, in quibus raptæ Sabinæ, ſcripſit Noſter in Arte lib. 1.

201. *Et quos dolor attigit.* ] Hi ſunt Cenninenſes, Cruſtumerini & Antennates: iſti primi impetum fecerunt, non Curites ſive Sabini; ſed felicibus præliis à Romulo fuſi. *Neap.*

203. *Jamque fera rapta.* ] Hæ quot fuerint dubium, XXX. ajunt quidam. Plutarch. CXXVII. Jubas apud eundem DCLXXXIII. hunc vetuſtiſſ. ſcriptorem ſecutus Dionyſ. Halicarnaſſ. *Matrum quoque nomen habebant.* ] Triennium enim exactum erat, ab initio ſolum belli Sabini ad amicitiam contractam raptarum precibus. *Neap.*

205. *Dictam.* ] Conſtitutam ab ipſis. *Paul. Dictam Junonis in ædem.* ] *Dictam*, quaſi *condictam*, Græcum *συντάσσειν*.

206. *Quas inter mea ſic eſt nurus auſa loqui.* ] *Orſa* multi veterum. quod magis arridet Ep. Med. *Orſus es inſido ſic prior ore loqui.* Cicero de Oratore, *Dicere in foro orſus eſt Hortenſius admodum adoleſcens,*

O pariter raptæ, (quoniam hoc commune tenemus)
Non ultra lente poſſumus eſſe piæ.
Stant acies: ſed utrâ Dî ſint pro parte rogandi,
Eligite. hinc conjux, hinc pater arma tenent.
Quærendum, viduæ fieri malimus an orbæ.
Conſilium vobis forte piumque dabo.
Conſilium dederat. parent, crinemque reſolvunt;
Mœſtaque funereâ corpora veſte tegunt.
Jam ſtabant acies ferro mortique paratæ:
Jam lituus pugnæ ſigna daturus erat;
Cum raptæ veniunt inter patreſque viroſque;
Inque ſinu natos pignora cara ferunt.
Ut medium campi paſſis tetigere capillis;

In

*ſcens. Quas inter medias eſt nurus* vel *ſic* etiam nonnulli ex antiquioribus. & ſuperiori verſu pro *nupta* Junianus *Nympha*, ſic Epiſt. primâ pro nuptis ponitur.

*Grata ferunt Nymphæ pro ſalvis dona maritis.* Heinſ.

*Mea ſic eſt nurus.*] Socer hæc narrat: ergo Herſilia Romuli uxor. Jam habes certum, quod in Scriptoribus plerumque dubium. *Neap.*

207. *Quoniam hoc commune tenemus.*] Legebam aliquando *quod jam commune.* ſed tres veteres, *namque hoc.* Mazar. & tres alii, *quæque hoc.* Lego, *quæque hoc commune tenetis.* Heinſ.

209. *Sed utra Di ſint pro parte rogandi.*] Tò *ſint* abeſt à nonnullis. Mazar. *Dei pro parte.* alii tres *utraque dei.* unus *utra divi.* Forte *ſed utra ne dei pro parte.* At Strozz. *ſed quæ di ſint pro parte rogandi.* Idem.

210. *Pater arma tenet.*] *Tenent* melius nonnulli ex præſtantioribus, & *malimus* pro *malitis* verſu proximo, & mox *Conſilium nobis dabo*, non *vobis.* Idem.

215. *Jam ſteterant acies ferro mortique paratæ.*] *Stabant* meliores. *Marti* etiam Gottorph. & quinque alii. ſed vulgata ſcriptura ferri poteſt, quomodo apud Maronem,

—— *ſtat ferri acies mucrone coruſco Stricta, parata neci.* Idem.

216. *Jam lituus pugnæ ſigna daturus erat.*] *Jam lituos tubicen ſigna* Mazar. à manu primâ Zulichemianus, *Jam lituo tubicen.* Offendit haud dubie ex grammaticis non neminem, quod lituum det tubicini, ac improprie ſit locutus Noſter. Idque haud immerito. Ut dicam quod res eſt, opinor Ovidium ſcripſiſſe, *Jam liticen pugnæ ſigna daturus erat.* Feſtus, *Lituus appellatus eſt, quod litis ſit teſtis. Eſt enim genus buccinæ incurvæ. quo qui cecinerit, dicitur liticen.* Nonium, *Siticines, ut liticines à lituo, ut tubicines à tuba.* Sic & *cornicines* & *tibicines* dicti. *cicuticines Panes* Sidonio Apollinari. *Cornicines* habes apud Juvenalem plus uno loco. Vox parum nota loco Ovidiano corrumpendo occaſionem dedit. *Idem.*

219. *Ut medium campi.*] Campus hîc locus in quo prælium committendum. Unde apud Cyprianum, *Exercitum ad campum ducere.* Neapol. *Sciſſis tetigere capillis.*] *Paſſis* Mazar. Zulich. Uitin. Voſſ. & Arondel. *ſparſis* Læti codex & quinque alii. vide Notas l. I. vſ. 646. *medium campi tenuere* pro *tetigere* octo codices. quomodo etiam nonnulli l. II. v. 205. *Cremeram tenuere rapacem.* lib. III. Amor. Eleg. ult.

*Mœnia, quæ campi jugera pauca tenent.*

In terram poſito procubuêre genu.
Et, quaſi ſentirent, blando clamore nepotes
Tendebant ad avos brachia parva ſuos.
Qui poterat, clamabat avum tum denique viſum:
Et qui vix poterat, poſſe coactus erat.
Tela viris animuſque cadunt: gladiiſque remotis
Dant ſoceri generis accipiuntque manus.
Laudataſque tenent natas; ſcutoque nepotem
Fert avus: hic ſcutis dulcior uſus erat.
Inde diem, quæ prima, meas celebrare Kalendas
Oebalides matres non leve munus habent.
An, quia committi ſtrictis mucronibus auſæ
Finierant lacrymis Martia bella ſuis?

Vel

Faſt. VI. ex antiquis libris,

*Hoc, ubi nunc fora ſunt, uda tenuêre paludes.*

lib. II.

*Populus & canna riparum ſumma tenebant.*

Met. VI.

*——— tenet ima lacuna*
*Lenta ſalix juncique leves cannæque paluſtres.*

Triſt. I. Eleg. IX.

*Quaque tenent Ponti Byzantia littora fauces.*

Met. II. ex antiquis libris,

*Cujus ebur nitidum faſtigia ſumma tenebat.*

libro IX. ex iiſdem ſcriptis, *frondes caput omne tenebant*. Adi Notas Met. XI. v. 257. ſuperiori verſu meliores etiam *pignora ferunt*, non *tenent*. Calpurnius Eclog. V.

*—— natoſque tepenti*
*Ferte ſinu tremulos.*

Horatius,

*—— pellitur paternos in ſinu ferens deos*
*Et uxor & vir, ſordidoſque natos.*

Noſter lib. IX. Met.

*Inque ſinu puerum, qui nondum impleverat annum,*
*Dulce ferebat onus.* Heinſ.

220. *Procubuêre genu.* ] Imo ſic immotæ manſere, donec à circumſtantibus èrigerentur. *Neap.*

224. *Poſſe coactus erat.* ] Exprimeret ſaltem primam litteram. per hanc infantes affectus ſuos præcipuos efferunt; & *a*, ſolum illis ad loquelam. *Neap.*

225. *Animique cadunt.* ] *Animuſque* Mazar. & unus Ambroſ. & mox pro *ſcuti dulcior uſus*, Mazar. Zulich. Arond. prim. Ambroſ. & quinqué alii, *ſcutis*. Heinſ.

229. *Inde diem primaſque meas.* ] *Diem qua prima* meliores miro conſenſu. recte. pro *OEbaliæ matres*, prim. Ambroſ. Læti & ſeptem alii *OEbalides*. ſex cum Arond. *OEbalidæ* quatuor *Italides*. Vide quæ noto lib. ſuperiori vſ. 441. & Epiſt. VIII. vſ. 73. *Idem.*

230. *Matres OEbalides.* ] Laconicæ, id eſt, Sabinæ. *Celebrare primas meas calendas.* ] Diem calendarum Martiarum, mihi dicatarum.

231. *Aut quia committit.* ] *An quia* Urſin. Mazar. Voſſ. Arondel. bene. ſic ſæpe Noſter ſupra lib. I.

*An quia prævíſos in aquâ timet hoſtia cultros?*

infra,

*An quia cum colerent priſci ſtudioſius agros? &c.*

lib. V.

*An quia maturis albeſcit meſſis ariſtis?*

ſequenti verſu malim etiam *Finierunt*. de quo ad Epiſt. VII. *Heinſ.*

233. Vel

Vel quod erat de me feliciter Ilia mater;
  Ritè colunt matres ſacra, diemque meum.
Quid quod hiems adoperta gelu nunc denique cedit;
  Et pereunt victæ Sole tepente nives.
Arboribus redeunt detonſæ frigore frondes;
  Vividaque è tenero palmite gemma tumet.
Quæque diu latuit, nunc ſe qua tollat in auras,

Fer-

233. *Vel quod Ilia.* ] Virgo Veſtalis, Numitoris filia. *Erat de me mater.* ] Pepererat ex me Romulum. *P.* *Vel quod erat de me.* ] Altera cauſſa; ut meis auſpiciis eam felicitatem matronæ conſequantur in filiis, quantam Iliæ meæ dedi, quæ tales Heroas peperit. *Neap.*

235. *Quid? quod hiems.* ] Incertus adhuc hanc tertiam ſubjicit; quod menſe Martio terra mater fœcunda ſit; qualis & matrona fieri cupit. *Neap.*

236. *Victa ſole tepente nives.* ] Ita Urſin. prim. Ambr. Voſſ. Arond. & pauci alii. reliqui *lapſa.* Maz. *mæſta.* Sed opinor ſcribendum *icta.* Auctor Elegiæ in mortem Druſi,

*Liquitur, ut quondam Zephyris & ſolibus icta*
*Solvuntur teneræ vere tepente nives.*

vide Notas Met. vſ. 389. *Heinſ.*

237. *Detonſa frigore frondes.* ] alii ex vetuſtioribus *excuſſa*, vel, *excuſſo.* quomodo Art. Am. III.

*Ut Boreâ frondes excutiente cadunt.*

Faſt. v. ex veteribus libris,

*Et ſubitâ frondes excutiuntur aquâ.*

Faſt. IV.

*Excuſſaque mora rubetis.*

lib. v.

——*foliis excuſſa pruina eſt.*

ſed nil muta. ſic *tondere brachia arborum* Virgil. dixit. hinc *tondere prata* & ſimilia paſſim apud poëtas. *Idem.* *Frondes detonſa frigore.* ] Quæ rigore frigoris deciderant ex arboribus.

238. *Vividaque in gravido palmite gemma tumet.* ] Alii *Humidaque.* primæ edit. opt. Ambroſ. Mazar. & reliqui majori ex parte *Vividaque.* recte. Zulich. *Vivaque.* Lucretius lib. I.

——*vivida tellus*
*Tuto res teneras effert in luminis oras.*

Germanicus Arateis de Sirio,

*Diſcernitque ortu longè ſata: vivida firmat,*
*At quibus haud vegeta frondes, aut languida radix,*
*Exanimat.*

Ita ſcribo ac diſtinguo. nam duo veterrimi codices, quibus uſus ſum, *adſueta frondes.* Unde vir magnus, cui illum auctorem caſtigatum debemus, *adſueta. haud vegeta frondes*, ſunt ægræ, ut Noſter loquitur ſupra, *palleat ægra ſeges.* Si malis *adfecta frondes*, vel *haud læta* nil repugno. Nam *ad* non raro pro *aut* vel *haud* in vetuſtiſſimo codice Voſſiano ſcribebatur. *valles vivificare lympha* dicitur Avieno in Equo. ſic & *viva plantaria* Virgilius in Georgicis. cæterum libri veteres plerique *in tenero palmite*, non *gravido. è tenero* etiam Mazar. pr. Ambroſ. & tres alii. tamen libro primo,

*Et nova de gravido palmite gemma tumet.*

ſic *pampineo gravidus autumno ager* apud Virgilium in Georgicis: & *gravidus culmus ariſtis:* & *gravida fruges.* idem *gravidam imperiis Italiam* quarto Æneidos. & decimo *gravidam bello urbem* dixit eleganti tranſlatione. Val. Flaccus. l. II.

——*ſic fata querelas*
*Abſcidit, & curis gravidam lacrymiſque reliquit.*

Ita ſcripſerat Valerius. nam *pavidam* inſulſe nunc legitur. Lucanus libro v.

*Nocte ſub extrema pulſo torpore quietis,*
*Dum fovet amplexu gravidum Cornelia curis*
*Pectus.* Heinſ.

K 4 240. Ita

Fertilis occultas invenit herba vias.
Nunc fœcundus ager: Pecoris nunc hora creandi:
Nunc avis in ramo tecta laremque parat.
Tempora jure colunt Latiæ fœcunda parentes:
Quarum militiam votaque partus habet.
Adde, quod excubias Regi Romanus agebat;
Qua nunc Eſquilias nomina collis habet.
Illic à nuribus Junoni templa Latinis
Hâc ſunt, ſi memini, publica facta die.
Quid moror, & variis onero tua pectora cauſſis?

Emi-

240. *Vias occultas.* ] Subterraneas. *Tollat ſe in auras.* ] Emergat in aëra, & attollat ſe.

241. *Pecoris nunc hora creandi.* ] In Zulichemiano eraſa vetus ſcriptura, in Mazariniano quoque ex parte. Urſini liber, & unus Vatic. *pecori eſt nunc hora creandi*. Scribe *pecori nunc hora creando eſt*. ſic loquebantur. Met. IV. *at opi brevis hora ferenda eſt*. quomodo & ibi ſcribendum. Statius Theb. I. *quando hac variis ſermonibus hora eſt*. Virgil. initio Georg. *qui cultus habendo ſit pecori*. Georg. II.

*Principio arboribus varia eſt natura creandis.*

Noſter lib. XV. Met.

*Cum dedit huic ætas vires, onerique ferendo eſt.*

Auſon. Ep. XXIII.

*—— ſed iniqua ferendo*
*Conditio eſt oneri.*

Martial. lib. XI. Ep. LXXVIII.

*Viribus hic oneri non eſt.*

Heinſ.

242. *Larem.* ] Nidum.

243. *Colunt fœcunda tempora.* ] Celebrant principium veris. *Paul.*

245. *Adde, &c.* ] Quarta ratio, quia Cal. Martiis in valle Exquilina nuptæ templum Junoni Lucinæ dedicarunt, pro aſſequenda fœcunditate. Cumque Juno præſit nuptis, & ſit Martis mater, jure ob Martis reverentiam Marti mulieres Cal. Martiis ſacrificant. *P. Excubias ubi Rex Romanus agebat.* ] *Habebat* multi ex melioribus. ſic φυλακὰς ἔχειν apud Græcos. Voſſ. pri. Ambr. & octo alii, *ibi Rex*. At Urſin. & Mazar. *Regi Romanus habebat.* quod tamen minus arridet, cum *habet* proximis verſibus præceſſerit ac ſequatur pro *Eſquilias nomina*, Mazar. *Eſquilia nomine*. & ſic tres alii. Zulich. pri. Ambroſ. Læti, & octo præterea, *eſquilia nomina*. Lego,

*Adde quod excubias Regi Romanus agebat,*
*Qua nunc Eſquilias nomina collis habet.*

poſſet & *Eſquilius collis*. ut lib. II. *Monte ſub Eſquilio*. Varro, *Eſquilias alii ſcripſerunt ab excubiis Regis dictas, alii ab eo quod exculta a Rege Tullio ſunt*. Heinſ.

246. *Qui collis habet nunc nomina.* ] Vocantur nunc Exquiliæ, ab excubando, ſeu excolendo.

247. *Junoni templa Latinis.* ] Sed cognomento *Lucinæ*. Varro lib. 4. de Exquiliis quarum par Ciſpius mons in ſacris appellatur. *Neap.*

248. *Hac publica facta die.* ] Feſtus: *Martias Kalendas matronæ celebrant; quod eo die Junonis Lucinæ ædes coli cœpta ſit.* Neap.

249. *Quid moror?* Ultima cauſſa hæc. Juno, inquit Mars, noſtra parens & præeſt nuptiis, & mulcet tricas puerperiorum. unde Tertullianus: *In partu Lucina & Diana ejulatur.* Quid mirum igitur, quod matronæ filium his Kalendis potiſſimum colant? *Neap.*

251. Ma-

Eminet ante oculos, quod petis, ecce tuos.
Mater amat nuptas: matris me turba frequentant.
Hæc nos præcipuè tam pia cauſſa decet.
Ferte Deæ flores: gaudet florentibus herbis
Hæc Dea: de tenero cingite flore caput.
Dicite, Tu lucem nobis, Lucina, dediſti.
Dicite, Tu voto parturientis ades.
Si qua tamen gravida eſt; reſoluto crine precetur,
Ut ſolvat partus molliter illa ſuos.
QUis mihi nunc dicat, quare cæleſtia Martis
Arma ferant Salii, Mamuriumque canant?
Nympha, mone nemori ſtagnoque operata Dianæ:
Nym-

251. *Matrum me turba frequentat.*] *Frequentant* ſex ſcripti. unde conjiciebam olim, *matres me jure frequentant.* unus Farneſ. *matres tua vota frequentant.* In Zulich. hæc omnia erant eraſa. In Mazar. à manu prima: *matres me turba frequentant.* Scribe levi mutatione, *matris me turba frequentant.* Nihil certius. ſic in Amorib. ad Cupidinem.

*Pieridum vates non tua turba ſumus.*

Sequenti etiam verſu reponendum *nos* pro *vos* ex fide optimorum exemplarium. Omina jam ſunt perſpicua. *Heinſ.*

253. *Gaudet florentibus herbis Hæc dea.*] *Arvis* duo Farneſii. Puto *florentibus aris.* Triſt. III. El. XIII.

*Fumida cingatur florentibus ara coronis.*

Virgilius,

*Thure calent aræ, ſertiſque recentibus halant.*

cæterum prim. Ambroſ. & Læti codex legunt,

*Ferte Deæ flores: tenero de flore coronas*
*Nectite. de tenero cingite flore caput.*

Idem.

257. *Si qua tamen gravida eſt.*] Malim,

*Si qua tamen gravida es, reſoluto crine preceris,*
*Ut ſolvas partus molliter illa tuos.*

ut infra,

*Nubere ſi qua voles, quamvis properabitis ambo,*
*Differ,* Idem.

259. *Quis mihi nunc.*] Hactenus cum Marte locutus eſt, nunc ſcripturus feſtum Saliorum, Egeriam nympham implorat. Accedit ſermo de Saliis: ii inſtituto anno VIII. Numâ regnante. Peſtis urbem invaſerat, lacrymæ paſſim ad Deos, cum divinitus ſcutum æneum è cælo excidit; quod in urbis ſalutem miſſum ab Egeria ſua Numa tradidit; id ſervandum Rex ille Saliis dedit: neve furtum pati poſſet, XII. alia cælari curavit, à Mamurio quodam. Ad Saliorum collegium creati primitus XII. idque liquet ex Livii lib. I. Ii cognomento erant Collini & Agonenſes ſeu Quirinales. Nam *Quirinalis* collis qui nunc dicitur, olim *Agonus* appellabatur. Fuere & Salii cognomento *Palatini:* forte quia ſacra in Palatio factitarent: ubi & eorum ſacrarium refertur à Sexto Ruffo, & P. Victore. Magiſter Saliorum ſeu caput collegii & ἔξαρχος, habebat poteſtatem legendi & ejiciendi. Statim poſt Kalendas Martias, ante Piſcis occaſum, Ancilia mota dicit Ovid. *Neapol.*

260. *Ferant arma cæleſtia.*] Ancilia ipſa. *Mamuriumque canant.*] Cantando Mamurii nomen repetunt. Voluit enim ipſe Mamurius in mercedem clypeorum, quos fecit inſtar illius cæleſtis, cani carminibus Saliorum.

 262. *Nym-*

Nympha, Numæ conjux, ad tua feſta veni.
Vallis Aricinæ ſilvâ præcinctus opacâ
Et lacus, antiqua relligione ſacer.
Hic latet Hippolytus furiis direptus equorum:
Unde nemus nullis illud initur equis.
Licia dependent longas velantia ſepes,
Et poſita eſt meritæ multa tabellla Deæ.
Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Fœmina lucentes portat ab Urbe faces.
Regna tenent forteſque manu pedibusque fugaces:

Et

262. *Nympha.* ] Et Periphraſi Egeriam oſtendit. *Conjunx Numa.* ] Cum qua Numa congreſſum ſe habere dicebat. *Ad tua facta veni.* ] Veteres, *feſta*, vel, *ſacra:* utrumque vulgatæ lectioni præferendum. *Heinſ.*

263. *Vallis Aricinæ ſylva præcinctus.* ] Locum eſſe dicit in Aricina valle, ubi latet Hippolytus, & Dianæ ſimulacrum ex Taurica advectum, cui mitiore jam ritu fiunt ſacra. Inde rivulus defluit. aquas Egeria ſuggerit: quæ muſis grata, Numæ uxor & conſilium fuit. *Paul. Vallis Aricinæ.* ] Erat in ſiniſtra viæ parte, qua Ariciam deſcenditur. Vide Strab. l. 5. *Silva præcinctus opaca.* ] Bene: nám fanum ſitum in luco. *Neap.*

264. *Eſt locus præcinctus.* ] Circundatus. *Sacer antiqua religione.* ] Hoc ideo dictum, quod conſecrata ibi ara Dianæ ante Albam condita.

265. *Hic latet Hippolytus loris direptus equorum.* ] Alii *jacet* cum Urſin. Voſſ. Arondeliano fruſtra. ipſi Virbius l. xv. Met.

*Numine ſub domina lateo, atque accenſeor illi.*

*furiis diſtractus* Voſſ. Arondel. Mazar. Zulich. pr. Ambr. & multi alii. Urſin. & Nauger. *furiis direptus.* utrumque bene. Faſt. vi.

*Hippolyte infelix, velles coluiſſe Dionem,*
*Cum conſternatis deripereris equis.*

Art. Am.

*Hippolytum pavidi diripuiſtis equi.*

At Virgil. in hac narratione l. vii.

*Turbatis diſtractus equis.* Heinſ.

*Hippolytus direptus.* ] Fabulam hanc floride tranſtulit Seneca ex Eurip. cui nocuit ἀτυχὲς κάλλος, *Infelix decor:* καὶ χῆμα δυσίμερον ἄτης. Argon. 4. vſ. 4.

266. *Nemus nullis illud aditur equis.* ] *Initur* rectius Mazar. Zulich. & duo alii. ſic Artis Am. libro iii.

*Ipſa nemus tacito clam pede fortis init.*

Heinſius. *Unde nemus nullis illud initur equis.* ] Invenies aram Taraxippi in Pauſan. Eliacor. 2.

267. *Licia dependent.* ] His ſuſpenſa dona votorum compotum. *Longas ſepes.* ] Murum quo nemus ſeptum.

268. *Meritæ Deæ.* ] Huc pertinent Strabonis illa lib. 14. Καὶ ἡ Ἄρτεμις ἀπὸ τῦ ἀρτεμέας ποιεῖν. *Multa tabella.* ] Heus tu, etiam antiquis noſter iſte mos tabulas votivas in templo ſuſpendendi; quid dubitas? Strab. lib. 8. de Epidaurio templo Æſculapii. Addo Tibulli teſtimonium:

*Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi: nam poſſe mederi,*
*Picta docet templis multa tabella tuis.*

Neap.

270. *Portat ab urbe faces.* ] Ad ritum ſpectans Statius in Hercule Surrentino: *Fumat Aricinum Triviæ nemus.*

271. *Regna tenent manibus fortes.* ] *Forteſque manu* Voſſ. Arond. Mazar. Zulich. & tres alii. ſequor. *Heinſ. Regna tenent fortes.* ] Hic *regnum* idem ac ſacerdotium: nam qui ſacerdos, ibi dictus *Rex Nemorenſis;* inde ſacerdotium *regnum.* Luc. 3. Pharſal. *qua regna Dianæ.* *Fortes manibus.* ]

Et perit exemplo poſtmodo quiſque ſuo.
Defluit incerto lapidoſus murmure rivus:
Sæpe, ſed exiguis hauſtibus, inde bibes.
Egeria eſt, quæ præbet aquas, Dea grata Camœnis.
Illa Numæ conjux conſiliumque fuit.
Principio nimium promptos ad bella Quirites
Molliri placuit jure, Deûmque metu.
Inde datæ leges; ne firmior omnia poſſet:
Cœptaque ſunt purè tradita ſacra coli.
Exuitur feritas, armiſque potentius æquum eſt:
Et cum cive pudet conſeruiſſe manus.
Atque aliquis modo trux viſâ jam vertitur arâ;

Vina-

*bus.*] Is igitur Sacerdos ſacri illius nemoris, qui viribus excellens: hunc ſi tractu temporis præſtantior alter vinceret, primo interemto, ſacerdotium occupabat. De barbarico hoc more Strabo lib. V. *Pedibuſque fugaces.*] Quivis δραπέτης, non qui curſu velocior. *Paul.* *Regna tenent fortes.*] *Regnum* appellat poëta, eo quod ſacerdos Triviæ illic rex vocabatur, & ſicut dicimus *Ariciam nemoralem*, ita & regem nemorenſem, & regna Dianæ dicta. *Regna.*] Ipſius Dianæ.

273. *Defluit.*] Per lucum Cynthiæ. *Rivus lapidoſus.*] Inter lapides fluens. *Incerto murmure.*] Quaſi tam levi ſuſurro, ut vix auribus percipiatur. *Paul.* *Incerto murmure.*] Nam id ubi ſit ambigitur. Sermo Naſoni eſt de fontibus, quibus lacus ille impletur. De his Strabo & pro *ispila*, Scalig. legit Ι'τέρτη. De Juturna locum audiens. Hic fons in eo tractu. *Neap.*

274. *Inde bibi.*] *Bibes* Mazar. & Zulich. *bibis* pr. Ambroſ. Læti, & quinque alii. *bibit* Urſini, Petavii, & cæteri majori ex parte. Malim *bibunt*. Heinſ.

275. *Egeria eſt.*] Hæc τὶς δαίμων ἐπώνυμος cum Juturna. *Neap.*

279. *Data leges.*] Dedit enim populo leges, quas ab Egeria accepiſſe ſimulabat. *Ne fortior omnia poſſet.*] *Firmior* plerique veteres. & recte. ut ad Livium jam monuit doctiſſimus Gronovius. Plinius l. I. Ep. XII. *Ego tamen tanquam & juvenis & firmiſſimi mortem doleo.* Ita vetuſtiſſimus codex Mediceus. Noſter Triſt.

*Firma valent per ſe, nullumque Machaona quærunt.*

& alibi, *pectus firmius ære.* Silius l. III.

*Inde ubi flore novo pubeſcet firmior ætas.*

Lucanus libro II. vſ. 473.

*——— nudatam deſeris arcem,*
*Scipio Luceria. quanquam firmiſſima pubes*
*His ſedeas caſtris.*

Ita vetuſti codices. non *fortiſſima.* pro *data leges* unus Vatican. *rata leges.* quomodo & forte ſcribendum Triſt. V. Eleg. IX.

*Sic mea lege rata vincta atque incluſa Thalia.* Heinſ.

283. *Viſa jam vertitur ara.*] Ex Numæ nova lege. Vide Plutarch. Solitum ergo antiquis in adorationis ritu corpus dextroverſum circumagere: hoc adſtricte ſignificat Τὸ *vertitur.* manifeſte Plautus in Curculione: PH. *Quo me vertam neſcio.* PA. *Si deos ſalutas, dextroverſum cenſeo.* Athen. lib. 4. Erat & apud antiquos, in adoratione ſolemnis manus ad os admota; quod & Minutius Felix obſervat. inde hujuſmodi oſcula, *labrata* dixerunt veteres; imo ſtatuas ipſas deorum, & imagines Imperatorias, quæ

iſto

Digitized by Google

Vinaque dat tepidis ſalſaque farra focis.
Ecce Deûm genitor rutilas per nubila flammas
Spargit, & effuſis æthera ſiccat aquis.
Non aliàs miſſi cecidêre frequentius ignes.
Rex pavet; & vulgi pectora terror habet.
Cui Dea, Ne nimium terrere; piabile fulmen
Eſt, ait: & ſævi flectitur ira Jovis.
Sed poterunt ritum Picus Faunuſque piandi
Prodere, Romani numen uterque ſoli.
Nec ſine vi tradent. adhibeto vincula captis.
Atque ita, qua poſſint, erudit, arte capi.
Lucus Aventino ſuberat niger ilicis umbrâ,
Quo poſſes viſo dicere, Numen ineſt.
In medio gramen, muſcoque adoperta virenti

Ma-

iſto oſculo adorabantur. Sic exponunt Græci λαθραῖα. *Neap.*

289. *Cui Dea, &c.*] Egeria territum Numam conſolatur, monſtratque Jovem poſſe placari. *Piabile fulmen.*] Et monitorium (utor veteri verbo) nam latens fatum aperuit. *Neap.*

291. *Ritum piandi Tradere.*] *Prodere* Urſin. Voſſ. Mazar. Zulich. alii ſex. bene. Eſt enim *Prodere*, in lucem proferre. Quare & ſequenti verſu ſit legendum *Nec ſine vi prodent.* ſic lib. v. ex optimis codicibus,

*Cauſam facundo prodidit ore Deus.*

*prodere Ænigmata* Auſon. Epiſt. v. ad Theonem. Vide quæ de eo verbo notavimus ad Claudianum initio libri primi de Raptu Proſerpinæ. *Heinſ.*

292. *Utrumque numen Romani ſoli.*] Quaſi uterque Deus Latium tuetur. Picus Saturni filius, quem in picum avem Martiam Circes veneficio verſum dicunt. Sed Latini eum pro Deo coluerunt. *Faunus.*] Hujus Pici filius, pater Latini.

293. *Adhibe tu vincula captis.*] *Adhibeto* rectius Urſin. Mazar. Zulich. Voſſ. Arond. prim. Ambr. Læti & multi alii. quatuor tamen *adhibe tua.* Redde Ovidio ſuas elegantias & ſcribe, *adhibe ſua vincula captis.* Triſt. IV. Eleg. VII. ex fide membranarum,

*Cur quoties alicui charta ſua vincula demſi,*
*Illam ſperavi nomen habere tuum.*

& Art. Am. III.

*Arida nec vinclis crura reſolve ſuis.*

Heinſ.

294. *Edidit arte capi.*] *Erudit* venuſte Voſſ. Arond. Urſin. pri. Ambroſ. Maz. Zulich. Nauger. cum tribus aliis. infra hoc ipſo libro,

*Illa etiam ſtantes radio percurrere telas*
*Erudit.*

Triſt. II.

*Romanas erudiuntque nurus.*

Art. Am. II.

*Erudit infirmas ut ſua mater aves.*

Idem.

295. *Lucus Aventino, &c.*] Erat in Aventino colle ſylva, quæ ſolo aſpectu ineſſe aliquid numinis indicabat: locuſque erat herbidus, unde & aqua ſcatebat, de qua Picus & Faunus haurire conſueverant. Ibi ove mactata, diſpoſitiſque circa poculis, Numa in inſidiis latuit. *Lucus Aventino ſuberat.*] Varro de hujuſce collis Etymo: *Olim*, inquit, *paludibus mons erat ab reliquis diſcluſus, &c.* Neap,

298. *Vena*

Manabat ſaxo vena perennis aquæ.
Inde fere ſoli Faunus Picuſque bibebant.
Huc venit, & Fonti rex Numa mactat ovem.
Plenaque odorati Dîs ponit pocula Bacchi;
Cumque ſuis antro conditus ipſe latet.
Ad ſolitos veniunt ſilveſtria numina fontes:
Et relevant multo pectora ſicca mero.
Vina quies ſequitur. gelido Numa prodit ab antro,
Vinclaque ſopitas addit in arcta manus.
Somnus ut abſceſſit; tentando vincula pugnant
Rumpere: pugnantes fortius illa tenent.
Tum Numa, Dî nemorum, factis ignoſcite noſtris,
Si ſcelus ingenio ſcitis abeſſe meo.
Quoque modo poſſit fulmen monſtrate piari.
Sic Numa: ſic quatiens cornua Faunus ait:
Magna petis; nec quæ monitu tibi diſcere noſtro
Fas ſit. habent fines numina noſtra ſuos.
Dî ſumus agreſtes, & qui dominemur in altis
Montibus. arbitrium eſt in ſua tela Jovi.

Hunc

298. *Vena perennis aqua.* ] Εὗρον ἀέναον κράναν ὑπὸ λισσάδι πέτρῃ, Ὕδατι πεπληθυῖαν ἀκηράτῳ —— Theocrit. Idyll. 22. v. 37. Et in Epigr. 4. —— *ἀέναον δὲ ῥεῖθρον ἀπὸ σπιλάδων πάντοσε τιλεῦσιν*, &c.

300. *Fonti Rex Numa mactat ovem.* ] Hædus victima proprior. *Neap.*

301. *Diſponit pocula Bacchi.* ] *Dîs ponit* legendum eſſe jam monui Art. Am. 1. vſ. 231. *Heinſ.*

303. *Numina ſylveſtria.* ] Picus & Faunus ſylvarum præſides.

304. *Cumque ſuis.* ] Hi numero biſſeni. Vide Arnob. Adverſ. gentes. *Neapol.*

306. *Addit in arcta manus.* ] Ridet hos nexus Arnobius. *Neap.*

307. *Pugnando vincula tentant Rumpere.* ] *Tentando pugnant* prim. Ambroſ. Læti, & plurimi alii. probe. niſi quod malo, *luctando vincula pugnant Rumpere* Met. lib. VII.

—— *jamdudum vincula pugnat*
*Exuere ipſe ſibi, colloque morantia tendit.*

Met. II.

*Ille tamen pugnat molles evincere ſomnos.*

Faſt. II.

*Et ſolidâ ramos figere pugnat humo.*

lib. VI.

*Injiciuntque manus, puerumque avellere pugnant.*

quibus locis multi veterum *tentat* vel *tentant* perperam. In ibide,

*Naufragii tabulas pugnat habere mei.*

312. *Cornua Faunus ait.* ] Capripedem & cornutum hunc finxit antiquitas. *Neap.*

314. *Numina noſtra habent ſuos fines.* ] Quaſi quia licet dii ſimus, præfinita tamen eſt nobis poteſtas, & velut circumſcripta in agris & montibus. *Paul.* *Et qui dominemur.* ] Belle in alio veteri: *& qui dignemur.* Neap.

316. *Arbitrium eſt in ſua tecta Jovi.* ] *In ſua tela.* Mazar. Zulich. Voſſ. Arond. & ſex

Hunc tu non poteris per te deducere cælo:
  At poteris noſtrâ forſitan uſus ope.
Dixerat hæc Faunus. par eſt ſententia Pici.
  Deme tamen nobis vincula, Picus ait.
Jupiter huc veniet validâ deductus ab arte.
  Nubila promiſſi Styx mihi teſtis erit.
Emiſſi quid agant laqueis, quæ carmina dicant;
  Quaque trahant ſuperis ſedibus arte Jovem;
Scire nefas homini. nobis conceſſa canentur,
  Quæque pio dici vatis ab ore licet.
Eliciunt cælo te, Jupiter. unde minores
  Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.
Conſtat Aventinæ tremuiſſe cacumina ſilvæ:
  Terraque ſubſedit pondere preſſa Jovis.
Corda micant Regis: totoque è pectore ſanguis
  Fugit; & hirſutæ diriguêre comæ.
Ut rediit animus, Da certa piamina, dixit,
  Fulminis, altorum Rexque Paterque Deûm.
Si tua contigimus manibus donaria puris:
  Hoc quoque, quod petitur, ſi pia lingua rogat.

An-

& ſex alii. ut de fulmine agatur. Atque ita Janus quoque Vlitius noſter legendum conjiciebat ingenioſe, ut ſolet. *Heinſ.*

321. *Veniet validâ perductus ab arte.*] *Validâ veniet deductus ab arte.* vel *arce.* Voſſ. Arond. pr. Ambr. Maz. & multi alii. plures, *ſummâ deductus ab arce. Deducere* verbum magicum. hinc *carminibus deducere Lunam* paſſim apud Noſtrum & alios poëtas. Græcis ſcriptoribus *κατάγειν τὴν σελήνην.* ſic *κατάγειν τὸν Δία.* Plutarcho in Numa hac ipſa narratione. de eo verbo plura ad Propertium Paſſeratius, & nos ſuo loco. *ſummam arcem* cælum quoque vocat lib. I. Met. de Jove,

*Quæ pater ut ſummâ vidit Saturnius arce.*

& lib. II. eodem,

*——ſummam petis arduus arcem.*

Idem.

323. *Quæ carmina dicant.*] Quaſi quibus carminibus ſeu incantationibus utantur. Videntur mihi verba illa Pontificis cum fulmina condebat. de quibus veteres Gloſſæ Juvenalis. *Neap.*

328. *Elicium.*] Sic dictus ab eliciendo; vel quod ara eſt ei conſecrata in Aventino, ad elicienda conſilia, quibus manes placarentur, & prodigia fulminibus facta purgarentur. *Paul. Eliciumque vocant.*] Habuerunt quoque Græci *τὸν Δία καταιβάτην*, quod *Elicium* interpreteris: illius meminit Pollux lib. 9. hujus Varro lib. 5. Sic *Elicii Jovis ara in Aventino, ab eliciendo.* Neap.

333. *Ut rediit animus.*] Hæc vera lectio, quicquid turbant libri veteres. Diximus Notis ad Epiſt. VI. *Heinſ.*

337. *Alt-*

Annuit oranti: ſed verum ambage remotâ
Abdidit, & dubio terruit ore virum.
Cæde caput, dixit. cui Rex, Parebimus, inquit:
Cædenda eſt hortis eruta cepa meis.
Addidit hic, Hominis: ſummos, ait ille, capillos.
Poſtulat hic animam: cui Numa, Piſcis, ait.
Riſit: &, His, inquit, facito mea tela procures,
O vir colloquio non abigende meo.
Sed tibi, protulerit cum totum craſtinus orbem
Cynthius, imperii pignora certa dabo.
Dixit, & ingenti tonitru ſuper æthera motum
Fertur, adorantem deſtituitque Numam.
Ille redit lætus, memoratque Quiritibus acta.
Tarda venit dictis difficiliſque fides.
At certe credemur, ait, ſi verba ſequatur

Exi-

337. *Ambage remota.* ] *Remiſſa* Strozzæ codex. vide Notas Epiſt. VII. vſ. 149. *Idem.*

340. *Eruta cepa meis.* ] Studet Numa triſtius avertere. Plutarch. in eodem. *Neap.*

341. *Sumes ait ille capillos.* ] *Summos*, malo cum quatuor noſtris, quod & in ſuis invenerat Naugerius. *Addidit hoc omen* Mazar. pro *Addidit hic, Hominis.* In Zulichemiano vetus ſcriptura erat eraſa. *Heinſ.*

342. *Cui Numa ait, &c.* ] Mactabo tibi piſcem, & piſcis animam tibi dabo. Et in his Numæ lenitas cognoſcitur, cum non ſit ſecutus Barbarorum morem, qui humana victima putabant Deos placare. *Paul.* *Piſcis ait.* ] Cur μαινὶς potius oblata, non alius, neſcio. Dianæ olim immolabant, ob cauſſam quam citat Euſtath. *Neap.*

343. *His.* ] Rebus: id eſt, cepa, capillis, piſce.

344. *Colloquio non abigende Deûm.* ] *Meo* rectius pro diverſá lectione Arondelianus. quomodo & duo alii. *Heinſ.*

346. *Imperii pignora certa.* ] Ancile: cui ad imperii tutelam eadem fides præſtita ac Palladio, Diis Samothracum, & igni Veſtali. *Neap.*

347. *Super æthera notum.* ] *Motum* ſcribe cum Voſſ. Arond. pr. Ambr. Zulich. Maz. aliiſque nonnullis. lib. II.

*Cum ſubito mota tremuere cacumina ſylvæ.*

& poſt,

*Cum ſubito motu ſepes tremuere ſiniſtra.*

Silius lib. III.

*Te ſtrages nemorum, te moto turbida cælo*
*Tempeſtas, cædeſque virûm, magnaque ruina*
*Idæi generis, lacrymoſaque fata ſequuntur.*

ſic ſcribe ex veteribus libris. Propertius libro II. Eleg. XVI.

*Vidiſti moto ſonitus procurrere cælo.*

ubi *toto percurrere cælo* nunc legitur, etiam in ſcriptis. *tonitru cælum omne ciere* Maroni. idem Silius lib. XV.

*Addidit augurio fulmen pater, & vaga late*
*Per ſubitum moto ſtrepuere tonitrua mundo.* Heinſ.

351. *At certe credetis ait.* ] *Credemus* ſcripti plerique. Sed verè Sarrav. & duo alii *credemur*. mox *ſequatur* meliores pro *ſequetur*. Idem.

352. *En*

Digitized by Google

Exitus. en, audi craſtina, quiſquis ades.
Protulerit terris cum totum Cynthius orbem,
Jupiter imperii pignora certa dabit.
Diſcedunt dubii, promiſſaque tarda videntur;
Deprendetque fides à veniente die.
Mollis erat tellus roratâ mane pruinâ;
Ante ſui populus limina Regis adeſt.
Prodit, & in ſolio medius conſedit acerno.
Innumeri circa ſtantque ſilentque viri.
Ortus erat ſummo tantummodo margine Phœbus:
Sollicitæ mentes ſpeque metuque pavent.
Conſtitit, atque caput niveo velatus amictu
Jam bene Dîs notas ſuſtulit ille manus.
Atque ita, Tempus adeſt promiſſi muneris, inquit.
Pollicitam dictis, Jupiter, adde fidem.
Dum loquitur, totum jam Sol emerſerat orbem:
Et gravis æthereo venit ab axe fragor.

Ter

352. *En audi craſtina quiſquis ades.*] Puto ſcribendum, *craſtine.* pro quiſquis craſtinus aderis. *Idem.*

356. *A veniente die.*] *Adveniente* ſcripti plerique. *Idem.*

359. *Solio conſedit acerno.*] *Eburno* pr. Farneſ. pr. Ambroſ. & tres alii. *Idem.*

360. *Stantque ſilentque viri.*] *Sedentque* multi probæ notæ. ſed male. Met. XIII.

*Conſedere duces, at vulgi ſtante coronâ.*

Idem.

363. *Caput velatus.*] Ex ritu ſacrorum, quæ nunquam interrumpenda. *Salva res eſt, ſaltat ſenex:* qui, reliquis metu dilapſis, ſolus continuaverat exſultans. Quod & notatur ex Virgilio noſtro: Æneid. 3.

*Purpureo velare comas adopertus amictu,*
*Ne qua inter ſanctos igneis, in honore deorum,*
*Hoſtilis facies occurrat, & omnia turbet.*

*Niveo velatus amictu.*] Galea ſacerdotali: Veteres Gloſſæ Juvenalis: *Tiara galea ſacerdotis quæ per malas veniens mento ſubligatur.* Videtur pileus Judaici ſacerdotis. *Neap.*

364. *Manus jam bene notas diis.*] Quas bene dii noverant, & ob ejus religionem, & quia Deorum alloquio fretus.

367. *Totum jam ſol emoverat orbem.*] *Evolverat* quinque veteres. quomodo apud Statium Achill. I.

*Jam premit aſtra dies, humiliſque ex æquore Titan*
*Rorantes evolvit equos.*

Virgil.

*Interea magnum Sol circum volvitur annum.*

ſic & *evolvere pectore queſtus* Valerio Flacco lib. IV. At Vatic. unus, & Thuan. *emerſerat.* Eleganter ſane. ſic contra *demergere orbem* idem infra dicetur v. 517. ut ex veteribus libris emendamus. Val. Cato in Diris,

*Monſtra repentinis terrentia ſæpe figuris*
*Cum ſubito emerſere furenti corpora ponto.*

Manilius lib. V.

*—— cum jam viceſima Cancri*
*Septimaque ex undis pars ſeſe emergit in aſtra.*

Heinſ.

368. *Et gravis.*] Malim *En gravis.* pro

veni

Ter tonuit ſine nube Deus, tria fulgura miſit.
Credite dicenti; mira, ſed acta, loquor.
A mediâ cælum regione dehiſcere cœpit:
Submiſêre oculos cum duce turba ſuos.
Ecce levi ſcutum verſatum leniter aurâ
Decidit. à populo clamor ad aſtra venit.
Tollit humo munus cæsâ prius ille juvencâ;
Quæ dederat nulli colla premenda jugo.
Idque ancile vocat; quod ab omni parte reciſum eſt:
Quaque notes oculis, angulus omnis abeſt,
Tum, memor imperii ſortem conſiſtere in illo,
Conſilium multæ calliditatis init.
Plura jubet fieri ſimili cælata figurâ;

Er-

*venit*, alter Puteaneus *vergit*. non male. ſic infra,

*Stella Lycaoniam vergit declinis ad Arcton.* Idem.

371. *A media cælum regione dehiſcere cœpit.*] *Viſum eſt* quidam veteres. Mazarinian.

*A media ſubito cælum diſcedere viſum eſt.*

neque aliter Voſſianus. elegans ſane & proprium diſcedendi verbum hoc loco. quod Nonius pro *hiare, dividi, diſtendi* interpretatur. Virgil.

——*unde hæc tam clara repente*
*Tempeſtas? video medium diſcedere cælum,*
*Palanteſque polo ſtellas. ſequor omina tanta.*

Ubi Servius, *In Auguralibus etiam libris, inter oſtenta cælum diſceſſiſſe dicitur.* Cic. de Divinatione lib. I. *Expoſitque initio belli Marſici & deorum ſimulacra ſudaviſſe, & ſanguinem fluxiſſe, & diſceſſiſſe cælum, & ex hoc occultæ auditas eſſe voces.* Idem in Arato,

——*pedibus ſubito percuſſa Diana*
*Inſula diſceſſit.*

hoc eſt, ut Aratus ipſe,

Νῆσον ἀναῤῥήξασα μέσας ἑκάτερθε κολώνας.

neque aliter capiendum illud Lucretii initio lib. III. *mœnia mundi diſcedunt.* Idem Cicero Offic. lib. III. *Hinc ille Gyges inducitur à Platone, qui cum terra diſceſſiſſet magnis quibuſdam imbribus, deſcendit in illum hiatum.* Idem.

372. *Cum duce turba ſuo.*] *Suos* meliores. *Idem.*

377. *Quod ab omni parte reciſum.*] Ancile igitur licet ex noſtri ſenſu colligam fuiſſe rotundum, non tamen hujuſmodi penitus credam; ſed adeo oblongulum, ut in nummis vidiſſe memini. Feſtus vero dicit: *Ancile appellatum, quia ex utroque latere erat reciſum, ut ſummum infimumque latus* (vel *latius*) *pateret.* Quæ ſi bene capio, non alia Feſti mens, quam ancilis ſchema delineare: Etymon ergo ejus deduci poſſet ex eo quod eſſet ἄγκυλον τὸ σχῆμα, aut quod ἐπ' ἀγκῶνα geſtaretur: an quod averruncandæ peſtilentiæ cauſa, ἀκέσεως ſignificatio in omine ſit. *Neap.*

378. *Quemque notes oculis.*] *Quaque* Nauger. Zulich. Mazar. Urſin. Petav. & quinque alii. Sed apud Iſidorum libro XVIII. cap. XII. *Quemque* legitur, & ſuperiori verſu *Idque ancile vocat*, non *Atque.* quomodo etiam Urſin. Voſſ. Mazar. Zulich. Nauger. & octo alii. *Heinſ.*

381. *Plura.*] Undecim alia. *Plura jubet fieri.*] Non ab uno, ſed à pluribus: ut

Error ut ante oculos inſidiantis eat.
Mamurius morum fabræne exactior artis,
Difficile eſt, illud, dicere, clauſit opus.
Cui Numa munificus, Facti pete præmia, dixit.
Si mea nota fides; irrita nulla petes.
Jam dederat Saliis (à ſaltu nomina ducunt)
Armaque, & ad certos verba canenda modos.
Tum ſic Mamurius, Merces mihi gloria detur,
Nominaque extremo carmine noſtra ſonent.

Inde

ut inter tot aliquis ad verum cœleſte σχῆμα exprimeret. *Neap.*

383. *Mamurius.*] Plutarchus inquit: Veturium Mamurium, unum è ſummis opificibus uſque adeo ſimilitudinem effinxiſſe, ut neque Numa jam ipſe dignoſceret. qui præmii loce petiit, ut ſuum nomen inter carmina Salii canerent. *Paul.*

384. *Difficile eſt illi dicere, clauſit opus.*] *Illi* in nonnullis. Urſini codex *illud*, ut refertur ad Τὸ *opus*. quod ſequor. *Heinſ.*

387. *Dederat nomina.*] Jam delegerat Marti gradivo duodecim juvenes, quos à ſaltando *Salios* appellavit. *Paul.* *A ſaltu nomina.*] Salii, inquit M. Varro, à ſaltando: quod facere in Comitio quotannis & ſolent, & debent. Vide Plutarch. & Dionyſ. lib. II. Ὑπὸ δὲ Ῥωμαίων ἀπὸ τῆς συντόνου κινήσεως, &c. & alibi: Κινοῦνται γὰρ πρὸς αὐλὸν ἐν ῥυθμῷ τὰς ἐνοπλίους κινήσεις, &c. *A ſaltu nomina ducta.*] *Dicta* plerique veterum. *quæ ſaltu nomina ducunt*, Voſſ. *qui ſaltu nomina ducunt* Sarrav. Zulich. Maz. At idem Zulichemianus tamen manu primâ, *à ſaltu nomina ducunt*, vere. quomodo & duo alii. Supra lib. I.

*Ipſa mone, quæ nomen habes à carmine ductum.*

ubi etiam male ſcripti plurimi *dictum*. Horatius lib. III. Od. XXVI.

*——tua ſectus orbis*
*Nomina ducet:*

& libro II. Sat. I.

*——& qui*
*Duxit ab oppreſſa meritum Carthagine nomen.*

& Satyra II. libri II.

*——Avidienus,*
*Cui Canis ex vero ductum cognomen adhæret.*

Silius libro XI.

*Quos fugitis ſocios? quoſve additis? ille Ego ſanguis*
*Dardanius, cui ſacra pater, cui nomina liquit*
*A Jove ducta Capys.*

ita ex optimo codice illa ſcribenda. *ducere notam*. Noſter ſupra primo libro,

*Ille Numantinâ duxit ab urbe notam.*

Cæterum *à ſaltu nomina ducunt* brevis & elegans loquendi modus, ut Τὸ *qui* ſubintelligatur. quomodo paſſim veteres hiſtorici, ſed locis plerumque ab inſcitâ manu interpolatis, ut ad Livium abunde docuit Cl. Gronovius. Virgil. l. II.

*——juveniſque Chorœbus*
*Mygdonides. illis ad Trojam forte diebus*
*Venerat.*

Ita recte omnium veterrimus Mediceus. vulgò *illis qui ad Trojam*. Idem Maro libro I.

*Urbs antiqua fuit. Tyrii tenuere coloni.*

Propertius libro IV. Eleg. IV.

*Urbi feſtus erat: dixere Palilia patres.*

Heinſ.

388. *Armaque.*] Ea qui fuerint diximus: unum addi poteſt & debet, quo habitu induti, hunc accurate deſcriptum invenio apud Dionyſium l. II. quem vide. *Neap.*

390. *Nomina noſtra ſonent.*] Dictum factum:

Inde ſacerdotes operi promiſſa vetuſto
  Præmia perſolvunt, Mamuriumque vocant.
Nubere ſiqua voles, quamvis properabitis ambo,
  Differ: habent parvæ commoda magna moræ.
Arma movent pugnam, pugna eſt aliena maritis.
  Condita cum fuerint, aptius omen erit.
His etiam conjux apicati cincta Dialis
  Lucibus impexas debet habere comas.
TErtia nox emerſa ſuos ubi moverit ignes;

Con-

factum: ut addita non multo poſt Lucia Volumnia: nec hi ſolum, verum alii (ſic poſtea receptum, graſſante adulatione) in ſacrum hoc carmen inſerti, Germanico mortuo, auctore Tacito, inter alios honores decretum, *ut nomen ejus Saliari carmine caneretur.*

392. *Mamuriumque vocant.*] Fabrum quemdam hunc fuiſſe, fabuloſum multis. M. Varroni, cui Veturius Mamurius nihil aliud quam vetus memoria. *Neapol.*

394. *Differ.*] Ad condita uſque ancilia eadem ſuperſtitione per id tempus nihil publice geri poterat, nullum iter alicui fas erat aggredi. Vide Sueton. lib. VIII. Mota dicebantur, dum illa Salii per urbem circumferebant. *Neap.* *Habent parva commoda magna mora.*] Ex Virg. 9. Æneid. *Rem magnam, pretiumque mora fore.*

397. *His etiam lucibus.*] His tribus diebus. *Conjunx Dialis.*] Uxor flaminis Dialis: hoc eſt, ſacerdotis Jovis. *Paul.* *Apicem diſcincta Dialis.*] Veteres: *apicati ſancta Dialis.* Apicatus, qui gerit apicem. *Conjunx apicati ſancta Dialis.*] Mitas denuo turbas libri veteres hic excitant. Sed nos, omiſſis cæteris, ad fidos potiſſimum convertamur. Vulgatam tuetur Urſini codex & Nauger. *capitis diſtincta dialis* Petav. *apicatis cura* Mazar. prim. Ambr. & plurimi alii. *capitis diſtincta*, Arondel. aliique tres. *apicalis cincta* Voſſ. *apicali cincta* Zulich. excerpta Politiani, & duo Medicei *apicati cincta*, recte. video etiam Tò *cincta* in omnibus fere vetuſtioribus apparere. Feſtus: *Cincta Flaminica veſte velata.* Quare fortaſſis lib. VI. etiam ſcribendum,

*Tum mihi ſic conjux cincta Dialis ait.*

ubi *ſancta* nunc legitur. *Heinſ.*

398. *Debet habere comas.*] Ut etiam per dies XIV. menſe Junio, donec ſtercus ex æde Veſtæ delatum. ut in VI. Faſtor. dicturi ſumus. *Neap.*

399. *Tertia nox demiſſa ſuos ubi moverit ortus.*] Et hic non leviter turbatum eſt. Urſin. Voſſ. Arond. Mazar. pr. Med. Naug. quinque alii *de menſe.* Zulich. excerpta Polit. duo alii, *demenſa.* tres cum opt. Ambroſ. & Læti codice, *dimenſa.* Petav. cum aliis quatuor *dimerſa.* nonnulli *demiſſa* vel *dimiſſa*, vel *immiſſa.* quatuor *demerſa.* Probe unus Vatic. & editiones veteres *emerſa.* Val. Flaccus l. v.

*Altera lux haud læta viris emerſit Olympo.*

Noſter Met. XV. ex antiquis codicibus,

*Cernis & emerſas in lucem tendere noctes.*

Statius Theb. I.

*——— quid ſi peteretur crimine tanto*
*Limes uterque poli, quem ſol emerſus Eoo*
*Cardine, quem portâ vergens, proſpectat Iberâ?*

Ita vetus codex. Noſter paulo ante ex antiquis libris,

*——— totum jam Sol emerſerat orbem.*

Cæterum pro *ortus* libri veteres multi *ignes.* cum Petav. & Voſſ. id eſt, ſtellas. Ita paſſim Noſter in hoc opere. *Heinſius.* *Tertia nox.*] Quinto Nonas Martias, hoc eſt, tertia die menſis noctu coſmico occaſu alter è piſcibus occulitur.



Digitized by Google

Conditus è geminis Piſcibus alter erit.
Nam duo ſunt: Auſtris hic eſt, Aquilonibus ille
Proximus. à vento nomen uterque tenet.
CUm croceis rorare genis Tithonia conjux
Cœperit, & quintæ tempora lucis aget;
Sive eſt Arctophylax, ſive eſt piger ille Bootes;
Mergetur, viſus effugietque tuos.
At non effugiet Vindemitor. hoc quoque cauſſam
Unde trahat ſidus parva referre mora eſt.
Ampelon intonſum Satyro Nymphâque creatum
Fertur in Iſmariis Bacchus amaſſe jugis.
[Tradidit huic vitem pendentem frondibus ulmi;
Quæ nunc de pueri nomine nomen habet.]
Dum legit in ramo pictas temerarius uvas,
Decidit: amiſſum Liber in aſtra vehit.
SExtus ubi Oceano clivoſum ſcandit Olympum
Phœbus, & alatis æthera carpit equis;

Quis

401. *Hic.* ] Qui nunc occulitur. *Paul.* *Auſtris hic eſt.* ] Ideo Νότιος appellatus. alter Βόρειος: ſed hic & χελιδονίας & Solitarius, & Ι'χθὺς ὁ μέγας. Vide Theonem. *Neap.*

402. *Proximus aquilonibus.* ] Ipſi ſeptentrioni. *Uterque piſcis tenet nomina à vento.* ] Nam à noto *notius*; à borea *boreus* dicitur, ſive aquilonaris.

403. *Cum croceis rorare genis.* ] *Rutilare* Zulich. Mazar. & unus Vatic. pro diverſa lectione. Neque aliter Sarrav. & unus meus. duo *rorare comis.* Si quid mutem, *rutilare comis* libenter reponam. Vide quæ de *coma rutila* noto ad Metamorph. lib. v. vſ. 440. *Heinſ.* *Cum croceis.* ] Tertio Nonas Martias, hoc eſt, quinta die ipſius menſis occidit Arctophylax.

404. *Quinta tempora lucis aget.* ] III. Nonas occidit Arctophylax coſmice. *Neap.*

407. *At vindemitor.* ] Vindemitoris ſtella. *Non effugiet.* ] Viſus ſcilicet tuos, quemadmodum Bootes: quia non mergitur tunc, ſed exurgit tertio Non. Martias. *P.* *At non effugiet vindemitor.* ] Hac eadem vindemiatoris ortus ἀκρόνυχος. *Neap.*

408. *Trahat cauſam.* ] Ducat originem. *Parva docere mora eſt.* ] *Dicere parva* nonnulli. *parva referre* Maz. Zulich. Voſſ. & ſex alii. quomodo ſæpe Noſter. *Heinſ.*

409. *Ampelon intonſum.* ] Crinitum puerum.

410. *In jugis Iſmariis.* ] In Iſmario monte Thraciæ.

411. *Tradidit huic vitem.* ] Diſtichon hoc adulteram & nugatoriam manum ſapit. *Heinſ.*

414. *Liber in aſtra tulit.* ] *Vehit* Voſſ. Arondel. Zulich. Mazar. & pr. Farneſ. nempe tigribus, ut & Ariadnam. Propertius,

*Tigribus in cælum vecta Ariadna tuis.*

Idem.

415. *Sextus ubi è terra.* ] *Ubi Oceano* Urſin. Voſſ. Arond. Zulich. Maz. Nauger. & tres alii bene. ſic apud Maronem,

*Ocea-*

Digitized by Google

Quis ades, canæque colis penetralia Veſtæ;
  Cratera Iliacis thuraque pone focis.
Cæſaris innumeris, quem maluit ille mereri,
  Acceſſit titulis Pontificalis honos.
Ignibus æternis æterni numina præſunt
  Cæſaris. imperii pignora juncta vides.



*Oceanum interea ſurgens Aurora reli-*
*quit.*
*ſcandit* & *carpit* etiam libri meliores. pro *elatis equis* pri. Ambroſ. Maz. Zulich. & tres alii *elatis*. hoc eſt, elatis è mari. Claudian. de Sole,

*Blandius elato rubeant temone jugales.*

ſic & alii ſæpe. ſed & *alipedes* eoſdem equos alibi vocat in Metamorph. *Idem.*
*[illegible]rnus ubi è terra, &c.* ] Pridie Nonas Martias Auguſtus Pontifex Max. deſignatur, ut haberet omni ex parte jus *αὐτοκρατορίας*. Vide Sueton. in eodem. Liquidum hoc etiam ex Dione Caſſio lib. LIV. Annus fuit ab urbe condita DCCXLI. diem vero, quem ſuggerit Noſter, firmat vetus Kalendarium: in quo ante Nonas hæc legimus: PR. NA. HOC DIE CÆSAR. PONTIF. MAX. FACT. EST. Eodem menſe, ſed poſt dies quatuor (res mira) Tiberius filius dignitatem hanc adit. Lapis Rom. *Quem diem, quo frequentior quotannis ſit, ſervabimus VI. Idus Martias, quia hac Tiberius Cæſar Pont. Max. feliciſſime creatus eſt.* N.

417. *Caſtaque colis penetralia Veſta.*] *Canaque* Zulich. & à manu priam Mazar. bene. Virgil. v.

*Pergameumque larem & cana penetralia*
*Veſta*
*Farre pio & plena ſupplex veneratur*
*acerra.*

lib. IX.

*Aſſaracique larem & cana penetralia*
*Veſta*
*Obteſtor.*

& lib. I.

*Cana Ceres & Veſta.*

Martial. lib. I.

*—— vicinum Caſtora cana*
*Tranſibis Veſta, virgineamque domum.*

Legitur quidem apud Propertium l. II. Eleg. XXXIX.

*Ibat & hinc caſta narratum ſomnia Veſta.*

ſed controverſa eſt ea ſcriptura. cum in aliis libris ſit *in caſta veſte.* quod Paſſeratius tuetur. Puto *cara matri* legendum. vel *incana matri.* ut pluribus ad ipſum Propertium aſſeremus. interim vide de ſimilibus in Propertio nævis quæ notavi ſupra lib. I. vſ. 287. ſic & *Cana Tethys* poëtis dicta, quomodo *Cana Veſta* hoc loco. *Heinſius.*

418. *Gratare, Iliacis thuraque pone focis.*] *Cratera* optime Urſini, Zulich. & Maz. codices, ut in illo Virgilii,

*Craterasque duos ſtatuam tibi pinguis*
*olivi.*

nam & crateres ſacrificiis adhibiti. hos cum acerra ſimiliter conjungit in Robigalibus Faſt. IV.

*Cumque meri paterâ thuris acerra fuit.*

& apud Horatium libro I. Od. XX.

*Verbenas pueri, ponite, thuraque*
*Bimi cum patera meri.*

Idem.

419. *Quos maluit ille mereri.*] *Quem* Mazar. Zulich. & Strozz. bene. quem honorem Pontificalem maluit mereri, quam alios innumeros titulos. mox *honos* meliores, pro *honor*. Idem.

420. *Pontificalis honor.*] Hujus exemplo, ſecuti Cæſares munus id ſacrum non neglexere ad Gratianum uſque: qui primus ex iis ſancte reſpuit hunc morem. Vide Zozimum l. 5. *Neap.*

422. *Juncta vides.*] Scripti vetuſtiores omnes *videt* aut *vident*. an *viden*? *Heinſ.*
*Vides pignora imperii juncta.*] Hoc eſt, Veſtales ignes, & Pontificem Cæſarem, quæ ſunt duo imperii pignora.

De veteris Trojæ digniſſima præda favillâ,
Qua gravis Æneas tutus ab hoſte fuit;
Ortus ab Æneâ tangit cognata ſacerdos
Numina; cognatum, Veſta, tuere caput.
Quos ſancta fovet ille manu, bene vivitis ignes.
Vivite inexſtincti flammaque Duxque precor.
UNA nota eſt Marti: Nonis ſacrata quod illis
Templa putant lucos Vejovis ante duos.
Romulus ut ſaxo lucum circumdedit alto;
Cuilibet, Huc, inquit, confuge; tutus eris.
O quam de tenui Romanus origine crevit!
Turba vetus quam non invidioſa fuit!
Ne tamen ignaro novitas tibi nominis obſtet:
Diſce quis iſte Deus, curve vocetur ita.

Jupi-

423. *Di veteris Troja digniſſima prada ferenti.*] Urſin. Nauger. excerpta Polit.

*De veteris Troja digniſſima prada favillâ.*

optime. non enim de Dîs omnibus è Trojâ ablatis, ſed de una Veſtâ nunc agitur. Argute igitur ignem Veſtalem vocat prædam è favilla Trojæ ablatam. Sic & Propertio lib. IV. Eleg. IV. *Veſta Iliaca felix tutela favilla* dicitur. quare & pro *Numina* mox *Lumina* forte rectius legas. *Heinſ. Prada digniſſima.*] Æneæ, qui vos è mediis hoſtibus tanquam prædam eripuit.

425. *Sacerdos ortus ab Ænea.*] Cæſar à Julio nepote progenitus. *Tangit cognata numina.*] Veſtam & penates.

426. *Tuere.*] Defendas & ſerves. *Cognatum caput.*] Cæſarem Auguſt. qui à Trojanis originem ducit.

427. *Ignes.*] Veſtales. *Bene vivitis.*] Inextincti eſtis. *Bene.*] Sub optimo Pontifice.

429. *Una nota eſt Martis Nonis.*] Libri vetuſtiores,

*Una nota eſt Marti: Nonis ſacrata quod illis.*

recte. *Marti* pro Martio. *Una nota*, quia quæ ſuperius narrat de Pontificali honore Cæſari delato, pridie Nonas Martias acta ſunt, ut liquet ex antiquis Kalendariis, templum Vejovis ipſis Nonis dedicatum. *Nonis illis.* ut lib. III. *illis ſacrata Kalendis Templa Dea.* Heinſ. *Una nota eſt Martis Nonis.*] Martiis, inquit, Nonis dicata Vejovis ædes: erat in regione VIII. P. Victor in eadem. *Ædes Vejovis inter arcem & Capitolium.* Prope Aſylum exædificavit hanc Romulus, ad augendam Aſyli religionem. Vide Dionyſ. lib. II. *Neap.*

430. *Templa putant lucos Vejovis ante duos.*] *Tuos* primæ editiones, & Politiani excerpta cum quatuor aliis. quo prim. Ambroſ. & tres præterea alludunt, in quibus *ſuos*. Sed nil mutandum. Livius, *Locum, qui nunc ſeptus denſis ſentibus, inter duos lucos Aſylum aperit.* ſic & Dionyſ. Antiq. lib. II. Τὸ γὰρ μεταξὺ χωρίον τοῦ τε Καπιτωλίου καὶ τῆς ἄκρας, ὃ καλεῖται νῦν κατὰ τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον, μεθόριον δυοῖν δρυμῶν, &c. ubi de Aſylo agit. *Heinſ.*

432. *Huc dixit.*] *Inquit* meliores. & pro *Quilibet* unus Moreti, ac Junianus, *Cuilibet.* Idem.

435. *Aſpice*

Digitized by Google

Jupiter eſt juvenis: juveniles adſpice vultus.
Adſpice deinde manum: fulmina nulla tenet.
Fulmina, poſt auſos cœlum affectare Gigantas,
Sumta Jovi: primo tempore inermis erat.
Ignibus Oſſa novis, & Pelion altius Oſſâ
Arſit, & in ſolidâ fixus Olympus humo.
Stat quoque capra ſimul: Nymphæ paviſſe feruntur
Cretides. infanti lac dedit illa Jovi.
Nunc vocor ad nomen. vegrandia farra colonæ,
Quæ male creverunt, veſcaque parva vocant.
Vis ea ſi verbi eſt; cur non ego Vejovis ædem,
Ædem non magni ſuſpicer eſſe Jovis?
Jamque, ubi cæruleum vallabunt ſidera cœlum,

Suſ-

438. *Aſpice deinde: manu fulmina nulla tenet.*] Lege ex melioribus ſcriptis,

*Aſpice deinde manum: fulmina nulla tenet.*

vel,

*Aſpice deinde manus: fulmina nulla tenent.*

quomodo alii nonnulli cum primis editionibus. *Idem.*

439. *Gigantes.*] *Gigantas* Urſin. Læti, Erfurt. & tres alii. ſic etiam lib. v. vſ. 37. ſcribendum & Triſt. lib. II. *domitos Jovis igne Gigantas* & lib. IV. El. VII. *ſerpenti pedeſque Gigantas.* & Pont. IV. El. VII. *affectantes cœleſtia regna Gigantas.* Apud Silium quoque non uno loco ſic peccatur. plura ad Metam. lib. I. vſ. 137. *Idem.*

443. *Stat quoque capra ſimul.*] Extat etiam cum Jovis imagine effigies Amaltheæ capræ, quæ ſuo lacte Jovem pavit. *Stat quoque capra ſimul.*] A. Gellius l. V. Noct. Atticar. *Immolatur illi ritu humano capra; ejuſque animalis figmentum juxta ſimulacrum eſt.*

445. *Vegrandia farra coloni.*] *Colono* multi ex melioribus. At Urſin. Petav. Voſſ. octo alii *colone*. Lege *colona* cum Erfurtano. ut lib. II.

*Sumtum de tepidis ipſa colona focis.*

& lib. IV.

——— *tenebat*

*Rus breve cum duro parca colona viro.*

Heinſ. *Vegrandia farra.*] Dicta, ait, antiquitus, quæ male creverunt; id eſt, male grandia & minuta: nam veteres *ve* ſyllabam ad rei parvitatem præponebant. unde minutam fabam, *vegrandem* quoque dixerunt; minores flamines, *veflamines*. Neap.

446. *Veſca vocant parva.*] Hodie etiam in Marſis noſtris, lingua vernacula, quæ parva ſunt, *veſca* dicuntur. *Paul. Veſcaque parva.*] Hinc veſcus pro imbecillo & exſucco. Plin. de Tritano refert. *Veſco corpore, ſed eximiis viribus fuiſſe.* Gloſſæ, *veſcus*, ὀλιγόσιτος, ὀλιγοδινής. *Neapolis.*

448. *Non magni Jovis.*] Adoleſcentis ſive pueri: forte malum numen; & cui nocendi poteſtas, non juvandi. Papias Vocabuliſta: *Vedius Pluto, vel Orcus*, id eſt, malus Divus. *Neap.*

449. *Variabunt ſidera cœlum.*] *Vallabunt* quatuor Farneſiani & tres alii cum Zulichemiano. Nec audiendi Berſmannus & Gruterus, *vacuabunt* reponentes. Sic Ep. IV. de Sole *frontem radiis vallatus acutis*. Heinſ.



450. Ger-

Suſpice: Gorgonei colla videbis equi.
Creditur hic cæſæ gravidâ cervice Meduſæ
Sanguine reſperſis proſiluiſſe jubis.
Huic ſupra nubes & ſubter ſidera lapſo
Cœlum pro terrâ, pro pede penna fuit.
Jamque indignanti nova fræna receperat ore,
Cum levis Aönias ungula fodit aquas.
Nunc fruitur cœlo, quod pennis ante petebat:
Et nitidus ſtellis quinque decemque micat.
PRotinus adſpicies venienti nocte Coronam
Gnoſſida. Theſeo crimine facta Dea eſt.
Jam bene perjuro mutarat conjuge Bacchum,
Quæ dedit ingrato fila legenda viro.

Sorte

450. *Gorgonei colla videbis equi.* ] Iiſdem Nonis Pegaſus oritur Heliacè. *N.*

451. *Creditur hic.* ] Bene *creditur*, de re fabuloſa. Pegaſum alii è ſanguine Meduſæ natum volunt, cui Perſeus caput dicitur abſtuliſſe. Alii Neptuni & Meduſæ filium dicunt, & alatum fuiſſe fabulantur. *Ant.*

452. *Proſiluiſſe comis.* ] *Jubis* Urſin. Naug. Maz. Zulich. & tres alii. Oxon. pro diverſa lectione *jugis.* Val. Flaccus lib. II. de Furiis,

*—— aſt illum nocte remenſa*
*Eumenidum canis & ſparſa juba reppulit hydra.*

Heinſ. *Proſiluiſſe comis, &c.* ] Sic vulgus Poëtarum. Vera opinio eſt, Pegaſum fuiſſe navis nomen, qua vectus Bellerophon appulſus eſt ad montem Telmiſſum temporibus Amiſodari; monſtraque ibi quædam evertit. *Neap.*

455. *Jamque receperat nova fræna.* ] Jam apud Pyrenem ſub Acrocorintho deprehenſus à Bellerophonte, acceperat nova frena.

456. *Fodit aquas.* ] *Fudit* Maz. Zulich prim. Ambroſ. Læti, Voſſ. & quatuor alii. Avienus in hac fabula,

*—— cornuque excita repente*
*Lympha Camœnalem fudit procul Hippocrenen.* Heinſ.

*Fodit aquas Aonias.* ] Caballinum, ſeu Pegaſeum fontem in Helicone ab Aonia montana regione Bœotiæ. *Paul.* *Ungula fodit.* ] Unde fons ille dictus à Græcis ἵππου κρήνη; *fons Caballinus.* Neap.

458. *Quinque decemque micat.* ] Sunt Hygino XVIII.

459. *Venienti nocte Coronam.* ] VIII. Idus, die XXI. poſt Solis ingreſſum in piſces, ut placuit Eudoxo. *Neap.*

461. *Perjuro marito* ]

*Siccine me patriis abductam, perfide, ab oris,*
*Perfide, deſerto liquiſti in littore, Theſeu? &c.*

Ipſa Ariad. apud Catull. in Argon. ex Apollon.

462. *Fila regenda viro.* ] *Legenda* Nauger. Maz. Zulich. Arond. Urſin. & quinque alii. recte. ut jam monui ad Epiſt. X. 104. vulgatam lectionem fruſtra ex Virgilio & Catullo Berſmannus tuetur. aliud enim eſt *regere veſtigia filo*, aliud *regere fila.* Perſius Sat. V.

*Quæ dederam ſupra, relego, funemque reduco.*

ita enim in veterrimis codicibus extare viri eruditi monuerunt. & poteſt ad *funem* referri in aliis minus bene, *repeto.* Heinſ.

463. Quid

Sorte tori gaudens, Quid flebam ruſtica, dixit?
Utiliter nobis perfidus ille fuit.
Interea Liber depexos crinibus Indos
Vincit, & Eoo dives ab orbe venit.
Inter captivas facie præſtante puellas
Grata nimis Baccho filia Regis erat.
Flebat amans conjux, ſpatiataque littore curvo
Edidit incultis talia verba comis:
En iterum ſimiles, fluctus, audite querelas:
En iterum lacrymas accipe, arena, meas.
Dicebam, memini, perjure & perfide Theſeu.
Ille abiit: eadem crimina Bacchus habet.
Nunc quoque nulla viro, clamabo, fœmina credat.
Nomine mutato cauſſa relata mea eſt.
O utinam mea ſors, qua primum cœperat, iſſet!
Jamque ego præſenti tempore nulla forem!
Quid me deſertis perituram, Liber, arenis
Servabas? potui dedoluiſſe ſemel.
Bacche levis, leviorque tuis, quæ tempora cingunt
Frondibus; in lacrymas cognite Bacche meas;
Auſus es ante oculos adductâ pellice noſtros

Tam

463. *Quid flebam ruſtica dixit?*] Codices ſeptem, *quid fles ab ruſtica?* Lege *quid flebas ruſtica?* vide Notas Epiſt. x. vſ. 75. *Idem.*

465. *Depexis crinibus Indos.*] *Depexos* in melioribus. & *venit* pro *redit* ſequenti verſu. *Idem.*

466. *Victor ab Eoo orbe.*] Adi Antholog. Gr. poëtar. lib. 1. c. 38. Epigr. XI. Εἰς Βάκχον.

471. *En iterum fluctus.*] *En*, id eſt, *Heu*, tam hic, quam verſu ſequenti opinor legendum. *Heinſ.*

476. *Cauſa relata.*] *Novata* Zulich. Adi Notas Remed. Amor. 729. *Idem.*

479. *Quid me in deſertis.*] Tolle τὸ *in* cum ſcriptis melioribus. *perituram* etiam pr. Ambroſ. & Læti, pro *morituram*. Idem. *Morituram, Liber, &c.*] Non Chii, ut nugantur interpretes, ſed Diæ inſulæ, quæ ſita juxta Theram Κυμναίων μητρόπολιν. Ibi relictam à Theſeo, & inventam à Baccho ſcribit in Arte & Metam. *Neap.*

483. *Et auſus ſollicitare.*] Sollicitum & anxium reddere. *Auſus es ante oculos adducta pellice.*] Similiter ille apud Plaut. in Trucul. 5. verſ. 33. *Meoſne ante oculos ego illam patiar alios amplexarier*, Item in Mercat. 5. 2. vſ. 102. *Quia ſcortum ſibi ob oculos adduxeras in ædes.* Hinc Terent. Heauton. 5. 4. *Non mihi per fallacias adducere ante oculos? ——— pudet dicere hac præſente verbum turpe.* Et in Eunuch. 4. 7. *Quæ mi ante oculos coram amatorem adduxiſti tuum? Quid cum illo ut agas?* Dicitur etiam *obducere, obductare.* Plaut. Mercat. Argument. verſ. 7. Et a. 4. ſc. 4. 46. & alibi.



486. *Hac*

Tam bene compoſitum ſollicitare torum?
Heu! ubi pacta fides? ubi, quæ jurare ſolebas?
Me miſeram, quoties hæc ego verba loquor!
Theſea culpabas, fallacemque ipſe vocabas:
Judicio peccas turpius ipſe tuo.
Ne ſciat hoc quiſquam, tacitiſque doloribus urar:
Ne toties falli digna fuiſſe puter.
Præcipuè cupiam celari Theſea; ne te
Conſortem culpæ gaudeat eſſe ſuæ.
At, puto, præpoſita eſt fuſcæ mihi candida pellex.
Eveniat noſtris hoſtibus ille color.
Quid tamen hoc refert, vitio ſi gratior ipſo eſt?
Quid facis? amplexus inquinat illa tuos.
Bacche, fidem præſta; nec præfer amoribus ullam
Conjugis aſſuetæ ſemper amare virum.
Ceperunt matrem formoſi cornua tauri;
Me tua: at hic laudi eſt, ille pudendus amor.
Ne noceat quod amo: neque enim tibi, Bacche, nocebat,

Quod

486. *Hæc ego verba loquor?* ] *Queror* unus Patav. lege, *quoties hæc ego vera queror? verba loquar* Urſin. Petav. & alii nonnulli. *loqui* pro *queri* ſæpe irrepſit apud Noſtrum. Poterat & *ſera queror* reponi. *Heinſ.*

489. *Neſciat hoc quiſquam.* ] Scribe *Ne ſciat.* ut & apud Lucanum, ubi ſimiliter peccatur.

*Ne ſciat hoc quiſquam, niſi tu, quæ ſola meorum*
*Conſcia veterum es.*

Idem.

495. *Vitio tibi gratior ipſo eſt.* ] Malim *ſi gratior* cum uno Ambroſ. Met. XIII.

*Quid tamen hoc refert, ſi ſe pro claſſe Pelaſgâ*
*Arma tuliſſe refert.*

Ep. Paridis,

*Quid tamen hoc refert, ſi te tenet ortus ab illis!*

Ep. VI.

*Quid refert. ſcelerata piam ſi vincit?*

Idem. *Vitio tibi gratior ipſa eſt.* ] Duo veteres: *gratior ipſo eſt*, ipſa nigredine. *Neap.*

498. *Aſſueti ſemper amare virum.* ] Lego,

*Conjugis aſſuetæ ſemper amare virum.*

nam *aſſuetum* erat in uno Farneſiano. *Heinſ.* *Aſſuevi ſemper amare.* ] Nam prius Theſeum, deinde te ardentiſſime amavi, ſervavique fidem inviolatam.

499. *Ceperunt matrem.* ] Paſiphaëm. nota fabula.

500. *Me tua: ſed lædit ille pudendus amor.* ] Urſin. pr. Ambroſ. Læti, pri. Med. Voſſ. aliique plurimi, *Me juvat & lædit.* Petavianus, *Me viat & lædit.* *Me tua me lædit*, vel, *laudat* pro diverſa lectione Sarrav. at Arond. Zulich. & Mazar. *Me tua me laudant.* Scribo:

*Ceperunt matrem formoſi cornua tauri,*
*Me tua: at hic laudi eſt, ille pudendus amor.*

Ita ſenſus & lex carminis poſtulant. *Heinſ.*

Digitized by Google

Quod flammas nobis faſſus es ipſe tuas.
Nec, quod nos uris, mirum facis. ortus in igne
Diceris, & patriâ raptus ab igne manu.
Illa ego ſum, cui tu ſolitus promittere cœlum.
Hei mihi, pro cælo qualia dona fero!
Dixerat: audibat jamdudum verba querentis
Liber, ut à tergo fortè ſecutus erat.
Occupat amplexu, lacrymaſque per oſcula ſiccat:
Et, Pariter cæli ſumma petamus, ait.
Tu mihi juncta toro, mihi juncta vocabula ſume.
Jam tibi mutatæ Libera nomen erit.
Sintque tuæ tecum faciam monumenta coronæ;
Vulcanus Veneri quam dedit, illa tibi.
Dicta facit: gemmaſque novem transformat in ignes.
Aurea per ſtellas nunc micat illa novem.
SEx ubi ſuſtulerit, totidem demerſerit orbes,
Purpureum rapido qui vehit axe diem;
Altera gramineo ſpectabis Equiria campo,
Quem Tyberis curvis in latus urget aquis.

Qui

*Heinſ.* *Me tua.*] Sic probat & matri & filiæ placuiſſe caput corniger um. *Neap.*

507. *Dixerat, audierat.*] *Audiebat* recte Urſin. Petav. Voſſ. Maz. Zulich. Epiſtola Hypermneſtræ, ex optimo libro,

*Et tamen audibam, quodque verebar erat.*

Heinſ.

611. *Sumes.*] *Sumis* Voſſ. & Arond. *ſume* alter Petav. bene. & ſequenti verſu *Jam* pro *Nam* ſex libri. *Idem.*

512. *Erit nomen Libera.*] Nam ut ego Liber dicor, tu quoque *Libera* diceris.

513. *Monumenta corona.*] Inde hanc cæleſtem quis dixit *Gnoſſiam*: quis *monumentum deſerta puella.* & hic Manilius in Sphæra: quis, ſignum ἀνοιχομένης Ἀριάδνης. *Neap.*

517. *Sex ubi ſuſtulerit, totidemque omiſerit orbes.*] *Totidem cum deſeret* vel *deſerit* libri multi. quos inter Urſin. & Petav. quidam *cum demſerit*, vel *quot demſerit.* alii aliter. Mazar. Zulich. Voſſ. *demiſerit.* pr. Ambroſ. Læti, aliique nonnulli. *demiſerit.* Strozz. *totidemque remiſerit. totidem dimerſerit* Arond. Scribe,

*Sex ubi ſuſtulerit. totidem demerſerit orbes.*

ſic lib. IV.

*Enſiger Orion æquore merſus erit.*

ſic contra *emergere* ſupra in notis ad vſ. 367. 399. *Heinſ.* *Sex ubi ſuſtulerit.*] III. Idus Martias erant Equiria in Campo Martio.

519. *Altera gramineo.*] Dixit *altera*; quia prima acta, III. Kalendas menſe Februariii hæc legimus: B. EQ. NP. Bulengerus priora fuiſſe ſcribit, ut equitatus luſtraretur; altera, ut numerus integraretur: ſed teſtem non adhibet. *Neap.*

520. *Quem.*] Campum. *Tybris urget in latus.*] Quaſi ambit ab uno latere, aquis curvis, flexis & ſinuoſis, Campus Martius juxta Tybrim, ubi ſæpe fiebant ludi & certamina: circum erant porticus pulcherrimæ, & horti nemoroſi. P.

521. *Qui*

Digitized by Google

Qui tamen ejectâ ſi forte tenebitur undâ;
  Cœlius accipiat pulverulentus equos.
IDibus eſt Annæ feſtum geniale Perennæ,
  Haud procul à ripis, advena Tybri, tuis.
Plebs venit, ac virides paſſim disjecta per herbas
  Potat, & accumbit cum pare quiſque ſuâ.
Sub Jove pars durat: pauci tentoria ponunt:
  Sunt, quibus è ramo frondea facta caſa eſt:
Pars ibi pro rigidis calamos ſtatuêre columnis:

De-

521. *Qui tamen ejecta.* ] Qui exundatione Tiberina, ſi forte fit acceſſus, in campo quodam montis Cœlii Equiria agebantur. Campus minor etiam vocatus ille Cœlii montis. Vide & Feſtum. *Neap.*

522. *Cælius accipiet.* ] *Accipiat* meliores. *Heinſ. Cælius.* ] Eſt unus è ſeptem urbis collibus; cui primum Tuſcum fuit nomen. *Maſtarna.*

523. *Idibus eſt Anna.* ] Vide Macrob. 1. Saturn. Tunc amnem populus auſpicato tranſibat, & Annæ Perennæ re divina facta, omnibus licitum annare & perennare illud ſolitum precari. Hilaris olim fuit illa dies. Ludi Romæ etiam aliquando excitati, an quotannis, non affirmo. Vide Appian. lib. 2. bellor. *Neap.*

524. *Non procul à ripis, &c.* ] Qui aliunde advenis. nam ex Etruria. Ergo in campo Martio prope Tybrim fiebant ſacra genialia à plebe. *Paul. Non procul à ripis.* ] Ubi nemus Annæ Perennæ, de quo Martial. lib 4. Epigram. 40. inter Anienis confluentem & Milvium pontem. *Neap.*

526. *Et accumbit.* ] Malim *& accumbunt cum pare quiſque ſua.* Heinſ.

527. *Pauci tentoria ponunt.* ] Uſus verbo militari, nec male: animadverto ex Athenæo lib. 4. ubi quædam feſta apud Lacedæmonios prorſus his paria, & cum iiſdem tabernaculis, vocat imitamentum militaris diſciplinæ. *Neap.*

528. *Sunt quibus è ramis.* ] Lege, *è ramo*, ut ambiguitas ſermonis vitetur. ſupra,

*Nunc avis in ramo tecta laremque parat.*

Heinſ. *Frondea facta caſa eſt.* ] Alludit ad trichila & umbras, quæ & Neptunalibus excitari ſolitæ. Vide Sext. Pompejum. *Neap.*

529. *Pars ſibi pro rigidis.* ] *Pars ibi* rectius veteres magna ex parte. Puto ſcribendum,

*Pars, ubi pro Phrygiis calamos ſtatuere columnis,*
*Deſuper extentas impoſuere togas.*

*Phrygia columna*, ex marmore Phrygio factæ. Certè Bononienſis unus *rigibis* pro *rigidis*. Tibull.

*Quidve domus prodeſt Phrygiis innixa columnis?*
*Tanare ſive tuis, ſive Chariſte tuis.*

Juvenalis Satyra XIV.

*—— vigilare cohortem*
*Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro*
*Electro, ſigniſque ſuis, Phrygiaque columna.*

ſic & Tænariæ columnæ Propertio libro III. Eleg. II.

*Quod non Tanariis domus eſt mea fulta columnis.*

*Paria columna* Prudentio περὶ στεφάν. hymno SS. Petri & Pauli,

*Subdidit & Parias fulvis laquearibus columnas.*

ſic & *Pœna columna* Propertio lib. II. Eleg. XXXI.

*Quæris cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi*
*Porticus à magno Cæſare aperta fuit.*

*Tota*

Deſuper extentas impoſuêre togas.
Sole tamen vinoque calent: annoſque precantur,
Quot ſumant cyathos; ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Neſtoris ebibat annos:
Quæ ſit per calices facta Sibylla ſuos.
Illic & cantant, quidquid didicêre theatris;
Et jactant faciles ad ſua verba manus:
Et ducunt poſito duras cratere choreâs,
Cultaque diffuſis ſaltat amica comis.

Cum

*Tota erat in ſpatium Panis digeſta columnis.*

ita ſcribendum. male nunc legitur *in ſpeciem*. quod quid ſibi vellet non ſunt aſſecuti viri magni, & merito. Scaliger *in ſpecies* legebat, & picturas volebat intelligi. Æſtuavit etiam in hoc loco Paſſeratius. *Tota in ſpatium*, pro in totum ſpatium, per omne ſpatium. Noſter Metamorph. lib. 11.

*Porrigit in ſpatium ſignorum membra deorum.*

de porticu. Statius lib. 1. Sylvarum de porticibus ad Claudiam uxorem,

*Templaque & innumeris ſpatia interſtincta columnis.*

Cicero pro Muræna, *A quibus ſi domus noſtra celebratur, ſi interdum ad forum deducimur, ſi uno baſilicæ ſpatio honeſtamur, diligenter obſervari videmur & coli.* ubi *baſilicæ ſpatium* habes. hinc & *ſpatiari* Noſter quoties agit de ambulationibus in porticu aliqua. Hæc in tranſcurſu. *extentas* pro *extenſas* vetuſtiores codices. *Heinſ.*

530. *Extentas impoſuere comas.*] Cameras his ſimiles & in bellica neceſſitate reperio. *Neap.*

532. *Quot ſumant cyathos.* ] *Sumant* veteres plerique. *Heinſ.*

533. *Ebibat annos.* ] De veterum compotandi ritu conſules Athen. 15. c. 13. Etiam partes aſſis. Martial. lib. 1. epigr. 28. *Quincunces, puto, poſt decem peractos.* Et lib. 11. Epig. 36.

*Quincunces, & ſex cyathos, beſſemque bibamus;*

Videntur etiam certos tenuiſſe numeros. ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα. Athen. lib. 10. c. 7. qui hoc accipit de aquæ κράσει. Horat. 3. Carm. od. 19.

——*tribus aut novem*——*Miſcentur cyatis pocula commodis.*

535. *Quidquid didicere.* ] Præclarus ad hanc corruptelam locus Ariſtidis in Oratione, De non agendis comœdiis.

536. *Ad ſua verba manus.* ] Jactare manus, pro ſaltare. Propert. *Jactabas truncas ad cava buxa manus.* Id eſt, ſaltabat ad tibiam. Sic & Græcis, σάλλειν χεῖρας, pro eodem. Sed illa, *ad ſua verba*, ſaltationis motum oſtendunt compoſitum ad cantilenam. Ex. gr. ſi lugubre quid canerent, lugubres quoque motus exprimerent; & ſic in aliis. Has v. ſaltationes voci ſubſervientes, *hypochremata* appellarunt. Vide & Luciani libell. περὶ ὀρχήσεως. *Neap.*

537. *Duras cratere choreas.* ] Multi veterum *longas.* alii *latas* vel *lentas*, vel *junctas.* Meliores tamen pro vulgata ſcriptura pugnant. & recte. *Duræ* enim *choreæ* ſunt incompoſitæ, nullam artem præferentes, quibus *molles* opponuntur. quomodo *mollia membra movere* pro ſaltare apud Lucretium ſæpe. idem libro v. apposite de incompoſitis choreis & arte carentibus,

*Atque extra numerum procedere membra moventes*
*Duriter, & duro terram pede pellere matrem.*

Sed & ipſi coloni Virgilio paſſim & Noſtro *duri* dicti. *Heinſ.*

539. Spe-

Digitized by Google

Cum redeunt, titubant; & ſunt ſpectacula vulgo:
Et fortunatos obvia turba vocant.
Occurri nuper. viſa eſt mihi digna relatu
Pompa: ſenem potum pota trahebat anus.
Quæ tamen hæc Dea ſit (quoniam rumoribus errant)
Fabula propoſito nulla tacenda meo.
Arſerat Æneæ Dido miſerabilis igne:
Arſerat extructis in ſua fata rogis.
Compoſitusque cinis, tumulique in marmore carmen
Hoc breve, quod moriens ipſa reliquit, erat:
Præbuit Æneas & cauſſam mortis & enſem:
Ipſa ſuâ Dido concidit uſa manu.
Protinus invadunt Numidæ ſine vindice regnum;
Et potitur captâ Maurus Iärba domo.
Seque memor ſpretum, Thalamis tamen, inquit, Eliſſæ
En ego, quem toties reppulit illa, fruor.
Diffugiunt Tyrii, quo quemque agit error. ut olim
Amiſſo dubiæ rege vagantur apes.
Tertia nudandas acceperat area meſſes;

In-

539. *Spectacula vulgi.*] *Vulgo* pr. Ambroſ. & Læti codex. & *turbæ vocant* pr. Medic. bene. *Idem.*

541. *Occurrit nuper.*] *Occurri* Zulich. & Mazar. probe. modo diſtinctio adhibeatur commoda. Metuo autem ne poſt hoc diſtichon verſus nonnulli deſint. *Idem.*

543. *Quoniam rumoribus errat.*] *Errant* rectius ſex ſcripti. & mox *tacenda* pro *tegenda* Zulich. & pr. Ambroſ. cum decem aliis. *timenda* Mazar. Metus tamen eſt ne quid mendi hic lateat. Nam Mazar. *Quæ tamen hæc dixi.* in Zulichemiano vetus ſcriptura erat eraſa. *Idem.*

546. *Arſerat exſtructis.*] Malim *& ſtructis.* quidam codices *inſtructis* vel *exſtinctis.* Idem.

547. *Compoſitusque ignis.*] Imo *cinis.* ut meliores magno numero. hoc eſt, conditus ac humatus cinis. Dixi l. III. Art. vſ. 736. *Idem. Compoſitusque cinis.*] In amphoram, de more, aut vaſculum miſſus. *Tumulique in marmore.*] Tumulus, aggeſtus terræ ſuper vaſculum, χῶμα ſive τύμβος: in hoc ſtatuebatur cippus lapideus, Græcis στήλη. *Neap.*

548. *Hoc breve.*] Ratio, cur preſſa epitaphia cippis inſcriberent, non alia, quam, ut ea cito viatores perlegerent, nec illis tædio eſſet longum carmen. ideo etiam grandi nota incidi ſolita. *Neap.*

552. *Maurus Iärba.*] Pro Iarbas, ut Marſya & Marſyas. & Græci ſcribunt Ἰάρβαν. *Neap.*

555. *Diffugiunt Tyrii.*] Eliſæ in fuga comites. *Neap.*

557. *Tertia nudatas acceperat area meſſes.*] *Mandatas* prim. Ambroſ. quod placet. ut Ep. v. *quid arena ſemina mandas.* niſi quod non minus arridet *nudandas meſſes* cum Maz. & Zulich. ut *nudari meſſes* dicantur, quomodo Medic. Faciei.

[illegible] nec

Digitized by Google

Inque cavos iërant tertia muſta lacus;
Pellitur Anna domo: lacrymanſque ſororia linquit
Mœnia. germanæ juſta dat ante ſuæ.
Miſta bibunt molles lacrymis unguenta favillæ;
Vertice libatas accipiuntque comas.
Terque, Vale, dixit: cineres ter ad ora relatos
Preſſit. & eſt illis viſa ſubeſſe ſoror.
Nacta ratem comitemque fugæ pede labitur æquo,
Mœnia reſpiciens dulce ſororis opus.
Fertilis eſt Melite ſterili vicina Coſyræ
Inſula, quam Libyci verberat unda freti.
Hanc petit hoſpitio Regis confiſa vetuſto.
Hoſpes opum dives Rex ibi Battus erat.
Qui poſtquam didicit caſus utriuſque ſororis;
Hæc, inquit, tellus quantulacunque tua eſt.
Et tamen hoſpitii ſervaſſet ad ultima munus,

Sed

—— *nec tu dubita nudare lupinos.*

hoc eſt, ut ibidem loquitur, *de palea ſua eximere.* ſi tamen ille locus eſt integer. *Heinſ.*

564. *Et eſt illis viſa ſubeſſe ſoror.*] *Et eſt illi* ſcripti fere omnes. niſi quod Petav. *illa.* Puto, *& his illi viſa ſubeſſe ſoror.* Idem.

565. *Nacta ratem comiteſque fugæ.*] *Comitemque* ſex libri. Seneca Medea,

*Profugere cogis? redde fugienti ratem,*
*Vel redde comitem. fugere cur ſolam jubes?*
*Non ſola veni.*

ſic Epiſt. Hypſip.

*Intraſſes portus tuque comeſque meos.*

pro comites. Triſt. I. Eleg. III. ex antiquis libris,

*Non mihi ſervorum, comitis non cura legendi.* Idem.

567. *Fertilis eſt Melite ſterili vicina Coſyra.*] *Melita vicina Coſyre* Urſini codex. quomodo & Scaliger conjecerat legendum. Sed nil muto. Κόσυρα enim & Κόσσυρα Græcis eſt, non Κόσυρη. quæ vicina eſt Melitæ, non Epiroticæ, ſed alteri in freto Libyco ſitæ, ut ex Plinio, Strabone, aliis manifeſtum eſt. idque vidit curis ad Gratium ſecundis noſter Vlitius. *Idem.* *Melite eſt inſula fertilis.*] Hæc inſula eſt in Libyco mari, inter Siciliam & Africam, diſtans à Pachyno Siciliæ ſexaginta millia paſſuum. ex ea portantur catelli, quos Melitæos vocabant. *Vicina Coſyre ſterili.*] Inſula eſt in eodem mari, quæ & olim, & nunc, *Gozus* dicitur. *Paul.* *Vicina Coſyra.*] Duplici σσ, ſcribunt Græci. Ptolomæus: Πελάγιαι δὲ νῆσοί εἰσι τῆς Ἀφρικῆς αἵδε. Κόσσυρα νῆσος. Καὶ πόλις Μελίτη, &c. *Neap.*

570. *Rex ibi Battus.*] Hic ille, inquit Silius, qui Cyrenem condidit; imo in ea urbe ſcribit idem Annam à Batto receptam: ſed hæc pugnant cum exacta temporum ratione. Carthago à Didone condita anno periodi Julianæ MMMDCCCXXVIII. Battus Cyrenen condidit MMMMIXXXIV. nondum ergo hic natus, Didonis morte & Annæ fuga à Carthagine. *Neap.*

573. *Et tamen hoſpitii.*] *Æternum* quidam. Forte,

*Ne*

Sed timuit magnas Pygmalionis opes.
Signa recenſuerat bis Sol ſua: tertius ibat
Annus; & exſulibus terra petenda nova eſt.
Frater adeſt, belloque petit. Rex arma peroſus,
Nos ſumus imbelles, tu fuge ſoſpes, ait.
Juſſa fugit; ventoque ratem committit & undis.
Aſperior quovis æquore frater erat.
Eſt prope piſcoſos lapidoſi Crathidis amnes
Purus ager: Cameren incola turba vocant.
Illuc curſus erat. nec longius abfuit inde,
Quam quantum novies mittere funda poteſt.
Vela cadunt primò, & dubiâ librantur ab aurâ.
Findite remigio, navita dixit, aquas.
Dumque parant torto ſubducere carbaſa lino,
Percutitur rapido puppis adunca Noto:
Inque patens æquor fruſtra pugnante magiſtro

Fer-

*Ne tamen hoſpitii ſervaret ad ultima munus,*
*Extimuit magnas Pygmalionis opes.*
Heinſ.

574. *Pygmalionis opes.* ] Hic Annæ & Eliſæ frater, filius Pygmalii, ſi credimus Menandro Epheſio, qui conſcripſit hiſtoriam Περὶ τῆς Τυρίων Βασιλείας. plerique volunt Beli Regis etiam Tyrii, ſed hic non numeratur in ea Dynaſtia.

575. *Signa recenſebat.* ] *Recenſuerat* meliores. pro *exilio* ſequenti verſu *exulibus* Sarrav. & tres alii. pro *paranda* Maz. Voſſ. Arond. & quinque alii *exilio petenda*. Zulich. *exulibus petenda.* benè refer non ſolum ad Annam, ſed ejus quoque comitatum. ſupra dixerat, *Nacta ratem comiteſque fuga.* Heinſ. *Signa recenſebat.* ] Jam fluxerant duo anni, ex quo è Carthagine fugit, veneratque tertius, cum inſequente Pygmalione magna claſſe, rex illam à ſe dimiſit, rurſuſque illa miſerrima ſe fugæ credidit. *Sol recenſebat.* ] Renumerabat. *Bis ſua ſigna.* ] Duodecim illa quæ ſunt in zodiaco, per quæ it & redit, annum conficiens.

581. *Lapidoſi.* ] Quia ex Apenninis labens per ſaxa fluvii. *Lapidoſi Crathidis.* ] Hunc Calabriæ fluvium quis neſcit. De Etymo ejus vide Strab. lib. 8. Huic ſane confinis eſt Sybaris, cum quo forte miſcetur. *Neap.*

582. *Parvus ager. Cameren incola turba vocat.* ] *Purus ager* Voſſ. & Arond. quomodo lib. v.
*Purus ab arboribus ſpectabilis undique campus.*
Livius quoque ſimiliter *purum & patentem campum* dixit lib. IV. unus meus *turba vocant*. ut ſæpe alibi. *Heinſius.*

585. *Vela cadunt primo, & dubia librantur ab aurâ.* ] Duriores numeri. *in aura* Thuan. Tò *&* abeſt à Voſſ. Arond. Zulich. Mazar. & tribus aliis. Iidem *vibrantur*. Lego,
*Vela cadunt. primo dubia librantur in aurâ,*
*Findite remigio, navita dixit, aquas.*
Idem.

587. *Torto lino.* ] Nihil aliud ſunt, quam funes quibus vela laxantur, aut in altum panduntur. *Neap.*

594. Uti-

Digitized by Google

Fertur: & ex oculis viſa refugit humus.
Aſſiliunt fluctus, imoque à gurgite pontus
Vertitur, & canas alveus haurit aquas.
Vincitur ars vento: nec jam moderator habenis
Utitur; at votis: hîc quoque poſcit opem.
Jactatur tumidas exſul Phœniſſa per undas;
Humidaque appoſitâ lumina veſte tegit.
Tum primum Dido felix eſt dicta ſorori,
Et quæcunque aliquam corpore preſſit humum.
Figitur ad Laurens ingenti flamine littus
Puppis: &, expoſitis omnibus, hauſta perit.
Jam pius Æneas regno natâque Latini
Auctus erat; populos miſcueratque duos.
Littore dotali, ſolo comitatus Achate,
Secretum nudo dum pede carpit iter;
Adſpicit errantem, nec credere ſuſtinet Annam
Eſſe. quid in Latios illa veniret agros?
Dum ſecum Æneas: Anna eſt, Exclamat Achates.
Ad nomen vultus ſuſtulit illa ſuos.

Quo

594. *Utitur: at votis is quoque poſcit opem.*] *Aut votis dis quoque* Urſin. *at votis dis* Nauger. *aut votis* etiam Voſſ. Arondel. Petav. prim. Ambroſ. & multi alii. *à votis* Zulich. à manu prima. alii *ac* vel *&* pro *is* ſex libris *bis*. Mazar. & unus Med. *hic*. Lege, *Utitur, at votis: hic quoque poſcit opem.* vel, *vix quoque poſcit opem.* De votis nautarum periclitantium alibi dicemus. *Heinſ.*

596. *Oppoſita lumina veſte tegit.*] *Appoſita veſte* libri quatuor. ſic lib. IV. ex ſcriptis, *ante oculos appoſuitque manum.* Initio tamen libri hujus,

*—— Veſtæ ſimulacra feruntur*
*Virgineas oculis oppoſuiſſe manus.*

Idem.

599. *Ducitur ad Laurens.*] *Figitur* Mazar. Zulich. pr. Ambroſ. Læti, Voſſ. Arond. & ſex alii. bene. idque doctiſſimo Gronovio memini probatum ex illis Virgilii, *ſcopuloque infixit acuto.* Ennius,

*Tonſillas rapiunt, configunt littus, aduncas.*

Lucanus de claſſe Cæſaris tempeſtatibus jactata,

*Laſſa Palæſtinas uncis confixit arenas.*

Claudianus bello Gildonico,

*Quaſſatis cupio tellurem figere roſtris.*

Seneca Hercule Furente Act. II.

*Deprenſus hæſit Syrtium brevibus vadis,*
*Et puppe fixa maria ſuperavit pedes.*

& Agam.

*Hærent acutis rupibus fixa rates.*

atque inde Noſter in Ibide,

*Viſcera ſic aliquis ſcopulus tua figat, ut olim*
*Fixa ſub Euboico Graia fuere ſinu.*

Propertius libro III. Eleg. VI.

*Ah miſer Alcyonum ſcopulis affigar acutis!*

ubi *affligar* perperam reponunt. *Idem.*

602. *Miſcueratque duos.*] Trojanos & Latinos. *Neap.*

607. *Anna eſt: exclamat Achates.*] Malim, *Anna en.* Heinſ.

Quo fugiat? quid agat? quos terræ quærat hiatus?
  Ante oculos miſeræ fata ſororis erant.
Senſit, & alloquitur trepidam Cythereïus heros:
  Flet tamen admonitu mortis, Eliſſa, tuæ.
Anna, per hanc juro, quam quondam audire ſolebas
  Tellurem fato proſperiore dari.
Perque Deos comites, hac nuper ſede locatos;
  Sæpe meas illos increpuiſſe moras.
Nec timui de morte tamen: metus abfuit iſte.
  Hei mihi! credibili fortior illa fuit.
Ne refer. adſpexi non illo pectore digna
  Vulnera, Tartareas auſus adire domos.
At tu, ſeu ratio te noſtris appulit oris,
  Sive Deus; regni commoda carpe mei.
Multa tibi memores, nil non debemus Eliſſæ.
  Nomine grata tuo, grata ſororis, eris.
Talia dicenti (neque enim ſpes altera reſtat)
  Credidit; errores expoſuitque ſuos.
Utque domum intravit Tyrios induta paratus;
  Incipit Æneas: (cætera turba ſilet.)
Hanc tibi cur tradam, pia cauſſa, Lavinia conjux,
  Eſt mihi: conſumſi naufragus hujus opes.
Orta Tyro, regnum Libycâ poſſedit in orâ:
  Quam precor ut caræ more ſororis ames.
Omnia promittit, falſumque Lavinia vulnus
  Mente premit tacitâ, diſſimulatque fremens.
Donaque cum videat præter ſua lumina ferri

Multa

609. *Heu fugiat.* ] *Quo fugiat* pri. Ambroſ. Maz. Voſſ. Arondel. & multi alii. *Quid* Zulich. *Idem.*

612. *Admonitu mortis, Eliſſa, tua.* ] *Admonitus motus tui* Urſin. Petav. & tres alii. ſed nihil mutandum. In Epiſt. Hyperm *Mens fugit admonitu* Rem. Am. *Admonitu revocatur amor.* & ſic ſæpe Noſter. *Idem.*

619. *Corpore digna.* ] Quidam vetuſtiores *pectore* cum Maz. Zulich. Voſſ. Arondel. *Idem.*

627. *Tyrios induta paratus.* ] Veſtes purpura & auro intextas. Vide & Virgil. 4. Æneid. *Neap.*

633. *Falſumque Lavinia vulnus.* ] *Tacitumque* duo Medic. unus, *captumque.* Forte, *cautumque vulnus.* Sequenti verſu *diſſimulatque fremens* non *metus* Urſin. Mazar. Zulich. Nauger. & tres alii. *Heinſ.*

635. *Præter ſua lumina mitti.* ] *Ferri* veteres

Multa palam; mitti clam quoque multa putat.
Non tamen exactum, quid agat. furialiter odit;
Et parat inſidias, & cupit ulta mori.
Nox erat: ante torum viſa eſt adſtare ſororis,
Squallenti Dido ſanguinolenta comâ.
Et fuge, ne dubita, mœſtum, fuge, dicere, tectum.
Sub verbum querulas impulit aura fores.
Exſilit; & velox humili ſuper arva feneſtrâ
Se jacit. audacem fecerat ipſe timor.
Quaque metu rapitur, tunicâ velata recincta;
Currit, ut auditis territa dama lupis.
Corniger hanc cupidis rapuiſſe Numicius undis

Credi-

veteres fere omnes. male præterea habitus erat à diſtinctione locus. & pro *cum videat* rectius Zulich. Maz. Polit. & tres alii, *vidit*. pro *lumina* denique Læti codex & ſex alii, *limina*. Idem.

637. *Non habet exactum.* ] *Non tamen* Mazar. pri. Ambroſ. & tres alii. bene, ut Tò *eſt* ſubintelligatur. in Amoribus:

*Et non exactum eſt, corpus an umbra forem* Idem.

638. *Et parat inſidias.* ] *Præparat* Urſin. Zulich. Mazar. Voſſian. Arondel. & alii quidam. præfero vulgatam. *Idem.*

641. *Effuge ne dubita mœſtum, ſoror, effuge tectum.* ] *Mœſtum fuge dicere tectum* Urſin. Mazar. Zulich. Petav. Arondel. & plurimi alii. *ducere* Voſſianus. quidam *fuge deſere* cum Læti codice. duo alii, *fuge me duce*. prim. Med. *mœſto diſcedere tecto*. alius, *mœſtum tibi linquere tectum* Locus fœde interpolatus, cui medicina noſtra nunc vix ſuccurrit. *Tectum* certe minus bene *mœſtum* dicitur. *Et fuge ne dubita* Urſin. quidam Tò *Et* omittunt. In Zulichemiano codice poſterior hujus verſus pars erat eraſa. Forte,

*Heu fuge, ne dubita, funeſtum, ait, heu fuge tectum.*

quomodo umbra Hectoris ad Æneam,

*Heu fuge nata dea, teque his, ait, eripe flammis.*

& ipſa Dido ad Annam in hac ipſa narratione apud Silium lib. VIII.

*His, ſoror, in tectis longa indulgere quieti*
*Heu nimium ſecura potes?*

Idem.

644. *Ille timor.* ] Quem conceperat ex crepitu januarum. *Audacem.* ] Ad fugam ſcilicet. *P.*

645. *Cumque metu rapitur.* ] *Quaque* Urſin. pri Farneſ. Voſſ. Nauger. Mazar. Zulich. & tres alii. rectius omnino. Puto tamen ſcripſiſſe Ovidium, *quaque metus rapuit*. ut epiſt. Laod.

*—— huc illuc, quo furor egit, eo.*

Ep. Med. *Quo vocat ira, feror.* Heinſ.

647. *Tumidis rapuiſſe Numicius undis.* ] Atqui *placidum* infra vocat & *undas* ejus *tacitas*. *ſerpere* quoque dicitur & quidem *curſu tacito*. Met. XIV.

*Littus adit Laurens, ubi tectus arundine ſerpit*
*In freta flumineis vicina Numicius undis,*
*Hunc jubet Ænea quæcunque obnoxia morti*
*Abluere, & tacito deferre ſub æquora curſu.*

Silius lib. VIII.

*Haud procul hinc parvo deſcendens fonte Numicus*
*Labitur, & leni per valles volvitur amne.*

pri. Ambroſ. *rapidis undis*. & Voſſianus. qui pro diverſa lectione *cupidis*. recte.



Digitized by Google

Creditur, & ſtagnis occuluiſſe ſuis.
Sidonis interea magno clamore per agros
Quæritur. apparent ſigna notæque pedum.
Ventum erat ad ripas: inerant veſtigia ripis.
Suſtinuit tacitas conſcius amnis aquas.
Ipſa loqui viſa eſt, Placidi ſum Nympha Numicî:
Amne perenne latens Anna perenna vocor.
Protinus erratis læti veſcuntur in agris:
At celebrant largo ſeque diemque mero.
Sunt quibus hæc Luna eſt, quia menſibus impleat annum:
Pars Themin, Inachiam pars putat eſſe bovem.
Invenies, qui te Nymphen Atlantida dicant;
Teque Jovi primos, Anna, dediſſe cibos.
Hæc quoque, quam referam, noſtras pervenit ad aures
Fama: nec à verâ diſſidet illa fide.
ebs vetus, & nullis etiamnum tuta Tribunis,

Fugit;

quomodo etiam Arondel. Mazar. Zulich. prim. Farneſ. & tres alii. Epiſtola Acontii,

*Inque mei cupidos rapta ferere ſinus.*

& ſic ſæpe alibi. *Idem. Numicius.* ] Fluvius, qui labitur ex Aricina ſylva per Laurentem agrum: ubi ſubmerſum Æneam dicunt.

650. *Signa notaque.* ] *Notata* Urſin. *Heinſ.*

652. *Tacitas aquas.* ] *Tenues* Zulich. Mazar. prim. Ambroſ. & duo alii. totidem *rapidas*. & ſequenti verſu pro *placidi Numici*, Zulich. Mazar. Arond. prim. Ambr. Voſſ. Nauger. & tres alii, *rapidi.* ſed male. Poſſet tamen *placiti* legi. quomodo lib. 1. Met. vſ. 702. *placitum Ladonis ad amnem* pro *placidum* repoſuimus. *Idem.*

658. *Putat Themin.* ] Quæ in Parnaſſo oracula reddebat. *Bovem Inachiam.* ] Hoc eſt, Iſidem, quæ prius Io dicebatur, Inachi regis Argivorum filiam, à quo & Inachus fluvius. Quæ violata ab Jove, mutata deinde in vaccam, cum diu erraſſet, in Ægyptum tandem venit: ubi reſtituta Iſis appellata eſt, & Oſiridi Jovis filio nupſit. *P.*

659. *Nymphen Atlantida.* ] Unam è filiabus Atlantis, quam volunt Jovis fuiſſe nutricem. *Ant.*

661. *Hac quoque, quam, &c.* ] Hanc forte aniculam quandam fuiſſe Bovillanam: quæ cum plebi victum neceſſarium præbuiſſet eo tempore, quo indignans ſuam vicem à magiſtratu abiiſſe, à patribus receſſit in Sacrum montem; ob id inita pace, illi à grata plebe ſignum erectum, & feſta annua conſtituta.

662. *A veri diſſidet illa fide.* ] *A vera fide* Urſin. Zulich. Mazar. pri. Ambr. Læti, prim. Med. & ſeptem alii. bene. Dixi Notis ad Epiſt. XVI. vſ. 60. *Heinſius.*

663. *Plebs vetus.* ] Contigit anno Urbis conditæ CCLX. *Neapol. Nullis etiam nunc tuta tribunis.* ] *Sat tuta* Maz. & ſequenti verſu pro *erat* codex Urſin. pri. Ambroſ. Maz. prim. Farneſ. & alii nonnulli *abit*. quod præſtat. *Heinſ.*

664. Fugit;

Digitized by Google

Fugit; & in ſacri vertice montis abit.
Jam quoque, quem ſecum tulerant, defecerat illos
Victus, & humanis uſibus apta Ceres.
Orta ſuburbanis quædam fuit Anna Bovillis
Pauper, ſed mundæ ſedulitatis, anus.
Illa, levi mitrâ canos redimita capillos,
Fingebat tremulâ ruſtica liba manu.
Atque ita per populum fumantia mane ſolebat
Dividere. hæc populo copia grata fuit.
Pace domi factâ ſignum poſuêre Perennæ,
Quod ſibi defectis illa tuliſſet opem.

Nunc

664. *Fugit; & in &c.* ] Conſulibus invitis, L. Sicinio quodam auctore: nolebat jam ferre diutius Magiſtratus & Senatus ſuperbiam, avaritiam nobilium fœneratorum, imo crudelitatem: ſæviebant illi vinculis & verberibus in pauperum & civium corpora, ob debita. Legito fuſius Hiſtoricos. *Sacri vertice montis.* ] Hic tumulus, qui trans Anienem primus occurrit via Nomentana, ibi plebs poſt reditum in urbem Jovi Fauno aram poſuit. Vide Dionyſ. l. 6. exinde mons ille ſacer appellatus: videtur ergo antea nomen aliud habuiſſe. *Neap.*

665. *Defecerat illis.* ] *Illos* Urſin. Voſſ. Petav. Sarrav. & tres alii. Neque aliter loqui ſolere Naſonem jam monui Amor. lib. I. Eleg. VIII. vſ. 93. *Heinſ.*

667. *Bovillis ſuburbanis.* ] Quæ erant in ſuburbano. Nam duæ fuerunt Bovillæ: alterum in Latio, oppidum prope Lavinium, de quo hic agitur: alterum in Campania, prope Sinueſſam. *P. Suburbanis Bovillis.* ] Hoc etiam epitheto donavit Propertius oppidum iſtud vetus Latinorum. Gentes dicti *Bovillani*; Græcis Βοΐλλανοι: illud iiſdem Βοΐλλαι. De nominis origine vide Non. Marcellum cap. II. *Neap.*

668. *Multa ſedulitatis anus.* ] *Munda ſedulitatis* unus meus. cum Mazar. Neque aliter Zulichemianus à manu primâ. de quo lib. IV. vſ. 108. dicetur. alii duo *mira.* ſupra tamen habes, *Conſilium multa calliditatis.* Heinſ.

669. *Mitra canos incincta capillos.* ] Quid mitra, explicat Servius ad illud de Paride in VI. *Mæonia mentum mitra, &c.* Palliolum videtur fuiſſe muliebre, & capitis tegmen ſive tænia: nam Græcis μίτρα ταινία, διάδημα. Ergo eadem cum rica, quæ *capitale.* Gloſſæ *capitale, κεφαλόδεσμος. Neapol. Canos incincta capillos.* ] *Redimita* libri meliores. parum refert. *Heinſ.*

673. *Pace domi facta.* ] Reconciliata eſt per Agrippam Menenium, miri eloquii virum; iſtac tamen lege, ut plebs haberet ſuos annuos Magiſtratus, quibus auxilio eſſet Latio adverſus Conſules & Nobilitatem, neve cui patrum ea munia capere liceret. Creati Tribuni pleb. primi L. Junius Brutus & L Sicinius Bellutus. *Signum poſuêre.* ] Huic ergo putat aram & ſignum poſitum Ovidius, non Jovi Δειματίῳ, ut recenſuit accuratiſſimus Dionyſius. *Neap. Signum poſuere perenne.* ] Lege *Perenna* cum pri. Ambroſ. & quatuor aliis. *Heinſ.*

674. *Quod ſibi defectis illa tuliſſet opem.* ] *Tuliſſet* meliores. recte. ſcribendum olim opinabar,

*Quod dape defectis illa tuliſſet opem.*

ut *Caſilinates alimentorum facultate defectos* dixit Val. Maximus lib. VII. c. VI. ſed nihil eſt mutandum. *Defectis* pro *deficientibus.* de quo paſſivi verbi uſu

 non

Nunc mihi, cur cantent, ſupereſt, obſcœna puellæ,

Dice-

nonnihil dixi ad Epiſtolam v. vſ. 150. ſic *defecta ætas* & *defecti anni*. In Epiſtola Penelopes Sabinianæ,

*Defectis Hecuben potius legiſſe ſub annis.*

Auctor Elegiæ in obitum Mæcenatis,

*Viſcera defecti mutavit in arietis agnum*

*Æetis.*

ita ſcribendum. nam vetus liber *disjecti*. vulgati *diſſecti*. eundem arietem Noſter libro Metamorph. VII. *innumeris fœtum annis* vocavit. Martialis,

*Dulcia defecta modulatur carmina lingua*

*Cantator Cycnus funeris ipſe ſui.*

Lucanus libro II.

*——licet ille ſolutum*

*Defectumque vocet. ne vos mea terreat ætas,*

*Dux ſit in his caſtris ſenior, dum miles in illis.*

libro IV. de Antæo,

*——— cum tetigere parentem,*

*Jam defecta vigent renovato robore membra.*

& ibidem de equo,

*Et defecta gravis longe trahit ilia pulſus.*

lib. V.

*Vos defecta ſenes exhauſtaque ſanguine turba.*

libro VI. de Scæva moribundo.

*———labentem turba ſuorum*

*Excipit, atque humeris defectum imponere gaudet.*

Val. Flaccus libro VII.

*———ſolo mæret defecta cubili.*

hoc eſt languida, deficiens. libro II.

*Truces manicas defectaque virginis ora*

*Reſpicit.*

& mox,

*Annue: meque precor defectaque Pergama monſtris*

*Eripe.*

Idem.

675. *Nunc mihi cur cantent.* ] Hujus rei etiam meminit Martialis lib. IV. Ep. LXIV.

*Et quod virgineo canore gaudet*

*Anna pomiferum nemus Perenna.*

ita enim ſcribo. Legitur nunc,

*Et quod virgineo cruore gaudet.*

Nec interpretes quid ſibi velit *cruor iſte virgineus* aſſequuntur. Noſter infra de hoc nemore,

*Inde joci veteres obſcœnaque dicta canuntur.*

Si quis apud Martialem malit, *virgineo rubore gaudet*, ut ad obſcœna illa carmina reſpiciatur, nil repugno. Pergamus bene mereri. de eadem Anna ſimul & Martiali. Is lib. VI. Ep. XLVII.

*Sive Numa conjux Trivia te miſit ab Annâ.*

*Sive Camœnarum de grege nona venis.*

ita viri eruditi jampridem emendarunt, cum ante legeretur *antro* vel *amne*. quomodo libri etiam nonnulli, quos inſpeximus. Sed quid eſt *Trivia Anna?* certe nemus illud ad Tyberim non longe ab Urbe ſitum erat & ex Janiculo ſpectari poterat, ut Martialis nos docet. Alterum erat in agro Lavinio ad Numicum flumen. Sic & Egeria duplici loco colebatur. nam & Camœnarum nemus illi ſacrum erat prope urbem: & Aricinæ quoque Dianæ ſacris accenſebatur. *Trivia* igitur Egeria poteſt dici, Anna non poteſt. codex Thuaneus *Tribia antris*. Rottendorphii, *Tibia Anna*. Lege meo periculo,

*Sive Numa conjux Tyriâ te miſit ab Annâ.*

Intelligit aquæ ductibus fontem hunc derivatum fuiſſe ex Numicio, qui eſt in Lavinienſi agro, per nemus Egeriæ. *Idem. Nunc mihi.* ] In his feſtis Annæ obſcœni quidam luſus referebantur, cum verbis quoque obſcœnis. Eam poëta cauſam affert, quod ubi Anna relata eſt in Deos, Mars ejus operam petiit ad Pallada conciliandam, cujus amore tenebatur. Quod cum illa ſe facturam promiſiſſet, retulit poſtea, ſe illam tandem exoraſſe, & amatorem quodam joco deluſit, de quo paulo poſt.

682. *Vul-*

Digitized by Google

Dicere: nam coëunt, certaque probra canunt.
Nuper erat Dea facta; venit Gradivus ad Annam;
Et cum ſeductâ talia verba facit.
Menſe meo coleris: junxi mea tempora tecum:
Pendet ab officio ſpes mihi magna tuo.
Armifer armiferæ correptus amore Minervæ
Uror: & hoc longo tempore vulnus alo.
Effice, Dî ſtudio ſimiles coëamus in unum.
Conveniunt partes hæ tibi, comis anus.
Dixerat. illa Deum promiſſo ludit inani;
Et ſtultam dubiâ ſpem trahit uſque morâ.
Sæpius inſtanti, Mandata peregimus, inquit:
Evictas precibus vix dedit illa manus.
Gaudet amans, thalamoſque parat. deducitur illuc
Anna tegens vultus, ut nova nupta ſuos.
Oſcula ſumturus ſubito Mars adſpicit Annam;
Nunc pudor eluſum, nunc ſubit ira, Deum.
Ridet amatorem caræ nova Diva Minervæ:

Nec

682. *Vulnus alo.*] Redi ad Tom. I. p. 42. vſ. 20.

683. *Coëamus in unum.*] Alibi dicit, *Non veniunt in idem.* Συναρθμῆσαι. Argon. 4. vſ. 419. Σύλλογον ποιησαμένη. Συνάγειν πρὸς ἄλληλα.

688. *Evicta eſt precibus.*] Scripti multi *Et victa eſt.* Sed Regius Sarravianus recte,

*Evictas precibus vix dedit illa manus.*

*evincere* pro vincere ſæpe apud Noſtrum. ſic Met. II.

*Ille tamen pugnat molles evincere ſomnos.*

Triſt. III. Eleg. I.

*Evictus longo tempore Cæſar erit.*

*dare manum* etiam uſitatiſſimum. ſic Val. Flaccus libro I.

*Hanc mihi militiam, veterum quæ pulchrior actis,*
*Annue, daque manum.*

ubi *animum* male nunc legitur. *Heinſ.*

689. *Credit amans.*] *Gaudet* Urſin. Mazar. Voſſ. Arondel. pri. Ambroſ. & duo alii, utrumque bene. *Idem.*

690. *Anna tegit vultus.*] Flammeo. Plin. lib. 2. c. 8. *Lutei video honorem antiquiſſimum in nuptialibus flammeis. Flammeum*, ait Nonius, *eſt luteum tegmen, quo novæ nuptæ velabantur, veſtis pudori ſimilis, quam & propter pudorem accipiebant.* Et Juvenal.

*Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.*

Hinc & Græci vocant φοινικίδα. *Notandum quoque boni ominis cauſa nubentes fuiſſe amictas ejuſmodi flammeo, eo quod Flaminica, id eſt, uxor Flaminis dialis, cui divortium facere illicitum, aſſidue illo utebatur.* Scalig. ad Varron.

—— ἡ δὲ πτύχα πορφυρέοιο
Προσχομένη πέπλοιο
Παρειάων ἑκάτερθε.

Argon. lib. 4. vſ. 1661.

693. *Ludis amatorem.*] *Ridet* prim. Ambroſ. Voſſ. Arondel. Mazar. Zulich. & ſex alii. bene. nam *eluſum deum* præceſſerat. ſic Faſt. II.

*Ridet amatorem Lyda puella ſuum.*

Heinſ.



695. *Obſcæ-*

Nec res hâc Veneri gratior ulla fuit.
Inde joci veteres obſcœnaque dicta canuntur:
Et juvat hanc magno verba dediſſe Deo.
Præteriturus eram gladios in Principe fixos;
Cum ſic à caſtis Veſta locuta focis:
Ne dubita meminiſſe: meus fuit ille Sacerdos.
Sacrilegæ telis me petiêre manus.
Ipſa virum rapui, ſimulacraque nuda reliqui.
Quæ cecidit ferro, Cæſaris umbra fuit.
Ille quidem cælo poſitus Jovis atria ſervat;
Et tenet in magno templa dicata foro.
At quicunque nefas auſi prohibente deorum
Numine, polluerant Pontificale caput;
Morte jacent meritâ. teſtes eſtote Philippi;

Et

695. *Obſcœnaque verba.* ] *Dicta* meliores. recte. pro dicteriis. Met. XIV.

*Addidit obſcœnis convitia ruſtica dictis.*

hinc *dicta jocoſa ridicula, procacia, vernilia, amara, ſalſa* paſſim apud auctores. *Heinſ.*

797. *Præteriturus eram.* ] Iiſdem Martiis Idibus mors fuit C. Julii Cæſaris. Appian. lib. II. Annus ab V. C. DCCIX. ut auctor Eutropius lib. VII. Dies ille nominatus *parricidium*, quod ex Suetonio liquet lib. 1. cap. 88. ac decretum, ne unquam eodem Senatus ageretur: atrum enim pronuntiarunt. Vide Dionem lib. 47. *Neap.*

698. *Veſta locuta.* ] *Diva* Junian. cujus *Veſta* ſit interpretamentum. *Heinſ.*

699. *Meus fuit ille Sacerdos.* ] Quia tunc erat Pontifex Maximus, ad quem ſacrorum omnium ſuprema cura pertinebat: Vide Caſſium & Plin. de Domitiano lib. 4 Epiſt. 11. *N.*

700. *Petiere.* ] Quaſi me ipſam vulnerarunt: nam qui Pontificem meum violarunt, mihi ipſi manus injecerunt.

701. *Ipſa virum rapui.* ] Eripui ego è manibus eorum Cæſarem, & in cœlum retuli. *Reliqui, &c.* ] Umbram ſine corpore.

704. *Templa dicata foro.* ] Sed hic honos cum aliis à triumviris decretus; ut Dio teſtatur lib. 47. & Appian. lib. 2. de foro in quo excitata pompa funeris. Aram illam plebs eo in loco, quo rogus fuerat, exſtruxit, ut Cæſari tanquam Deo ſacra ibi fierent; ſed Conſulum juſſu illico ſubverſa; auctores etiam ſupplicio affecti, eodem Caſſio teſte. Templum ei erectum triennio ab obitu, cœpto Anno V. C. DCCXII. M. Lepido, & L. Blanco Coſſ.

705. *At quicunque nefas auſi.* ] Horum nomina vide in notis Caſauboni ad l. 1. Suetonii. *Neap.*

706. *Polluerant pontificale caput.* ] Lege *polluerunt*. Placet etiam *pontificale decus* cum Zulichemiano, aut *ſacrum* ex uno Vatic. ſic Propert. *furto polluit ille Jovem. Arcadia ſacrum pontificale deæ* dixit lib. 1. *Heinſ.*

707. *Eſtote teſtes Philippi.* ] Campi ubi Brutus & Caſſius principes conjuratorum, alter ſua, alter ſervi manu confecti ſunt, & Cæſ. Octavio ultori victoria parata. *P. Teſtes eſtote Philippi.* ] Vix quiſquam triennio ſupervixit: at hic de Caſſio & Bruto loquitur, qui ad Philippos profligati. *Neap.*

709. *Hæc*

Digitized by Google

Et quorum ſparſis oſſibus albet humus.
Hoc opus, hæc pietas, hæc prima elementa fuerunt
Cæſaris; ulciſci juſta per arma patrem.
POſtera cum teneras Aurora refecerit herbas;
Scorpios à prima parte videndus erit.
TErtia poſt Idus lux eſt celeberrima Baccho.
Bacche, fave vati; dum tua feſta cano
Nec referam Semelen; ad quam niſi fulmina ſecum
Jupiter adferret; parvus inermis eras:
Nec puer ut poſſes maturo tempore naſci,
Expletum patrio corpore matris onus.
Sithonas & Scythicos longum enumerare triumphos;



709. *Hoc opus, hæc pietas.* ] Laudat Octavium Auguſtum à pietate, qui auſpicatus rerum geſtarum gloriam ab ultione paterna: hinc paſſim virtus illa in hoc Cæſare laudata; imo in nummis poſteris relicta. *Neap.*

711. *Poſtera cum.* ] Scorpius ipſe propter magnitudinem membrorum in duo ſigna dividitur, quorum priorem partem Libram dixerunt. *Poſtera cum teneras.* ] XVII. Kalendas Apriles Scorpius medius occidit, eadem fere die Euctemone, Geminus poſt Solis tranſitum in Piſces. *Neap.*

712. *Scorpius.* ] *Scorpios* Petav. bene. ſic idem infra lib. IV.

*Scorpios in virides præcipitatur aquas.*

Heinſ. *A prima parte.* ] Poſt chelas.

713. *Tertia poſt Idus lux eſt.* ] Hoc eſt, decima ſeptima die Martii feſtum erit Bacchi, quo die ad liba populus conveniebat in ejus honorem, & pueri relicta prætexta virilem togam ſumebant. *P. Tertia poſt Idus.* ] XVI. Kalendas erant *Liberalia* Libero patri ſacra. Sic cogor ſcribere, ut ſequar vetus Kalendarium, quod ad unguem & Noſter ſequitur; unde ſuſpicor hîc nolentem Ovidium lapſum: nam III. poſt Idus eſt XV. Kalendas. Quod ſi verum tempus Liberalium, non ſuccedunt Quinquatria XIV. Kalendas: & hoc certiſſimum. *Neap.*

716. *Parvus inermis eras.* ] Quidam ex melioribus *erat.* Forte legendum *partus inermis eras. refero* Zulich. ſuperiori verſu. *Heinſ. Tu eras parvus.* ] Parvi nominis: quia non creditus Jovis filius.

718. *Matris opus.* ] Rectius *onus* quatuor ſcripti; quomodo etiam infra legendum puto,

*Non pater in Baccho matris haberet onus.*

ſic ſæpe Noſter. ut Met. X.

*Jam matrem tendebat onus.*

ſupra,

*Maturumque utero molliter aufer onus.*

Epiſt. IV.

*Enixa eſt utero crimen onuſque ſuo.*

Epiſt. XI.

*Et poſitum eſt uteri crimen onuſque mei.*

Heinſ.

719. *Sithonas & Scythios longum eſt narrare triumphos.* ] Multi *Biſtonas.* quod tantundem. plures Tò *eſt* non agnoſcunt. unus Moreti & Hamburgenſis. *longum enumerare.* ut lib. IV. ex veteri codice,

*Illa deos omnes (longum enumerare) creavit.*

& apud Statium Theb. II. *longum enumerare Pharaos.* Met. lib. I.

*Longa mora eſt, quantum noxæ ſit ubique repertum,*
*Enumerare.* Idem.

*Longum eſt memorare Biſtonas.* ] Nolo nunc commemorare Thracas, qui *Biſtones* dicuntur, à Biſtone fluvio.



Digitized by Google

Et domitas gentes, thurifer Inde, tuas.
Tu quoque Thebanæ male præda tacebere matris;
Inque tuum furiis, acte Lycurge, genu.
Ecce libet ſubitos piſces, Tyrrhenaque monſtra
Dicere. ſed non eſt carminis hujus opus.
Carminis hujus opus, cauſſas expromere; quare
Vilis anus populos ad ſua liba vocet.
Ante tuos ortus aræ ſine honore fuêrunt,
Liber, & in gelidis herba reperta focis.
Te memorant Gange, totoque Oriente ſubacto,
Primitias magno ſepoſuiſſe Jovi.
Cinnama tu primus captivaque thura dediſti,
Deque triumphato viſcera toſta bove.
Nomine ab auctoris ducunt Libamina nomen;

Liba-

720. *Gentes thuris & Inde tuas.*] Geſta hæc Bacchica vera, quidam ex antiquis credit, ut Megaſthenes cum paucis: Eratoſthenes vero de rebus Indicis bene meritus, ἄπιςα καὶ μυθώδη. uterque apud Strabonem lib. XV. *Neap.*

721. *Tu quoque Thebana mala præda, &c.*] Nec dicam nunc de Pentheo Thebano, aut Lycurgo Thraceo. Pentheum enim Thebis Bacchi ſacra ſpernentem, atque prohibentem, Agave mater confecit. cujus fabula refertur in 3. Metam. Et Lycurgum dicunt, dum Bacchi vites incideret, crus ſibi abſcidiſſe. *Mala præda matris.*] Qui ab Agave matre tua Thebana diſcerptus es. *Mala præda tacebere matris.*] Lege *male præda* cum primo Ambroſiano & Læti codice. vide Notas libro II. vſ. 170. *Heinſ.*

722. *Acte Lycurge.*] Vide Diod. Siculum lib. III. Bibliotheces. *Neap.*

723. *Monſtra Tyrrhena.*] Tyrrhenos nautas, in delphinos ſubito converſos.

725. *Cauſſas exponere, quare Vilis anus populos ad ſua liba vocet.*] *Expromere* Voſſ. pr. Ambroſ. Mazar. & ſeptem alii. pro *vilis anus* Nauger. Mazar. Zulich. Urſin. & tres alii, *Vitiſator.* quomodo Accio apud Macrobium aliiſque Bacchus dictus. Sed pro vulgata ſcriptura pugnat Varro de Liberalibus, loco jam à Neapoli adducto. pro *Tyrrhenaque monſtra* paulo ante unus Med. *Tyrrhenia monſtra* eleganti appoſitione. *Heinſ.*

726. *Vilis anus vocet populum ad ſua liba.*] Vetula quæ liba finxerit, ad ea populum vocat. nam ab ea accipit populus in feſto Bacchi. *Paul. Populos ad ſua liba.*] Illa, ſeu melius illæ: nam plures erant quæ tranſeuntes quoſlibet ad liborum emptionem invitabant, & pro emptore ſacrificabant, libi empti parte foculo indita. Vide Varron. lib. V. de L. L. Fiebant & Liberalibus ludi Scenici; idque ſub finem narratiunculæ Noſter adſignificat. *Neap.*

729. *ſubacto Gange, &c.*] Poſtquam domuiſti & ſubegiſti populos totius orientis, Indos præſertim, per quos Ganges fluvius ſeptem alveis fluit in orientem.

731. *Cinnama.*] Quæ quidem naſcuntur in Æthiopia Trogloditide, teſte Plin. *Et thura captiva.*] Captivorum Arabum, quos ſubegiſti, tu primus ea diis incendiſti.

733. *Ducunt Libamina nomen.*] Plutarch. Διὰ τί τὸν Διόνυσον Λίβερον πάτερα καλοῦσιν, &c. Ab hoc etymo lux jam advenit illis paulo poſt: *Sive quod*

Libaque: quod ſacris pars datur inde focis.
Liba Deo fiunt: ſuccis quia dulcibus ille
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.
Ibat arenoſo Satyris comitatus ab Hebro:
(Non habet ingratos fabula noſtra jocos)
Jamque erat ad Rhodopen, Pangæaque florida ventum:
Æriferæ comitum concrepuêre manus.
Ecce novæ coëunt volucres tinnitibus actæ:
Quaque movent ſonitus æra, ſequuntur apes.
Colligit errantes, & in arbore claudit inani
Liber: & inventi præmia mellis habet.
Ut Satyri lævìſque ſenex tetigêre ſaporem;
Quærebant flavos per nemus omne favos.

Au-

*es Liber, veſtis quoque libera per te Sumitur, & vita liberioris iter.* Neap.

735. *Succis quia dulcibus.*] Vide Athenæum l. III. Ἑξῆς ἐπεισηνέχθη πλακοῦς ἐκ γάλακτος ἰτρίων τε καὶ μέλιτος ὃν Ῥωμαῖοι λίβον καλοῦσι. *Neap.*

737. *Ab Hero arenoſo.*] Hebrus Thraciæ fluvius prope Ænon urbem in mare Ægeum influit. *P.* *Satyris comitatus.* Bene Noſter hos alicubi vocat, *praviam Dei turbam*. Neap.

739. *Jamque erat ventum.*] Rhodope mons eſt Thraciæ. *Et ad Pangæa flumina.*] Ad fluvios è Pangæo ſcaturientes. Pangæum enim Thraciæ promontorium Beſſis conterminum, & Macedoniæ junctum. *Pangæaque flumina ventum.*] Non video quæ ſint illa *flumina Pangæa.* Quare fuit, cum *culmina* cenſerem ſcribendum. at Zulich. Mazar. & tres alii, *Florida Pangæa.* recte. propter apes. ſic Triſt. v. Eleg. vi.

*Florida quam multas Hybla tuetur apes.*

hinc & *Hymettus ſemper florens* Noſtro dictus Met. vii. & *florilega apes.* Met. xv. *Heinſ.*

740. *Cum crepuere manus.*] *Concrepuere* meliores plerique ut lib. v.

——*Temeſaaque concrepat æra.*

Martialis,

*Et Tartheſſiaca concrepat æra manu.*

Petronius,

*Cum intrans cymbaliſtria & æra concrepans omnes excitavit.*

apud Propert.

*Cymbala Thebano concrepuere Deo.*

Idem. *Manus comitum.*] Satyrorum, & Mænadum. *Æriferæ manus.*] Quæ cymbala ferebant: illa enim ex ære & cava, unde Propert. *æra rotunda Cybeles.* N.

741. *Ece volucres novæ.*] Apes illic tunc ignotæ.

742. *Quoſque movent.*] Sex *quoque.* Læti liber, *Quaque.* Heinſ. *Æra ſequuntur apes.*] Vide Plinium Hiſt. Naturalis lib. XI. cap. XX. *Neap.*

745. *Laviſque ſenex.*] Qua vocula adſpectat Sileni calvitiem. Glabro capite hunc depinxit vetuſtas, & ore deformi. *Neap.*

746. *Quærebant flavos per nemus omne favos.*] *Dulces* unus Vaticanus. forte rectius. ut κακοφωνία vitetur. niſi malis *niveos favos.* ut lib. i. vſ. 186.

*Et data ſub niveo candida mella favo.*

Medicamine quoque faciei legi malim,

*Adjice de niveis Attica mella favis.*

ubi ſimiliter *flavis* nunc legitur. In illo etiam Propertiano verſu de Ulyſſe,

*In mare cui ſoli nil valuere doli.*

*ſoliti doli* eſt ſcribendum. quod Lipſius jam vidit. *Heinſ.*

751. Ra-

Digitized by Google

Audit in exeſâ ſtridorem examinis ulmo:
Adſpicit & ceras, diſſimulatque ſenex.
Utque piger pandi tergo reſidebat aſelli;
Applicat hunc ulmo corticibuſque cavis.
Conſtitit ipſe ſuper ramoſo ſtipite nixus:
Atque avidè trunco condita mella petit.
Millia crabronum coëunt; & vertice nudo
Spicula defigunt, oraque ſumma notant.
Ille cadit præceps, & calce feritur aſelli:
Inclamatque ſuos, auxiliumque rogat.
Concurrunt Satyri, turgentiaque ora parentis
Rident. percuſſo claudicat ille genu.
Ridet & ipſe Deus: limumque inducere monſtrat.
Hic paret monitis, & linit ora luto.
Melle pater fruitur: liboque infuſa calenti
Jure repertori candida mella damus.
Fœmina cur preſſet, non eſt rationis opertæ.
Fœmineos thyrſo concitat ille choros.

Cur

751. *Ramoſo ſtipite nixus.* ] *Nexus* Petav. prim. Ambroſ. & Læti. Scribe, ut de aſello nexu intelligatur,

*Conſtitit ipſe ſuper ramoſo ſtipite nexum.*

Idem.

754. *Oraque prima notant.* ] *Summa* Urſin. pri. Ambroſ. Nauger. Mazar. Zulich. & ſex alii. Lege, *oraque ſima.* quis neſcit Silenos ac Satyros eſſe ſimos? Lucret. l. IV.

*Simula, Silena ac Satyra eſt.*

vulgata tamen lectio ex iſtis Virgilianis defendi poteſt,

*Primaque ferratis innectunt ora capiſtris.*

Idem.

757. *Concurrunt Satyri.* ] *Occurrunt* quatuor libri. Puto *Accurrunt.* vide Notas lib. II. vſ. 372. ſic & apud Silium libro X. optimæ membranæ,

*Transfixus gladio propere accurrentis Amorgi.*

& libro XV.

*Pulveris in clypeis veſtigia viſa movebant.*
*Id properi ſignum accurſus.*

ita ſcribendum. vulgo mendoſe legitur,

*Et propere ſignum ad curſus.*

Idem.

759. *Ridet & ipſe deus.* ] Bacchus. Non ſine artificio fabellas hujuſmodi immiſcet, quoniam ſacra & feſta Bacchi joco & riſu abſolvebant. *P. Limumque inducere.* ] Ad ictuum medelam. Optimum, aqua etiam ex raphani foliis faciem linire: habes è Plinio l. XX. c. IV. *Neapol.* *Limumque inducere monſtrat.* ] Malim *limoque.* ut *ora*, quod ſequitur, ſubintelligas. *inducere*, eſt linire, ſic *auro linire* & *auro inducere* dicebant. conſule Notas Met. IV. vſ. 408. *Heinſ.*

762. *Splendida mella* ] *Candida* meliores omnes. de quo dixi l. V. vſ. 186. ſuperiori verſu pro *fruitur* liber Erfurtanus *potitur*. Idem.

763. *Fœmina cur præſit.* ] *Preſſet* Urſin. Petav. & unus Patavinus. bene. nam de libis agit. Reliqui magno numero *preſſit* vel *præſiat*, proxime verum. *Idem.*

765. *Cho-*

Cur anus hoc faciat, quæris? vinoſior ætas
Hæc eſt, & gravidæ munera vitis amans.
Cur hederâ cincta eſt? hedera eſt gratiſſima Baccho.
Hoc quoque cur ita ſit, dicere nulla mora eſt.
Nyſiades Nymphæ, puerum quærente novercâ,
Hanc frondem cunis appoſuêre novis.
Reſtat, ut inveniam, quare toga libera detur
Lucifero pueris, candide Bacche, tuo.
Sive, quod ipſe puer ſemper, juveniſque videris;
Et media eſt ætas inter utrumque tibi:

Seu

765. *Choros fœmineos.* ] Mænadas.

766. *Cur anus hoc faciat.* ] *Hæc faciat* multi ex ſcriptis, ſed refer ad *libum*. *Libum facere* ut Noſter l. IV. Faſtorum,

*—— & nos faciamus ad annum*
*Paſtorum domina grandia liba Pali.*

Heinſ.

767. *Hæc erat.* ] *Hæc eſt* rectius Læti liber & alii nonnulli. Idem *amans* pro *amat*. ut & Nauger. Urſin. Mazar. Zulich. prim. Ambroſ. & alii nonnulli *Idem*.

768. *Cur hedera hæc cincta eſt.* ] Has vetula coronatas hedera ſacrificaſſe, jam ſupra conſuadet M. Varro. *Neap.*

769. *Nymphas Nyſiades.* ] A Nyſa urbe Arabiæ, quibus ab Jove nutriendus eſt datus puer. *Quærente noverca.* ] Dum quæreret privignum Juno, quæ eum perdere volebat. *P.*

770. *Hanc frondem cunis oppoſuiſſe ferunt.* ] *Appoſuiſſe* pri. Medic. & ſex alii. *oppoſuere novis* Maz. Zulich. Voſſ. Arondel. p. Ambroſ. & unus Vatic. ſuperiori quoque verſu iidem *Nyſiades Nymphæ* pro *Nyſiadas Nymphas*. Lege *appoſuiſſe novis*. & vide quæ notavi Epiſt. VII. vſ. 100. *Hanc frondem ciſtis* Hamburgenſis. *Heinſ.*

771. *Toga libera, &c.* ] Dicit, eos, qui jam ad XVI. perveniſſent, Liberalia potiſſimum exſpectaſſe, ad togam ejuſdem fere nominis aſſumendam. Addam firmandæ totius rei hoſce qui ſequuntur:
*Ergo ut tyronum celebrare frequentia poſſit,*
*Viſa dies danda non aliena toga.* *Tyrones*, apud veteres erant, quibus depoſita prætexta ob ætatem adultam, virilis jam ſeu libera, ſeu pura, ſeu recta (συνώνυμα hæc hujus togæ) amiciri dabatur. unde tyrocinium ipſa actio. *Neap.*

772. *Luce geri pueris, candide Bacche, tuâ.* ] Valde turbant hoc loco libri veteres. plerique tamen, *Luciferis tuis* vel *tua.* vel *Luce feris pueris tua.* *Luciferi tua* Petav. alii aliter. At Urſin. Mazar. Zulich. pri. Ambroſ. & ſex alii,

*Lucifero pueris, candide Bacche, tuo.*

eleganter & vere. hoc eſt, tuo die, tuo feſto. Sic Propert. *memento Venturum paucis me tibi Luciferis.* pro paucis diebus. ſupra l. I. Faſt.

*Non habet officii Lucifer omnis idem.*

lib. II.

*Nec tamen hoc ultra, quam tot de menſe ſuperſint*
*Luciferi, quot habent carmina noſtra pedes.*

& alibi non raro. Tibullus l. I. El. III.

*—— illum nobis Aurora nitentem*
*Luciferum roſeis candida portet equis.*

ſic & *Aurora* & *Phœbus* pro die. *Luna* pro nocte. *Heinſ.*

773. *Juveniſque videris, &c.* ] Hinc ille Euripidi θηλύμορφος. Fuit & apud antiquos Bacchus καταπώγονος. Græci ſuam innuunt cauſam, διὰ τὸ τοὺς ἀρχαίους πάντας πωγωνοτροφεῖν. Neapolit.

774. *Et media eſt ætas inter utrumque tibi.* ] *Inter utramque* alter Mazar. ſed fruſtra. Claudian.

*Miſſa*

Seu quia tu pater es, patres ſua pignora natos
  Commendant curæ numinibuſque tuis.
Sive, quod es Liber, veſtis quoque libera per te
  Sumitur: & vitæ liberioris iter.
An quia, cum priſci colerent ſtudioſius agros,
  Et patrio faceret rure Senator opus,
Et caperet faſces à curvo conſul aratro,
  Nec crimen duras eſſet habere manus;
Ruſticus ad ludos populus veniebat in Urbem:
  Sed Dîs, non ſtudiis ille dabatur honos.
Luce ſuâ ludos uvæ commentor habebat:
  Quos cum tædiferâ nunc habet ipſe Deâ.
Ergo, ut tironum celebrare frequentia poſſit,
  Viſa dies dandæ non aliena togæ.
Mite, Pater, caput huc placataque cornua vertas;
  Et des ingenio vela ſecunda meo.
Itur ad Argeos, (qui ſint, ſua pagina dicet)

Hac,

*Miſta duplex ætas inter juvenemque ſenemque.*

Noſter Met. XII.

—— *Huic ætas inter juvenemque ſenemque;*

*Vis juvenilis erat.* Heinſ.

775. *Seu quia tu pater es.*] Vel quia Liber pater diceris.

779. *An quia cum colerent.*] Quartam ob cauſſam cogitur referre humilia initia Scenicorum ludorum de quibus loquitur ex ſententia Varronis de Vita popul. Rom. à ruſticis ſcil. illa profecta. Vide & Tertull. lib. de Spectacul. *Priſci ſtudioſius agros.*] De more auctor Columella, de eodem etiam mutato, de quo conqueſtus initio operis. *Neap.*

783. *Populus ruſticus.*] Quis ruri erat. *Veniebat in urbem ad ludos.*] Diebus feſtis urbem repetebat ex agris, ut ludis intereſſet.

786. *Cum tædifera dea.*] Qui hoc tempore ſibi & Cereri ſimul eduntur. Prius enim ſoli Baccho fiebant, poſteritas illos cum Cerealibus junxit, nec ab re, cum Dionyſius ſecundus Cereris filius creditus ſit. Ipſaque *Ceres tædifera* dicitur, quod tæda accenſa filiam Proſerpinam quærebat. Sacerdoteſque ejus tæda quoque ſacra celebrabant. unde appellati ſunt δᾳδοῦχοι. *Paul. Nunc habet illa Dea.*] Forſan huc pertinent illa Cypriani: *Cæterum reliqui, dum urbem fames occupaſſet, ad vocationem populi acquiſiti ſunt ludi Scenici, & Cereri & Libero dicati poſtmodum.* Neap.

787. *Tyronum celebrare frequentia poſſit.*] *Poſſint* unus Mediceus, de qua locutione vide Notas ſupra. 181. *Heinſ.*

791. *Itur ad Argeos.*] Eodem die quo Bacchi ſacra ſolennia fiunt, & die qui præceſſit, itur cum pompa ad templum Caſtoris & Pollucis. *Ad Argeos.*] Ad Argeorum, hoc eſt, Laconicorum deorum templa. *Itur ad Argeos*] XV. & XVI. Kalendas Aprilis ſacra in Argeis factitata: quid illi, Gloſſæ explicant *Argi* arra ἀφιδρύματα. emendat Scaliger, *Argei aræ:* malim, Argeæ aræ, ut ſit idem numerus; cum ſint etiam plures urbici Argei. Varro lib. IV. de L. L. & Livius: *Multa alia ſacrificia, locaque ſacris*

Hac, ſi commemini, præteritâque die.
Stella Lycaoniam vergit proclinis ad Arcton
Miluus. hæc illâ nocte videnda venit.
Quid dederit volucri, ſi vis cognoſcere, cælum;
Saturnus regnis ab Jove pulſus erat.
Concitat iratus validos Titanas in arma,
Quæque fuit fatis debita, poſcit opem.
Matre ſatus Terrâ monſtrum mirabile taurus
Parte ſui ſerpens poſteriore fuit.
Hunc triplici muro lucis incluſerat atris
Parcarum monitu Styx violenta trium.
Viſcera qui tauri flammis adolenda dediſſet,
Sors erat, æternos vincere poſſe Deos.
Immolat hunc Briareus factâ ex adamante ſecuri:
Et jam jam flammis exta daturus erat.
Jupiter alitibus rapere imperat. attulit illi
Miluus: & meritis venit in aſtra ſuis.

UNa dies media eſt; & fiunt ſacra Minervæ:
No-

*ſacris faciundis, qua Argeos Pontifices vocant, dedicavit.* Hinc legimus paſſim in vetuſtate nunc quintum, nunc ſextum Argeorum ſacrarium. *Neap.*

792. *Hac ſi commemini præteritâque die* ] Naugerius edidit, *ſicut memini.* quod in plurimis ſcriptis occurrit, etiam pri. Ambroſiano. alii *ſi quid memini.* ſed vulgata ſcriptura bene ſe habet. quomodo Plautus ſæpe. Terentius etiam, Cicero, atque alii. *Heinſ.*

793. *Vergit declivis ad Arcton.* ] *Declinis* multi ex ſcriptis. At Urſin. Voſſian. pri. Ambroſ. Læti, pri. Farneſ. *proclivis.* Lege *proclinis* cum uno Mediceo & uno Farneſiano ſic & *acclinis*, *declinis*, *reclinis* dicebant. *Idem.* *Ad Arcton, &c.* ] Ad urſam Lycaonis filiam. *Paul.* *Vergit declivis ad Arcton.* ] Eodem XVI. eſt Milvii occaſus veſpertinus. Plinius facit uno die tardiorem. l. XVIII. cap. XXVI.

794. *Milvius.* ] *Miluus* libri meliores. ut & paulo poſt, de quo Amorum l. II. Eleg. VI. vſ. 34. *Heinſ.*

796. *A Jove.* ] *Ab Jove* meliores. dixi l. I. vſ. 236. *Idem.*

797. *Validos Titanas.* ] Fratres ſuos.

798. *Quæque fuit fatis debita.* ] *Quaque ſit in fatis* duo libri. in Zulich. vetus lectio eraſa. Codex Læti & alii tres, *dedita.* Puto, *Quæque ſibi fatis debita.* pro *tentat opem* etiam *poſcit* Mazar. Voſſ. Arondel. pri. Ambroſ. pri. Farneſ. poſſet & *fatis edita.* infra,

*Quam ſterili terra Delphicus edat opem.*

Heinſ.

805. *Immolat hunc Briareus.* ] Hic ille gigas centimanus; à quo Κάρυς@ dicta Αἰγχῖα: nam illi fuit nomen etiam Ægæon, teſte Heſychio. *Neap.*

807. *Attulit illi Miluus.* ] *Illa* quidam. nonnulli etiam *abſtulit illa* vel *illi*. Heinſ.

809. *Una dies media eſt.* ] Decimoquarto Calendas Apriles, hoc eſt, decimonono die Martii, incipiunt Quinquatria Minervæ, quinque diebus continuis celebrantur qua quidem ratione multi putarunt, à quinario dierum numero *Quinqua-*

Nominaque à junctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat: nec fas concurrere ferro.
Cauſſa, quod eſt illâ nata Minerva die.
Altera, treſque ſuper ſtratâ celebrantur arenâ.
Enſibus exſertis bellica læta Dea eſt.
Pallada nunc pueri teneræque ornate puellæ.
Qui bene placarit Pallada, doctus erit.
Pallade placata, lanam mollite, puellæ:

Di-

*quatria* dicta. Alii à Quinquatro die; de quo Pomp. Quinquatrus feſtivus dies, dictus, quod poſt diem quintum iduum celebraretur. ut triatrus, & ſexatrus, &c. Verum hæc Quinquatria feſta Poëta ita dicta oſtendit à quinque diebus junctis. Primo enim die fiebant ſacrificia, tribus ſequentibus gladiatores in theatro certabant, quinto die erat luſtratio tubarum ſonitu, & ſacrificia quoque fiebant. *Paul.* *Una dies media eſt.*] xiv. Kalendas feſtum erat Minervæ, cui nomen *Quinquatrus*, *Quinquatres*, & *Quinquatria*. Neap.

810. *Nominaque à junctis quinque diebus habent.*] Multi ex ſcriptis *Numinaque adjunctis quinque diebus habet*; vel *habes*. Lege, *Nomina qua junctis quinque diebus habent*. alludit enim ad nomen Quinquatrium. Moreti codex, *Muneraque adjunctis q. d. habet*. Puto ſcribendum,

*Una dies media eſt, ut fiant ſacra Minerva:*
*Munera qua junctis quinque diebus habet.*

ut ad munera tam Circenſia quam gladiatoria reſpicit. *Heinſ.*

811. *Sanguine prima vacat.*] Quia prima dies ſolemnitatis cenſebatur Minervæ γενέθλιος. Hujuſce diei mentionem facit Athenæus lib. 3. *Nec fas concurrere ferro.*] Nec prælusionibus illis, quæ enſibus obtuſis fieri ſolitæ, & integro etiam die perdurare.

813. *Altera treſque ſuper.*] Reliquis quatuor diebus gladiatores in circo nudis gladiis batuebant. Ludus hic gladiatorius in Panathenæis etiam obſervatus; ſed poſt Athenas dominæ urbi ſubditas, adeo ut mos à Romana religione videatur tralatitius. Philoſtratus in vita Apollonii Tyanei l. IV. cap. VII. *Stratâ celebrantur arena.*] Rectius veteres *raſâ*, hoc eſt, æquata & de induſtria ſic ſparſa. Inſtravit quondam inſania Principum pro illa minium & chryſocollam: non e ſolo uſque ad ſuperficiem. nam hæc dementia; ſed poſt multam arenæ injectionem, minium aut aliud leviter ſparſum. *Neapol.* *Raſâ celebrantur arenâ.*] Placet hæc lectio Illuſtriſſimo Neapoli & Ciofano. At Nauger. Mazar. Zulich. Urſin. Voſſ. Arond. & xv. alii *ſtratâ*. ſic Triſt. II.

*Martia cum durum ſternet areha ſolum.*

Am. II. Eleg. xiv.

*Sternetur pugna triſtis arena tua.*

Propertius l. iv. Eleg. iv.

*Nec cum laſcivum ſternet arena forum.*

prim. & ſec. Ambroſ. Læti, & alii xii. *fuſa arena*. Excerpta Polit. prim. Med. Sarrav. & Arond. pro diverſa lectione etiam non male, *ſparſa*. Art. Am. I.

*Sparſaque ſollicito triſtis arena foro.*

duo alii, *plana*. vide quæ Neapolis hic notat. *Heinſ.*

815. *Pallada nunc pueri.*] Hi eloquentiam à Minerva totis Quinquatriis expetebant. Vide Juvenalem Sat. X. Hinc etiam illis feſtis certamina Oratorum & Poëtarum exhibita. *Neap.*

817. *Lunam mollire puella Diſcant.*] *Diſcite jam*, Maz. duo Farneſ. & totidem alii. Arondel.. *Diſcite & plenas*. Scribe,

——— *lanam mollite, puella:*
*Diſcite jam plenas exonerare colos.*

Cogitabam aliquando latere verbum pa-

Diſcite jam plenas exonerare colos.
Illa etiam ſtantes radio percurrere telas
Erudit; & rarum pectine denſet opus.
Hanc cole, qui maculas læſis de veſtibus auferſ:
Hanc cole, velleribus quiſquis ahena paras.
Nec quiſquam invita faciat bene vincula plantæ
Pallade; ſit Tychio doctior ille licet.
Et licet antiquo manibus collatus Epeo
Sit prior; irata Pallade mancus erit.

Vos

parum obvium, ac ſcribi poſſe,

*Diſcite & enetas exonerare colos.*

hinc *pernere*. &, quod rarius verbum. *venere*, de quo Elegia in mortem Druſi diximus. *Idem*.

817. *Lanam mollire.*] Carminare, ἔρια ξαίνειν, à quo ξάνιον, inſtrumentum ad purgandas lanas rudes: hæc Græcis, ἀγρὰ ἔρια.

819. *Radio percurrere.*] Stamini tramam interponere. *Neap.*

820. *Denſat opus.*] *Denſet* vetuſtiores magno numero cum primis editionibus. ſic & in Metamorph. non ſemel. ut l. XIV.

—— *Cantato denſetur carmine cœlum.*

ita codices veterrimi. de quo verbo pluribus ad Claudianum. Sic apud Horatium l. I. Od. XXVII. *Miſta ſenum ac juvenum denſentur funera* libri veteres, quos ego aliique vidimus. Prudentius Cathemerin.

*Denſetur cuneis turba pedeſtribus.*

Idem Hamart.

*Surgit in auxilium Chananeus atque agmina denſet.*

& poſtea,

—— *quamvis denſeta graventur*
*Nubila.*

ita illis locis codex Puteaneus vetuſtiſſimus & literis majoribus Romanis ſcriptus. Silius l. IV.

—— *ſociata examina denſent*
*Infandi Senones.*

& lib. XIV.

*Perculſi cuneo Pœni denſentur in unum.*

ſic optimæ membranæ. & puto alibi quoque apud eundem ſic ſcribi debere. quicquid obſtant libri veteres. Virg. Ciri,

*Quem circa triſtes denſentur in omnia pœna.*

Neque aliter apud alios auctores paſſim in optimis libris legitur. hinc *condenſeri*. utitur utroque verbo paſſim Lucretius. *Heinſ.*

821. *Maculas de veſtibus læſis.*] Infectis: id eſt, colite eam fullones, qui veſtes & pannos omni macula expurgatis. *P.*

822. *Quiſquis ahena paras.*] Infector & affector: de quibus vocibus vide Feſtum. *Ahena* vero *parare*, nihil aliud, quam in iis apta quæque miſcere ad lanas fucandas: unde *Sidonium ahenum*, in quo purpureas tingebant. *Neapol.*

823. *Nec quiſquam invitâ faciet.*] *Faciat* quatuor libri. *Heinſ.* *Nec quiſquam faciet bene vincula.*] Calceos.

825. *Manibus collatus Epeo.*] Hic opifex equi Duratei. *Neap.* *Epeo.*]

—— Ἵππου κόσμον ἄεισον ——
Δουρατέου, τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ

Homer. Odyſſ. Θ. vſ. 493.

826. *Iratâ Pallade mancus erit.*] *Invita* Mazar. Zulich. prim. Ambroſ. Læti. prim. Med. decem alii. quod placeret, niſi jam præceſſiſſet. Notum adagium, quo Cicero non ſemel, Horatius, alii utuntur. *Erit mancus.*] Quaſi manuum ope carens; ſi illa iraſcatur. Ergo id agendum, ut placata ſit.



Digitized by Google

Vos quoque, Phœbea morbos qui pellitis arte,
Munera de veſtris pauca referte Deæ.
Nec vos turba feri cenſu fraudata magiſtri
Spernite. diſcipulos attrahit illa novos.
Quique moves cælum, tabulamque coloribus uris;
Quique facis docta mollia ſaxa manu.
Mille Dea eſt operum: certè Dea carminis illa eſt.
Si mereor, ſtudiis adſit amica meis.
Cælius ex alto qua mons deſcendit in æquum,
Hic ubi non plana eſt, ſed prope plana via eſt;
Parva licet videas captæ delubra Minervæ,

Quæ

827. *Vos quoque Phœbea.* ] Curæ quoque fuit Palladi Medicorum tutela: ea propter & ipſi *Medica* cognomentum. *Neap.*

829. *Nec vos turba.* ] Scholaſticorum ſcilicet. Pro his enim dictum eſt, qui ſub feris magiſtris nihil profecerunt. *Pont.* *Cenſu fraudata magiſtri.* ] Hic mentio fit veteris Minervalis: quo non dato, Rhetoribus & Grammatiſtis fraus & dolus aperte fiebat; illud autem hoc menſe ſolutum, patet ex Macrob. 1. Saturn. *Hoc menſe mercedes*, inquit, *exſolvebant magiſtris, quas completus annus deberi fecit.* Fraudum cauſſam ſi quæris, dabant feriæ per id tempus, cum à parentibus data pro magiſtris ſtipendia ludis & bellariis pueri deſtinabant: metu & pudore poſtea ad ſcholas accedere non audebant. Sic didaſcali ſine mercede, ſine diſcipulis aſſoliti remanere: ideo Noſter ad hos: Vos quoque Minervam non ſpernite; nam attrahet illa novos diſcipulos. Vide Horatii Epiſt. ultim. *Neapol.* *Turba feri ſenſu fraudata magiſtri.* ] Jam in Miſcellaneis Politianus *cenſu* vidit eſſe ſcribendum, atque illum ſecuti Berſmannus & Neapolis. Neque aliter duo Ambroſ. & quinque alii ex noſtris. quatuor *cenſus* cum Mazariniano. Lege *cenſus fraudata.* ut ſit Græciſmus, quales paſſim alibi apud Noſtrum occurrunt. *Cenſum* magiſtrorum minerval vocat; quo alebantur. ſic de piſcatore Met. IV.

*Ars illi ſua cenſus erat: cum traderet artem,*
*Accipe quas habeo, ſtudii ſucceſſor & hæres,*
*Inquit opes.* Heinſ.

831. *Quique moves.* ] Cœlum eſt γλύφανον: quo non unus, ſed plures utuntur. *Tabulamque coloribus.* ] Quique eſtis ἐγκαυσαί. De encauſtice loquitur & Auſon. *Ceris inurens januarum limina.*

832. *Mollia ſaxa manu.* ] Addit & marmorarios: ſed hic Publio non mens, omnes vere opifices numerare; inde ſic claudit hæc diſticha: *Mille Dea eſt operum.* quibus fax à Lactantio Firmiano lib. 1. cap. 18. *Neap.*

835. *Cælius ex alto.* ] In Cœlio monte apud radices templum erat Palladis captæ: quod illi conſecratum eſt ſuo natali, hoc eſt, primo quinquatr. die. Sed cur *capta* dicatur diſputant. Ego dicerem *captam Minervam*, quod illi eo die, eo in loco legitime conſtituto, autoritate ſenatus à pontificibus conſecrato, potiſſimum ſacrificetur. Nam Pompejo Feſto teſte, captum locum dicimus ad ſacrificandum legitime conſtitutum. *Qua mons deſcendit in æquum.* ] *Æqua* pri. Ambroſ. Voſſ. Maz. & tres alii. In eodem Maz. & Oxon. pro diverſa lectione *æquor.* ſic & Zulichemianus. Forſan recte. *æquor* enim dicitur omnis planities ab æqualitate. unde *æquor* pro campo ſæpe

Digitized by Google

Quæ Dea natali cœpit habere ſuo.
Nominis in dubio cauſſa eſt. capite vocamus
Ingenium ſollers: ingenioſa Dea eſt.
An, qua de capitis fertur ſine matre paterni
Vertice cum clypeo proſiluiſſe ſuo?
An, quia perdomitis ad nos captiva Faliſcis
Venit: & hoc ipſum litera priſca docet?
An, quod habet legem, capitis quæ pendere pœnas
Ex illo jubeat furta reperta loco?
A quacunque trahis ratione vocabula, Pallas;
Pro Ducibus noſtris ægida ſemper habe.
Summa dies è quinque tubas luſtrare canoras

Ad-

ſæpe ponitur apud poëtas. ſic & variant codd. Maronis Æn. IX. vſ. 68. *Heinſ.*

837. *Capta delubra Minervæ.*] Alii *caſta*. Sarravii codex & quinque alii *capita*. In vulgatis P. Victorii de regionibus Urbis exemplaribus *capta* etiam dicitur. *Idem.* *Capta delubra Minervæ.*] Hæc numerantur à Topographis inter VIII. ædiculas regionis ſecundæ: ſitus, ut vides, erat ad radices Cœlii. *Neap.*

838. *Quæ.*] Templa. *Cœpit habere ſuo natali.*] Non ab initio, ex quo nata eſt: ſed ea die menſis Martii qua olim nata eſt, hoc eſt, ipſo die quinquatro.

840. *Ingenium ſolers.*] Tullius lib. 2. Epiſt. 2. Philiſto noſtro: *Siculus ille capitalis, creber, acutus, &c.* Sic & apud membranas veteres Pollionis: *capitalis jocus*, pro aſtuto & ingenioſo. *Capitali enim, inquiunt, joco regna promeruit.* De Regilliano agitur. quem locum vide: Vulgò legitur, *militaris.* Neap.

844. *Et hoc ſigno littora prima docet.*] *Et hoc ipſum littera priſca*, bene Urſin Arond. Maz. & ſeptem alii. *Heinſ.*

845. *Capitis quæ pendere pœnas Ex illo jubeat furta recepta loco.*] *Furta reperta* Urſin. Mazar.pri. Ambroſ. Voſſ. Arond. XIII. alii, bene; id eſt, deprehenſa. Plautus Moſtellaria.

*Male facta veſtra repperi radicitus,*

Virgil.

*Annuit, atque dolis riſit Cytherea repertis.*

Amat id verbum Noſter. ſic Triſt. II.

——*Ingenio eſt pœna reperta meo.*

lib. IV. Faſtorum,

*Si non turbaſſent ſigna reperta ſues.*

& initio lib. IV. *Venerem repertam* dixit. ut habent codices vetuſti. initio l. V.

*Tethys & extremo ſæpe reperta loco eſt.*

ita & illic priſcum exemplar. Art. Am. I.

*Flammaque in arguto ſæpe reperta foro eſt.*

ſupra hoc libro,

——*in gelidis herba reperta focis.*

Triſt. IV. Eleg. V.

*Unica fortunis ara reperta meis.* Idem. *Quæ pendere pœnas.*] Conveniunt his verba Feſti: *Capitalis locus, ubi ſi quid violatum eſt, capite violatoris expiatur.* Neap.

849. *Summa dies.*] Et quintus Quinquatruum dies, qui X. Kalendas Aprilis, ſcribitur his notis Kalendario veteri, TUBILUS. N. P. & alter menſe Majo, qui X. Kalendas Junias. Ergo Tubiluſtrium bis anno Romano celebratum: Minervæ ſemel menſe Martio, Vulcano ſemel menſe Majo. Obſerva reconditum morem ex Noſtro, forſan in alio non leges. & ſub finem l. V. & nos ibi. *Neap.*



850. *Forti*

Digitized by Google

Admonet, & forti ſacrificare Deæ.
Nunc potes ad Solem ſublato dicere vultu;
Hic here Phryxeæ vellera preſſit ovis.
Seminibus toſtis ſceleratæ fraude novercæ
Suſtulerat nullas, ut ſolet, herba comas.
Mittitur ad tripodas, certa qui ſorte reportet,
Quam ſterili terræ Delphicus edat opem.
Hic quoque corruptus cum ſemine nuntiat Helles
Et juvenis Phryxi funera ſorte peti.
Utque recuſantem cives, & tempus, & Ino
Compulerunt regem juſſa nefanda pati;
Et ſoror, & Phryxus velati tempora ramis
Stant ſimul ante aras: junctaque fata gemunt.
Adſpicit hos, ut forte pependerat æthere, mater;
Et ferit attonitâ pectora nuda manu:

Inque

850. *Forti ſacrificare Dea.*] *Deo* Urſin Mazar. & à manu primâ Zulich. ut Deum pro dea dixerit Græcorum more. an *fortem Deum* Martem innuit? cui ſacra ſint Tibiluſtria hæc menſis Martii, quemadmodum altera illa menſis Maji Vulcano? *Heinſ.*

851. *Nunc potes ad ſolem.*] Undecimo Calendas April. Sol relictis Piſcibus init Arietem, qui quidem aureum vellus habuiſſe dicitur. Eo Phryxus in Colchos delatus eſt. Vide Hyginum.

852. *Hic here.*] Hoc eſt, XV. Kalendas Sol in Ariete. *Here* eſt χθὲς. *Neap.*

853. *Fraude ſcelerata noverca.*] Dolo Inus uxoris Athamantis, novercæ Phryxi & Helles. *Paul. Seminibus toſtis.*] Vide Hyginum lib. II. Poët. Aſtronomicon.

854. *Ut ſolet.*] Surgere ſcilicet ex ſemine.

855. *Mittitur ad Tripodas.*] Quid *tripus*, notum: hoc idem dixere Antiqui *tripodium*. Gloſſ. MSS. *Tripodia, id eſt, ſcabellum, quod tres pedes habet, vel menſa in ſacris Apollinis, &c.* Quicquid igitur tribus fulcris ſuſtinebatur, ſic dici potuit. *Neapol.*

857. *Hic quoque.*] Qui miſſus ad oraculum fuerat. *Corruptus.*] Ab ipſa noverca.

859. *Uſque recuſantem.*] Utque duo veteres. rectius. deinde *Compulerunt* ſequenti verſu pro *Compulerant* cum Petaviano. unus Puteaneus *Compulerint*. proxime verum. *Heinſ. Cives*] Thebani ſcilicet. propter annonæ caritatem. *Et tempus.*] Ipſa ſterilitas temporis, cum videretur provenire ex aëris intemperie. *Et Ino.*] Noverca.

860. *Regem.*] Athamantem.

861. *Velati tempora vittis.*] *Ramis* Urſin. Nauger. Mazar. Zulich. Arond. pri. Ambroſ. & pri. Farneſ. utrumque bene. ſed ſequor vetuſtiores codices. ſic apud Virgil. l. VII.

*—— induit altos*
*Cum vittâ crines, tum ramum innectit oliva.*

Nihil magis obvium apud poëtas in deſcriptione victimarum aut ſacrificiorum. *Heinſ.*

863. *Mater.*] Nephele mater Phryxi & Helles. *Forte pependeras æthere.*] Qui converſa in nebulam, in aëre pendens νεφέλη nebula eſt.

865. *In-*

Inque draconigenam nimbis comitantibus urbem
Deſilit: & natos eripit inde ſuos.
Utque fugam capiant, aries nitidiſſimus auro
Traditur. ille vehit per freta longa duos.
Dicitur infirmâ cornu tenuiſſe ſiniſtrâ
Fœmina; cum de ſe nomina fecit aquæ.
Pæne ſimul periit, dum vult ſuccurrere lapſæ,
Frater; & extentas porrigit uſque manus.
Flebat, ut amiſſâ gemini conſorte pericli,
Cæruleo junctam neſcius eſſe Deo.
Littoribus tactis aries fit ſidus: at hujus
Pervenit in Colchas aurea lana domos.

TRes ubi Luciferos veniens præmiſerit Eos;
Tempora nocturnis æqua diurna feres.

INde quater paſtor ſaturos ubi clauſerit hœdos,
Ca-

865. *Inque draconigenam.*] *Draconigeram* quidam ex vetuſtioribus. ſed fruſtra. *Heinſ. In urbem draconigenam.*] Thebas in Bœotia, quas Cadmus poſuit, qui in eo loco draconem interemit: ex cujus ſatis dentibus nati ſunt, qui Cadmum in ea urbe condenda juverunt: ideo *draconigenæ* dicti. *Draconigenam urbem.*] —— *in noſtro olim Thebano genere pluſquam mira memorant* —— *Martigenam ille aggreſſus belluam magnus Europæ quæſtor, anguineo* —— *Repente hoſtes peperit ſeminio.* &c. Plaut. in ſuppoſ. Amphitr. *Κάδμος, ὁ διζήμενος εὐρώπην.* Apollon. Argonaut. 3. v. 1177. ubi invenis totam hanc fabulam. —— *Semine Cadmi* —— *Emicuit Dircæa cohors.* Lucan. l. 4. *Seges clypeata virorum.* Metamorph. 3. Ammianus Marcellinus hoc refert ad improviſam multitudinem, ſubito ad arma prorumpentem.

868. *Per freta longa.*] Quibus poſtea nomen fuit Helleſpontus. *Neap.*

870. *Cum fecit nomina aquæ de ſe.*] Pontus Helles, mare illud anguſtum inter Ægeum, & Propontida.

875. *Littoribus tactis.*] *Captis* Voſſ. Arond. Mazar. Zulich. pri. Ambroſ. Læti, & quatuor alii. & mox iidem majori ex parte *ad Colchas domos.* Heinſ.

876. *Pervenit in Colchas domos.*] Ad Æten regem Colchorum.

877. *Tres ubi Luciferos.*] Si numeres à XIV. Kalendas ut fieri debet, erit Ovidio Æquinoctium vernum XI. Kalendas; nec multum ſane diſcrepat ab antiquis. Columellæ eſt die XXIII. & XXV. Plinio hac eadem, & Kalendario vet. in quo: DIES HOR. XII. NOX HOR. XII. ÆQUINOCTIUM VIII. KAL. APR. *Neap.*

878. *Æqua diurna feret.*] *Feres* Mazar. Petav. pri. Ambroſ. Læti, & octo alii. & Urſin. & unus Vatic cum Politiani excerptis *ferens.* ut hæc ad ſequentia referantur. ſed præſtat alterum. ſic infra,
*Templa feres, & me victore vocaberis ultor.* Heinſ.

879. *Inde quater paſtor.*] Poſt quatuor dies completos, id eſt, VI. Kalendas, Janus placandus, & terna hæc tranquilla numina, Pax, Salus & Concordia. Bonum ergo aliquod urbi hoc die acceſſit: ita eſt: ſicque notatur in Kalendario antiquo, HOC DIE CÆSAR ALEXANDRIAM RECEPIT. *Neap.*

 880. *Co-*

Canuerint herbæ rore recente quater;
Janus adorandus, cumque hoc Concordia mitis,
Et Romana Salus, araque Pacis erit.
LUna regit menſes. hujus quoque tempora menſis
Finit Aventino Luna colenda jugo.

880. *Canuerint.* ] Albeſcent. Hac periphraſi à reductione capellarum & rore, veſpertinum & matutinum tempus ſignificat.

882. *Romana Salus.* ] Dictane ſic? non ſuſpicor. Quî ergo? *Publica.* Sed quid diſcriminis inter Publicam & Romanam? ſacrificia tamen Publicæ facta repperi. Vetus fragmentum fratrum Arvalium; SALUTI PUBLICÆ VACCAS II. eidem & ſtatuas erectas. Vide Dionem l. LIV. vocat hic autem *δημοσίαν. Salus.* ] Hæc Salutis ædes à C. Junio Bubulco Cenſore locata in colle Quirinali juxta portam Salutarem: voverat Conſul bello Samnitico, ſed dedicavit Dictator. Livium lib. X. vide. hoc fuit anno CDLII. Ex his elicias, falſo aliquos arbitrari, Salutem ab Auguſto conſecratam. Sane princeps ille ejuſdem augurium tantum abolitum renovavit, ut ſcribit in Auguſto Suetonius *Neap.*

884. *Luna colenda.* ] Templum hoc & *Luna* & *Diana* dictum. Diana enim eadem cum Luna. Vide Tacitum de Servii Tullii Dianio, quod incenſum Neronianis temporibus, l. XV. Annalium. N.

# P. OVIDII NASONIS
# FASTORUM
## LIBER IV.

ALma, fave vati, geminorum mater Amorum
Ad vatem vultus rettulit illa ſuos.
Quid tibi, ait, mecum? certè majora canebas.
Num vetus in molli pectore vulnus habes?
Scis Dea, reſpondi, de vulnere. riſit: & æther
Protinus ex illâ parte ſerenus erat.
Saucius, an ſanus, nunquid tua ſigna reliqui?

Tu

1. *ALma fave, dixi.* ] *Alma, fave vati* quatuor veteres. ut Tò *dixi* ſubintelligatur. quod elegans. *Heinſ.*

5. *Scis, Dea, reſpondi.* ] Venuſtius videtur, ſi legas. *ſcin, Dea?* ut jam monui ad Epiſt. Medeæ. nam in Gotorph. ultima litera τῦ *ſcis* erat eraſa. Voſſ. & Arondel. *Sic.* deinde *æther* pro *aër* meliores. *Idem.*

7. *Saucius aut ſanus nunquam tua ſigna reliqui.* ] *An ſanus* iidem. recte, ut jam monui l. II. vſ. 394. tum *nunquid* meliores quoque pro *nunquam*. Idem.

8. *Tu*

Tu mihi propoſitum, tu mihi ſemper opus.
Quæ decuit, primis ſine crimine luſimus annis:
Nunc teritur noſtris area major equis.
Tempora cum cauſſis Annalibus eruta priſcis,
Lapſaque ſub terras, ortaque ſigna cano.
Venimus ad quartum, quo tu celeberrima, menſem.
Et vatem, & menſem ſcis, Venus, eſſe tuos.
Mota Cytheriacâ leviter mea tempora myrto
Contigit: &, Cœptum perfice, dixit, opus.
Senſimus; & ſubitò cauſſæ patuêre dierum.
Dum licet, & ſpirant flamina; navis eat.
Si qua tamen pars de te Faſtis tangere debet,
Cæſar, in Aprili, quo tenearis, habes.
Hic ad te magnâ deſcendit imagine menſis:
Et fit adoptivâ nobilitate tuus.
Hoc pater Iliades, cum longum ſcriberet annum,
Vidit; & auctores rettulit ipſe ſuos.
Utque fero Marti primam dedit ordine ſortem,
Quod ſibi naſcenti proxima cauſſa fuit;
Sic Venerem gradibus multis in gente repertam

Al-

8. *Tu mihi ſemper opus.* ] Scripti plurimi *onus*. Lege *honos* cum uno Vatic. ex antiquioribus. *Idem.*

15. *Mota Cythereâ.* ] *Cytheriacâ* quatuor veteres cum Zulichemiano. ſic *Cytheriaca aqua* Epiſt. Didûs. *Idem Mea tempora myrto.* ] Arbuſculâ eidem ſacrâ. *Neap.*

19. *Si qua tamen.* ] O Germanice, ſi quid eſt in Faſtis, quod ad te pertineat, præcipuus eſt hic menſis: quoniam Veneri dicatus eſt, à qua quidem progenita eſt Julia domus, in quam tu adoptatus es.

20. *Cæſar in Aprili, quod tuearis, habes.* ] *Quo tenearis* Urſin. Zulich. Nauger. & ſex alii. at Mazar. *quo tenearis habe. quo tuearis* Voſſ. & Arond. Remed. Amor.

*Da vacua menti, quo teneatur, opus.* ſuperiori verſu *pars te de faſtis dicere debet* non *tangere* Mazar. Lege *ducere*, id eſt, oblectare, trahere. *Heinſ.* *Quo tenearis, habes.* ] Ob adoptionem in Juliam familiam. *Neap.*

21. *Deſcendit origine menſis.* ] Plurimi ex melioribus *imagine*. Heinſ.

23. *Pater Iliades.* ] Romulus Iliæ filius, & urbis conditor. *Longum ſcriberet annum.* ] Quia revera non adeo breve ſpatium tempus decimeſtre: non ad diſcrimen anni lunaris, ut volunt magiſtelli. *Neapol.*

24. *Vidit & auctores rettulit ipſe ſuos.* ] *Tuos* Urſin. Petav. & quatuor alii. *Senſit* etiam pri. Ambroſ. & Læti codex. *Heinſ.*

26. *Quod ſibi naſcendi.* ] *Naſcenti* plerique veteres. & ſequenti verſu *in gente repertam* non *receptam* meliores. recte. ut dictum ſupra lib. III. vſ. 845. *Idem.*



29. *Re-*

Alterius voluit menſis habere locum.
Principiumque ſui generis, revolutaque quærens
Sæcula, cognatos venit ad uſque Deos.
Dardanon Electrâ neſciret Atlantide cretum
Scilicet; Electran concubuiſſe Jovi?
Hujus Erichthonius: Tros eſt generatus ab illo:
Aſſaracon creat hic: Aſſaracuſque Capyn.
Proximus Anchiſen: cum quo commune parentis
Non dedignata eſt nomen habere Venus.
Hinc ſatus Æneas, pietas ſpectata per ignes,
Sacra, patremque humeris altera ſacra tulit.
Venimus ad felix aliquando nomen Iüli:
Unde domus Teucros Julia tangit avos.
Poſthumus huic: qui, quod ſilvis fuit ortus in altis,
Sil-

29. *Revolutaque quærens ſæcula.*] *Revoluta requirens* Erfurtanus. ut ſit appoſitio. *Idem.*

30. *Venit uſque ad cognatos deos.*] Id eſt, uſque ad Jovem & Venerem.

31. *Dardanon Electra.*] Sumit ſanguinis initium à Dardano, ſecundo Ilii Rege; cujus filius Erichthonius, hujus Tros eſt Aſtioche, hujus Aſſaracus, hujus Capys, hujus Anchiſes: primi tres regnum tenuere; hos ſecuti Ilus, Aſſaraci frater, Laomedon, Priamus. *Neap.*
*Quis neſcit Atlantide natum.*] Veteres codices *neſciret*. probe. ut per interrogationem hæc dicantur. quatuor etiam libri *cretum* pro *natum*. Heinſ.

33. *Erichthonius.*] Fuit filius ex Bathea filia Teucri, quem fortunatiſſimum Homer. vocat. *Tros eſt generatus ab Ilo.*] Ex Erichthonio & Callirhoë natus eſt Tros.

34. *Aſſaracum creat hic.*] *Aſſaracon* Petav. & unus Vatican. & tum lego *Aſſaracoſque Capyn.* ſic & *Electran* ſuperiori verſu alter Petavii. Græcorum more. ut in Triſt. libro II.

*Qui legis Electran & egentem mentis Oreſten.* Heinſ.

35. *Proximus Anchiſes.*] *Anchiſen* Maz. & Voſſ. nempe creat. *Proximus*, Capys. *Idem.*

37. *Hinc ſatus Æneas.*] *Hoc ſatus* bene unus Vatican. niſi *huic* malis. ut paulo poſt *Poſthumus huic.* ita enim meliores libri, non *hinc.* ſic ſupra, *Hujus Erichthonius.* Idem.

| *Ovidius:* | *Livius:* | *Euſebius.* |
|---|---|---|
| Æneas | Æneas | Æneas |
| Aſcanius | Aſcanius | Aſcanius |
| Silvius | Silvius | Silvius |
| | Æneas | Æneas |
| Latinus | Latinus | Latinus |
| Alba | Alba | Alba |
| Epytus | Atis | Silvius Athis |
| Capys | Capys | *ſive* Ægytus |
| Capetus | Capetus | Capys |
| Tiberinus | Tyberinus | Calpetus |
| Remulus | Agrippa | Tiberinus |
| Agrippa | Romulus | Agrippa |
| Aventinus | Aventinus | Remulus |
| Proce | Proca | Aventinus |
| Numitor | Amulius | Procas |
| | | Amulius *N.* |

41. *Qui quod ſylvis fuit ortus in altis.*] Ita meliores. cum ante legeretur *ſylvis eſt natus.* quatuor alii, *fuit altus in altis.* Unus Med. *fuit actus.* pri. Ambr. *fuit artus.* alter Put. *ſylvis nutritus.* Heinſ.

43. *Iſque*

Silvius in Latiâ gente vocatus erat.
Iſque, Latine, tibi pater eſt: ſubit Alba Latinum:
Proximus eſt titulis Epitos, Alba, tuis.
Ille dedit Capyi recidiva vocabula Trojæ;
Et tuus eſt idem, Calpete, factus avus.
Cumque patris regnum poſt hunc Tiberinus haberet;
Dicitur in Thuſcæ gurgite merſus aquæ.
Jam tamen Agrippan genitum, Remulumque nepotem
Vide-

43. *Iſque Latine tibi.*] Ex hoc loco detracti ſunt duo verſus. Poëta enim primo loco meminit Sylvii Poſthumi, deinde Latini. Verum medius horum fuit Æneas Sylvius, Sylvii primi filius, & hujus Latini pater. Virgilius quoque utriusque meminit, & Sylvii Poſthumi, & Æneæ Sylvii. Manſit poſtea *Sylvius* omnibus cognomen, qui Albæ regnarunt. *Alba.*] Sylvius Alba Latino patri ſucceſſit, regnavitque uno & quadraginta annis.

44. *Epitus.*] *Epitor* Urſin. Patav. *Epicos*. Lege *Epitos*. & ſic Met. XIV. quidam codices. *Heinſ.*

45. *Ille dedit capta repetita vocabula Troja.*] *Capyi* emendat magnus Scaliger notis ad Euſebium, & Canonum Iſagogicorum lib. III. Paulus Merula ad Annales Ennii, *Capyis*. Politianus in ora codicis ſui *Capyis* incertum an ex veteri libro. *Capetum* unus Vaticanus. alius *patria*. alter Petav. *cœpta*. *Ille dedit Capis repetita* Servius ad lib. VII. Æn. citat. & certum eſt *Capyos* nomen hic latere. pro *repetita* Mazar. & tres alii *recidiva*. nec dubito in pri. Ambroſiano ita fuiſſe. erat enim eraſa vetus ſcriptura. In Voſſiano quoque & primo Farneſiano aliiſque duobus ſic pro diverſa lectione erat exaratum. de qua voce multis ad Claudianum Idyllio Phœnicis egi. Totum igitur verſum lego hoc modo, *Edidit ille Capyn, recidiva vocabula Troja*, vel *Ille Capyn genuit.* lib. X. Met. ex veſtigiis veterum codicum,

*—— recidivaque mortis imago*
*Annua plangoris peraget ſimulamina noſtri.* Idem.

*Ille dedit capta.*] Non ſemel monet me Joſephus Scaliger, ut legam, *Ille dedit Capys*, & in Animadverſionibus ad Euſebium, & in Canonum Iſagogicorum lib. 3. Facio lubens: nam in hoc Albano Capye vult Ovidius repetitum eſſe nomen illius veteris Dardanidæ. *Neapol.*

47. *Cumque patris regnum poſt hunc Tyberinus haberet.*] Non reſpondet Ovidiano nitori hic verſus. Veteres plerique, *Accipiens regnum poſt hunc Tyberinus ab illo*, nihilo melius, niſi forte legas *Tyberinus avitum*. ſed Met. XIV. *regnum Tiberinus ab illis Cepit*. Heinſ.

49. *Jam tamen Agrippam natum Remulumque nepotem.*] *Agrippam genitum* Zulich. pri. Ambroſ. & Læti. pro *nepotem* veteres multi *nepotes*. quod eſt contra fidem Hiſtoriæ. Forte ſcribendum, *Remulumque ferocem*. Nam lib. Met. XIV. utrumque filium facit Tiberini. atque illic etiam *ferocis* utitur vocabulo,

*—— de quo* (Tiberino) *Remulusque feroxque*
*Acrota ſunt geniti. Remulus maturior annis*
*Fulmineo periit imitator fulminis ictu.*

vides hominem ſtolide ferocem & alterum Salmonea deſcribi. mox addit,

*Fratre ſuo ſceptrum moderatior Acrota forti*
*Tradit Aventino.*

quid ni ergo *ferox Remulus*, quo *moderatior* ſit *Acrota* ſeu Agrippa, quem ferocem & ipſum jam appellarit? *Idem.*

Viderat: in Remulum fulmina miſſa ferunt.
Venit Aventinus poſt hos: locus unde vocatus;
Mons quoque. poſt illum tradita regna Procæ.
Quem ſequitur diri Numitor germanus Amûli.
Ilia cum Lauſo de Numitore ſati.
Enſe cadit patruo Lauſus: placet Ilia Marti;
Teque parit, gemino juncte Quirine Remo.
Ille ſuos ſemper Venerem Martemque parentes
Dixit: & emeruit vocis habere fidem.
Neve ſecuturi poſſent neſcire nepotes;
Tempora Dis generis continuata dedit.
Sed Veneris menſem Grajo ſermone notatum
Auguror: à ſpumis eſt Dea dicta maris.
Nec tibi ſit mirum Grajo rem nomine dici:
Itala nam tellus Græcia major erat.

Vene-

52. *Regna ſunt tradita Procæ.* ] Proca deinde poſt Aventinum annos tres & viginti regnavit.

53. *Sequitur Numitor germanus diri.* ] Livius inquit: Proca deinde regnat. Is Numitorem atque Amulium procreat. Numitori, qui ſtirpis maximus erat, regnum vetuſtum Sylviæ gentis legat. *Germanus Amuli diri.* ] Et ob id dirum imperium & crudele vocat, quia fratrem regno ejecit.

54. *De Numitore.* ] Numitor duos filios habuit: Lauſum, quem Dionyſius *Ægeſtum* vocat: & Iliam, quæ & Rhea. P. *Cum Lauſo.* ] Halicarnaſſenſis, τὸν ὑιὸν τοῦ Νομίτωρος Αἴγεστον, appellat; Plutarchus in Parallelis, Αἴνιτον.

55. *Enſe cadit patrui Lauſus.* ] Petav. *patrio.* Lege *patruo.* quomodo codex Junianus. vide omnino quæ notamus ad Amor. lib. III. Eleg. VI. vſ. 49. ſic Homerus κασίγνητον φόνον pro fraternâ cæde. & ſimilia paſſim apud Græcos, ac Latinos. paulo ante pro *duri Amuli*, quinque veteres *diri* rectius ſupra. l. II.

*Hoc ubi cognovit contemtor Amulius æqui,*
*Nam raptas fratri victor habebat opes.* Heinſ.

*Ilia.* ] Quæ Rhea Sylvia dicta eſt.

60. *Dedit diis generis.* ] Veneri & Marti, unde genus duceret. *Tempora continuata.* ] Continuatos menſes, Martium & Aprilem.

61. *Grajo ſermone.* ] Macrobius primo Saturnalium: *Secundum menſem nominavit Aprilem, quaſi Aphrilem, à ſpumâ, quam Græci ἀφρὸν vocant, unde orta Venus creditur: & hanc Romuli fuiſſe aſſerunt rationem, ut primum quidem menſem à patre ſuo Marte, ſecundum ab Ænea matre Venere nominaret: & his potiſſimum anni principia ſervaret, à quibus eſſet Romani nominis origo.* Neap.

63. *Grajo rem nomine dici.* ] *Græco* Mazar. duo alii, *Grajo.* rectius. Puto tamen ſcribendum *patrio nomine.* ſic Seneca in Epigrammatis,

*Corſica Phocaïco tellus habitata colono,*
*Corſica quæ patrio nomine Cyrnus erat.*

ita vetuſtiſſimus codex, non *Grajo nomine.* Heinſ.

64. *Nam tellus Itala fuit magna Græcia.* ]

Venerat Evander plenâ cum claſſe ſuorum:
Venerat Alcides, Grajus uterque genus.
Hoſpes Aventinis armentum pavit in herbis
Claviger: & tanto eſt Albula pota Deo.
Dux quoque Neritus. teſtes Læſtrygones exſtant:
Et quod adhuc Circes nomina littus habet.
Et jam Telegoni, jam mœnia Tiburis udi
Stabant: Argolicæ quod poſuêre manus.
Venerat Atrides fatis agitatus Haleſus;
A quo ſe dictam terra Faliſca putat.
Adjice Trojanæ ſuaſorem Antenora pacis,
Et generum Oeniden, Appule Daune, tuum

Serus

*cia.*] Non omnis tamen Italia, ſed pars Italiæ magna Græcia vocata eſt. *Paul.* *Græcia major erat.*] Legas omnino Iſaaci Caſauboni Caſtigationes in lib. 6. Strabonis ſub initium, & Philippi Cluverii cap. 16. lib. 4. Italiæ antiquæ.

65. *Venerat Evander.*] De Evandri & Herculis adventu in Italiam non iterabo hic, quæ notavimus in primo. *Neap.*

68. *Albula.*] Tybris. Quia longe ante Albam conditam venit in Latium Hercules: & tum dicebatur fluvius Albula.

69. *Dux quoque Naritius.*] *Neritius* meliores. & recte. vide quæ noto Remed. Amor. vſ. 264. *Heinſ.* *Dux Neritius.*] Ulyſſes à Nerito. *Neritos* appellata eſt Leucate, quæ Laërtis fuit, patris Ulyſſis. *Laſtrygones extant teſtes.*] Teſtantur Ulyſſem veniſſe in Italiam, Læſtrygones fuere apud Cajetam. Hi & anthropophagi vocati, qui è ſociis Ulyſſis duos devorarunt. *Paul.* *Teſtes Læſtrygones exſtant.*] Ipſe Ulyſſes apud Homerum in Odyſſeâ x. vſ. 80. & ibid. vſ. 133. *Neap.*

70. *Circes nomina littus habet.*]
*Proxima Circææ raduntur littora terræ.*
Virgil. 7.

71. *Adi.*] Propter Anienem fluv. qui inde fluit. *P.* *Et jam Telegoni.*] Tuſculum ab hoc conditum, non opus ut probem. Hujus oppidi vix exſtant hodie pauca rudera prope Fraſcatium.

72. *Argolicæ quæ poſuere manus.*] *Quod poſuere* Mazar. Zulich. pri. Ambroſ. Petav. & decem alii. recte. & de ſolo Tibure intellige. Horat. od. VI. lib. II. *Tibur Argeo poſitum colono.* hinc & *Herculeum Tibur* dictum. Catillus quoque Coras & Tiburtius Tiburis conditores *Argiva juventus* Virgilio appellantur. Sequenti etiam verſu *Atrides Haleſus* legendum non *Atrida*, cum Urſini libro & Naugerii aliiſque multis. *Heinſ.* *Argolicæ quæ poſuêre manus.*] Strabo l. 5. de Tybure & Præneſte: Φασὶ δ' Ἑλληνίδας ἀμφοτέρας. *N*

73. *Venerat Haleſus, &c.*] Alii dicunt Haleſum fuiſſe Agamemnonis filium: quibus magis aſſen[illegible]endum puto.

74. *Terra Faliſca putat.*] Veriſſimum, mutato N. in F. cum Servio loquor. Urbi autem Falerii & Faliſca fuit nomen.

75. *Suaſorem Antenora pacis.*] A quo Patavio ſua origo. Cato in Originibus de Venetis: *Mixta bis nobilis ſtirps Trojana; à quibus Patavium ſuo conditore inclytum.* Quid hæc Trojana ſtirps niſi Antenor? Quare Poëta *ſuaſorem pacis* dixerit, lege, ſi lubet, Dictyn Cretenſem lib. V. & in Homero Iliade ν. vſ. 348. *Neap.*

76. *Appule Daune.*] Daunus filiam conjugem Diomedi dedit, qui urbem con-

Serus ab Iliacis, & poſt Antenora, flammis
Attulit Æneas in loca noſtra Deos.
Hujus erat Solymus Phrygiâ comes exul ab Ida:
A quo Sulmonis mœnia nomen habent.
Sulmonis gelidi patriæ, Germanice, noſtræ.
Me miſerum, Scythico quam procul illa ſolo eſt!
Ergo ego? tam longas ſed ſupprime, Muſa, querelas:
Non tibi ſunt mœſta ſacra canenda lyra.
Quo non Livor abit? ſunt qui tibi menſis honorem
Eripuiſſe velint, invideantque, Venus.
Nam, quia Ver aperit tunc omnia, denſaque cedit

Fri-

condidit, quæ appellata eſt *Harpos*, & Apuliam à ſoceri nomine *Dauniam* appellavit. *Paul.* *Et generum Oeniden.*] Teſtantur hujus adventum Diomedeæ inſulæ contra litus Apulum. Feſtus: *Diomedis campi in Apuliâ appellantur, qui ei in diviſione Regni, quam cum Dauno facit, ceſſerunt* quæ non præteriit Strabo lib. VI. in Italiæ deſcriptione. In eâ regione percuſſit Diomedes Colchicum draconem, qui per id tempus totam devaſtabat: quamobrem publicæ ſtatuæ Heroi erectæ.

77. *Serus ab Iliacis.*] Adſignificat, diu poſt hos Æneam in Italiam veniſſe: quo igitur anno? clare ingerit, poſt Trojæ excidium. Ipſa condita anno orbis MMDXXIV. ſtetit CCXCIX. id mihi ſatis bonæ fidei auctores probant: neceſſario capta anno MMDCCCXXIII. & bene. Sic Joſ. Scaliger ad Euſebii annum MCCXLI. Captâ Trojâ Trojani Æneâ duce in Thraciam venere, ubi totâ brumâ hiemarunt: ineunte vere in Siciliam tranſlati; morati ſunt ibi ad finem anni incœpti. Anno ſecundo in Italiam iêre: in qua, icto fœdere cum Latino Rege, acceptâque agri parte, Lavinium condiderunt. Adventus igitur Æneæ fuit anno ab orbe condito MMDCCCXXV. *Neap.*

79. *Hujus erat Solymus Phrygiâ comes unus ab Idâ.*] *Cujus* Mazar. & Voſſ. deinde *comes exul* bene Oxonienſis liber. In Zulichemiano eraſa hæc erant. In Hamburgenſi Τὸ *unus* erat omiſſum. ſic lib. IV.

*Nupeṙ ab Etruſca venerat exul humo.*
pro *Solymus* plurimi veteres *Solemus*. in veterrimo codice Silii Italici *Solimus* dicitur paſſim. *Heinſ.* *Hujus erat Solymus, &c.*] Venit etiam cum Ænea Solymus, qui in Pelignis Sulmonem Ovidii patriam condidit. *Comes unus ab Ida Phrygia.*] Unus ex illis qui Æneam comitati ſunt ab Ida monte Phrygiæ.

80. *Mœnia Sulmonis.*] Nam ipſe eam urbem *Solymon* à nomine ſuo dixit. Deinde *Sulmo* dicta eſt. *Paul.* *A quo Sulmonis.*] Vix in hoc veri umbra: nam Virgilius Æneæ comites in uno ſiſtit Latio. *Neap.*

82. *Quam procul eſt illa à Scythico ſolo*] Quæ quidem verba indicant, Ovidium in Scythia ſcripſiſſe hæc. Inchoavit tamen Romæ, ſed in Ponto perfecit.

83. *Euge age tam longas ſed ſupprime.*] *Ergo age* veteres. & Urſin. cum quatuor aliis, *longas & ſupprime.* Primus vero Ambroſ. *Ergo ego? tam longas ſed.* cum Gloſſa, *ibo. ſubaudi in exilio.* Zulich & Mazar. *Ergo ego tam longe?* eleganter. vide Notas ad Epiſt. XII. vſ. 207. *Heinſ.*

85. *Quo non Livor adit?*] *Abit* Maz. Zulich. pr. Ambr. & quinque alii. *Idem.*

86. *Invideantque.*] Cyngius & Varro,

88. *Fata-*

Frigoris aſperitas, fœtaque terra parit;
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum:
Quem Venus injecta vindicat alma manu.
Illa quidem totum digniſſima temperat orbem:
Illa tenet nullo regna minora Deo:
Juraque dat cælo, terræ, natalibus undis;
Perque ſuos initus continet omne genus.
Illa Deos omnes (longum enumerare) creavit:
Illa ſatis cauſſas arboribuſque dedit:
Illa rudes animos hominum contraxit in unum;
Et docuit jungi cum pare quemque ſua.
Quid genus omne creat volucrum, niſi blanda voluptas?
Nec coëant pecudes, ſi levis abſit amor.
Cum mare trux aries cornu decertat: at idem
Frontem dilectæ lædere parcit ovis.
Depoſita taurus ſequitur feritate juvencam,
Quem toti ſaltus, quem nemus omne, tremunt.
Vis eadem, lato quodcunque ſub æquore vivit,
Servat; & innumeris piſcibus implet aquas.
Prima feros habitus homini detraxit: ab illa
Venerunt cultus mundaque cura ſui.

Pri-

88. *Fœtaque terra patet.* ] *Parit* tres veteres. vide Notas Met. xv. vſ. 92. *Heinſ.*

89. *Ab aperto tempore dictum.* ] Macrobius primo Saturnalium: *Sed Cincius in eo libro, quem de Faſtis reliquit, ait imperite quoſdam opinari, Aprilem menſem antiquos à Venere dixiſſe, &c.* Neap.

91. *Digniſſima temperat annum.* ] *Orbem* Mazar. Zulich. Petav. Urſin. Voſſ. Arond. aliique plurimi cum prim. Ambroſ. *Heinſ.*

93. *Juraque dat cælo, terra, & natalibus undis.* ] Ex Lucret. lib. I.

*Alma Venus, cæli ſubterlabentia ſigna*
*Quæ mare navigerum, quæ terras frugeferantis*
*Concelebras. &c.*

95. *Longum eſt numerare.* ] *Longum enumerare* rectius unus Vatican. ut jam monui ſupra lib. III. vſ. 719. Urſin. & ſex alii *longum eſt narrare.* quatuor *memorare.* Heinſ.

101. *Et idem.* ] Lege *at idem* cum melioribus. unus etiam Vaticanus *Cum mare mas aries* pro *trux aries.* Idem.

104. *Nemus omne tremit.* ] Vel *tremunt* Voſſianus. quod amplector. *Idem.*

108. *Venerunt cultus multaque cura ſolo.* ] *Mundaque cura ſolo* Urſin. Petav. Arondel. Nauger. & plurimi præterea. alii octo cum Maz. Zulich. prim. Ambr. & Læti codice *mundaque cura ſui.* optime. nam de ſolo nugæ ſunt. ſic ſupra lib. III.

*Pauper ſed munda ſedulitatis anus.*

ita

Digitized by Google

Primus amans carmen vigilatum nocte negatâ
  Dicitur ad clauſas concinuiſſe fores.
Eloquiumque fuit duram exorare puellam:
  Proque ſuâ cauſſa quiſque diſertus erat.
Mille per hanc artes motæ: ſtudioque placendi,
  Quæ latuêre prius, multa reperta ferunt.
Hanc quiſquam titulo menſis ſpoliare ſecundi
  Audeat? à nobis ſit procul iſte furor.
Quid, quod ubique potens, templiſque frequentibus aucta,
  Urbe tamen noſtrâ jus Dea majus habet?
Pro Trojâ, Romane, tuâ Venus arma ferebat;
  Cum gemuit teneram cuſpide læſa manum,
Cæleſteſque duas Trojano judice vicit.
  Ah nolim victas hoc meminiſſe Deas!
Aſſaracique nurus dicta eſt: ut ſcilicet olim
  Magnus Iüleos Cæſar haberet avos.
Nec Veneri tempus, quam ver, erat aptius ullum.
  Vere nitent terræ: vere remiſſus ager.
Nunc herbæ ruptâ tellure cacumina tollunt;
  Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.
Et formoſa Venus formoſo tempore digna eſt:
  Utque ſolet, Marti continuata ſuo.
Vere movet curvas materna per æquora puppes

Ire:

ita veteres libri. Art. Am. *munda verba.* vide quæ noto Amorum l. 1. Eleg. VIII. vſ. 39. *Idem.*

111. *Duram exorare puellam.* ] *Eloquiumque fuit dulce* Mazarin. *Idem.*

113. *Mille per hanc artes mota.* ] Mazar. Zulich. Urſin. & duo alii *mota.* bene. ſic ſupra lib. 1. vſ. 268.

*Ipſe mea movi callidus artis opus.*

Remed. Amor.

*Quin etiam quacumque cares tua fœmina dote,*
*Hanc moveat blandis uſque precare ſonis.*

*artes inita* prim. Ambroſ. etiam bene. *Idem.*

120. *Venus laſa manum.* ] Redibis ad Tom. 1. p. 681. vſ. 5.

121. *Duas caleſtes.* ] Pallada & Junonem. *Trojano judice.* ] Paride. *Neap.*

122. *Ah nolim victas hoc meminiſſe deas.* ] *Dictas hoc meruiſſe* Mazar. Zulich. & prim. Ambroſ. pro *Ah* tres *Has* unus *Hanc.* Forte *Quam nolim!* ut Met. IX. *Quam nolim rata ſint!* Heinſ.

125. *Vere nitent terra.* ]

*Emicuere roſa, violaque, & molle Cyperon,*
*Albaque de viridi riſerunt lilia prato, &c.*

Petron. Et infra, vſ. 430.

*Pictaque diſſimili flore nitebat humus.*

132. Hy-

Digitized by Google

Ire: nec hibernas jam timuiſſe minas.
Rite Deam Latiæ colitis matreſque nuruſque;
Et vos, quîs vittæ longaque veſtis abeſt.
Aurea marmoreo redimicula ſolvite collo:
Demite divitias: tota lavanda Dea eſt.
Aurea ſiccato redimicula reddite collo:
Nunc alii flores, nunc nova danda roſa eſt.
Vos quoque ſub viridi Myrto jubet illa lavari:
Cauſſaque, cur jubeat, (diſcite) certa ſubeſt.
Littore ſiccabat rorantes nuda capillos.
Viderunt Satyri turba proterva Deam.
Senſit, & appoſitâ texit ſua corpora myrto.
Tuta fuit facto: voſque referre jubet.
Diſcite nunc, quare Fortunæ thura Virili

Detis

132. *Hybernas jam timuiſſe minas.*] *Meminiſſe* codex Urſini, prim. Ambroſ. & duo Patavini optimæ notæ. *Heinſ.*

134. *Vitta longaque veſtis abeſt.*] Quæ vittatæ non eſtis, ut ſunt Veſtales virgines, & pudicæ matronæ. *Paul. Longaque veſtis adeſt.*] Anceps. an è veteribus legam, *abeſt*: nam hæc editio impudiculas tangit, illa matronas. *Neap.*

135. *Aurea redimicula.*] Aurea ornamenta. Verum *redimicula* tæniæ ſunt, ſive vittæ pendentes à poſteriore parte mitræ. *Paul. Redimicula demite collo.*] Jubet amoveri monilia, & cætera ornamenta à Veneris ſimulacro: ut eo deterſo, in ejus Feſto exactius & ſuis redimiculis & roſis atque aliis floribus exornetur. *Ant. Redimicula demite collo.*] *Solvite* libri meliores, quos ſequor. *Heinſ.*

136. *Demite divitias: tota lavanda dea eſt.*] Hunc verſum & ſequentem addidi ex Urſini, utroque Mazar. Zulich. Arondel. & multis aliis. quorum tamen pleriqae *juvanda Dea eſt*, vel *videnda*. Idem. *Tota lavanda Dea eſt.*] Huc pertinent fictores, unctores, veſtitores Deorum; quorum meminit Senecæ quoddam fragmentum, Firmicus, &c.

138. *Nunc alii Flores.*] His ipſis Kalendis Aprilis: idque factum in templo Veneris Verticordiæ, de quâ ſermo paulo poſt. Eo etiam die erat lavatio matronarum prope templum Fortunæ virilis. *Neap.*

139. *Vos quoque ſub viridi.*] Calendas Aprilis nuptæ Veneri ſacrificant, & apud templum Fortunæ virilis, quod erat in ripa Tiberina, myrto coronatæ lavantur. Eam rationem huic rei affert poëta, ut ſi quid vitii notaretur in corpore, præſtaret Fortuna virilis, ut viros latêret. Sed cur ſub myrto? quoniam ſub ea latuit arbore, cum caveret ſibi à ſatyris: & quod ea arbor ſub tutela Veneris eſſe putetur.

141. *Sudantes rore capillos.*] *Rorantes nuda* meliores omnes. recte. ſic Met. v.

*Rorante ſque comas à fronte removit ad aures.* Heinſ.

143. *Oppoſita texit ſua tempora myrto.*] Lege *appoſita myrto* ut pri. Ambroſ. Læti, & novem alii. ac vide notas Ep. VII. vſ. 110. Deinde reponendum *corpora* cum melioribus omnibus. *Heinſ.*

144. *Tuta fuit facto.*] Eo modo ſe ipſam tutata eſt à ſatyris. *Voſque referre jubet.*] Puto *libet*, vel *juvat*. *referre* pro imitari. *Heinſ.*

145. *Fortuna thura virili.*] Sita hujus

ædes

Digitized by Google

Detis eo, calidâ qui locus humet aquâ.
Accipit ille locus poſito velamine cunctas;
Et vitium nudi corporis omne videt.
Ut tegat hoc, celetque viros, Fortuna Virilis
Præſtat: & hoc parvo thure rogata facit.
Nec pigeat niveo tritum cum lacte papaver
Sumere, & expreſſis mella liquata favis.
Cum primum cupido Venus eſt deducta marito;
Hoc bibit. ex illo tempore nupta fuit.
Supplicibus verbis illam placate: ſub illa
Et forma, & mores, & bona fama manent.
Roma pudicitia proavorum tempore lapſa eſt:
Cumæam, veteres, conſuluiſtis anum.
Templa jubet Veneri fieri: quibus ordine factis,
Inde Venus verſo nomina corde tenet.
Semper ad Æneadas placido, pulcerrima, vultu
Reſpi-

ædes ad Tiberim: in hac erat ſtatua illa lignea Servii Tullii. De auctore, ne iterem ſcriptionem, dicam in VI. quarto Idus Junias, ubi locus ad hæc aptior. *Neap.*

146. *Gelida qui locus humet aqua.*] *Calida* Urſin. Mazar. prim. Farneſ. & duodecim alii. quod ſequor. etſi non ſatis conſtat, ubi hoc factum ſit. vide Notas lib. I. vſ. 271. *Heinſ.*

148. *Corporis omne videt.*] *Patet* Voſſ. Arondel. plurimique alii. quod ſi ſequamur, ſuperiori verſu pro *Accipit* cum nonnullis legam *Aſpicit*. ne bis idem dicat. *Idem.*

149. *Ut tegat hoc celetque viros.*] *Viris* Urſini codex & quatuor alii melioris notæ. ſic & Terentius Phormione,

—— *ſi hoc celetur patri, in metu ſum.*

Idem.

151. *Sumere papaver tritum.*] Libare contuſum papaver, aut papaveris ſuccum lacte & melle mixtum, quod & dulce eſt guſtu, & dulcem ſomnum provocat. hæc à multis die nuptiali dabantur, in omen futurum, & diuturnæ voluptatis cum nupta. *Paul.*

152. *Mella liquata favis.*] Forſan his exprimit cocetum antiquorum, de quo Plinius lib. XIX. cap. VIII. *Neap.*

156. *Bona fama manet.*] *Manent* Voſſ. bene. *Heinſ.*

158. *Cumæam conſuluiſtis anum.*] Aditi ſunt libri Sibyllini. Convenit in hoc Plutarchus ibidem, & Valerius Maximus lib. VIII. cap. XV. ubi habes, quæ fuerit electa ad ſacrandum numinis ſimulacrum: & adi Plinium lib. VIII. cap. XXXV. *Neap.*

159. *Templa jubet Veneri fieri.*] Poſita ædes in viâ Salariâ extra portam Collinam regione V. Panvinius, & alii in ſummariâ Urbis deſcriptione.

160. *Inde Venus verſo nomina corde tenet.*] *Numine corda* veteres plerique, vel *nomine corda*. Sed ſcripturæ vulgatæ controverſiam movere noli. Pauſanias in Atticis Ἀφροδίτην ἐπιστροφίαν deſcribit. *Heinſ.* *Verſo nomina corde tenet.*] Dicta Verticordia: hæc Græcis eſt ἀφροδίτης ἀποστροφία. *Neap.*

164. Scor-

Reſpice: totque tuas, Diva, tuêre nurus.
Dum loquor, elatæ metuendus acumine caudæ
 Scorpios in virides præcipitatur aquas.
NOx ubi tranſierit, cœlumque rubeſcere primò
 Cœperit, & tactæ rore querentur aves;
Semuſtamque facem vigilatâ nocte viator
 Ponet, & ad ſolitum ruſticus ibit opus;
Pliades incipiunt humeros relevare paternos:
 Quæ ſeptem dici, ſex tamen eſſe ſolent.
Seu quod in amplexum ſex hinc venêre Deorum:
 Nam Steropen Marti concubuiſſe ferunt:
Neptuno Halcyonen, & te, formoſa Celæno:
 Majan, & Electran, Taygetenque Jovi:
Septima mortali Merope tibi, Siſyphe, nupſit.
 Pœnitet; & facti ſola pudore latet.
Sive quod Electra Trojæ ſpectare ruinas
 Non tulit: ante oculos oppoſuitque manum.
TEr ſine perpetuo cœlum verſetur in axe;
 Ter jungat Titan, terque reſolvat equos;

Pro-

164. *Scorpius.* ] *Scorpia* Petav. lege *Scorpios.* de quo ſupra lib. III. vſ. 712. *Heinſ. Scorpius in virides* ] Kalendis Aprilis Scorpii occaſus matutinus: idem ſentit Columella.

165. *Nox ubi tranſierit.* ] IV. Nonas Pleiadum occaſus heliacus. Nec aliud quod ſequitur, *humeros relevare paternos*, quam, cœlo decedere. Vide Petavium, in ſuo Vranologio variarum diſſertationum lib. VII. cap. VI. *Neapol. Nox ubi tranſierit.* ] Secunda die Aprilis, erit ortus Pleiadum; quæ quia in Vere oriuntur, Vergiliæ dictæ ſunt.

167. *Semuſtamque facem.* ] Hanc faciebant ruſtici è pluribus virgulis: quarum faſciculus hodie etiam laternæ pauperum. De laternarum uſu antiquiſſimo vide Athen. lib. XV. cap. XVIII. *Neap.*

169. *Incipient relevare humeros paternos.* ] Humeros patris Atlantis, qui cœlum ſuſtinere dicitur. *Paul.*

171. *Seu quod in amplexu.* ] *Amplexum* meliores, & *incipiunt* paulo ante. *Heinſ.*

174. *Majan & Electram Taygetamque* ] Scripti meliores *Electran*, ut ſupra diximus. iidem *Taygetenque*. Idem. *Majam.* ] Ex qua Mercurius. *Et Electram.* ] Ex qua Dardanus. *Et Taygetem.* ] Ex qua Lacedæmon, & mons Taygetus ab ea denominatur in Laconia.

176. *Et facti ſola pudore latet.* ] Hyginus lib. II. Poët. Aſt. *Ha numero ſeptem dicuntur, &c.* Neap.

178. *Ante oculos oppoſuitque manum.* ] *Appoſuitque* tres calamo exarati. *Heinſ. Et oppoſuit manum oculis.* ] Ne videret everſionem Trojanæ gentis: idcirco latet ea ſtella.

179. *Ter ſine perpetuo.* ] Pridie Nonas Apriles erant Megaleſia feſta magnæ matris Idææ. Livius lib. XXIX. *Neap.*

Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
  Flabit, & Idææ feſta Parentis erunt.
Ibunt ſemimares, & inania tympana tundent;
  Æraque tinnitus ære repulſa dabunt.
Ipſa ſedens molli comitum cervice feretur
  Urbis per medias exululata vias.
Scena ſonat, Ludique vocant. ſpectate, Quirites;
  Et Fora Marte ſuo litigioſa vacent.
Quærere multa libet: ſed me ſonus æris acuti
  Terret, & horrendo lotos adunca ſono.
Da, Dea, quas ſciter, doctas, Cybeleia, nepotes.
  Audit; & has curæ juſſit adeſſe meæ.

Pan-

181. *Inflexo cornu.* ] De hoc ipſo Athenæus lib. XV. Τὸ *κέρας αὐτῷ προσάπτουσιν ἀνάλογον τῷ τῶν σαλπίγγων κώδωνι.* N. *Tibia Berecynthia.* ] Phrygia, à Berecyntho monte Phrygiæ: tum quod hæc ſacra è Phrygia advecta, tum etiam, quod obliquam tibiam Midas in Phrygia adinvenit. *Berecynthia tibia.* ] Quod Remulus opprobrat Trojanis, lib. 9. Æneid. —— *ite per alta* —— *Dindyma, ubi aſſuetis biforem dat tibia cantum. Tympana vos, buxuſque vocat Berecynthia matris* —— *Idaa.*

182. *Et erunt feſta parentis.* ] Idææ Cybelis, magnæ matris deorum, quæ è Phrygia Romam advecta eſt. ideo *Idaa,* ab Ida Trojana.

183. *Ibunt ſemimares.* ] Velut anteambulones: igitur quidam è ſacerdotibus ante ſtatuam matris Idææ ibunt, quidam humeris ſuperimpoſitam ferent, Herodianus l. 1. Sed ſis, exprimam quid ſentiam: Megaleſia, & Hilaria eadem ſuſpicor; & ſic audaculus legerem & expungerem aliqua in Macrobio primo Saturnalium: *Pracipuam autem Solis in his carimoniis veri rationem hinc etiam poteſt intelligi, quod ritu eorum καταβάσει finitâ, ſimulationeque luctus peractâ, celebratur latitia exordium pridie Nonas Aprilis, quo tempore Sol diem longiorem nocte protendit.* Neap. *Semimares.* ] *Cum ſemiviro comitatu.* Virgil. *Ferro mollita juventus.* Lucan. 10. Hinc Cæſar: *Ex viris Gallos fieri, ex Gallis nunquam viros.* Hinc & Atys nova mulier vocatur. Catull. de Berecynth. Et vir ſterilis. ibid.

185. *Ipſa ſedens.* ] Simulacrum ipſius. *Feretur.* ] In ipſa pompa. *Molli cervice comitum.* ] Cervice mollium & effœminatorum comitum.

186. *Exululata.* ] Ululatu celebrata.

188. *Vacent ſuo Marte.* ] Per tranſlationem à bello, vacent à litibus.

190. *Lotos adunca ſono.* ] Λωτὸς antiquis, pro tibiâ: nam eorum aliquæ è loto arbore. *Neap.*

191. *Da dea quam ſciter.* ] Ita Politianus & Naugerius conjecerunt. Nam veteres plerique *quam ſcite.* tres *quam ſciter.* Zulich. *qua ſciter* alii aliter. Scribo, *quas ſciter.* Muſas innuit: atque ita unus Patavinus ex melioribus. vide notas lib. 1. vſ. 165. deinde proximo verſu idem Patavinus pro diverſa lectione *Audit.* quod confirmant unus Vatican. unus Moreti, & Regius. atque ita diu eſt quod ſcribendum conjeci. Vulgo *Vidit* perperam legebatur. *Heinſ.* *Da dea.* ] Dic tu dea cauſam hujus ſonitus. *Cybeleïa.* ] Ipſa deorum mater. *Neptes, &c.* ] Muſas Jovis & Memoriæ filias.

192. *Et juſſit has.* ] Muſas. *Adeſſe cura mea.* ] Et reſpondere, & docere, ſi quid eſſet in quo dubitarem.

194. Quod

Pandite mandati memores, Heliconis alumnæ,
Gaudeat aſſiduo cur Dea Magna ſono.
Sic ego, ſic Erato (menſis Cythereïus illi
Ceſſit; quod teneri nomen Amoris habet:)
Reddita Saturno ſors hæc erat; Optime regum,
A nato ſceptris excutière tuis.
Ille ſuam metuens, ut quæque erat edita, prolem
Devorat; immerſam viſceribuſque tenet.
Sæpe Rhea queſta eſt toties fœcunda, nec unquam
Mater; & indoluit fertilitate ſuâ.
Jupiter ortus erat. pro magna teſte vetuſtas
Creditur. acceptam parce movere fidem.
Veſte latens ſaxum cœleſti viſcere ſedit.
Sic genitor fatis decipiendus erat.
Ardua jam dudum reſonat tinnitibus Ide;
Tutus ut infanti vagiet ore puer.
Pars clypeos ſudibus, galeas pars tundit inanes:

Hoc

196. *Quod habet nomen teneri amoris.*] Nam ἔρως, ἔρωτος, amor, unde & ipſa *Erato* dicta.

201. *Rhea.*] Quæ & Ops, Jovis mater, Saturni uxor.

203. *Pro magno teſte vetuſtas*] *Magna teſte* rectius unus Patavinus. *Heinſ.*

205. *veſte latens ſaxum.*] Lapis hic *abadir* à Grammaticis dictus. iidem *Græci*, inquiunt, *βαίτυλον vocant.* ni veſte latens explices ἐν σπαργάνοις εἰλημένον πέτρον. *Neap.* *Cœleſti gutture ſedit.*] *Viſcere* Zulichem. probe. ſic ſæpe Noſter. *Heinſ.*

207. *Ardua Ide.*] Mons Idæus in Creta altus, & aſcenſu difficilis: *Reſonat jamdudum.*] Ex quo natus erat Jupiter, reſonat mons tinnitibus æris, ne vagiens puer audiatur. *P. Tinnitibus Ide.*] Quodam armorum ſtrepitu tunc à Curetibus invento; de quo Diomedes lib. 3. Vide Athenæum lib. 9.

208. *Tutus ut infanti.*] Hinc in Cretenſi hiſtoriâ apud Geographum lib. 9. Οἱ Κουρῆτες Διὸς τροφεῖς λέγονται, καὶ φύλακες, εἰς Κρήτην ἐκ Φρυγίας μεταπεμφθέντες ὑπὸ τῆς Ῥέας. *Neap.*

209. *Pars manibus clypeos.*] *Clypeos manibus* veteres. niſi quod pri. Ambroſ. Læti codex & unus Vatic. *clypeos ſudibus.* quomodo & Lactantius agnoſcit lib. 1. Divinar. Inſtit. Mazar. & Zulich. *rudibus.* proxime verum. Hyginus fab. 139. *haſtas* vocat. *Ne pueri vagitus exaudiretur, impuberes convocavit, eiſque clypeola ænea & haſtas dedit, & juſſit eos circum arborem euntes crepare, qui Græce Curetes ſunt appellati.* ἐγχειρίδια ſunt Halicarnaſſeo lib. 11. *Pars tundit inanes.*] *Pulſat inanes* Urſin. liber, & unus Patav. & unus Vatican. ſed aliter Lactantius qui & *habent* cum vulgatis ſequenti verſu, licet *agunt* Voſſ. & quatuor alii agnoſcant. *Heinſ. Pars clypeos manibus.*] In Lactantio Firmiano lib. primo legitur, *Pars clypeos ſudibus*, ſimilior vero lectio: nam ὑπὸ τῶν ἐγχειριδίων ſonitum in clypeolis excitabant. *Galeas, &c.*] Ex hoc tempore in hujus rei memoriam iſti ἐνόπλιον ὄρχησιν inſtituère; &

 pri-

Digitized by Google

Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.
Res latuit patrem: priſcique imitamina facti
Æra Deæ comites raucaque terga movent.
Cymbala pro galeis, pro ſcutis tympana pulſant:
Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.
Deſierat. cœpi: Cur huic genus acre leones
Præbent inſolitas ad juga curva jubas?
Deſieram. cœpit: Feritas mollita per illam
Creditur. id curru teſtificata ſuo eſt.
At cur turritâ caput eſt ornata coronâ?
An Phrygiis turres urbibus illa dedit?
Annuit. Unde venit, dixi, ſua membra ſecandi
Impetus? ut tacui, Pieris orſa loqui:
Phryx puer in ſilvis facie ſpectabilis altis

Tur-

primum, ut vides, in Cretâ: unde Κρητικὴν nuncupata. Vetus Commentator Sophoclis ad Ajacem: Τῶν δὲ ὀρχήσεων ἡ μὲν Βερεκυνθιακὴ λέγεται, ἡ δὲ Κρητικὴ, ἡ καὶ Πυῤῥίχη. Quæ hæc Pyrricha? eadem cum armatâ illâ Cureticâ. vero verius. Vide in Joannis Meurſii Orcheſtrâ. Unum addo, quod addi debet, πρύλιν hanc Κυρητικὴν à Callimacho dici Hymno in Jovem, quam ἐνόπλιον Scholiaſtes exponit: inde πρύλιν eamdem faciunt cum Pyrricha, quia ἐνόπλιος. *Neapol.* *Galeas inanes.*] Item Virg. 9. —— *galeam ante pedes projecit inanem.*

211. *Res latuit patrem.*] Pri. Ambroſ. Læti, Excerpta Politian. Voſſian. Arondel. Mazar. Zulich. & ſex alii cum Lactantio,

*Res latuit, priſcique manent imitamina facti.*

ſed vulgata lectio longe elegantior. *Heinſ.*

212. *Comites deæ.*] Ipſi miniſtri Cybeles, qui eam in pompa comitantur. *Et terga rauca.*] Tympana ipſa ex tergis, hoc eſt, ex coriis, raucè ſonantia.

214. *Phrygios modos.*] Flebiles, & effœminatos. Conſule Fab. 13. *Eurip.*

215. *Cur huic genus acre leonum.*] *Leones* Urſini codex & unus Vatic. cum Naugeriano. quod Berſmanni quoque editionem occupavit. elegans & vera lectio. ſic & apud Virgilium in optimo Mediceo legitur Georg.

*At rapidæ tigres abſunt & ſæva leones Semina.*

Lucretio tamen *genus acre leonum ſævaque ſæcla.* Heinſ.

217. *Feritas mollita per illam.*] Hinc Hierapoli in ſeptis templi Deæ Syriæ urſi & leones erant manſueti, qui neminem læderent. *Neap.*

219. *Caput eſt onerata.*] *Ornata* Læti codex & multi. Nonnulli etiam *turrita corona.* ut apud Claudian. *turrita Cybele Me quoque Saturno genuit.* Propertius, *Claudia turrita rara miniſtra Dea.* ubi *cara* malim. alii *turrigera.* ſed *turrita* præſtat. cum alterum mox ſequatur. *Heinſ.*

220. *An primis turres urbibus.*] *Phrygiis urbibus* bene Urſini liber & unus Vatic. *Idem.*

223. *Phryx puer.*] Facetus eſt Ciophanus, qui hunc putat Æneam, cum ſit ille Attis Matris Idææ amaſius: fuit ſane homo Phryx. Plin. lib. 5. cap. 29. *In ſylvis.*] Nam paſtor, & agreſtis. Arnobius lib. 4. de Saltatione quâ Cybele repræſentabatur.

224. *Tur-*

Turrigeram caſto vinxit amore Deam.
Hunc ſibi ſervari voluit, ſua templa tueri:
Et dixit, Semper fac puer eſſe velis.
Ille fidem juſſis dedit; &, Si mentiar, inquit,
Ultima, quam fallam, ſit Venus illa mihi.
Fallit: & in Nymphâ Sagaride deſinit eſſe,
Quod fuit. huic pœnas exigit ira Deæ.
Naïda vulneribus ſuccidit in arbore factis.
Illa perit. fatum Naïdos arbor erat.
Hic furit: &, credens thalami procumbere tectum,
Effu-

224. *Turrigeram caſto junxit amore Deam.* ] *Vinxit* Urſin. Petav. Nauger. & quinque alii. ſic ſupra l. II.

*Jupiter immodico Juturna vinctus amore.*

libri veteres. & idem Triſt. I. Eleg. VII.

*Temporis & longi vinctus amore tibi.*

Epiſtola Acontii,

*Sed neque compedibus, nec me compeſce catenis,*
*Servabor firmo victus amore tibi.*

Statius Theb. VIII.

——— *devinctus amore pudico.*

hinc *nodi Veneris* Lucretio, & Noſtro Epiſt. IV.

*Impoſuit nodos cui Venus ipſa ſuos.*

& *vincula Veneris.* Virg. *Veneris dic vincula necto.* nam apud Lucretium lib. I. rectius legas *in gremium qui ſæpe tuum ſe Rejicit æterno devictus vulnere amoris* cum tribus veterrimis libris, quam *devinctus*, & *Reficit. Rejicit*, etiam agnoſcit Scholiaſtes Statii Theb. III. idem Lucretius *Veneris compagem* appellat, & *nexum.* Heinſ.

225. *Tueri templa.* ] Tutelam, cuſtodiam gerere. *Templi tutela fuere.* Metam. 8. *Quis tutelam gerit harum ædium?* Plaut.

228. *Ultima, quæ fallam, ſit Venus.* ] Pri. Ambroſ. & ſex alii. cum Erfurtano *quam fallam.* bene. ſic Ep. Paridis,

—— *metuis Venerem temerare maritam,*
*Caſtaque legitimi fallere jura thori.*

Vide Notas Epiſt. II. vſ. 37. *Idem.*

229. *Et in Nympha Sagaritide.* ] Finxit hujus nominis Naïadem à Sagaro Phrygiæ flumine. *Neap.*

230. *Hinc pœnas exigit ira Deæ.* ] *Huic* Urſin. pri. Ambroſ. Mazar. & tres alii. de quo ad Claudianum jam monui, VI. conſ. Honorii. *Heinſ.*

231 *Succidit.* ] Ipſa Cybele. *Naïada.* ] Nympham ipſam Sagaritida. Oſtendit illam Poëta nympham fluminis, cum dicat Naïada. Et oſtendit Hamadryada: cum Hamadryades ſunt deæ arborum, quæ cum his naſcuntur & moriuntur. Sic nunc illam ſuccisam, inquit, in arbore, tanquam Hamadryada: quia ſuccidit arborem in qua illa vivebat, vivente arbore; moriente arbore mortua eſt ipſa.

232. *Fatum Naïadis erat.* ] Nam quamdiu ſervata eſt arbor incolumis; ſervata eſt & nympha.

233. *Credens thalami procumbere tectum.* ] Vel *tignum* Zulichemianus, Maz. *tecta.* quomodo etiam pri. Ambr Læti, & tres alii. Scribe *tigna.* ut Metam. l. 4. *Summo quo pendet aranea tigno.* & l. VIII.

*Sordida terga ſuis nigro pendentia tigno.*

*Tigna* pro Tabulatis Propert. libro IV. Eleg. III.

*Sive in finitimo genuit ſtans noctua tigno.*

Vide Met. XIV. 534. ubi plura. Prudentius l. II. contra Symmachum,

*Adſcribunt ſaxis Lacheſis male fortia fila.*
*Tectorumque trabes fuſis pendere rotatis*
*Credunt, atque ipſis tribuunt decreta ſigillis.* Heinſ.

 234. *Din-*

Digitized by Google

Effugit, & curſu Dindyma ſumma petit.
Et modo, Tolle faces; Remove, modo, verbera, clamat.
Sæpe Palæſtinas jurat adeſſe Deas.
Ille etiam ſaxo corpus laniavit acuto;
Longaque in immundo pulvere tracta coma eſt.
Voxque fuit, Merui: meritas dem ſanguine pœnas.
Ah pereant partes, quæ nocuêre mihi!
Ah pereant! dicebat adhuc. onus inguinis aufert;
Nullaque ſunt ſubito ſigna relicta viri.
Venit in exemplum furor hinc, molleſque miniſtri
Cædunt jactatis vilia membra comis.
Talibus Aoniæ facundi voce Camœnæ
Reddita quæſiti cauſſa furoris erat.
Hoc quoque, dux operis, moneas, precor; unde petita
Venerit. an noſtrâ ſemper in Urbe fuit?
Dindymon, & Cybelen, & amœnam fontibus Iden
Sem-

234. *Dindyma.*] Dindyma enim montes ſunt in Phrygia. unde & Cybele *Dindymene* dicta.

235. *Remove modo verbera clamat.*] In Voſſ. & Arond. *modo verbera ſummove clamat.* Mazar. *metu verbera ſummove.* In Zulichemiano omnia eraſa. latet neſcio quid mendi. *Heinſ. Et clamat, Modo tolle faces.*] Videbatur videre Furias ipſum inſectantes facibus & verberibus. Ideo, *Tolle faces:* Remove verbera: noli dea cruciare me Facibus & verberibus. *P. Remove modo verbera.*] Ex his fortaſſis poſtea mos ille manſit verberandi Cybeles miniſtros. ſi deliquiſſent in ſacris. ultimum eruo ex Plutarcho adverſus Colotem. *N.*

236. *Sæpe jurat adeſſe deas Palæſtinas.*] Palæſte locus eſt in ora Epiri, apud Oricon, quo è navibus deſcendit Cæſar, cum iret cum exercitu adverſus Pomp. Lucan. in 5. Pharſaliæ: *Lapſa Palæſtinas uncis confixit arenas.* Furias adeſſe jurabat Atys, cum furore percitus eſſet.

239. *Meritas do ſanguine pœnas.*] *Meritas de* Arond. & octo alii. unus Medic. *dum.* Lege *meritas demo ſanguine pœnas.* Dixi Ep. XIX. vſ. 81. *Heinſ.*

242. *Subito ſigna relicta viri.*] Malim *ſubito viro.* Vide Notas Ep. XVIII. v. 160. *Idem. Signa relicta viri.*] Non ſolum in corpore, ſed etiam nulla in cultu. Lucian. περὶ τῆς Συρίης θεοῦ; Ὥς γάρ μιν ἡ Ῥέη ἔτεμε, γῆν μὲν ἀνδρηΐης ἀπεπαύσατο μορφὴν δὲ θηλέην ἠμείψατο, καὶ ἐσθῆτα γυναικηΐην ἐνεδύσατο. ad hujus imitationem Hierapoli quotannis veris initio ſe caſtrabant, & muliebri veſtitu in poſterum incedebant. *Neapol.*

244. *Cædunt jactatis vilia membra comis.*] *Lævia* putabam legendum. quomodo ſupra lib. III.

*Ut Satyri lævi ſque ſenex tetigere ſaporem.* ſed & *viles Galli* Arnobio dicuntur. ſuperiori verſu *furor hinc* pro *hic* bene Urſini codex. malim etiam *Ivit in exemplum* quam *venit.* Heinſ. *Jactatis comis.*] Capitis jactatio peculiare Gallis. *Neap. Comis jactatis.*] *Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ.* Τρυφερὸν πλόκαμον εἰς αἰθέρα ῥίπτων —— Ξανθὰν χαίταν σείων.

249. *Dindymon.*] Apollonii Scholiaſtes;

Semper, & Iliacas Mater amavit opes.
Cum Trojam Æneas Italos portaret in agros;
Eſt Dea ſacriferas pæne ſecuta rates.
Sed nondum fatis Latio ſua nomina poſci
Senſerat; aſſuetis ſubſtiteratque locis.
Poſt, ut Roma potens opibus jam ſæcula quinque
Vidit, & edomito ſuſtulit orbe caput;
Carminis Euboïci fatalia verba ſacerdos
Inſpicit. inſpectum tale fuiſſe ferunt:
Mater abeſt; Matrem jubeo, Romane, requiras.
Cum veniet, caſtâ eſt accipienda manu.
Obſcuræ ſortis Patres ambagibus errant:
Quæve parens abſit, quove petenda loco.
Conſulitur Pæan: Divumque arceſſite Matrem,
Inquit: In Idæo eſt invenienda jugo.
Mittuntur proceres. Phrygiæ tum ſceptra tenebat
Atta-

ſites: Δίνδυμον ὄρος Κυζίκου ἱερὸν τῆς Ῥέας. in eo enim & templum habuit. Ammianus lib. 22. *Et amœnam fontibus Idam.*] *Iden* meliores. ſic ſupra iidem,

*Ardua jamdudum reſonat tinnitibus Ide.*

Heinſ.

250. *Iliacas opes.*] Nam omnis Phrygia illi ſacra. Ilium in Troade, Troas in Phrygiâ minore. Stephanus: Ἴλιον πόλις Τρωάδος. Neap.

252. *Sequuta rates ſacriferas.*] Naves Æneæ ſacra ferentes.

253. *Nondum poſci Latio ſua numina.*] Nondum adveniſſe tempus, quo in Italiam transferretur.

254. *Aſſuetis ſubſtiteratque locis.*] *Conſtiteratque* multi. ut alibi, *Mater & Ænea conſtat in urbe ſui.* Heinſ. *Et ſubſtiterat aſſuetis.*] Subſtitit tunc in Phrygia, ubi eſſe conſueverat.

255. *Jam ſæcula quinque.*] Et inſuper annos 48. *Neap.*

257. *Fatalia verba ſacerdos.*] Curæ fuit hoc per id tempus Decemviris. Invenies Duumviros inſpexiſſe libros Sibyllinos, invenies xv. viros; ſed Duumviri antiquiores Decemviris: unde colligas, paulatim auctum hoc ſacerdotium. *Neap.*

258. *Inſpicit.*] Cauſam inſpectionis Appianus ſuggerit in Annibalicis. *Inſpectum tale fuiſſe ferunt.*] *Refert*, Erfurtanus. Ut de ſacerdote intelligatur. *Heinſ.*

259. *Mater abeſt.*] Μήτηρ paſſim apud Græcos eſt Cybeles, non addito τῶν θεῶν. N.

260. *Eſt accipienda caſta manu.*] Reſpexit Poëta ad oraculum, quod fuit, ut ab optimo viro exciperetur.

261. *Patres ambagibus errant.*] Mâlim *hærent*, tam hic quam infra hoc libro,

*Expedit errantem nemori gratiſſima conjux.*

ſic & *pendere in re dubia* dicebant. *Heinſ.*

263. *Conſulitur Pæan.*] Apollo. *Conſulitur Pæan.*] Mutavit rerum ordinem: nam prius miſſi Legati, poſtea Oraculum conſultum. Livius lib. 29. *Neapol.* *Accerſite.*] Bene vetuſtiores *arceſſite.* Heinſ.

265. *Mittuntur proceres.*] Ex his unus M. Valerius Lævinus, qui bis Conſul fuerat, ac res in Græciâ geſſerat; alter M. Cæcilius Metellus Prætorius: additus



Digitized by Google

Attalus: Auſoniis rem negat ille viris.
Mira canam. longo tremuit tum murmure tellus;
Et ſic ex adytis Diva locuta ſuis:
Ipſa peti volui. ne ſit mora: mitte volentem.
Dignus Roma locus, quo Deus omnis eat.
Ille ſoni terrore pavens, proficiſcere, dixit;
Noſtra eris. in Phrygios Roma refertur avos.
Protinus innumeræ cadunt pineta ſecures
Illa, quibus fugiens Phryx pius uſus erat.
Mille manus coëunt: & picta coloribus uſtis
Cæleſtum Matrem concava puppis habet.
Illa ſui per aquas fertur tutiſſima nati;
Longaque Phryxêæ ſtagna ſororis adit:
Rhœtêumque rapax, Sigêaque littora tranſit;
Et Tenedon veteres Eëtionis opes.

Cy-

tus Sulpicius Galba Ædilitius; duo Quæſtorii. C. Tremellius Flaccus, & M. Valerius Falco. *Tenebat Attalus.* ] Sed ille (nam plures Aſiæ Reges Attali) qui Romanos in bello Galatenſi contra Philippum juvit. Livius lib. 39. & Strabo lib. 13. *N.*

266. *Attalus.* ] Rex Pergamenſium. *Rem negat ille viris.* ] Ah mi Naſo, parum φιλαλήθης: Clamat id falſum hiſtoria. *Is Legatos*, inquit Livius, *comiter acceptos Peſſinuntem in Phrygiam deduxit: ſacrumque iis lapidem, quem matrem Deûm eſſe dicebant, tradidit.* Neap.

272. *In Phrygios avos.* ] Herodianus libro primo de Cybeles ſimulacro: Ἔτυχον δὲ ῥᾳδίως, συγγένειαν προβαλλόμενοι καὶ τὴν ἀπ' Αἰνείου τοῦ Φρυγὸς εἰς αὐτοὺς διαδοχὴν καταλέγοντες. ob hanc forte conſanguinitatem ultimus Attalus cognomento Philometor, nullo relicto ex ſuis ſuperſtite, heredes nominavit Romanos. *Neap.*

276. *Cæleſtum matrem.* ] Alii *Cæleſtem:* ſed fruſtra. ſic *cæleſtum matres* infra hoc ipſo libro. Gratius de Gigantibus,

*Nonne vides veterum quos prodit fabula rerum*
*Semideos: illi aggeribus tentare ſuperbis*
*Æthera, tum matres auſi tractare deorum.*

ſic locus mendoſiſſimus ſcribendus. *Heinſ.*

277. *Fertur tutiſſima nati.* ] *Juſtiſſima* Mazar. Zulich. Voſſ. Arondel. & duo alii. *cultiſſima* totidem. quod placet. hoc vult à Dis Marinis fuiſſe cultam. *Idem.*

279. *Rhœteumque capax.* ] Pri. Ambr. Læti, & multi alii *rapax.* bene. Vide infra notas vſ. 568. *Idem. Tranſit Rhœteum capax.* ] Apud Rhœteum promontorium, in faucibus Helleſponti, apud Trojam, ubi Achivorum portus, & Achaia caſtra. Ideo *Capax* dixit; ubi tam magnæ claſſis fuit ſtatio. *Et littora Sigea.* ] A Sigeo promontorio, itidem Helleſponto imminenti. *Paul. Rhœteumque capax Sigeaque littora.* ] Utroſque illos ἀγκῶνας, qui in mare protenduntur; de quibus Strabo lib. XIII. His convallibus certe nomen inditum ab iiſdemmet urbibus Sigeo & Rhœteo ibidem ſitis.

280. *Et Tenedum & veteres Eetionis opes.* ] *Tenedon veteres* libri nonnulli. atqui Thebis is imperavit. Politianus E-

[illegible]

Cyclades Excipiunt, Lesbo poſt terga relictâ;
Quaque Cariſtêis frangitur unda vadis.
Tranſit & Icarium, lapſas ubi perdidit alas
Icarus, & vaſtæ nomina fecit aquæ.
Tum lævâ Creten, dextrâ Pelopeïdas undas
Deſerit: & Veneri ſacra Cythêra petit.
Hinc mare Trinacrium, candens ubi tingere ferrum
Brontes, & Steropes, Acmonideſque ſolent:
Æquo-

*mathionis* legebat, Samothraciam intelligens, aut *OEnopionis*, Chion. ſed fruſtra. Scribe,

*Et Theben veteres Eetionis opes.*

*Eetioneas Thebas* Noſter dixit Met. XII. Homerus lib. Iliad A. Θήβην ἱερὴν πόλιν Ἠετίωνος. ut & Iliad. X. at Il. Ξ.

Ἀνδρομάχη θυγάτηρ μεγαλήτορος
Ἠετίωνος.
Ἠετίων ὃς ἔναιεν ὑποπλάκῳ ὑληέσσῃ.
Θήβῃ ὑποπλακίῃ, Κιλίκεσσ' ἄνδρεσσιν ἀνάσσων.

Q. Calaber lib. III.

Λυμνόν τε ζαθέην, Κιλίκων τ' αἰπὺ πτολίεθρον,
Θήβην Ἠετίωνος ἑλών. Heinſ.

*Et Tenedum.* ] Hæc jacet extra Helleſpontum, oppoſita Sigeo littori. *N.*

281. *Cyclades.* ] Quæ ſunt in Ægæo inſulæ, quæ Delum circumſtant. *Paul.* *Lesbo poſt terga relicta.* ] Illis ſcilicet inſulis, ex his una Lesbon, quæ ſitæ ſunt ante Cariam, Joniam, Æolidem, uſque ad Troaden: item illis, quæ ante Græciam uſque ad Macedoniam & confinem Thraciam; Eubœâ, in quâ urbs Caryſtus, Scyro, Peparetho, Lemno, Thaſo, Imbro, & aliis. *Neap.*

282. *Quaque Caryſteis.* ] *Caryſtois* Voſſianus. ſic *Naupactous* libro primo ex codicibus ſcriptis. *Heinſ.*

283. *Tranſit & Icarium.* ] Mare ſcilicet, quod eſt inter Samum & Miconum. Sed hoc à læva relinquit.

286. *Et petit Cythera ſacra Veneri* ] Cytheram inſulam, quæ eſt inter Maleam & Cretam: Inſula eſt Veneri ſacra.

287. *Petit mare.* ] Siculum. Quia Trinacria dicta eſt à tribus eminentibus promontoriis, Pachyno, Lilybæo, Peloro. *Ubi tingere ferrum.* ] *Fingere* unus Bononienſis & unus Vatican. Silius libro VIII.

*Non totidem Ilva viros, ſed latos fingere ferrum*
*Armarat patrio, quo nutrit bella, metallo.*

ſic ſcribo. Vulgati *lectos tingere.* Vetus codex *latos gignere.* non male. ſed apud Virgilium de Cyclopibus lib. VIII.

——— *alii ſtridentia tingunt*
*Æra lacu.*

& lib. XII.

*Enſem quem Dauno ignipotens Deus ipſe parenti*
*Fecerat, & Stygiâ candentem tinxerat undâ.*

Noſter Met. IX. *ceu lamina candens Tincta lacu ſtridit.* Unde fit, ut in hoc Naſonis loco nihil opiner mutandum. *Heinſ.*

288. *Æmonideſque ſolent.* ] Scripti fere omnes *Acmonides* aut *Agmonides.* bene. idem qui Virgilio *Pyracmon.* Arpes eſt Apollodoro, μετὰ τούτους δὲ αὐτῷ τεκνοῖ Γῆ Κύκλωπας Ἄρπην, Στερόπην, Βρόντην, ὧν ἕκαστος εἶχεν ἕνα ὀφθαλμὸν ἐπὶ τοῦ μετώπου. Sed lege Ἄργην. Callimacho hymno Dianæ,

Μήτηρ μὲν Κύκλωπας ἑοῦ ἐπὶ παιδὶ καλιστρεῖ
Ἄργην ἢ Στερόπην.

Heſiodus Theogon.

Βρόντην τε Στερόπην τε καὶ Ἄργην ὀβριμόθυμον.

Ita & Euſtathius in Homerum. Stero-

 pes

Æquoraque Afra legit, Sardôaque regna ſiniſtris
Proſpicit à remis, Auſoniamque tenet.
Oſtia contigerat: qua ſe Tiberinus in altum
Dividit, & campo liberiore natat.
Omnis Eques, miſtaque gravis cum Plebe Senatus,
Obvius ad Thuſci fluminis ora venit.
Procedunt pariter matres, natæque, nuruſque;
Quæque colunt ſanctos virginitate focos.
Sedula fune viri contento brachia laſſant.
Vix ſubit adverſas hoſpita navis aquas.
Sicca diu tellus fuerat: ſitis uſſerat herbas:
Sedit limoſo preſſa carina vado:
Quiſque adeſt operi, plus quam pro parte laborat;
Adjuvat & fortes voce ſonante manus.
Illa velut medio ſtabilis ſedet inſula ponto.
Attoniti monſtro ſtantque paventque viri.
Claudia Quinta genus Clauſo referebat ab alto:

Nec

pes aliis eſt. Aſteropes. ſic & Sterope una Pleïadum, nonnullis Aſterope. *Idem.*

289. *Æquoraque Afra legit.*] Duo libri *Littora. Littora legere* paſſim obvium apud poëtas & *ſaxa legere.* pro *Reſpicit à remis* alii veteres *Deſpicit* vel *Proſpicit. Idem. Æquora.*] Mare Libycum. *Regna Sardoa.*] E mari Libyco flectenti in oram Latinorum, & oſtia Tiberina, eſt Sardinia magna inſula, à ſiniſtra: ideo, *à ſiniſtris remis* dixit.

292. *Dividit in altum.*] Qua in mare influit. *Et natat campo liberiore.*] Per latiora ſpatia: nam illuc fertur per alveum, poſtea exit in mare Tyrrhenum.

295. *Natique. virique.*] Junianus *nataque.* & tres alii. Urſini liber & Patav. optimus. *natique nuruſque.* lege *nataque, nuruſque.* Metam. xv. ex veteribus libris.

*Huc omnis populus paſſim, matreſque, nuruſque,*
*Obvia turba ruit, quaque ignes, Troïa, ſervant*
*Veſta tuos.* Heinſ.

296. *Sanctos focos.*] *Caſtos* alter Petavii. quod placet. ſic & *Veſta* paſſim *caſta.* ut & de Cerere infra,

*Parva bona Cereri, ſint modo caſta, placent.*

Triſt. IV. El. II. de Veſtalibus,

——*quæ ſine crimine caſtos*
*Perpetuâ ſervant virginitate focos.*

Idem.

300. *Sedit limoſo preſſa carina vado.*] *Arenoſo* alter Put. quomodo libro primo,

*Radit arenoſi Tibridis unda latus.*

pro *preſſa* priſcæ editiones & ſcripti tres *feſſa.* etiam bene. poſſet & *prenſa* pro deprenſa legi. ut apud Horatium,

*Otium divos rogat in patenti*
*Prenſus Ægæo.* Idem.

*Limoſo vado.*] Naſo tribuit ſiccitati, quod Hiſtorici defectui oſtii Tiberini. Huc omnino adſcribendus Strabonis locus, lib. 5. *Neap.*

305. *Clauſo referebat ab alto.*] *Ab alto,* ab antiquo. Nihil ergo *Atta* legi neceſſe, cum Neapoli. ſic in Pont. lib. IV. Eleg. VII.

*At tibi progenies alti fortiſſima Dauni.* Virgil.

Digitized by Google

Nec facies impar nobilitate fuit.
Caſta quidem; ſed non & credita. rumor iniquus
Læſerat, & falſi criminis acta rea eſt.
Cultus, & ornatis variè prodiſſe capillis,

Ob-

Virgil.

*Deiphobe armipotens genus alto à ſanguine Teucri.*

& apud eundem lib. IX.

*Thebana de matre nothum Sarpedonis alti*
*Conjecto ſternit jaculo.*

Juvenalis Satyr. VI.

*Quadam de numero Lamiarum & nominis alti.*

Ita ſcripti. Sat. VIII.

*Tunc licet à Pico numeres genus, altaque ſi te*
*Nomina delectant.*

&,

*Plaute, tumes alto Druſorum ſtemmate, tanquam*
*Feceris ipſe aliquid, propter quod nobilis eſſes.*

Noſter Triſt. IV. El. IV.

*In quo pars alta nobilitatis erat.*

Pont. II. El. III.

*Quique dolor pectus tetigiſſet Cæſaris alti.*

Auctor elegiæ in obitum Mæcenatis,

*Regis eras genus Etruſci: tu Cæſaris alti*
*Gloria.*

ſic ſcribo. non *almi*. Epicedio Druſi,

*Hoc domus iſta docet per te mea. Cæſaris alti.*

Horatius libro III. Od. IV.

*Vos Cæſarem altum, militia ſimul*
*Feſſas cohortes urbibus abdidit,*
*Finire quærentem labores,*
*Pierio recreatis antro.*

Silius libro VIII.

*Tullius æratas raptabat in agmina turmas*
*Regia progenies, & Tullo ſanguis ab alto.*

*Clauſum* igitur *altum* pro antiquo & veteri poſuit. Silius l. XIII. oratione Scipionis ad Appium,

*Gens ô veteris pulcherrima Clauſi.*

ubi *Claudi* perperam legitur. Idem lib. XVII.

*Hic priſca ducens Clauſorum ab origine nomen*
*Claudia.*

Claudiam quoque gentem à Clauſo deducit Virgilius lib. VII. Æneidos. *Heinſ.* *Claudia Quinta.* ] Cum viri fruſtra conarentur, ex clariſſima Claudiorum familia, virgo Claudia proceſſit: quæ cum caſta non crederetur, deam ipſam obteſtata, ut ſuæ teſtimonium pudicitiæ perhiberet, exiguo deinde conamine funem trahentem, navis ſequuta eſt. *Ab alto Clauſo.* ] A quo emanavit domus Claudia. *P. Referebat ab alto.* ] Hæc vulgaris editio: forte legendum, *ab Attâ*. Claudius ille princeps Patritiæ hujus familiæ recens à Sabinis Atta Clauſus appellatus, priusquam Appius Claudius diceretur Livius l. 3. *Neap.*

307. *Caſta quidem, ſed non eſt credita.* ] Lege *ſed non & credita* cum melioribus. dixi lib. IV. Met. 273. *Heinſ.*

309. *Cultus & ornatos varie prodiſſe capillos.* ] Urſin. alii quidam,

*Cultus & ornatus variis prodiſſe capillis.*

at Mazar. Zulich. Nauger. prim. Ambr. & alii nonnulli, *ornatis varie prodiſſe capillis.* recte. niſi mavis, *ornato capillo*. pro *prodiſſe* male quidam *fudiſſe* aut *poſuiſſe*. Sæpius enim in publicum prodire ſuſpectum in fœmina. quod & *procedere* dicebant. Propert. lib. I. El. II.

*Quid juvat ornato procedere, vita, capillo?*

Tibullus lib. IV.

*Urit, ſi Tyria voluit procedere palla.*

Noſter Art. Am.

*Nec prodite graves inſuto veſtibus auro.*

Idem Propertius libro II. Eleg. XXV.

*Vidiſtis quandam Argiva prodire figura.*

Tibullus libro I. Eleg. IX.

*——— auroque lacertos*
*Vinciat, & Tyrio prodeat apta ſinu.*

Idem. *Et ornatis.* ] Calamiſtris inuſtis: hoc eſt, *ornatus capillus*; item gemmis

diſti-

Obſuit: ad rigidos promptaque lingua ſenes.
Conſcia mens recti famæ mendacia riſit:
Sed nos in vitium credula turba ſumus.
Hæc ubi caſtarum proceſſit ab agmine matrum,
Et manibus puram fluminis hauſit aquam,
Ter caput irrorat, ter tollit in æthera palmas.
Quicunque adſpiciunt, mente carere putant.
Submiſſoque genu, vultus in imagine Divæ
Figit, & hos edit crine jacente ſonos:
Supplicis, alma, tuæ, genitrix fœcunda Deorum,
Accipe ſub certa conditione preces.
Caſta negor. ſi tu damnas; meruiſſe fatebor.
Morte luam pœnas judice victa Deâ.
Sed, ſi crimen abeſt, tu noſtræ pignora vitæ
Re dabis: & caſtas caſta ſequêre manus.
Dixit: & exiguo funem conamine traxit.
Mira, ſed & ſcenâ teſtificata loquar.
Mota Dea eſt; ſequiturque ducem, laudatque ſequendo.
Index lætitiæ fertur in aſtra ſonus.
Fluminis ad flexum veniunt: Tiberina priores
Oſtia dixerunt, unde ſiniſter abit.

Nox

diſtinctus. *Cultus obſuit.* ] Ut quæ non ornantur ſibi. *Tibi me exorno ut placeam.* Plaut. Moſtell. I. 3. vſ. 135. *Dudum exiſſem, niſi me ornaſſem vobis.* id. in Stich. 5. 5. vſ. 3.

310. *Ad rigidos promtaque lingua ſonos.* ] *Ad rigidos ſenes* ſcribendum cum Petaviano, Mazar. Urſin. Læti, aliiſque plurimis ac primis editionibus. *rigidi ſenes.* bene. *ad* pro apud. Triſt. II. de alea,

*Hac eſt ad noſtros non leve crimen avos.*

Pont. lib. I. Eleg. VI. ut ſcribendum puto,

*Omnis an ad magnos culpa Deos ſcelus eſt?*

P. Syrus,

*Bonum ad virum cito moritur iracundia.*

Idem.

*Caſta ad virum matrona parendo imperas,*

Sequenti verſu pro *recti* quidam ex melioribus *veri.* pro *ridet* plerique *riſit.* Heinſ.

315. *Ter tollit ad æthera.* ] *In æthera* multi veterum. & paulo ante *ad agmina* Urſin. & Patav. *Idem.*

325. *Exiguo conamine.* ] Ita ut luctamen abeſſet.

326. *Mira ſed in ſcenâ.* ] *Sed & ſcenâ* meliores. & *loquar* pro *loquor.* & mox *in aſtra* pro *ad aſtra.* Heinſ. *Sed teſtificata in ſcena.* ] Ut adhiberi fides debeat.

329. *Tiberina priores Atria dixerunt.* ] Nemo ex antiquis atriorum Tiberinorum meminit. Urſin. Læti. Nauger. pri. Ambroſ. & ſex alii, *Hoſtia.* de Tiberinis oſtiis paſſim veteres. *Heinſ.*

330. *Inde ſiniſter abit.* ] Vertit ſe in ſiniſtram, ubi eſt reflexus fluminis, putavere antiqui eſſe regiam numinis Tiberini.

Digitized by Google

Nox aderat: querno religant à ſtipite funem:
  Dantque levi ſomno corpora functa cibo.
Lex aderat: querno ſolvunt à ſtipite funem:
  Ante tamen poſito thura dedêre foco.
Ante coronatâ puppi ſine labe juvencam
  Mactarunt operum conjugiique rudem:
Eſt locus, in Tiberin qua lubricus influit Almo,
  Et nomen magno perdit ab amne minor.
Illic purpureâ canus cum veſte ſacerdos
  Almonis dominam ſacraque lavit aquis.
Exululant comites, furioſaque tibia flatur;
  Et ferunt molles taurea terga manus.
Claudia præcedit læto celeberrima vultu;
  Credita vix tandem teſte pudica Deâ.

Ipſa

berini. *Tiberina oſtia.* ] *Heic mihi magna domus, Celſis caput urbibus exit.* Virg. 8.

331. *Religant in ſtipite funem.* ] *A ſtipite* Arond. Voſſian. Mazarin. Zulichem. & quinque alii. ut apud Virgilium,

*Gramineo ripa religarat ab aggere funem.*

Heinſ.

335. *Ante coronarunt puppem.* ] *Puppim* multi ex melioribus. alter Ambroſ. *coronarum.* quinque alii. *coronatam* Scribe,

*Ante coronatâ puppi ſine labe juvencam*
*Mactarunt.*

Idem.

336. *Et rudem operum, & conjugii.* ] Quæ nec araſſet, nec taurum ſuſtinuiſſet.

337. *Qua Almo lubricus influit in Tiberim.* ] Almo parvus eſt fluvius, qui interſecans Hoſtienſem viam, non longe ab illo flexu init Tiberim. Aliqui putant eſſe illum qui eſt inter portam urbis Hoſtienſem, & templum divi Pauli. *Almo.* ] *Almon.* ſex veteres. vide notas libro II. vſ. 601. ſequenti verſu *ab amne* pleriqque meliores. non, *in amne.* Heinſ.

338. *Perdit nomen ab, &c.* ] Almo parvus fluvius amittit ſuum nomen, cum influit in Tiberim.

339. *Purpurea canus cum veſte ſacerdos.* ] Haud dubie ἀρχιερεὺς, qui noſtris proprio nomine *Archigallus.* Sed quare purpurea illa veſtis in hoc ſacrificio, an quia bacchantibus, quorum hic unus, aſſolitum ἐν πορφύρᾳ ἐσθῆτι incedere? an quod uni Archigallo hujuſmodi color in uſu? ut Hierapoli obſervatum in ſacrificiis Deæ Syriæ. vide & Lucianum. Reliquis ergo Gallis, alba erat veſtis, ſed in eâ urbe: nam Peſſinunte verſicoloriam geſtabant. *Neap.*

340. *Dominam ſacraque lavit aquis.* ] Domina, & ſacro, nihil aliud quam parvus lapis, & hunc facit Arnobius coloris furvi, atque atri, angulis prominentibus inæqualem; unde magnes vere creditus. Cauſam lotionis non video: ſcio quotannis poſtea repetitam; ſcio ſimile quid apud Argivos factitatum cum ſimulacro Minervæ. *Neap.*

341. *Exululant comites.* ] In ululationibus hæ voces illis frequentes, εὐαὶ, σαβοῖ, ὕης, ἄττης, καὶ ἄττης ὕης. *Neapol.*

342. *Taurea terga manus.* ] De tympano Antipater:

——— Ἀύθεια γὰρ τότε βύρσις
*Ταυρείη κενεὸν δοῦπον ἔδωσε λίαν.*

Aſinum etiam ad tympanum excoriarunt Galli apud Phædrum. *Neapol.* *Ferunt terga taurea.* ] Tympana ex taurorum corio,

345. *Porta*

Ipſa ſedens plauſtro portâ eſt invecta Capenâ:
  Sparguntur junctæ flore recente boves.
Naſica accepit: templi tunc extitit auctor.
  Auguſtus nunc eſt: ante Metellus erat.
Subſtitit hic Erato. mora fit, ſi cætera quæram.
  Dic, inquam, parvâ cur ſtipe quærat opes?
Contulit æs populus; de quo delubra Metellus
  Fecit, ait. dandæ mos ſtipis inde manet.
Cur vicibus factis ineant convivia, quæro,

Tum

345. *Porta Capena.* ] Qua exitur in viam Appiam.

347. *Naſica accepit: templi non perſtitit auctor.* ] *Tunc extitit* pri. Ambr. Læti; Zulich. Erfurt. & tres alii. quod probo. Quanquam à M. Livio & C. Claudio cenſoribus primo ſtructum, ſi Livio credimus. Falſum ergo non perſtitiſſe auctorem templi. duo *non extitit.* Heinſ. *Naſica accepit.* ] P. Scipio Naſica, qui vir optimus à ſenatu judicatus eſt, deam excepit in ingreſſu urbis. *Templi non perſtitit auctor.* ] Hic ipſe Naſica templum deæ non conſtruxit, ſed Q. Cæcilius Metellus, ex donis deæ collatis templum in regione portæ Capenæ matri deorum erexit, inſtauravitque illud poſtea Auguſtus, & ludos conſtituit.

348. *Ante Metellus erat.* ] Sed hic & Auguſtus templi refectores. Primi ex S. C. erexere è fundamentis M. Livius, & C. Claudius, Cenſores. Lege Patavinum lib. 36. *Neap.*

349. *Mora fit. ſi cætera quæro.* ] *Si cætera quæram* Urſin. pr. Ambroſ. Mazar. Zulichem. Voſſ. & tres alii. bene. multi, *ſi quæro.* legebam olim, *dic cætera quæſo.* Heinſ.

350. *Parva cur.* ] Hanc *exiguam* dixit in libris Ponticis: Hanc vicatim colligebant Phrygii generis vir & mulier per eos dies quibus Diva per urbem ferebatur. Et erogatio illa annua fuit, non menſtrua. *μητραγυρτεῖν*, inquit Euſtathius eſſe, *τὸ μετὰ τυμπάνων καὶ τινῶν τοιούτων περιϊέναι, καὶ ἐπὶ τῇ μητρὶ ἀγείρειν τροφάς.* Inde Μητραγύρται, qui ſtipem cogebant Matri Deorum cum tabellâ, ut ait Comicus ἐν Ἡνιόχῳ. His mendicantibus ſolitus olim dicere Antiſthenes, *Οὐ τρέφω τὴν μητέρα τῶν θεῶν ἣν οἱ θεοὶ τρέφουσιν.* Obſervandum tamen, hujuſmodi munus nunquam ut civis Romanus exerceret Senatum permiſiſſe. *Neap.*

353. *Cur vicibus factis ineant convivia.* ] Rationem paullo poſt reddit, quod ipſa Dea ſedem bene mutarit ex Phrygiâ in anguſtius domicilium: inde viciſſim hoc tempore inibant Romani convivia, quod priſco verbo dictum *mutitare.* Unde quæſtio illa apud A. Gellium lib. 18. cap. 11. *Quam ob cauſſam Patritii Megalenſibus mutitare ſoliti ſint, plebs Cerealibus?* Neap. *Ineunt convivia quæro. Tunc magis indictas.* ] *Ineant convivia quædam & concelebrent* ſequenti verſu veteres plerique. Sed & illud *Tum magis* habui aliquando mendoſum. Nec dubitabam ſub iis verbis nomen aliquod latere peculiare, quo iſtiuſmodi convivia ludis Megalenſibus inſtituta deſignarentur. Gellius autem nos docet lib. 11. cap. XXIV. & lib. XVIII. cap. 11. *Mutitare* ſive *mutuitare* (nam de lectione non ſatis conſtat) dixiſſe veteres, pro convivia inire Megalenſibus. atque huc alludere Ovidium ex ſequenti verſu colligebam. *mutuitare* autem veram eſſe lectionem apud Gellium opinor, ut *mutuitare* ſit dictum pro *mutuare.* unde *mutuiter* pro *mutuò* apud Varronem teſte Nonio. Quare & *mutuitia* hæc convivia cenſebam fuiſſe dicta

Tum magis, indictas concelebrentque dapes.
Quod bene mutarit ſedem Berecynthia, dixit;
Captant mutatis ſedibus omen idem.
Inſtiteram, quare primi Megaleſia ludi
Urbe forent noſtrâ: cum Dea (ſenſit enim:)
Illa Deos, inquit, peperit. ceſſere parenti:
Principiumque dati Mater honoris habet.
Cur igitur Gallos, qui ſe excidêre, vocamus?
Cum tanto Phrygiâ Gallica diſtet humus?
Inter, ait, viridem Cybelen altaſque Celænas,
Amnis it inſanâ, nomine Gallus, aquâ.
Qui bibit inde, furit. procul hinc diſcedite, quîs eſt
Cura bonæ mentis. qui bibit inde, furit.
Non pudet herboſum, dixi, poſuiſſe moretum

In

ста. ac proinde in noſtro ſcribendum (nam libri meliores *Tum magis.*)

*Cur vicibus factis ineunt convivia, quaſo,*
*Mutuita, indictas concelebrantque dapes?*

pro *vicibus factis* etiam *pactis* legendum ſuſpicabar. *Heinſ.*

354. *Concelebrant.* ] Cum celebritate frequentant. *Dapes indictas.* ] Nam indicebantur ab ipſis ſacerdotibus.

356. *Captant idem omen.* ] Proſperæ mutationis. *Mutatis ſedibus.* ] Cum è convivio in convivium ſe recipiant.

358. *Cum dea.* ] Erato.

359. *Illa.* ] Cybele. *Peperit deos.* ] Jovem, Junonem, Neptunum, Plutonem. *Illa Deos.* ] En cauſſam. *Neap.*

360. *Principium dat honoris.* ] Hoc eſt, primum ludorum honorem. nam cum ludi diis exhibeantur, primus honos matri deorum debetur. ideo ipſi primi & magni dicuntur ludi.

361. *Qui ſe excidere.* ] A Gallo Phrygiæ flumine; auctor Stephanus, & Herodianus libro primo.

362. *Cum tantum à Phrygiâ Gallica diſtet humus.* ] *Cum tanto* Urſin. Petav. & alius. In Mazar. Voſſ. & Arond. & duobus aliis Τὸ *à* non apparet. alter Puteaneus *Gallia humus.* ſic *Gallia mulieres* apud Saluſtium pro *Gallicis* teſte Nonio. *Heinſ.*

363. *Inter, ait, viridem Cybelem.* ] Muſa cauſam appellationis ad Gallum fluvium refert, cujus aqua epota furorem gignit. Is labitur per ea loca Phrygiæ, ubi matris deûm erant templa. *P. Altaſque Celænas.* ] Et mons & urbs vetus in eodem ſita eſt hujus nominis. Strabo lib. 12. de Mæandro. Dixi *vetus*; nam deſiit, civeſque in Apamæam novam urbem tranſlati, haud procul à veteribus Celænis: cujus migrationis auctor olim fuit Antiochus Soter. *Neap.*

364. *Et altas Celænas.* ] Celænæ in Phrygia collis quidam eſt, ut Strabo inquit, in quo urbs fuit ejuſdem nominis.

367. *Herboſum moretum.* ] Græci vocant *μυσσωτόν*. Omne tritum fere *moretum* dixere veteres. Gloſſæ, *moretum*, *τρίμμα*, quod *ἀπὸ τοῦ τρίβειν*, id eſt, conterere. Aliæ, *intritum*, *ἐμβρεχὴ*, quod *ἀπὸ τοῦ βρέχειν*, id eſt, madefacere. Ergo *ἐμβρεχὴν*, & moretum & intritum unius facio ſignificatus. Sed quod Galatis ἔμβρεκτον, Gr. ἐμβρεχὴ: quæ vox pure reſpondet Latinis *perfuſio*. hæc in moreto conficiendo neceſſaria. Erat enim ex oleo & aceto, quod in al-

lia

Digitized by Google

In Dominæ menſis? an ſua cauſſa ſubeſt?
Lacte mero veteres uſi memorantur, & herbis;
Sponte ſuâ ſi quas terra ferebat, ait.
Candidus eliſæ miſcetur caſeus herbæ;
Cognoſcat priſcos ut Dea priſca cibos.

POſtera cum cælo motis Pallantias aſtris
Fulſerit; & niveos Luna levârit equos;
Qui dicet, Quondam ſacrata eſt colle Quirini
Hæc Fortuna die Publica; verus erit.

Ter-

lis, apium, rutam, coriandrum, bulbus, & caſeum infundebatur. *Neap.*

369. *Uſi narrantur.*] *Memorantur* meliores. *Heinſ.*

371. *Elixa miſcetur caſeus herba.*] Imo *eliſa* cum pri. Ambroſ. Petav. Zulich. Maz. aliiſque multis. atque ita in Apophoretis Adrianus Behotius. Varro lib. I. de R. R. cap. XLVII. *Ea ſumma integenda binis tabellis dextra & ſiniſtra deligatis, herbaque elidenda, & dum tenera ſunt, vellenda.* reddendum id verbum quoque Horatio opinor l. III. Od. XXVI.

*Quid mori ceſſas? potes hac ab orno*
*Pendulum zona bene te ſecuta elidere collum.*

ubi nunc *ladere collum* circumfertur. Naſo Met. XI.

*Atque onus infelix eliſa fauce pependit.*

Lucanus libro II.

*Hic laqueo fauces eliſaque guttura fregit.* Idem.

372. *Cognoſcat primos cibos.*] Qualibus Saturni tempore veſci conſueverunt.

373. *Poſtera cum calo.*] Octavo Idus April. hoc eſt, ſexta die menſis; Erit feſtum publicæ Fortunæ: cujus templum à Cæſare conſecratum eſt in colle Quirinali, poſt Africanam victoriam, de Scipione, & rege juba. *Pallantias.*] Pallantis ex Titanum genere filia. *Motis aſtris.*] Pulſis ſyderibus, quæ adventu majoris luminis obſcurantur. *Paul.* *Primos cibos.*] Caſeus certe ex antiquiſſimis eſt. Athenæus lib. 4. *Neap.*

374. *Luna levarit equos.*] *Lavarit* ſex ſcripti, quomodo Paſſeratius etiam ad Propertium. ſed fruſtra. ut jam monui ad Claudianum. *tollere* dixit lib. V. de Aurorâ.

*In matutinis lampada tollit equis.*

Heinſ.

375. *Sacrata eſt colle Quirini.*] *Valle* multi ex melioribus. male: Vetus Kalendarium, FORTUN. PUBLIC. PR. IN COLL. Feſtus Rufus de Regionibus Urbis, *Ædes Fortuna Publica in colle.* Cæterum opinor legendum *colle Quirino*, ut Metam. XIV.

*—— lucum pete, colle Quirino*
*Qui viret.*

ita enim meliores libri. Horat. lib. II. Ep. II.

*—— cubat hic in colle Quirino.*

ſic & ibi ſcripſerim libens. vetuſta exemplaria apud eundem lib. I. Od. II. *populo Quirino*, apud Noſtrum ſupra l. II. & III. *collis Eſquilius* & *Eſquilius mons. Caprea palus, penetralia Collatina, Carmens porta*, & ſimilia. *Idem.*

376. *Hac Fortuna die publica.*] Duo ſunt templa in Faſtis Ovidianis Fortunæ Publicæ dedicata, unum hic Nonis Aprilis, alterum 8. Kalendas Junias. Unum vero Romæ fuit à Latinis Græciſque (τύχην δημοσίαν hi nuncuparunt) ſic dictum in monte Quirinali. Merito ergo argutantur multa interpretes, ſed nemo ſane eorum ſanæ mentis. in fragmento Kalendarii antiqui inſcriptio veterum pagina CXXXV. in quo, poſt notas illas, Q. R. C. F. id eſt, *Quando Rex comitiavit fas*, qui dies eſt 9. Kalendas

TErtia lux (memini) Ludis erat. at mihi quidam
Spectanti ſenior, contiguuſque loco,
Hæc, ait, illa dies, Libycis quâ Cæſar in oris
Perfida magnanimi contudit arma Jubæ.
Dux mihi Cæſar erat, ſub quo meruiſſe Tribunus
Glorior. officio præfuit ille meo.
Hanc ego militiâ ſedem, tu pace paraſti,
Inter bis quinos uſus honore Viros.
Plura locuturi ſubito ſeducimur imbre.
Pendula cœleſtes Libra movebat aquas.
Ante tamen, quam ſumma dies ſpectacula ſiſtat,
Enſifer Orion æquore merſus erit.

Pro-

lendas Junias, ſtatim ſequebantur hæ, FORTUN. PUBLIC. PR. IN COLL. hoc eſt, *Fortuna Publica primigenia in colle.* Sequitur ergo, quod verſûs menſe Majo loquatur de Fortunâ Primigeniâ; quæ etiam, ut vides, *Publica* dicta; menſe vero Aprili de eâ quæ tantum Publica cognominata. utraque templum habuit in colle Quirinali.

377. *Tertia lux (memini) ludis erit.*] *Erat* Urſin. pri. Ambroſ. multique alii. unus *eat.* Mazar. & Zulich. ac octo aut novem præterea, *Tertia lux memini ludis erat. at mihi quidam*, optime. quomodo & Gruterus in ſchedis ſuis conjecerat. mox pro *contiguus* pleri que veteres *continuus.* Heinſ. *Tertia lux, memini.*] Hoc eſt, tertiâ poſt Nonas, quæ 6. Idus Aprilis, ludi fiebant: idque etiam monet vetus Kalendarium. Dubium, an hoc fecerint Romani in Julianæ victoriæ æviternam memoriam, ſitque ludus aliquis continuatus ex tot quos tunc edidit ſummus ille Princeps. *Hac mihi quidam.*] Malo, *quondam*, ut ineſt MSS. Scribebat in exilio. *Neap.*

379. *Hac, ait, illa dies.*] Habes diem: annus vero fuit DCCVII. ab V.C. triumphus Cæſaris IV. *Neap.*

381. *Dux mihi Cæſar erat.*] Eo tempore ego ſub Cæſare militabam. *Meruiſſe Tribunus.*] *Tribunal* Mazar. Zulich. Voſſ. & tres alii. ut ſtipendium ſit militare Tribunal. ſed nil mutandum cenſeo. *Heinſ.*

382. *Glorior meruiſſe.*] Ad gloriam mihi aſcribo ſub Cæſare militaſſe. *Præfuit officiis meis.*] Quia ille imperator, & ego ſub eo tribunus.

383. *Inter bis quinos.*] Ergo juxta Tribunum ſedit Ovidius; non quia ex equeſtri familiâ, ſed quia Decemvir. Hoc munus exercuit Noſter pauculos annos, opinor, antequam Urbe diſcederet, & ad hunc magiſtratum pertinebat Centumviros congregare, ad judicia reorum peragenda: cui rei initium ex Auguſti inſtitutione.

385. *Subducimur imbre.*] *Seducimur* Arond. & ſeptem alii, cum Mazar. Zulich. & Erfurtano. hoc eſt, ſeparamur, bene. Quomodo Ep. Leandri,

*Seducit terras hac brevis unda duas.*

mox *Enſiger Orion* meliores pro *Enſifer.* quomodo etiam lib. II. Art.

*—— comeſque Boota*
*Enſiger Orion aſpiciendus erit.*

Heinſ. *Subito ſubducimur imbre.*] Eodemmet die. Plinius lib. 18. cap. 26. *Cæſari VI. Idus ſignificatur imber Libræ occaſu.* Neap.

387. *Ante tamen quam ſumma dies.*] Erit Orionis occaſus heliacus. Sed heus quam menſis dices hanc ultimam ſpectaculorum? Kalendarium Conſtantini Magni ludos Megaleſiacos terminat

PRoxima victricem cum Romam inſpexerit Eos,
Et dederit Phœbo ſtella fugata locum;
Circus erit pompâ celeber numeroque Deorum:
Primaque ventoſis palma petetur equis.
Hi Cereris Ludi: non eſt opus indice cauſſa.
Sponte Deæ munus promeritumque patent.
Meſſis erant primis virides mortalibus herbæ;
Quas tellus nullo ſollicitante dabat.
Et modo carpebant vivaci ceſpite gramen;
Nunc epulæ tenerâ fronde cacumen erant.
Poſtmodo glans nata eſt. bene erat jam glande repertâ:

Du-

4. Idus: nam 3. Idus facit natalem Severi. *Neap.*

389. *Proxima victricem.* ] Quinto Idus April. hoc eſt, nono die menſis, ludi fiunt ad honorem Cereris in Circo maximo. primum tamen fiunt Equiria. *Proxima victricem.* ] Pridie Idus Apriles erant Cerealia: quæ non ex Feſtis antiquis Urbis. *Neap.*

391. *Circus.* ] Maximus, ſcil. quem Tarquinius Priſcus extruxit inter Aventinum & Palatium. *Et numero deorum.* ] Quaſi multis deorum imaginibus. *P.* *Pompa celeber.* ] Expreſſim de hac Cereali M. Varro de R. R. *Pompa.* ] Dii Romæ quotannis Circenſium diebus ſolenni pompa in carpentis traducebantur: idque proprie pompam vocari affirmat Lipſ. lib. 2. Antiqu. Sic Prudent. de Veſta: *Fertur per medias ut publica pompa plateas, Pilento inſidens molli.* Θείη πομπή. Herod. 3. Et Noſter Amor. 3. *Ore favent populi tum, cum venit aurea pompa —— Iſa ſacerdotes ſubſequiturque ſuas.*

392. *Palma petetur equis.* ] Ludi conſtabant ex pluribus equitum curſibus, teſte Tacito. Prodigii loco olim habitum, pro hiſce gladiatorios exhibitos. Vide Dionem lib. 47. anno DCCXII. *N.*

393. *Hinc Cereris ludi.* ] *Hic* Urſin. & tres alii. Lege *Hi Cereris ludi.* pro *indice cauſa* præſtantiores omnes *indice cauſſa.* & bene. ſic ſupra,

*Index lætitiæ fertur ad aſtra ſonus.*

& apud Lucretium lib. II. *indice mente.* apud Livium lib. VII. *clamor omnium aſſenſus index.* & lib. XXIII. *clamor favoris index.* lib. XXXVI. *clamor capti oppidi index.* Plinius lib. VIII. cap. XVI. *Leonum animi index cauda, ſicut & equorum aures.* Pont. IV. Eleg. XIII.

*Unde ſalueris, color hic tibi protinus index.*

Met. IX.

*Eſſe quidem læſi poterat tibi pectoris index*
*Et color & macies.*

Rutilius Itinerario,

*Index ſemiruti porta vetuſta ſoli.*

Avienus Phænom.

*—— vero ſollers mox indice diſcat.*

ſic &

*Index cura Deûm*

Statio Epicedio in Patrem. *Heinſ.* *Hinc Cereris ludi.* ] Hoc eſt à duodecima menſis die incipiunt Cereales. *Neapol.*

395. *Panis erant primis.* ] *Meſſis erat* Zulich. & Mazar. à manu prima. Patavinus quoque unus melioris notæ *Meſſis erant.* probe. meſſem pro pane ponit. ſuperiori verſu *patent* pro *patet* unus Mediceus. & id placet. *Heinſ.*

397. *Vivax è ceſpite gramen.* ] *Vivaci ceſpite* Urſin. Nauger. & alii nonnulli. *vivo de ceſpite* Bononienſis. *Idem.*

399. *Poſtmodo glans nata eſt.* ] *Orta eſt* quatuor libri. *Idem.*

401. *Prima*

Digitized by Google

Duraque magnificas quercus habebat opes.
Prima Ceres homini ad meliora alimenta vocato
Mutavit glandes utiliore cibo.
Illa jugo tauros collum præbere coëgit:
Tum primum ſoles eruta vidit humus.
Æs erat in pretio: chalybeïa maſſa latebat.
Heu quam perpetuo debuit illa tegi!
Pace Ceres læta eſt. at vos optate, coloni,
Perpetuam Pacem, perpetuumque Ducem.
Farra Deæ, micæque licet ſalientis honorem
Detis, & in veteres thurea grana focos.
Et, ſi thura aberunt, unctas accendite tædas.
Parva bonæ Cereri, ſint modo caſta, placent.
A bove ſuccincti cultros removete miniſtri.

Bos

401. *Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato.* ] Verſus paulo durior. *homini* Mazar. Zulichem. Voſſ. pri. Ambroſ. & tres alii. Tò *alimenta* abeſt à tribus. Forte,

*Prima Ceres hominum victu ad meliora*
*vocato.* Idem.

405. *Chalybis jam maſſa placebat.* ] *Chalybe jam* Petav. *chalybeia.* Nauger. bene. Sed nondum ſanatus eſt locus. Urſin. Mazar. Zulich. unus Vatic. & unus Patav. *chalybeia maſſa latebat.* optime. quo & alludunt prim. Ambroſ. & Læti, in quibus, *chalybeaque maſſa latebat.* *latebat* etiam in Erfurtano aliiſque nonnullis. *Idem.*

406. *Heu heu perpetuo.* ] Alii *Heu* vel *Eheu.* At Læti Codex, pri. Bonon. & tres alii, *Heu quam perpetuo.* ut in Amoribus,

*Heu quam, quod ſtudeas ponere, ferre*
*grave eſt!*

Triſt. III. El. IV.

*Heu quam vicina eſt ultima terra mihi!*

Idem.

407. *Et vos orate coloni Perpetuam pacem pacificumque ducem.* ] *Optate* meliores. bene. deinde *at vos* Arondel. Voſſii, & tres alii. etiam rectius. Mazar. Zulich. & multi alii *perpetuumque ducem.* quod & in ſuis invenerat Naugerius lib. I.

*Jane, face, æternos pacem paciſque ſe-*
*queſtrem,*
*Neve ſuum præſta deſerat auctor opus.*

& eodem libro,

*Utque domus, quæ præſtat eam, cum*
*Pace perennet,*
*Ad pia propenſos vota rogate Deos.*

& de Veſta lib. III.

*Quos ſancta fovet ille manu bene vivitis*
*ignes.*
*Vivite inextincti flammaque duxque,*
*precor.* Idem.

509. *Farra licet.* ] Ceres non exigit opulentum ſacrificium, ſed farre & ſale contenta eſt, & thure, & ſuccenſis tædis. *Honorem micæque ſalientis.* ] Micæ ſalis.

411. *Accendite tædas unctas.* ] In ludis enim Cereris tædæ accenſæ feruntur, quod raptam filiam accenſa quæſierit.

412. *Sint modò caſta.* ] Modo pia & caſta mente offerantur.

413. *O miniſtri ſuccincti.* ] Vos qui ſuccincta veſte ſacra miniſtratis. qui mos ſuccingendi à Gabinis emanavit. *Paul.* *Cultros removete.* ] Antiquiſſima lex fuit inter primævos Italiæ populos, quâ pari pœnâ homicida & bovicida

 damna-

Bos aret: ignavam ſacrificate ſuem.
Apta jugo cervix non eſt ferienda ſecuri.
Vivat, & in durâ ſæpe laboret humo.
Exigit ipſe locus, raptus ut virginis edam.
Plura recognoſces: pauca docendus eris.
Terra tribus ſcopulis vaſtum procurrit in æquor
Trinacris; à poſitu nomen adepta loci.
Grata domus Cereri. multas ibi poſſidet urbes;
In quibus eſt culto fertilis Henna ſolo.
Frigida cœleſtum matres Arethuſa vocarat.
Venerat ad ſacras & Dea flava dapes.
Filia, conſuetis ut erat comitata puellis,
Errabat nudo per ſua prata pede.
Valle ſub umbroſa locus eſt, adſpergine multâ
Uvidus ex alto deſilientis aquæ.
Tot fuerant illic, quot habet natura, colores:

Picta-

damnabatur: ratio apud Ælianum Ποικίλης lib. 5.

414. *Ignavam ſacrificate ſuem.*] *Ignavum* pri. Med. pr. Farneſ. Gottorph. & multi alii. *Heinſius.* *Ignavam ſacrificate ſuem.*] Forſan ad illud Platonis Comici adluſit ἐν ταῖς Ἑορταῖς τῷ δράματι: quem dixiſſe refert Clemens Alexandrinus Stromatωn l. 7. non oportere nos ex omni quadrupede occidere quam ſuem: nam & caro habetur in deliciis, & nihil ex porco redit præter ſetas, grunnitum, & lutum. *Neap.*

418. *Plura recognoſces.*] Malim *recognoſcis.* mox pro *ea poſſidet*, Zulich. & alter Ambroſ. *ibi*. Heinſ.

420. *Adepta nomen Trinacris à poſitu loci.*] Quæ à ſitu & forma triangulari Trinacris eſt appellata. *Paul.* *Grata domus Cereri.*] Imo non habuit Diva gratiorem, tum ob frumentationem, tum ob cultum. de illius religione mira Cicero Verrinâ 4. Et poſt ſubdit, fanum illud habuiſſe bina Cereris ſimulacra, unum marmoreum, alterum æreum modicum cum facibus, ſed excellens & perantiquum. Si templi auctorem quæris, is Gelon fuit Syracuſanus, Diodorus Siculus lib. 11.

422. *Culto ſolo.*] Meo veteri eſt, *celſo*, ex ſitu, qui arduus & acclivis. *Neap.* *Eſt Enna.*] Enna quæ feracem habet agrum. quod oppidum eſt in media fere inſula. *Enna.*] *Henna* meliores tam hic, quam infra. de quo ad Claudianum Raptu Proſerpinæ. *Heinſ.*

423. *Frigida, &c.*] Nympha Syracuſii fontis, quam Arethuſam vocant, deas ad convivium vocarat. Acceſſerat & Ceres. quod ideo fictum eſſe à poëtis conſtat, ut occaſio daretur amanti rapiendæ virginis, abſente cuſtodia matris. *Frigida.*] Ob aquæ frigiditatem.

427. *Locus eſt.*] Vaſta illa ſpecus celebris hoc raptu apud veteres, & ſoli fertilitate. *Neap.*

429. *Tot fuerant illic.*] Urſini liber *florent.* quod placeret, niſi *flore* ſequeretur. Scribo *Tot vernant illic*, & ſequenti verſu *flore renidet humus*, pro *nitebat.* Nam unus Patavinus melioris notæ, *ridebat*, alius *virebat*. Exaratum fuerat *flore nidet* aut *nitet* pro *renidet*. & *verant* pro *vernant* ſuperiori verſu. hinc natus

error

Pictaque diſſimili flore nitebat humus.
Quam ſimul adſpexit; Comites accedite, dixit;
Et mecum veſtros flore replete ſinus.
Præda puellares animos prolectat inanis,
Et non ſentitur ſedulitate labor.
Hæc implet lento calathos è vimine textos:
Hæc gremium, laxos degravat illa ſinus.
Illa legit calthas: huic ſunt violaria curæ:

Illa

error. *verna roſa* Faſt. vſ. 192. *vernantia lilia* Columella,

*Cum Cereris proles veſtris intenta choreis*
*Æquoris Hennæi vernantia lilia carpſit.*

ſic Met. xv.

*—— florumque coloribus almus*
*Ridet ager.*

ita enim vetuſti codices. ubi plura appoſite Prudentius περὶ στεφ ἰν. Hymno S S. Petri & Pauli Apoſtolorum,

*Sic prata vernis floribus renitent.*

Heinſ.

432. *Plenos flore referte ſinus.*] *Veſtros referte* multi ex ſcriptis. *veſtros replete* alii nonnulli. bene. *Idem.*

433. *Animos oblectat inanis.*] Alii *delectat* ex melioribus. Sed vere Petav. & Urſin. *prolectat.* quo ſpectant etiam primus Med. & Politiani excerpta cum quatuor aliis, qui *projectat* agnoſcunt ſic *prolicere* de quo dixi Art. Am. lib. II. vſ. 718. Prudentius Amartig.

*Aſt alia, quas nullus amor prolectat edendi.*

Auſonius Ep. XIV. *editionis aliena prolectat audaciam.* Cyprianus ſub finem ep. I. *prolectet aures religioſa mulcedo.* Apulejus Met XI. *Canora etiam avicula prolectante verno vapore concentus ſuaves adſonant.* Uſus etiam eſt eo verbo Cicero, ut & Ammianus Marcellinus. ſic & *electare* Plautus dixit. & *allectare* Cicero Catone. *inlectare* Val. Flaccus libro IV.

*Haud procul inlectans Argum, languentia cantu*
*Lumina cuncta notat.*

ſic ſcribo. *inſectans* perperam vulgo. de Mercurio Argum cantibus demulcente eſt ſermo. hinc & *illex cantus.* *prolicere* reſtituimus apud Noſtrum libro II. Artis, vſ. 718. ubi adeantur notæ. *Idem.*

434. *Et non ſentitur ſedulitate labor.*] Alibi dicit, *Studio fallente, minuente laborem.*

435. *Calathos è vimine nexos.*] *Textos* Voſſ pri. Ambroſ. Zulich. Mazar. Lati, prim. Farneſ. & multi alii. quod ſequor. Claudianus lib. II. Rapt.

*—— nunc vimine texto*
*Ridentes calathos ſpoliis agreſtibus implet.*

Martial. lib. IX. Ep. LXXIV.

*Clauſa mihi texto cum prandia vimine mittas.*

Nemeſianus Eclog. II. de luſciniâ,

*Quæ licet interdum contexto vimine clauſa.*

Virgil.

*Seu lento fuerint alvearia vimine texta.*

Statius Theb. I.

*Gramineos dedit herba toros & vimine querno*
*Texta domus.*

ſic paſſim veteres. Noſter lib. VI.

*Et paries lento vimine textus erat.*

Heinſ.

437. *Illa legit calthas.*] Caltham Gloſſæ exponunt βύφθαλμον. At Plinius hanc à buphthalmo, & bene, diſcriminat: nam licet ſint flores fere colore ſimiles, non tamen iidem. Caltham ille facit violæ marinæ concolorem, ſed amplioribus foliis. *Neap.*



440. *Pars*

Illa papavereas ſubſecat ungue comas.
Has, Hyacinthe, tenes: illas, Amarante, moraris:
Pars thyma, pars caſiam, pars meliloton amant.
Plurima lecta roſa eſt; & ſunt ſine nomine flores.
Ipſa crocos tenues, liliaque alba legit.
Carpendi ſtudio paulatim longius itur:
Et dominam caſu nulla ſecuta comes.
Hanc videt, & viſam patruus velociter aufert;
Regnaque cæruleis in ſua portat equis.
Illa quidem clamabat, Iö, cariſſima mater,
Auferor. ipſa ſuos abſciderat que ſinus.
Panditur interea Diti via: jamque diurnum
Lumen inaſſueti vix patiuntur equi.
At chorus æqualis cumulatis flore caniſtris:
Perſephone, clamant, ad tua dona veni.
Ut clamata ſilet, montes ululatibus implent;

Et

440. *Pars thyma, pars rorem, pars meliloton amant.* ] *Pars caſiam* bene optimus Urſini liber & Naugerianus. tres alii *parsque roſas.* multi *pars rores.* Strozzæ codex *pars crorem.* alius *pars violas.* Virgil.

*Tum caſiâ atque aliis intexens ſuavibus herbis.*

In Ciri,

*Narciſſum caſiamque herbas incendit olentes.*

Elegia in obitum Mæcenatis,

*Hic tibi corycium, caſias hic donat olentes.*

cum nardo conjunxit Noſter Met. xv. De caſiâ vide Plinium. *Heinſ.*

441. *Sunt & ſine nomine flores.* ] *Et ſunt* ſcripti potiores. Puto ſcribendum.

*Plurima lecta roſa eſt, lecti ſine nomine flores.* Idem.

442. *Liliaque alba legit.* ] Claudianus in raptu de eâdem:

*Et aut violas aut candida lilia carpit.*

Neap.

445. *Patruus.* ] Pluto: nam frater Jovis & Cereris.

448. *Abſcideratque ſinus.* ] *Exſcideratque* multi veterum. Virgil. lib. v.

*Tum pius Æneas humeris exſcindere veſtes*
*Auxilioque vocare deos.*

ita vetuſtiſſimus Mediceus. *Heinſ.*

449. *Diti.* ] Patefacta eſt Plutoni via: hoc eſt, antrum illud apertum, per quod ad inferos deſcendebatur. *Namque diurnum.* ] Lege *jamque* cum uno meo. *Heinſ.*

451. *At chorus æqualis.* ] Facit Proſerpinæ comites ejuſdem fere ætatis. *Neap.* *Cumulata flore miniſtra.* ] *Cumulatis caniſtris*, primæ editiones, codex Naugerii, & ex noſtris quatuor. bene. Corippus,

*Qualia fœcundi convectant munera campi*
*Agricolæ, cum prata virent, pleniſque caniſtris*
*Lilia cana ferunt.*

Noſter lib. II.

*Stat puer, & manibus lata caniſtra tenet.*

utitur eadem voce Met. II. & VIII. etiam Virgilius, Statius, alii. calathos vocavit ſupra. & lib. VI. ubi Flora,

*Inque leves calathos munera noſtra ferunt.* Heinſ.

452. *Ad tua dona veni.* ] Venuſte pri.

Ambroſ.

Et feriunt mœſtæ pectora nuda manus.
Attonita eſt plangore Ceres; modo venerat Hennam:
Nec mora, Me miſeram, filia, dixit, ubi es?
Mentis inops rapitur. quales audire ſolemus
Treïcias paſſis Mænadas ire comis.
Ut vitulo mugit ſua mater ab ubere rapto,
Et quærit fœtus per nemus omne ſuos;
Sic Dea, nec retinet gemitus, & concita curſu
Fertur; & è campis incipit, Henna, tuis.
Inde puellaris nacta eſt veſtigia plantæ,
Et preſſam noto pondere vidit humum.
Forſitan illa dies errori ſumma fuiſſet,
Si non turbaſſent ſigna reperta ſues.
Jamque Leontinos Amenanaque flumina curſu
Præterit, & ripas, herbifer Aci, tuas:
Præterit & Cyanen, & fontem lenis Anapi;



Ambroſ. *ad tua vota.* hoc eſt, ad tua gaudia. ſequenti verſu lege cum melioribus *Ut clamata ſilet.* vulgo perperam *Et.* Idem.

454. *Feriunt mœſta pectora nuda manu.*] *Mœſta* Urſin. Nauger. & unus Patav. lege *mœſta manus.* repetit hunc verſum Triſt. lib. I. Eleg. III. Vide Notas lib. II. vſ. 100. ſupra,

*Et feriunt molles taurea terga manus.*

Idem.

456. *Filia, clamat, ubi es? Dixit* præſtantiores. *Idem.*

457. *Ut quas audire ſolemus.*] *Quales audire* iidem, & *paſſis comis* pro *fuſis* ſequenti verſu. de quo ad lib. I. vſ. 646. *Idem.*

458. *Mænadas ire comis.*] Dionyſianas illas: quibus nomen hoc ab inſaniâ, *Neap.*

460. *Et quærit fœtus.*] *Queritur* unus Vatican. ut Rem. Am.

*Et queritur vitulum mater abeſſe ſuum.*

Heinſ.

465. *Erroris ſumma fuiſſet.*] *Errori* elegantius Zulichemianus. Nauger. *errorum.* Idem.

466. *Non turbaſſent.*] Roſtro terram evertendo. *Signa reperta.*] Ipſa veſtigia.

467. *Leontinos.*] Qui fuere in Sicilia, inter Lilybæum, & Peloridem mediterranei, prope Centuripinos. *Aniſena*] Plinio teſte. Aniſes in Sicilia fluvius eſt. *Aniſenaque flumina curſu.*] *Amenenaque* Petav. *Amenaque* Zulich. Mazar. & multi alii. quidam *Anienaque*, vel *Amaſenaque.* & ſimilia. Sed *Amenanaque* tam hic, quam lib. XV. Met. ſcribendum eſſe ex Strabone primus monuit Fulvius Urſinus, & poſt illum, in Siciliâ Philippus Cluverius. Urſino eam emendationem Ciofanus ſublegit. Neque aliter Muretus in codice ſuo caſtigarat, adſcripto inſuper Strabonis loco. pri. Ambroſ. *Armenaque.* Malim etiam *curſim*, quia *curſu* paulo ante præceſſit, *Heinſ.*

469. *Et præterit Cyanen.*] Cyane fons eſt in agro Syracuſano. *Et præteri fontes lenis Anapi.*] Leni fluxu labentis. Anapus Cyanæ commiſcetur.

Et te, vorticibus non adeunde Gela.
Liquerat Ortygien, Megarêaque, Pantagienque,
Quaque Simethêas accipit æquor aquas,
Antraque Cyclopum poſitis exuſta caminis,
Quique locus curvæ nomina falcis habet:
Himeraque, & Didymen, Acragantaque, Tauromenonque;
Sacrorumque Melan paſcua læta boum.
Hinc Camerinan adit, Thapſonque & Heloria tempe;
Quaque patet Zephyro ſemper apertus Eryx.

Jam-

470. *Gela non adeunde.* ] Quaſi qui facile pertranſiri non potes. *Vorticibus.* ] Propter aquas vorticoſas. Nam Gelas fluvius magnus prope Camerinam.

471. *Ortygiam.* ] *Ortygien* meliores. ſic & in Metamorphoſi. *Heinſ.* *Ortygiam.* ] Inſulam ante Syracuſas. *Et liquerat Megarea.* ] Hoc eſt, Megaram ipſam in Sicilia, cujus Strabo meminit. *Et Pantagiam.* ] Qui fluvius eſt prope Megaram. *Paul.*

472. *Simethêas.* ] Catoni riſum excuteret Berſmannus cum ſua nota, *Simæthos inſula*; cum Σίμαιθος ſit flumen prope Catanam, & Cyclopum ſcopulos: accolæ dicunt, *la Jaretta.* Neap.

474. *Nomina falcis.* ] Licet hæc neſcias: de Meſſanâ an Drepano intelligas: nam utraque habet à falce nomen, ex chorographiâ tamen, & ex eo quod multo poſt nominet Erycem, ad cujus pedes ſita civitas Drepanitana, Meſſanam præfatis verbis deſcribi non ambigo. *Neap.*

475. *Himera.* ] Eſt oppidum inter Pelorum ac Lilybæum, quod Zanclæi condiderunt. Himera quoque nomen eſt fluvii ejus inſulæ non incelebris. *Didymen.* ] Ex inſulis Lipareorum, quas & Æolias dicimus, Siciliæ adjacentibus, una eſt. *Agrigentaque.* ] Veteres *Arcacantaque* aut *Agragantaque.* Lege *Arcagantaque.* ὁ Ἀκράγας Græcis, Latinis *Agrigentum.* Gratius *Cantatus Grajis Acragas.* Virgilius lib. III. ubi Siciliam deſcribit,

*Arduus inde Acragas oſtentat maxima longe*
*Mœnia.*

ubi Mediceus veterrimus *Agragans.* & ſic plerique omnes, niſi quod in uno vetuſtiſſimo Vaticano *Acragas.* *Acragantinus Empedocles* apud Lucretium l. I. Ἀκραγαντῖνος. nam *Agragantinus* tres vetuſtiſſimi codices, quos inſpexi, non *Agrigentinus.* & ſic apud Plinium lib. XXXV. cap. XV etiam apud Silium ſcribunt antiqua exemplaria. pro *Tauromenonque* unus Patavinus *Tauromenenque.* recte. atque ita apud veterem poëtam Græcum neſcio quem legiſſe me ſum certus. locus tamen nunc non ſuccurrit. Ταυρομένια Straboni eſt. aliis Ταυρομένιον. *Melan* etiam pro *Melam* meliores paulo poſt, quomodo & *Camerinan* mox dicet. *Sacrorum* etiam *boum* non *ſacrarum* aliquot ſcripti. *Heinſ.*

477. *Camerinam.* ] Oppidum prope Gelam fluvium. *Et Thapſum.* ] Quæ parva eſt inſula juxta Syracuſas, par pœne fluctui. *Heloria.* ] Græci: Ἕλωρος, πόλις Σικελίας, ἀπὸ Ἑλώρου ποταμοῦ. *Neapol.*

478. *Quaque jacet Zephyro.* ] *Patet* meliores. & recte. Rutilius Itinerario,

*Inque omnes ventos littora nuda patens.*

Rufus Feſtus Orâ Maritimâ,

*Pœtanion autem eſt inſula, ad Zephyrum jacet*
*Patuluſque portus.*

ubi

Jamque Peloriaden, Lilybêaque, jamque Pachynon
Luſtrarat, terræ cornua prima ſuæ.
Quacunque ingreditur, miſeris loca cuncta querelis
Implet. ut amiſſum cum gemit ales Ityn.
Perque vices modo, Perſephone, modo, Filia, clamat.
Clamat, & alternis nomen utrumque ciet.
Sed neque Perſephone Cererem, neque filia matrem
Audit: & alternis nomen utrumque perit.
Unaque, paſtorem vidiſſet an arva colentem,
Vox erat, Hac greſſus ecqua puella tulit?
Jam color unus ineſt rebus; tenebriſque teguntur
Omnia: jam vigiles conticuere canes.
Alta jacet vaſti ſuper ora Typhoëos Ætne,
Cujus anhelatis ignibus ardet humus.
Illic accendit geminas pro lampade pinus:
Hinc Cereris ſacris nunc quoque tæda datur.
Eſt ſpecus exeſi ſtructurâ pumicis aſper;
Non homini regio, non adeunda feræ:
Quo ſimul ac venit, frænatos curribus angues
Jungit, & æquoreas ſicca pererrat aquas.

Effu-

ubi male legitur, *ad ſe ſummum latet.* Heinſ. *Semper apertus Eryx.*] Hic mons Siciliæ dictus eſt ab Eryce Veneris & Butæ filio, qui ab Hercule cæſus dicitur. Imminet autem Eryx mari ea parte, quæ ad Italiam ſpectat, inter Drepanum & Panormum: In ejus vertice planicies eſt, ubi fuit Erycinæ Veneris templum, omnium Siciliæ templorum ornatiſſimum.

479. *Jamque luſtrarat.*] Circuierat. *Peloriadem.*] Arcem Pelori. *Et Lilybæa.*] Lilybæum, ſeu Lilybæi montis juga. *Pachynum.*] Promontorium.

480. *Terræ cornua prima ſuæ.*] Ingenioſiſſimo Jano Vlitio videbatur legendum *cornua trina.* ut ad etymon Trinacriæ alludat. nec diſſentio. vide Notas Met. XIII. vſ. 724. *Heinſ.* *Prima cornua.*] Promontoria. in tribus Siciliæ angulis, Pelorus ad ſeptentrionem, Pachynus ad ortum, Lilybæus ad auſtrum.

482. *Ut cum ales gemit Ityn amiſſum.*] Ut Tereus in upupam converſus gemit filium Ityn nomine, jam in avem quoque converſum. Vide Metam.

484. *Utrumque nomen.*] Et Perſephones & filiæ.

489. *Jam color unus ineſt rebus.*] *Cum rebus nox abſtulit atra colorem.* Virg. cui contrarium: —— *rebus jam luce retectis.*

491. *Typhoëos Ætna.*] *Ætne* meliores. ſic ſæpe alibi. *Heinſ.*

496. *Non homini facilis.*] *Regio* Urſin. Voſſ. pr. Ambroſ. Læti, Mazar. Zulich. Nauger. & multi alii. & ſequenti verſu meliores magna ex parte *Quo ſimul advenit* pro *ſimul ac venit.* tamen lib. II.

*Qua ſimul ac tetigit Juturna ſtagna ſororis.*

Idem.

498. *Junxit.*] Meliores *Jungit.* *Id.*

 499. *Effu-*

Effugit & Syrtes, & te, Zanclæa Charybdi;
  Et vos, Niſæi naufraga monſtra canes;
Hadriacumque patens latè, bimaremque corinthon.
  Sic venit ad portus, Attica terra, tuos.
Hic primum ſedit gelido mœſtiſſima ſaxo.
  Illud Cecropidæ nunc quoque triſte vocant.
Sub Jove duravit multis immota diebus,
  Et Lunæ patiens, & pluvialis aquæ.
Fors ſua cuique loco eſt. quo nunc Cerealis Eleuſin,
  Dicitur hoc Celei rura fuiſſe ſenis.
Ille domum glandes excuſſaque mora rubetis
  Portat, & arſuris arida ligna focis.
Filia parva duas redigebat rupe capellas;

Et

499. *Effugit ad Syrtes.* ] *Et Syrtes* iidem. Lege etiam *Charybdi* ex uno Mediceo pro *Charybdis*. Idem.

500. *Niſei canes.* ] Male alii *Scyllai*, & *Phorcês* unus Ambroſ. de quo ad Sabini Epiſt. I. eſt dictum. pro *naufraga monſtra* quidam *turba* ex melioribus. *Idem*.

501. *Bimaremque Corinthum.* ] *Corinthon* alii. *Idem*.

502. *Sic venit.*] Ceres. *In portus tuos.* ] Nam exeuntibus Peloponneſo per Iſthmum, ſtatim occurrit Attica.

504. *Nunc quoque triſte vocant.* ] Maternâ linguâ Ἀγέλαστον πέτραν. Vide Ariſtophanis Scholiaſtem. Et Heſychium in Ἀγέλαστος. Hoc ſaxum fuit prope puteum Καλλίχορον dictum: ibi primum aliquid in honorem Cereris celebratum. *Neap.*

507. *Qui nunc Cerealis Eleuſis Dicitur, hic Celei rura fuere ſenis.* ] *Eleuſin* meliores. de quo ad Epiſt. IV. deinde, *quo nunc* Urſin. & unus Patav. *quod* Petav. & tres alii. & ſequenti verſu *hoc*. Urſin. & unus Patav. *hac fuiſſe*. alius *hóc fuiſſe*. Lege, *quo nunc Cerealis Eleuſin*, *Dicitur hoc Celei rura fuiſſe ſenis*. nempe loco. *Dicitur* pro dicuntur. ſic Commodianus in Inſtructionibus de Jove,

*Dicitur & fulmen Cyclopas illi feciſſe*, Fragmentum vetus de nominibus, quod Val. Maximo attexitur. *Fertur enim Cajam Cæciliam Tarquinii Priſci uxorem optimam lanificam fuiſſe*. Heinſ.

508. *Hac Celei rura fuere ſenis.* ] Videtur adſignificare, poſt Cereris adventum Eleuſim conditam, & in loco ubi erant Celei rura. Quod immanis anachroniſmus, ſive τὴν ἁρπαγὴν conferas in tempora Lyncei cum Euſebio, quod & indicat Tatianus Aſſyrius in Oratione contra Græcos: ſive certius, ad Theſei ſeculum; cum Eleuſis in Atticâ condita cccc. & aliquot annis antea ab Ogyge. Hunc facit urbis auctorem Africanus ἐν τρίτῃ Χρονογραφιῶν.

509. *Excuſſaque mora Rubetis.* ] Mora etiam dicuntur quæ rubi ferunt. *N.* *Et mora excuſſa rubetis.* ] Mora agreſtia, à rubis excerpta aut decuſſa.

511. *Redigebat monte capellas.* ] *Rupe* Urſin. & unus Patav. bene. ſic Remed. Amor.

*Ecce petunt rupes præruptaque ſaxa capellæ.*

Pont. lib. I. Eleg. IX.

*Ipſe ego pendentes (liceat modo) rupe capellas,*
*Ipſe velim baculo paſcere nixus oves.*

Virgil. Eclog. I.

Ite

Digitized by Google

Et tener in cunis filius æger erat.
Mater, ait virgo, (mota eſt Dea nomine matris)
Quid facis in ſolis incomitata jugis?
Reſtitit & ſenior, quamvis onus urget: & orat
Tecta ſuæ ſubeat quantulacunque caſæ.
Illa negat: ſimularat anum, mitrâque capillos
Preſſerat. inſtanti talia dicta refert:
Soſpes eas, ſemperque parens: mihi filia rapta eſt.
Heu melior quanta ſors tua ſorte meâ!
Dixit: &, ut lacrymæ (neque enim lacrymare Deorum eſt)
Decidit in tepidos lucida gutta ſinus.
Flent pariter, molles animi virgoque ſenexque.
E quibus hæc juſti verba fuêre ſenis:
Sic tibi, quam raptam quereris, ſit filia ſoſpes:
Surge: nec exiguæ deſpice tecta caſæ.
Cui Dea, Duc, inquit: ſciſti, qua cogere poſſes.

Seque

*Ite mea felix quondam pecus, ite capella.*
*Non ego vos poſthac viridi projectus in antro*
*Dumoſâ pendere procul de rupe videbo.*
Martial. lib. XIII.
*Pendentem ſummâ capream de rupe videbis,*
*Caſuram ſperes. deſpicit illa canes.*
Avienus Fab. XXVI.
*Viderat excelſa paſcentem rupe capellam,*
*Comminus eſuriens cum leo ferret iter.*
Heinſ.

514. *In ſolis locis.*] *Jugis* Voſſ. & novem aut decem alii. *Idem.*

515. *Perſtitit & ſenior.*] *Reſtitit* Zulich. Mazar. pri. Ambroſ. Arondel. & alii nonnulli. etiam rectius. *Idem.*

517. *Et preſſerat capillos mitra.*] Ferebat in capite mitram, more gentis Phrygiæ & Mæoniæ.

522. *Decidit in ſinus.*] *Sinum lacrymis implevit obortis.* Virg. 4. Æneid. Quod ex Homer. Iliad. 9. vſ. 566. —— *δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι.* *Et lucida gutta.*] Emicuit ex oculis gutta in ipſos oculorum ſinus, ad lacrymæ ſimilitudinem. *Lucida gutta.*] *Lucida* pri. Ambroſ. *liquida* Medic. alius, *livida.* Heinſ.

523. *Flent pariter molles animis.*] *Molles animi* rectius Zulich. prim. Ambroſ. Læti, & tres alii. ſic *Felices animi* Faſt. I. *indociles animi* lib. II. *Idem.*

524. *Juſti ſenis.*] *Laſſi* Zulich. prim. Ambroſ. & duo alii. *Idem.*

525. *Sic tibi quam raptam quæris.*] *Quereris* Zulichem. Mazar. & multi alii. etiam probe. *Idem.*

527. *Cui Dea, ſic, inquit.*] *Duc, inquit*, Urſin. Nauger. Voſſ. Arond. Mazar. Zulich. & quatuor alii. ſic Triſt. III. Eleg. I. *Duc, age, namque ſequar.* Seneca Troad.
*Duc, duc, Ulyſſe. nil moror. dominum ſequor.* Idem.

*Sciſti qua cogere poſſes.*] Quaſi ſciſti uti ea oratione, qua facile me ad obſequendum impelleres, cum ſoſpitem mihi filiam optaveris. *Neap.*

528. *Se-*

Seque levat ſaxo, ſubſequiturque ſenem.
Dux comiti narrat, quam ſit ſibi filius æger;
Nec capiat ſomnos, invigiletque malis.
Illa ſoporiferum, parvos initura penates,
Colligit agreſti lene papaver humo.
Dum legit; oblito fertur geſtaſſe palatô,
Longamque imprudens exſoluiſſe famem.
Quæ quia principio poſuit jejunia noctis;
Tempus habent Myſtæ ſidera viſa cibi.
Limen ut intravit, luctûs videt omnia plena.
Jam ſpes in puero nulla ſalutis erat.
Matre ſalutatâ (mater Metanira vocatur)
Tangere dignata eſt os puerile ſuo.
Pallor abit, ſubitasque vident in corpore vires.
Tantus cæleſti venit ab ore vigor.

Tota

528. *Seque levat ſaxo.*] Surgit è triſti lapide. *Neap.*

529. *Dux.*] Ipſe Celeus ſenex. *Comiti.*] Cereri.

534. *Exſolwiſſe famem.*] Nam vires reficere non decreverat, niſi Proſerpinâ inventâ. At guſtati papaveris hanc cauſam rettulit Servius: *Cereale papaver; vel, quod eſt eſui, ſicut frumentum, vel, quo Ceres uſa eſt, ad oblivionem doloris.* *Tempus habent menſa ſidera viſa ſibi.*] Non ero nunc multus in annotandis diverſis codicum ſcripturis. Optime Zulich. Mazar. Voſſian. Læti, & ſex alii,

*Tempus habent myſtæ ſidera viſa cibi.*

multi alii *miſtæ ſibi.* proxime verum. Genuinam lectionem ex veſtigiis veterum librorum jam eſt odoratus doctiſſimus Gronovius Obſervat. lib. IV. c. XV. Myſtæ proprie ſacerdotes Cereris aut Epoptæ. ipſa ſacra μυστήρια per excellentiam dicta, aut ἐποπτικά. Noſter Epiſtola Phyllidis, *tadifera myſtica ſacra Deæ.* Heinſ.

535. *Poſuit jejunia.*] Hinc in Myſteriis Eleuſiniis illa: Ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης. *Neap.*

537. *Mater Menalina vocatur.*] *Menalia* Petav. & prim. Ambroſ. *Materna* Mazar. *Melanira* Urſin. & duo alii. Zulich. & unus Vatic. *Metania.* Scribe *Metanira.* Μετάνειρα eſt Nicandro in Theriacis, ejuſque Scholiaſtæ, Nonno Dionyſ. l. XXVII. & XLVII. cui ἀρχαίη dicitur κατ' ἐξοχὴν, ut & Nicandro. Μετάνειραν vocat etiam Apollodorus libro primo bis, Ariſtides in Eleuſinia Oratione, Athenagoras Legatione pro Chriſtianis, & Joannes Tzetzes in Heſiodum. Μεγάνειρα Pauſaniæ in Atticis, & Scholiaſtæ Nicandri Alexipharmacis mendoſe dicitur. Malè etiam *Meganira* Diomedi Grammatico. apud auctorem Argumentorum in Fabulas Naſonianæ Met. lib. V. *Torrida ad caſam cujuſdam anus nomine Miſme, aut ut alii volunt, Megnira devenit.* Lege *Metanira.* Hephæſtionis Scholiaſtes, de Cerere, καὶ πλανωμένη παρεξενώθη τινὶ ὀνόματι Κελεῷ, καὶ τῇ αὐτοῦ γαμετῇ νήρι. Scribe, καὶ τῇ αὐτοῦ γαμετῇ Μετανείρῃ. Hujus nominis ſcortum etiam nobile fuit Athenis, cujus meminit Athenæus l. III. & lib. XIII. non ſemel, à Lyſia atque Iſocrate amatum. niſi diverſæ fuerunt & cognomines. *Heinſ.*

546. *Et*

Tota domus læta eſt. hoc eſt, materque paterque
Nataque: tres illi tota fuêre domus.
Mox epulas ponunt, liquefacta coagula lacte,
Pomaque, & in teneris aurea mella favis.
Abſtinet alma Ceres, ſomnique papavera cauſſas
Dat tibi cum tepido lacte bibenda, puer.
Noctis erat medium, placidique ſilentia ſomni;
Triptolemum gremio ſuſtulit illa ſuo:
Terque manu permulſit eum: tria carmina dixit;
Carmina mortali non referenda ſono.
Inque foco pueri corpus vivente favilla
Obruit, humanum purget ut ignis onus.
Excutitur ſomno ſtultè pia mater: & amens,
Quid facis? exclamat: membraque ab igne rapit.
Cui Dea, Dum non es, dixit, ſcelerata fuiſti:
Irrita materno ſunt mea dona metu.
Iſte quidem mortalis erit: ſed primus arabit,
Et ſeret, & cultâ præmia tollet humo.
Dixit: & egrediens nubem trahit, inque dracones
Tranſit; & aligero tollitur axe Ceres.
Sunion expoſitum, Piræaque tuta receſſu
Linquit, & in dextrum quæ jacet ora latus.
Hinc

546. *Et in ceris aurea mella ſuis.*] *Teneris favis* Urſin. Zulichem. & duo alii. Forte *cereis favis*, de quo libro Metam. VII. ubi ſimiliter *creteis regionibus*. pro quo codices plerique *cretis*. Idem.

550. *Suſtulit illa ſuo.*] Apollodorus loco citato: *Celeo tum ex Melanirâ conjuge filius erat; hunc in ſinu ſuo abſumptum Ceres alebat, &c.* Neap.

554. *Et obruit.*] Involvit. *Onus humanum.*] Corpus quod hominis erat.

555. *Pia & amens.*] Pia, quoad curam filii; amens, quia ſua imprudentia abſtulit divinitatem à filio, quam erat illi Ceres conceſſura.

559. *Sed primus arabit.*] Non deſunt, qui Oſyridi aratri inventionem tribuant, qui Buzygi; & his ſubſcribit Heſychius: erudite omnium Maro nomen hujus ſubticuit in principio Georgicon. *Neap.*

561. *Et tranſit in dracones.*] In currum, quem dracones agunt. *Inque dracones Tranſit.*] Forte *inde dracones ſcandit.* ſic contra Art. Am. lib. III.

*——cygnis deſcendere tempus,*
*Portarunt collo qui juga noſtra ſuo.*

mox *aligero axe* meliores. *Heinſ.*

563. *Piræaque tuta receſſu.*] Πειραιεύς, portus Athenienſium tutiſſimus, catenâ claudi ſolitus, & aliis accuratæ cuſtodiæ generibus. Vide Thucydidem lib. II. *Neap.*

564. *In dextrum qua jacet ora latus.*] *Qua jacet ora* quidam. nonnulli *quia jacet Oſſa.* Heinſ. *Et qua ora jacet in dextrum latus.*] Reliquit Atticam totam, quam qui-

Hinc init Ægæum; quo Cycladas adſpicit omnes;
Ioniumque rapax, Icariumque legit.
Perque urbes Aſiæ longum petit Helleſpontum:
Diverſumque locis alta pererrat iter.
Nam modo thurilegos Arabas, modo deſpicit Indos:
Hinc Libys, hinc Meroë, ſiccaque terra ſubeſt.
Nunc adit Heſperios Rhenum Rhodanumque Padumque,
Teque future parens, Tibri, potentis aquæ.
Quo feror? immenſum eſt erratas dicere terras:
Præteritus Cereri nullus in orbe locus.
Errat & in cælo: liquidique immunia ponti
Alloquitur gelido proxima ſigna polo.
Parrhaſides ſtellæ, (namque omnia noſſe poteſtis,
Æquoreas nunquam cum ſubeatis aquas)
Perſephonen natam miſeræ monſtrate parenti:
Dixerat. huic Helice talia verba refert:
Crimine nox vacua eſt. Solem de virgine raptâ

Con-

quidem è ſummo per Ægæum in Cycladas abeuntes ad dextram relinquunt.

566. *Ioniumque capax.* ] *Rapax* meliores omnes. ſic *Rhataumque rapax* ſupra. ubi ſimilis diverſitas lectionum. apud Senecam Thyeſte, *rapax æſtus Siculi maris.* ſic & Elegia in obitum Mæcenatis *Danubiuſque rapax.* ut quidem illic ſcribendum. ſimiliter *rapidum mare, rapidi fluvii.* Heinſ. *Et legit.* ] Tranſit. *Ionium rapax.* ] Magnum mare Ionium, quod inter Ægæum & Adriaticum ſinum eſt.

567. *Petit longum Helleſpontum.* ] Protenditur enim ab Ægæo in Propontida. *Et alta.* ] Sublimis ipſa Ceres. *Pererrat iter diverſum locis.* ] Quaſi per diverſa loca filiam quærens errabat.

570. *Subeſt.* ] Cereri per aëra devectæ. *Libs.* ] Libyæ populus. *Meroë.* ] Inſula Nili eſt. Civitates in ea ſunt plures: ſed cæteris nobilior Meroë. *Et terra ſicca.* ] Subeſt etiam Æthiopia, & plaga torrida. *Paul.*

571. *Nunc adit Heſperios.* ] Reflectens in occidentem curſum; occidentis quoque populos perluſtravit. *Heſperios.* ] Italos, & Hiſpanos. *Rhenum.* ] Fluvium ex Alpibus profluentem. *Et Rhodanum.* ] Fluvium Galliæ. *Et Padum.* ] Per Ciſalpinam Galliam labens.

575. *Liquidique immunia ponti.* ] Maro de iiſdem bene: *Metuentes æquore tingi.* Neap.

576. *Signa proxima polo.* ] Stellas Arctico polo propinquas. *Immunia.* ] Quæ aquis occiduis non immerguntur.

577. *Namquam omnia noſſe poteſtis.* ] Quia in ſublimi parte cæli eſtis, & inde nunquam diſceditis, omnia proſpicere & cognoſcere vobis datur. *Paul.* *Parrhaſides ſtellæ.* ] Alloquitur utramque Arcton, ſive urſam, Helicen videlicet & Cynoſuram, quas à Parrhaſia, id eſt, Arcadia, *Parrhaſides* vocat. *Ant.*

580. *Helice.* ] Urſa major.

581. *Crimine nox vacua eſt.* ] Noctu, inquit, non contigit raptus. *Neap.*

588. *De-*

Digitized by Google

Conſule; qui latè facta diurna videt.
Sol aditus, Quam quæris, ait, ne vana labores,
Nupta Jovis fratri tertia regna tenet.
Queſta diu ſecum ſic eſt affata Tonantem:
(Maximaque in vultu ſigna dolentis erant)
Si memor es, de quo mihi ſit proſerpina nata;
Dimidium curæ debet habere tuæ.
Orbe pererrato, ſola eſt injuria facti
Cognita: commiſſi præmia raptor habet.
At neque Perſephone digna eſt prædone marito,
Nec gener hoc nobis more parandus erat.
Quid gravius victore Gyge captiva tuliſſem:
Quam nunc te cæli ſceptra tenente tuli?
Verum impune ferat: nos hæc patiamur inultæ.
Reddat, & emendet facta priora novis.
Jupiter hanc lenit, factumque excuſat amore;
Nec gener eſt nobis ille pudendus, ait.
Non ego nobilior. poſita eſt mihi regia cælo.
Poſſidet alter aquas: alter inane Chaos.
Sed ſi fortè tibi non eſt mutabile pectus;
Statque ſemel juncti rumpere vincla tori;
Hoc quoque tentemus, ſiquidem jejuna remanſit:
Sin minus; inferni conjugis uxor erit.
Tartara juſſus adit ſumtis Caducifer alis:
Speque redit citius, viſaque certa refert.
Rapta tribus, dixit, ſolvit jejunia granis,

Pu-

588. *Debet habere dimidium curæ tuæ.*] Quaſi cum ex te genita ſit, & mihi & tibi communis filia, communis quoque filiæ cura tibi eſſe deberet.

593. *Victore Gyge.*] Ita libri. Scaliger *Gye.* vide Notas Amor. lib. II. Eleg. I. vſ. 12. *Heinſ. Gyge*] Quid triſtius evenire mihi poterat, in gigantomachiâ, te victo & proſtrato. *Neap.*

598. *Ille pudendus, ait.*] Paullum aliter in Metamorphoſi. *Neque erit nobis gener ille pudori.* Neap.

599. *Non ego nobilior.*] Non ſum præſtantior nobilitate: nam ex iiſdem parentibus nati ſumus. *Poſita eſt mihi regia cælo.*] *Ceſſit mihi regia cæli* Gottorph. *Heinſ.*

600. *Alter.*] E fratribus Neptunus. *Alter.*] Pluto. *Poſſidet inane chaos.*] Vacua Erebi regna.

605. *Caducifer.*] Mercurius virgam ſerpentibus nexam ferens, quem *caduceum* vocant.

607. *Solvit jejunia granis.*] Sic filia reddi ab inferis non potuit: inde malo punico abſtinuerunt Theſmophoriazuſæ,

Punica quæ lento cortice poma tegunt.
Haud ſecus indoluit, quam ſi modo rapta fuiſſet,
Mœſta parens; longâ vixque refecta morâ eſt.
Atque ita, Nec nobis cœlum eſt habitabile, dixit:
Tænariâ recipi me quoque valle jube.
Et factura fuit: pactus niſi Jupiter eſſet,
Bis tribus ut cælo menſibus illa foret.
Tum demum vultuſque Ceres animumque recepit;
Impoſuitque ſuæ ſpicea ſerta comæ.
Largaque provenit ceſſatis meſſis in arvis;
Et vix congeſtas area cepit opes.
Alba decent Cererem: veſtes Cerealibus albas
Sumite. nunc pulli velleris uſus abeſt.

OCcupat Apriles Idus cognomine Victor
Jupiter: hac illi ſunt data templa die.
Hac quoque, ni fallor, populo digniſſima noſtro

Atria

ſæ, quæ Cereri τῇ Θεσμοφόρῳ à ſacris erant. *Neap.*

608. *Punica quæ in lento.* ] Tolle Tò *in* cum ſcriptis. *Heinſ.*

612. *Tartareâ valle.* ] *Tænaria* Mazar. Zulich. Urſin. Petav. Voſſian. & multi alii. bene. Tænara pro Tartaro paſſim apud poëtas. Prudentius Apotheoſi,

——— *ubi Tænara triſtia vaſto*
*In præceps dejecta chao.*

Idem.

615. *Tum demum vultumque.* ] *Vultuſque* Mazar. Zulich. Voſſ. & Arond. mox pro *Largaque* iidem, pri. Ambroſ. & ſex alii, *Longaque.* Heinſ.

617. *Ceſſatis meſſis.* ] Adludit ad ea quæ finxit in Metamorphoſi, de mœſta & iratâ Cerere:

*Neſcit adhuc ubi ſit; terras tamen increpat omnes,*
*Ingrataſque vocat, nec frugum munere dignas, &c.* Neap.

619. *Alba decent Cererem. veſtes Cerealibus albas.* ] Quidam *decet.* nec minus arridet, quod nonnulli præferunt,

*Alba decet Cererem; veſtem Cerealibus albam.* Heinſ.

*Alba decent Cererem.* ] Tertullianus in ſuo de Pallio, ubi & diſtinctos colores in antiquâ ſuperſtitione cuique numini proprios annumerat: *Cur iſtas,* inquit, *non ſpectas; vel illos item habitus, qui novitate veſtitus religionem mentiuntur, &c.*

620. *Pulli velleris.* ] Tenebricæ veſtis, & tetrici ſupra caput velleris. *Neap.*

621. *Cognomine victor Jupiter.* ] Hujus ædem ſtatuunt antiqui Urbis Topographi in regione 10. P. Victor in eadem: *Ara Palatina, ædes Jovis Victoris, domus Dionyſii.* Vovit illam Q. Fabius Maximus Rullianus Conſul contra Samnites anno Urbis conditæ CDLVIII. Livius l. 10. *Neap.*

623. *Hac quoque, ni fallor.* ] Iiſdem Idibus atrium Libertatis exſtructum; melius dixerim refectum, ſi nulla mens Naſoni ad Gracchum: nam hic nomine Tiberius primus Romæ dedicavit. Fidus teſtis Plutarchus. Inſtauravit poſtea Senator ille nobilis Aſinius Pollio. Suetonius lib. II. Hic Aſinius atrium, puto, de novo polivit: certum eſt addidiſſe bibliothecam, quæ omnibus pateret, & hanc Scriptorum iconibus adornaſſe.

Ad

Atria Libertas cœpit habere ſua.

LUce ſecuturâ tutos pete, navita, portus:
Ventus ab occaſu grandine miſtus erit.
Scilicet ut fuerit; tamen hac Mutinenſia Cæſar
Grandine militiâ contudit arma ſuâ.

TErtia poſt Veneris cum lux ſurrexerit Idus;
Pontifices fordâ ſacra litate bove.
Forda ferens bos eſt fœcundaque, dicta ferendo:
Hinc etiam fœtus nomen habere putant.
Nunc gravidum pecus eſt: gravidæ nunc ſemine terræ:
Telluri plenæ victima plena datur.
Pars cadit arce Jovis: ter denas Curia vaccas
Ac-

Ad calcem moneo, in hoc atrio publica acta ſignata, etiam antequam illud augeretur bibliothecâ; cum anno DLXXXV. id uſui fuiſſe certum ſit ex Livio lib. 43. Ceterum ubi atrii ſitus fuerit, video conſentire omnes in regione 13. *Neap.*

624. *Sua atria.* ] Ab Aſinio Pollione in Palatio extructa.

625. *Luce ſecutura.* ] 18. Kalendas Majas. *Tutos pete, navita, portus.* ] Ob grandinem imminentem: hanc etiam eâdem luce minatur Columella l. 2. c. 2.

627. *Sit licet & fuerit.* ] *Scilicet* Urſin. Petavinus & ſex alii. *Sit licet ut fuerit* Mazar. Zulich. prim. Ambroſ Voſſ. Arondel. & quinque præterea. Lego *Scilicet ut fuerit.* quamvis fuerit. pro *tamen hac* meliores *hac*. Heinſ. *Mutinenſia Cæſar.* ] Præcipue vero C. Panſa, & A. Hirtius. Vide apud Hiſtoricos annum quo contigit horum Conſulatus, qui DCCX. *Neap.*

628. *Hac grandine.* ] Hac die grandinoſa. *Contudit.* ] Concuſſit & fudit. *Arma Mutinenſia.* ] Arma Antonii ad Mutinam. *Sua militia.* ] Suis militibus. *Contudit arma* ] *Perculit* Voſſ. Ambroſ. Mazar. Zulich. Urſin. Petav. aliique multi, niſi quod *pertulit* in nonnullis. pri. Ambroſ. *pertudit*. optime. plus eſt enim *pertundere* quam *contundere*. quomodo ſupra de Divo Julio,

*Perfida magnanimi contudit arma Jubæ.* lib. VI.

*Jamque ſuburbanos Etruſcaque contudit arma.*

ſed & *perculit* bene ſe habet. ut ad Τὸ *grandine* alludat hoc verbo. quare & vulgata lectio ferri poteſt. ſic *grando contudiſſe vites* dicitur Horatio lib. I. Epiſt. VIII. vide Nonium in *Percello*. Heinſius.

629. *Tertia poſt Veneris* ] Hoc eſt, 15. die April. immolantur terræ gravidæ fordæ boves in curiis. quod ſacrificium à Numa inſtitutum ferunt in agrorum & pecorum ſterilitate. *Surrexerit poſt Idus Veneris.* ] Poſt Idus April. P. *Tertia poſt Veneris.* ] 17. Kalendas erant Fordicidia. *N.*

631. *Forda ferens bos eſt, fœcundaque.* ] Gloſſæ, *fordas*, ἐγκυμονούσας. Varro lib. II. de R. R. *Horda* ἀρχαϊκῶς pro *forda*. Pari modo antiqui dixere, *herctum* & *fertum*, *foſtia* & *hoſtia*. Neap.

633. *Gravidæ quoque ſemine terræ.* ] *Gravida nunc* pri. Ambroſ. Voſſ. Arondel. Mazar. Zulich. concinnius. & paulo ante *ferundo* pro *ferendo* Zulichemianus ἀρχαϊκῶς. Heinſ.

635. *Ter denas curia vaccas.* ] Una ergo in unaquaque curiâ cæſa. 30. numero curiæ erant, teſte Livio, & Dionyſio. Varro lib. V. de L. L. *Neap.*

Accipit; & largo ſparſa cruore madet.
Aſt ubi viſceribus vitulos rapuêre miniſtri,
Sectaque fumoſis exta dedêre focis;
Igne cremat vitulos, quæ natu maxima virgo;
Luce Palis populos purget ut ille cinis.
Rege Numâ, fructu non reſpondente labori,
Irrita decepti vota colentis erant.
Nam modo ſiccus erat gelidis Aquilonibus annus;
Nunc ager aſſiduâ luxuriabat aquâ.
Sæpe Ceres primis dominum fallebat in herbis;
Et levis obſeſſo ſtabat avena ſolo:
Et pecus ante diem partus edebat acerbos:
Agnaque naſcendo ſæpe necabat ovem.
Silva vetus nullâque diu violata ſecuri
Stabat, Mænalio ſacra relicta Deo.
Ille dabat tacitis animo reſponſa quieto
Noctibus. hîc geminas rex Numa mactat oves.
Prima cadit Fauno; leni cadit altera Somno.
Sternitur in duro vellus utrumque ſolo.
Bis caput intonſum fontanâ ſpargitur undâ;
Bis ſua fagineâ tempora fronde premit.
Uſus abeſt Veneris: nec fas animalia menſis
Ponere: nec digitis anulus ullus ineſt.

Ve-

637. *Miniſtri.* ] Sacrorum. *Rapuerunt vitulos viſceribus.* ] Qui concepti intra viſcera vaccæ, adhuc retinentur, dum immolantur matres: ſic emactatæ victimæ viſceribus rapiuntur.

639. *Quæ natu eſt maxima.* ] Prima Veſtalium. *Cremat igne vitulos.* ] Eos qui è viſceribus rapti erant, cremat & redigit in cinerem. *Paul.* *Quæ natu maxima virgo eſt.* ] Veſtalium virginum vetuſtiſſima hæc Tacito nominatur, Dioni ἡ πρεσβεύουσα. *Neap.*

646. *Stabat ſolo abſeſſo.* ] Tellure, quam obſidebat, ubi ſurgere fructiferas fruges non patiebatur.

647. *Edebat.* ] Emittebat. *Partus acerbos.* ] Immaturos.

650. *Relicta deo Mænalio.* ] Fauno ſeu Pani Arcadi, à Mænalis Arcadiæ montibus.

652. *Hic geminas Rex Numa mactat oves.* ] *Huic mactat* plerique veteres. ſed fruſtra. *hic*, in hac ſylvâ. ſuperiori verſu pro *Ille* Urſin. Mazar. Voſſ. quatuor alii. Puto, *Inde dabat.* Heinſ.

654. *Sternitur in duro vellus utrumque.* ] Quibus incumbendum. Hac voce uſi veteres. Servius ad illa:

*Pellibus incubuit ſtratis, &c.*

*Incubare* proprie dicuntur ii, qui dormiunt ad accipienda reſponſa. *Neap.*

656. *Tempora fronde tegit.* ] *Premit* Voſſ. Mazar. & ſex alii. placet. *Heinſius.*

659. *Ve-*

Veſte rudi tectum ſupra nova vellera corpus
  Ponit, adorato per ſua verba Deo.
Interea placidam redimita pavavere frontem
  Nox venit, & ſecum ſomnia nigra trahit.
Faunus adeſt; oviumque premens pede vellera duro,
  Edidit à dextro talia dicta toro:
Morte boum tibi, Rex, tellus placanda duarum:
  Det ſacris animas una necata duas.
Excutitur terrore quies; Numa viſa revolvit;
  Et ſecum ambages cæcaque juſſa refert.
Expedit errantem nemori gratiſſima conjux;
  Et dixit, gravidæ poſceris exta bovis.
Exta bovis dantur gravidæ: felicior annus
  Provenit, & fructum terra pecuſque ferunt.
Hanc quondam Cytherēa diem properantius ire
  Juſſit,

659. *Veſper ubi eſt, tectum.*] *Veſte rudi tectus* Mazar. Zulich. Urſin. prim. Ambroſ. Læti, multique alii. quidam *Veſper ubi eſt tectus.* Lege *Veſte rudi tectum.* corpus videlicet. *Idem.* *Supra nova vellera.*] In his omnino quieſcendum, conſilium à numine petenti. Strab. lib. 6. *N.*

661. *Interea.*] Cum Numa nocte concubia quieti ſe dediſſet, venit Faunus, & monuit placandam eſſe tellurem duum boum morte, ita ut una juvenca cæſa duas exhiberet. Mœſtum regem hujus oraculi ambage, docuit Egeria mactandam eſſe bovem gravidam: quo facto, reddita eſt agris & pecoribus fœcunditas.

662. *Somnia nigra trahit.*] Recte Euripides:

Ὦ πότνια χθὼν μελανοπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων. Neap.

664. *A dextro talia verba toro.*] *Talia dicta* Mazar. Zulich. Voſſ. Arond. ſex alii. ut lib. 1.

*Talia non tacito dicta dolore dedit.*

Heinſ.

666. *Det ſacris animas una necata duas.*] *Det una juvenca* plurimi ex ſcriptis. nonnulli *Det una necata.* vel *Detque.* unus Mediceus ex melioribus *Detque ſatis.* hoc eſt frugibus. non male. Nam ſupra dixerat,

*Sæpe Ceres primis dominum fallebat in herbis.*

vetuſtiores libros ſecuti ſumus. *Idem.*

667. *Numa viſa reſolvit.*] Zulich. Erfurt. & decem alii *revolvit.* recte. quomodo etiam Neapolis. ſequenti verſu legendum *cæcaque juſſa* cum libro Urſini. Maz. Voſſ. prim. Ambroſ. Læti, aliiſque multis, non *viſa*, quod præceſſerat. *Idem.*

669. *Expedit errantem.*] Malim *hærentem.* ut monui ſupra verſ. 261. Idem. *Conjunx.*] Egeria. *Gratiſſima nemori.*] Aricino. *Expedit errantem nemori*] Solvit ambiguitatem, & regem errore liberavit.

670. *Gravidæ bovis.*] Hæc eſt juvenca, quæ duas habet animas. *Neap.*

671. *Fœcundior annus provenit.*] *Felicior* Zulich. & quatuor Vaticani. felix enim pro fecundo paſſim ſumitur apud veteres. *Heinſ.*

673. *Hanc quondam Cytherea.*] Venus, quæ præeſt Aprili menſi, poſt Mutinenſem victoriam; præcipitem hanc Fordiciorum diem impulit, ut accelera-

Juſſit, & æthereos præcipitavit equos;
Ut titulum imperii quam primum luce ſequenti
Auguſto juveni proſpera bella darent.
SEd jam præteritas quartus tibi Lucifer Idus
Reſpicit. hac Hyades Dorida nocte petunt.
TErtia poſt Hyadas cum lux erit orta remotas,
Carcere partitos Circus habebit equos.
Cur igitur miſſæ vinctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes, cauſſa docenda mihi.
Frigida Carſeoli nec olivis apta ferendis
Terra, ſed ad ſegetes ingenioſus ager.
Hac ego Pelignos natalia rura petebam;
Parva, ſed Aſſiduis uvida ſemper aquis.
Hoſpi-

ret dies ſequens, qui eſt decimus ſextus calendarum Majarum, quo die Octavius Cæſar adoleſcens creatus eſt à militibus imperator.

674. *Admiſſos præcipitavit equos.*] *Æthereos* Arond. & multi alii. hoc eſt, ſolares. *Heinſ.* *Et præcipitavit.*] Præcipites & celeres egit. *Paul.*

675. *Quam primum luce ſequenti.*] 16. Kalendas Cæſar Auguſtus, Imperatoris nomen adeptus, prænomen illud ſolitum ſecutorum Principum: nam pro geſtis bellicis vicies reportavit. Dio Caſſius de anno quem Cæſar quinto Conſulatu auſpicatus, lib. 52. *Neap.*

676. *Proſpera ſigna.*] Victores milites ſub fœlicibus ſignis. *Darent Auguſto juveni.*] Octavio adoleſcenti.

677. *Sed jam præteritas ubi quartus Lucifer Idus.*] *Quartus ubi* pleriqueveteres. ſed ſequor quod primæ editiones, Mazar. Petav. aliique nonnulli agnoſcunt, *quartas tibi.* ut apud Virgil. *tibi deſerit Heſperus OEten.* pro *Hyades Dorida nocte tenent*, malim *petunt* cum Voſſ. Arondel. Mazar. Zulich. & ſex aliis. *Heinſ.* *Sed jam præteritas.*] 15. Kalendas Suculæ ſe veſperi celant; eodem die Cæſari apud Plin. lib. 18. cap. 26. *Neapol.*

678. *Tenent hac nocte Dorida.*] Occidunt, & tenent mare. Dorida Heſiodus inquit Oceani ex Theti uxore filiam eſſe ex qua magnus nympharum numerus natus eſt.

679. *Tertia poſt Hyadas.*] 13. Kalendas ludi iterum in Circo fiebant: ſed eis à Cerealibus in hunc uſque diem nulla fuit Romæ paula. *Neap.*

680. *Carcere.*] In ipſo repagulo, unde ad curſum emittuntur.

681. *Junctis ardentia tædis.*] *Victis* Petav. Lege *vinctis* cum Urſini libro. *ferat vulpes* Strozzæ codex. *Heinſ.*

683. *Frigida Carſeolis nec olivis apta ferendis Terra.*] *Carſeoli* malim, ſi per libros veteres liceat. ut per appoſitionem hæc dicantur. *Frigida Carſeolis terra.* Nam Zulichemianus *pars coli.* Idem. *Frigida terra eſt Carſeolis.*] Carſeoli numero multitudinis urbs erat. Carſeolani dicuntur coloni. In via Valeria ſunt, medio quidem ſpatio inter urbem & Marſorum municipium. Erantque Carſeoli una ex claris Æquorum urbibus. *Ingenioſus ad ſegetes.*] A natura felix ferendis frugibus.

684. *Ingenioſus ager.*] *Ad cœli mores, ſolique ingenia.* Plin. lib. 14. c. 1.

686. *Sed aſſiduis humida ſemper aquis.*] *Obvia* veteres magna ex parte. Scribe *uvida*, atque ita Oxonienſis pro diverſa le-

Hoſpitis antiqui ſolitas intravimus ædes.
Demſerat emeritis jam juga Phœbus equis.
Is mihi multa quidem, ſed & hæc, narrare ſolebat;
Unde meum præſens inſtrueretur opus:
Hoc, ait, in campo (campumque oſtendit) habebat
Rus breve cum duro parca colona viro.
Ille ſuam peragebat humum: ſive uſus aratri,
Sive cavæ falcis, ſive bidentis erat.
Hæc modo verrebat ſtantem tibicine villam:
Nunc matris plumis ova fovenda dabat.
Aut virides malvas, aut fungos colligit albos:
Aut humilem grato calfacit igne focum.
Et tamen aſſiduis exercet brachia telis;
Adverſumque minas frigoris arma parat.
Filius hujus erat primo laſcivus in ævo;
Addideratque annos ad duo luſtra duos.
Is capit extremi vulpem ſub valle ſalicti:
Abſtulerat multas illa cohortis aves.
Captivam ſtipulâ fœnoque involvit, & ignes
Admovet. urentes effugit illa manus.
Qua fugit, incendit veſtitos meſſibus agros:

Damno-

lectione. vide Notas lib. III. Amor. Eleg. V. vſ. 6. *Heinſ.*

687. *Solitas intravimus ædes.* ] *Fidas* Zulich. Voſſ. Arondel. & octo aut novem alii. lib. VI.

*Hoſpita Carmentis fidos intraſſe penates Diceris.* Idem.

690. *Unde meum præſens.* ] Malo *mihi.* Idem.

694. *Seu curvæ falcis.* ] *Sive cavæ falcis* pri. Mazar. Læti, prim. Ambroſ. prim. Farneſ. & V. alii. alter Maz. *ſive citruæ.* *ſive cavæ* prim. Ambroſ. Læti, pr. Farneſ. & ſex alii. quomodo a manu primâ. Mazar. & Zulich. *Idem.*

695. *Hæc modo verrebat ſtantem tibicine villam.* ] Ita Urſin. Mazar. Zulich. Nauger Voſſ & tres alii. bene. quatuor *ſtanti tibicine villam.* quidam *telam.* male. nam de *tela* mox aget. nunnulli *raro tibicine pratum.* Zulich. pro diverſa lectione *ſtanti tibicine cellam.* Alii aliter. nos veram lectionem expreſſimus. *Idem.* *Tibicines.* ] Structuræ quibus ædificia ſuſtinentur. *Neap.*

700. *Adverſusque.* ] *Adverſumque* Sarrav. Gottorph. & duo alii. ἀρχαϊκῶς. Heinſ. *Frigoris arma parat.* ] Sibi indumenta texit ad arcendas hiemes. *Neap.*

703. *Vulpem convalle ſalicti.* ] Quidam ex melioribus *de valle.* Urſini codex & unus Patav. *ſub valle.* Heinſius.

704. *Illa cohortis aves.* ] Sic uſus etiam hac voculâ Varro lib. 3. de R. R. cap. 3. Cohors eſt Græcorum χόρτος, ſive clarius περίβολος. Inde nos atrium dicimus *cortile*; & *cortillos* vocamus caſulas quaſdam in rotundum conjunctas, quas multa habitat vicinia. *Neap.*



*709. Mo-*

Damnoſis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit: monumenta manent. nam vivere captam
Nunc quoque lex vulpem Carſeolana vetat.
Utque luat pœnas gens hæc, Cerealibus ardet:
Quoque modo ſegetes perdidit, ipſa perit.
POſtera cum veniet terras viſura patentes
Memnonis in roſeis lutea mater equis;
E duce lanigeri pecoris, qui prodidit Hellen;

Sol

709. *Monumenta manent.* ] *Patent* unus Moreti, non male. vide Notas lib. II. vſ. 265. mox pro *dicere certam*, lege cum Urſin. Voſſ. Nauger. & tribus aliis *vivere captam. dicere curtam* Mazar. *dicere cautam* Zulich. *cernere cunctam* unus Vatic. *ducere certam* Bonon. Forte *ducere captam*. Heinſ. *Monumenta manent.* ] Remanſit apud poſteros memoria.

710. *Carſeolana vetat.* ] Carſeolis igitur lege prohibitum nominare vulpem; à qua ruinam olim ſegetes paſſæ. *Neap.*

711. *Utque luat pœnas genus hoc.* ] *Gens hæc* Urſin. Arondel. Petav. Mazar. ac multi alii. ſic de Cane Met. III. *Spartanâ gente Melampus. gens* & *natio* idem quod genus. Vide locos controverſos Roberti Titii lib. VIII. cap. XVIII. *Heinſ.*

713. *Poſtera cum veniet terras.* ] Decimotertio calendas Majas ſol, Ariete relicto, Taurum init: qui inter aſtra conſtitutus dicitur, quod Europam incolumem tranſvexit in Cretam. *Paul.*

714. *Cum mater Memnonis.* ] Aurora.

715. *De duce lanigeri pecoris, qui perdidit Hellen.* ] *Prodidit* optime Petav. Mazar. Urſin. Arondel. excerpta Politiani, ac ſeptem alii. Germanicus Cæſar,

*Nobilis hic Aries aurato vellere, quondam*
*Qui tulit in Colchos Phryxum, qui prodidit Hellen.*

hinc idem *proditor Helles* dictus Martial. lib. IX. Ep. LXXI.

*Quid meruit terror Nemees, quid proditor Helles.*

Lucan. IV.

*Sed poſtquam vernus calidum Titana recepit,*
*Sidera reſpiciens delapſa proditor Helles.*

quibus locis libri etiam nonnulli veterrimi *portitor*. quomodo & apud Columellam in Horto,

*Mox ubi Nubigenæ Phryxi nec portitor Helles*
*Signorum & pecorum princeps caput efferet undis.*

Ita ſcribitur locus ille tam in vulgatis libris, quam in veterrimo codice S. Germani. cui medicinam nunc non adhibeo. In Catalectis.

*Proditor eſt Helles & proditor Europaeus.*

ubi etiam *portitor* nonnulli codices. ſic equi aut aurigæ vectorem prodere dicebantur. Virgil.

*Leucage nulla tuos currus fuga ſegnis equorum*
*Prodidit.*

Claudian. laude Serenæ,

*Prodidit OEnomai deceptum Myrtilus axem.*

Apud Hyginum lemma cap. CCL. *Quæ quadrigæ rectores ſuos prodiderunt.* Silius lib. XVII.

*Corruit aſper equus, confixaque cuſpide membra*
*Huc illuc jactans rectorem prodidit haſti.*

Seneca OEdipo,

*Segnior curſu ſonipes in ipſo*
*Concidit gyro, dominumque prono*
*Prodidit armo.*

Lege præterea hoc loco, *E duce lanigeri pecoris ſol abit.* lib. VI.

*Sol abit è Geminis, & Cancri ſigna rubeſcunt.* Heinſ.

716. *Egreſſe*

Digitized by Google

Sol abit: egreſſo victima major adeſt.
Vacca ſit an taurus, non eſt cognoſcere promtum:
Pars prior apparet: poſteriora latent.
Seu tamen eſt taurus, ſive eſt hoc fœmina ſignum;
Junone invitâ munus amoris habet.
NOx abiit, oriturque Aurora. Palilia poſcor.
Non poſcor fruſtra; ſi favet alma Pales.
Alma Pales, faveas paſtoria ſacra canenti;
Proſequor officio ſi tua feſta pio.
Certè ego de vitulo cinerem ſtipulaſque fabales
Sæpe tuli plenâ februa caſta manu.
Certè ego tranſilui poſitas ter in ordine flammas;
Virgaque roratas laurea miſit aquas.

Mota

716. *Egreſſo victima major adeſt.* ] XII. ergo Kalendas Majas Sol in Tauro. *Neap.*

718. *Poſteriora latent.* ] Nam ex eo non videtur niſi ἡμιτόμιον. Hallucinatur Hyginus, cum ſcribit, *reliquum hujus corpus obſcurius videri*; nam non aliter quam ſemiſectus pingitur in ſchedographiâ. *Neap.*

720. *Habet munus amoris invita Junone.* ] Quaſi locata eſt in cœlo ea imago ab Jove, in præmium amoris, repugnante etiam Junone. Nam aut eſt imago tauri, quo tranſvecta eſt Europa in Cretam? aut eſt imago vaccæ, in quam Io converſa fuit.

721. *Palilia.* ] *Parilia* Petav. & Mazar. ſic & lib. VI. vſ. 257. Urſini codex. & lib. XIV. Met. 774. plerique veteres *Heinſ.* *Palilia poſcor.* ] XI. Calendas Majas erant Palilia. Convenit & veteri Kalendario: in eo Conſtantini Magni eadem dies notatur, N. URBIS, id eſt, Romæ natalis, ante Urbem conditam paſtorale hoc ſacrum extitiſſe. Tibullus lib. II. Eleg. 5. & Plutarchus in Romulo: qui ſane teſtes graviſſimi. *Neap.*

724. *Officio ſi tua facta meo.* ] *Tua feſta* pro meliores. *Heinſ.* *Officio pio.* ] Redi ad Tom. I. p. 73. vſ. 17.

725. *Certe ego de vitulo cinerem.* ] Is erat e triginta bubus, quas maxima Veſtalis cremarat Feſtis Fordicidiis. Hunc vero & ſtipulam fabalem, quam paullo poſt vocat *culmen inane* (demtis enim fabis ſola & arida incenſa) Februa appellat; quia ſic actum, ut noſti, quodvis purgamentum. *Neap.*

726 *Februa toſta.* ] Sic initio lib. II. ubi agit de februis, habes *Torrida farra.* hic tamen libri veteres multi, quos inter prim. Ambroſ. Læti, Mazar. Zulich. *februa caſta.* ſic alibi, *Caſta placent ſuperis*, & ſupra hoc libro,

*Parva bona Cereri, ſint modo caſta, placent.*

hinc & *mola caſta* in ſacris, de qua Servius vſ. 82. Eclog. VIII. vide quæ noto Pont. II. Eleg. I. vſ. 33. Urſini liber & unus Patav, *fercula toſta.* ſuperiori verſu alii *ſtipulaſque fabales*, alii *ſtipulamque fabalem.* Forte *ſtipulaque fabali.* nam Patav. *ſtipulamque fabalis.* ſequenti verſu rectius veteres *tranſilui* quam *tranſilii.* ita enim optimos auctores locutos notant Grammatici. *Heinſ.*

728. *Udaque rorales laurea miſit aquas.* ] *Virgaque* rectius. ſic *pinea virga* lib. II. pro *rorales aquas* meliores plerique *roratas.* ut Epiſt. Herus,

*Merſaque roratis nata fleatur aquis.*

Met. IV.

*Roratis luſtravit aquis Thaumantias Iris.*

Mota Dea eſt; operique favet. navalibus exi,
  Puppis: habent ventos jam tua vela ſuos.
I, pete virgineâ, populus, ſuffimen ab arâ:
  Veſta dabit. Veſtæ munere purus eris.
Sanguis equi ſuffimen erit, vitulique favilla.
  Tertia res, duræ culmen inane fabæ.
Paſtor, oves ſaturas ad prima crepuſcula luſtra.
  Uda prius ſpargat, virgaque verrat humum.
Frondibus, & fixis decorentur ovilia ramis;
  Et tegat ornatas longa corona fores.
Cærulei fiant vivo de ſulfure fumi;

Ta-

Faſt. III.

*Mollis erat tellus roratâ mane primâ.*

tres alii *rorantes.* vulgatum alibi non legi. *Idem.*

730. *Jam mea vela.*] *Tua vela* Mazar. & Zulich. & pro diverſa lectione Voſſ. Lege,

——— *navalibus exi*
*Puppis habent ventos jam tua vela ſuos.*

Idem *Vela habent ventos ſuos.*] Κάλλιμ☉ ἐσ☉. Ham. Odyſſ. λ. verſ. 639. πέμπιμος πνοαί. Eurip. Helen. ἐσθλος ἑταῖρ☉. Idem in Electra.

732. *Veſta munere purus eris.*] *Mundus* unus. *purus abis* pri. Ambroſ. Læti, & unus Moreti. Forte, *abi.* Heinſ.

733. *Sanguis equi, &c.*] Ad luſtrationem in Palilibus immiſcebatur ſanguis equinus, cum adusti nondum nati vituli, ſed è mactatæ matris utero exerti cinere, & fabarum culmis, & ex his ſuper prunas impoſitis fiebat ſuffitio. *Sanguis equi ſuffimen erit.*] Bene Plutarchus in Romulo: Ἐν ἀρχῇ δ' (ὥς φασιν) ὀυδὲν ἔμψυχον ἔθυον. Mutatum, ut vides. poſtea. Vide Feſtum in *Caviares hoſtia*, & eundem in *Equus October.* Neap.

735. *Crepuſcula luſtret.*] Vetus Kalendarium ruſtre mense Aprili: OVES LUSTRANTUR.

736. *Unda prius ſpargat virgaque verrat humum.*] Janus Vlitius noſter *Uda.* quomodo & Læti codex. ſic libro v. in ſimili purgatione,

*Uda fit hinc laurus, lauro ſparguntur ab uda*
*Omnia, quæ dominos ſunt habitura novos.*

pro *verrat* unus Patavinus optimæ notæ *vergat.* quomodo & in Zulichemiano à manu prima. Forte *tergat.* de quo l. II. vſ. 23. Superiori verſu pro *luſtret*, multi ex melioribus ſcriptis *luſtras.* Petav. Voſſ. Arond. plurimique præterea *luſtra.* ut paſtorem alloquatur. *Heinſ. Virgaque verrat humum.*] Præcipuum hoc in ſacro quovis luſtrali. Et fuit apud antiquos purgatio, quæ dicta *exverræ*, ab everriatione certo ſcoparum genere. Non ignorant iſta docti. *N.*

738. *Longa corona fores.*] De more Juvenalis —— *Necte coronam*
*Poſtibus, & denſos per limina tende corymbos.* Neap.

739. *Cærulei fiant puro de ſulphure fumi*] Voſſ. Arond. Mazar. Zulich. prim. Ambroſ. Læti, & octo alii *vivo ſulphure*, quod verum eſt. Remed. Amor.

*Nec fugiet vivo ſulphure victus amor.*

ſic paſſim auctores. *Heinſ. Vivo de ſulphure*] Θεῖον πῦρ. Et in Metam. 3. vocat *vivacia ſulphura.* Tibul. 1. El. 5.

*Ipſeque ter circum luſtravi ſulphure puro.*

*Cæleſte ſulphur.* Stat. in Theb. XI ——— καθαρῷ δε πυρώσατε δῶμα θεείῳ. Eurip. Helen. Θεῖον δὲ σεμνὸν θεσμὸν αἰθέρ☉ μυχῶν ——— ἵν' ὡς πνεῦμα καθαρὸν λάβω.

740. Te-

Tactaque fumanti ſulfure balet ovis.
Ure mares oleas, tædamque, herbasque Sabinas;
Et crepet in mediis laurus adulta focis.
Libaque de milio milii fiſcella ſequatur:
Ruſtica præcipuè quo Dea læta cibo eſt.
Adde dapes mulctramque ſuas: dapibuſque reſectis
Silvicolam tepido lacte precare Palen.
Conſule, dic, pecori pariter, pecoriſque magiſtris:
Effugiat ſtabulis noxa repulſa meis.
Sive ſacro pavi, ſedive ſub arbore ſacrâ;
Pabulaque è buſtis inſcia carpſit ovis:

Seu

740. *Tectaque fumanti ſulphure balet ovis.*] Primo *tactaque* legendum cum Urſini, Naugerii, Zulich. Mazar. & ſex aliis. ſic Remedio Amoris,

*Ut pæne exſtinctum cinerem ſi ſulphure tangas.*

Propertius libro IV. Eleg. IX.

*Terque meum tetigit ſulphuris igne caput.*

& lib. V. ex veteri codice Noſter,

*Rurſus aqua tangit, Temeſæaque concrepat æra.*

& libro XI. Met. Mare dicitur *ſummas aſpergine tangere nubes.* poſtea hoc ipſo libro ex antiquis codicibus,

*Ignibus & ſparſa tangere corpus aqua.*

de eadem luſtratione *tangere oculos olivo* apud Perſium Satyr. III. quomodo in optimis membranis exaratum illic offendi. lib. VI. *Tactaque erit poſito rore bis uda ſeges.* ut & ibi legendum cenſeo. ſic & *contingere* dicebant. vide Indicem Lucretianum Giſanii in eo verbo. Propertius libro IV. Eleg. III.

*Seu voluit tangi parca lucerna mero.*

præterea *fumaci ſulphure* unus Moreti de quo dixi Amor. lib. II. Eleg. VI. vſ. 23. *Heinſ.*

741. *Ure mares oleas.*] *Maris rores* Mazar. Zulich. & decem alii *Maris rorem* notat ex ſuis Naugerius. *Idem. Ure mares oleas.*] Nec abeſt à priſcis libris vulgata lectio, *Ure maris rores.* σύλλα τῆς λιβανωτίδος. Et hanc legi pro thure uſui fuiſſe veteribus. *Tædamque herbasque Sabinas.*] Sulphur & tædam adhibitam in tribus purgationibus, auctor Servius l. 6 *Neap.*

743. *Libaque de milio.*] Conſtabant, ni fallor, ex milio, & fabâ. Tale quid Diis ruſticis dabatur etiam Autumno. Vide Feſtum.

744. *Ruſtica præcipue eſt hoc dea læta cibo.*] *Cibo eſt* Mazar. ut Tò *eſt* geminetur. Lege,

*Ruſtica præcipue quo dea læta cibo eſt.*

Idem. *Dea ruſtica.*] Pales.

745. *Adde dapes in utrumque ſuas, dapibuſque refectus.*] *In utramque* Petav. Arondel. Voſſian. Urſin. & plures alii. *mulctramque* codices plurimi præterea. duo *in utraque.* Lego *Adde dapi mulctramque ſua* de dape enim jam egit ſuperiori verſu. niſi *mulctrumque* malis ut Horatio, *injuſſæ veniunt ad mulctra capellæ.* pro *refectus* Petav. Arondel prim. Ambroſ. plurimique alii *reſectis.* Voſſ. Polit. & plures, *refectis.* Urſin. aliique nonnulli *relictis.* quinque *remotis.* duo *refertis.* placet *reſectis.* Heinſ. *Adde dapes mulctramque ſuas.*] Dapes hic ſume antiqua ſignificatione Vide Feſtum. *Dapibuſque refectus.*] Alii habent, *dapibuſque paratis,* alii, *relictis.* Vaticani, *reſectis.* Neap.

749. *Sive ſacro pavi.*] *Sacra* alii. ut ad arborem referatur. *Heinſ.*

750. *Pabulaque è buſtis.*] *Buſtum* hîc locus, in quo aliquis ſepultus. *Neap.*



751. *Si*

Seu nemus intravi vetitum, noſtrisve fugatæ
Sunt oculis Nymphæ, ſemicaperve Deus:
Seu mea falx ramo lucum ſpoliavit opaco,
Unde data eſt ægræ fiſcina frondis ovi:
Da veniam culpæ: nec, dum degrandinat, obſit
Agreſti fano ſuppoſuiſſe pecus.
Nec noceat turbaſſe lacus. ignoſcite Nymphæ;
Lota quod obſcuras ungula fecit aquas.
Tu, Dea, pro nobis Fontes fontanaque placa
Numina; tu ſparſos per nemus omne Deos.
Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianæ;
Nec Faunum, medio cum premit arva die.
Pelle procul morbos. valeant hominesque gregesque;
Et valeant vigiles provida turba canes.
Neve minus multos redigam, quam mane fuerunt;
Neve gemam referens vellera rapta lupo.
Abſit iniqua fames. herbæ, frondesque ſuperſint:
Quæque lavent artus, quæque bibantur, aquæ.

Ubera

751. *Si nemus intravi.* ] *Seu* bene unus Vatic. quomodo mox etiam legendum *Seu mea falx.* Heinſ.

753. *Lucum ſpoliavit opaco.* ] Vetus ſuperſtitio, quâ quivis ſacer lucus erat incæduus, nec ramum aut folium fas erat inde conlucare, niſi ſacrificium præceſſiſſet. eâ ſuper re ex Catone Plinius nos admonet lib. 17. cap. ultimo. *Neap.*

754. *Unde data eſt ægra.* ] Sic plerumque vetus ſcriptura; in aliâ, *tenera.* Utraque ad verum: nam agnis, aut ægris ovibus, paſtorum eſt, frondium aut herbarum fiſcinam in ſtabula ferre. *Neap.*

756. *Agreſti fano.* ] Perperam *Fauno* plerique veteres. Urſini codex veram lectionem refert. *Heinſ.*

758. *Mota quod obſcuras ungula fecit aquas.* ] Arond. *Nota.* Lege *Lota.* Kalendarium Ruſticum Menſe Majo OVES TUNDUNT. LANA LAVATUR. & ſuperiori verſu cum melioribus *Nec noceat* pro *Ne* reponendum. Propertius lib. IV. Eleg. I. *Lotus & Heſperia quid Capricornus aqua.* Idem. *Mota ungula.* ] Pecus gradiens turbavit aquas limpidas. *Neap.*

759. *Fontanaque placa.* ] Maz. Zulich. & duo alii *praſta.* forſan recte. *Heinſ.*

761. *Videamus labra Dianæ.* ] Ἀ'ναμείβει, λουτρά. *Neap.*

763. *Pelle procul morbos.* ] Peractâ jam veniâ incipit precatio paſtoralis: quam, quæſo, conferas cum Luſtrico Catonis carmine. *Neap.*

765. *Neve minus multas redigam.* ] Oves intelligit. ſed Urſin. Voſſ. Arondel. Nauger. pluresque alii *multo* nec pauciores cum Mazar. Zulich. prim. Ambroſ. Petav. *multos.* Τὸ *minus multo* arridet. ſic Val. Max. lib. IV. cap. IV. *Unus in agro Veiente fundus, minus multo cultores deſiderans, quam dominos habebat.* ] Ubi nihil neceſſe *multos* reponi cum Lipſio. *Heinſ.* *Neve redigam multas.* ] Ne reducam veſperi minorem ovium numerum, quam mane in Paſcua eduxi.

770. *Et*

Ubera plena premam. referat mihi caſeus æra:
  Dentque viam liquido vimina rara ſero.
Sitque ſalax aries; conceptaque ſemina conjux
  Reddat; & in ſtabulo multa ſit agna meo.
Lanaque proveniat nullas læſura puellas,
  Mollis, & ad teneras quamlibet apta manus.
Quæ precor, eveniant: & nos faciamus ad annum
  Paſtorum dominæ grandia liba Pali.
His Dea placanda eſt: hæc tu converſus ad ortus
  Dic ter, & in vivo prolue rore manus.
Tum licet, appoſitâ veluti cratere camellâ,
  Lac niveum potes, purpureamque ſapam.
Moxque per ardentes ſtipulæ crepitantis acervos

Tra-

770. *Et rara vimina.*] Fiſcellarum. *Dent viam liquido ſero.*] Ut bene excoletur caſeus.

772. *Stabulis meis.*] *Stabulo meo* meliores. *Heinſ.*

775. *Quæ precor eveniant. & nos faciamus ad annum.*] Lege *evenient. at nos faciamus.* Pont. II. Eleg. I. *Quod precor, eveniet.* Epicedio Druſi, *Eventura precor.* vide Notas Met. III. vſ. 524. *Heinſ.*

778. *Dic quater, & vivo perlue rore manus.*] Læti codex & primus Ambroſianus, *Hic ter & in vivo.* Scribe,

*Dic ter, & i vivo perlue rore manus.*

ut jam monui ad Epiſtolam XIV. vſ. 126. vide Notas lib. II. vſ. 638. lib. VI.

*Protinus arbutea poſtes ter in ordine tangit*
*Fronde: ter arbuteâ limina fronde notat.*

Idem.

779. *Dum licet.*] *Tum* ſcribendum cum Zulich. Mazar. pri. Ambroſ. aliiſque nonnullis. quidam etiam *Tunc.* pro *lac niveum* Zulich. *lac miſtum.* probe. Vide Feſtum in *Burrannica potio.* Idem. *Cratere camella.*] *Camella* vas erat ligneum, cui hæc potio infundenda. Hoc vaſis genus Polluci eſt σκάφιλλα. *Neap.*

780. *Lac niveum potes, purpureamque ſapam.*] Hæc potio dicebatur burrhanica, à colore burrho. Feſtus: *Burrhanica potio, lac commiſtum ſapâ, à rufo colore, quem burrhum vocant.* Unde eleganter, homines à vino rubentes *burrhas* apud eundem dictos inveni. Ille color πύῤῥος eſt Græcis: unde πυῤῥίας ejuſmodi cutis homines Comici dixere. De hac ita Nonnius: *Sapa, quod nunc mellacium dicimus, muſtum ad mediam partem decoctum.* Neap.

781. *Moxque per ardentes ſtipulæ crepitantis acervos*
*Trajicias celeri ſtrenua membra pede.*]

*Trajiciat ſtrenua turba* Urſini liber. & *Moxque fac* ſuperiori verſu. Lege *Moxque face. Trajicias ſtrenua turba* alius Vatican. Propertius lib. IV. Eleg. IV. de hoc eodem feſto,

*Cumque ſuper raros fœni flammantis acervos*
*Trajicit immundos ebria turba pedes.*

ita ſcribo. vulgati legunt *immundas dapes.* quod contra fidem ſacri. idque jam à Paſſeratio occupatum ſerus animadverti. unus Patav. & Gottorph. *Tranſilias.* Ut forte ſit ſcribendum,

*Moxque ter ardentes ſtipulæ crepitantis acervos*
*Tranſilias celeri ſtrenua turba pede.*

ut ſupra,

*Certe ego tranſilui poſitas ter in ordine flammas.*

niſi

Trajicias celeri ſtrenua membra pede.
Expoſitus mos eſt. moris mihi reſtat origo.
Turba facit dubium; cœptaque noſtra tenet.
Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis
Excoquit. idcirco cum duce purgat oves.
An, quia cunctarum contraria ſemina rerum
Sunt duo, diſcordes ignis & unda Dei;
Junxerunt elementa patres: aptumque putarunt
Ignibus & ſparſa tangere corpus aquâ?
An, quod in his vitæ cauſſa eſt; hæc perdidit exul:
His nova fit conjux: hæc duo magna putant:
Vix equidem credo; ſunt qui Phaëthonta referri
Credant, & nimias Deucalionis aquas.

Pars

niſi *Trajicias* malis. quomodo Virgil. lib. VI.

*Jam medium atherio curſu trajecerat axem.*

ſic *transferre* Catullus,

*Transfer omine cum bono*
*Limen aureolos pedes.*

aut *Trajicias ſtrenua membra.* ut D. Brutus apud Ciceronem lib. 11. Ep. Famil. *Si ſe Alpes Antonius trajecerit.* Val. Maximus lib. v. cap. 1. ex antiquis codicibus, *Quibus ſe bene ac tuto cum ſuis in Africam trajiceret.* Heinſ.

783. *Moris mihi reſtat origo.*] In multis eſt prima, quod ſibi ſuaſerint ineſſe igni vim quamdam abſterſivam, & malorum medelam: & hæc fuit antiqua opinio Judaica & Græcanica, inde immiſſa in Romanam religionem: & ſtetit, ut mireris, uſque ad tempora Juſtiniani τοῦ ῥινοτμήτου. Tunc congregata 6. Synodus Trullenſis, & ineptiæ hæ cum aliis abolitæ. *Neap.*

785. *Vitiumque metalli Excoquit.*] *Metallis* meliores, ut apud Virgil. Georg. 1.

*—— aſt ollis omne per ignem*
*Excoquitur vitium.*

Idem lib. 1. Æneid

*Ac primum ſilici ſcintillam excudit Achates,*

ita veterrima exemplaria. *Heinſ.*

788. *Diſcordes ignis & unda Dei.*] Forte *diſſortes.* de quo ad Epiſt. primam Sabini. *Idem.*

790. *Ignibus & ſparsâ tingere corpus aquá.*] *Tangere* meliores plerique. ut ſupra vſ. 740. jam monuimus. *Idem.*

791. *An quod cauſa vita eſt in his.*] Quod duo hæc humanam & animantium vitam contineant, quod ex his naſcendi initium ſit. *Hac perdidit exul.*] Nam hæc exilio damnatis interdicta ſunt. *Hac perdidit exul.* Malim *perdit &.* Heinſ.

792. *His nova fit conjunx.*] Quia hæc nuptiali die in lumine ponebantur. Redeuntes autem ab exilio ignem ſupergrediebantur, aqua aſperſi. quod purgationis genus vocabant *ſuffitionem.* *Hac duo magna.*] Ignem & aquam.

794. *Nimias Deucalionis aquas*] *Vivas* pri. Ambroſ. Læti, & quatuor alii. unus *multas.* alius *veras.* Forte *veteres.* certe latet mendum. pro *Credant* lego *Edant*, vel *Prodant*, vel *Tradant.* nam præceſſerat *vix equidem credo.* Heinſ.

795. *Pars quoque cum ſaxis paſtores ſaxa feribant.*] *Ferebant* plerique ſcripti. Lege *terebant.* Lucretius lib. 1.

*Cum lapidem lapidi terimus.*

Plautus Aſinaria Act. 1. ſc. 1.

*Num*

Pars quoque, cum ſaxis paſtores ſaxa terebant,
Scintillam ſubitò proſiluiſſe ferunt.
Prima quidem periit: ſtipulis excepta ſecunda eſt.
Hoc argumenti flamma Palilis habet.
An magis hunc morem pietas Æneïa fecit,
Innocuum victo cui dedit ignis iter?
Num tamen eſt vero propius; cum condita Roma eſt,
Transferri juſſos in nova tecta Lares?
Mutanteſque domum tectis agreſtibus ignem,
Et ceſſaturæ ſuppoſuiſſe caſæ?
Per flammas ſaluiſſe pecus, ſaluiſſe colonos?
Quod fit natali nunc quoque, Roma, tuo.
Ipſe locus cauſas vati facit. Urbis origo

Venit.

*Num me illuc ducis ubi lapis lapidem teret?*

Idem Lucretius lib. v.

*Mutua dum inter ſe rami ſtirpeſque teruntur.*

Val. Flaccus lib. II.

*—— tracto pars frangit adorea ſaxo*
*Farra, citum tritis alius de cotibus ignem*
*Excudit, foliiſque & ſulphure paſcit amico.*

Ita ſcribendus locus mendoſiſſimus. Vulgati peſſime,

*—— ſtrictis alius de cautibus ignem*
*Oſtendit foliis*

Virgiliana mimeſis,

*Ac primum ſilici ſcintillam excudit Achates,*
*Suſcepitque ignem foliis.*

& quæ ibi porro ſequuntur. idem in Georgicis,

*Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem.*

*Extundit* primo exaratum fuit. hinc *Oſtendit* factum in Valerio. Forte etiam *piſtores* legendum in hoc Naſonis loco. agit enim de mola manuali. *Idem.* *Saxis ſaxa.*] Hoc fuiſſe puto primo adinventum ad ſcintillas eliciendas; poſtea venit uſus petræ focariæ à ferro percuſſæ; poſtea τȣ̃ λίθȣ πυρίτȣ, & miſti coloris: cujus generis & εὐπυρώτȣς vidi plurimos. *Neap.*

798. *Hoc argumentum.*] Alter Petav. *argumentis.* Sed Junianus recte *argumenti.* vide Notas Ep. VIII. vſ 104. *Heinſ.*

800. *Victo cui dedit ignis iter.*] Malim *cum dedit.* ſequenti verſu pro *Hoc tamen* multi ex melioribus *Nunc tamen.* unus Patavin. *Num tamen.* Idem. *Dedit iter innocuum.*] Sine ulla corporis læſione. Ut in 2. Æneid. *flammaque recedunt.* Paul.

801. *Hoc tamen eſt vero propius, &c.*] En Noſter etiam initium Palilium non facit antiquius Urbis natali, nec diſſentit à Tibullo & Plutarcho: nam agit de ſacro Palis ſic celebrari cœpto, & cum his ſtipularum acervis; quod originem duxiſſe putat ab incenſis antiquis tuguriolis, cum ruſtici in nova novæ Urbis migrarent. Addita igitur ſub Romulo tranſitio per flammas, ſuffimenta illa; ſed equus victima multo poſt. *Neap.*

805. *Saliiſſe pecus, ſaliiſſe colonos.*] *Saluiſſe* ex auctoritate Priſciani & meliorum codicum reponatur. *Heinſ.*

806. *Natali nunc quoque, Roma, tuo.*] Nam eodem 11. Kalendas illa condita. *Neap.*

807. *Ipſe locum vati caſus facit.*] *Caſus vati* plerique veteres. Urſini liber & unus

Digitized by Google

Venit. ades feſtis; magne Quirine, tuis.
Jam luerat pœnas frater Numitoris, & omne
Paſtorum gemino ſub duce vulgus erat.
Contrahere agreſtes, & mœnia ponere utrique
Convenit. ambigitur mœnia ponat uter.
Nil opus eſt, dixit, certamine, Romulus, ullo.
Magna fides avium eſt: experiamur aves.
Res placet. alter init nemoroſi ſaxa Palatî:
Alter Aventinum mane cacumen adit.
Sex Remus, hic volucres bis ſex videt ordine, pacto
Statur: & arbitrium Romulus urbis habet.
Apta dies legitur, qua mœnia ſignet aratro.
Sacra Palis ſuberant: inde movetur opus.
Foſſa fit ad ſolitum: fruges jaciuntur in imâ,

Et

unus Vatican. & Patav. cum Naugeriano, *Ipſe locus cauſas vati.* Scribo, *Ipſe locus caſu vati facit.* & adi quæ de hac locutione notamus ad Epiſt. II. vſ. 39. *Heinſ.*

808. *Addes factis magne Quirine tuis.*] Lege *Faſtis* vel *feſtis*, vel *ſacris*. quicquid obnituntur libri veteres. qui error & alibi in hiſce libris occurrit. *Idem.*

809. *Luerat pœnas frater, &c.*] Numitorem ab Amulio fratre regno dejectum, & Numitoris filium per inſidias obtruncatum, Sylviam filiam Veſtæ relegatam, conceptos natos, expoſitos, educatos, adultos, Romulum & Remum, interfectum Amulium, ſuperius diximus. Regnum deinde Numitori reſtitutum.

810. *Paſtorum vulgus erat.*] *Paſtoris* Zulich. Puto ſcribendum,

*Paſtores gemino ſub duce vulgus erant.*
Heinſ.

812. *Ambigitur nomina ponat uter.*] Urſin. Petav. & multi alii, *mœnia*. ſequentia confirmant, *Arbitrium Romulus urbis habet.* quanquam & de nomine verum. unde Ennius,

*Certabant urbem Romam Remulamne vocarent.* Idem.

*Ambigitur nomina ponat uter.*] *Romamne, Remamne vocarent.* Enn.

815. *Alter init nemoroſi ſaxa Palati.*] *Adit* Voſſ. & ſex alii. ne bis eodem verbo utantur. *Heinſ.*

817. *Pacto ſtatur.*] Hæc vera lectio, quicquid turbant codicum nonnulli Met. II.

*Stemus ait, pacto velox Cyllenius iſto.*
Idem.

819. *Apta dies legitur.*] Hanc jam habes. Hora fuit poſt ſecundam ante tertiam plenam: ut ex Tarruntio inſigni Mathematico ſcribit Julius Solinus; Annus fuit ſecundus Olympiadis 7. ſi Eratoſtheni credimus. *Neap.* *Mœnia ſignet aratro.*] Infra 825. *deſignat mœnia ſulco.* Ex Virg. 5. Æneid.

*Interea Æneas urbem deſignat aratro.*

821. *Foſſa fit ad ſolidum.*] *Ad ſolitum* plurimi ſcriptorum. ſed fruſtra. Val. Maximus lib. II. c. IV. *Is quod eo loci nullam aram viderat, deſiderari credens ut à ſe construeretur, aram empturus in Urbem perrexit, relictis qui fundamentorum conſtituendorum gratia terram ad ſolidum foderent.* Virgil. Georg. II.

*Ante locum capies oculis, altoque jubebis*
*In ſolio puteum demitti, omnemque repones.*

Rurſus

Et de vicino terra petita ſolo.
Foſſa repletur humo, plenæque imponitur ara;
Et novus accenſo finditur igne locus.
Inde premens ſtivam deſignat mœnia ſulco:
Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.
Vox fuit hæc Regis; Condenti Jupiter urbem,
Et genitor Mavors, Veſtaque mater ades:
Quoſque pium eſt adhibere Deos, advertite cuncti:
Auſpicibus vobis hoc mihi ſurgat opus.
Longa ſit huic ætas, dominæque potentia terræ:
Sitque ſub hac oriens occiduuſque dies.
Ille precabatur. tonitru dedit omina lævo
Jupiter: & lævo fulmina miſſa polo.
Augurio læti jaciunt fundamina cives;
Et novus exiguo tempore murus erat.
Hoc Celer urget opus, quem Romulus ipſe vocarat;
Sintque, Celer, curæ, dixerat, iſta tuæ.
Neve quis aut muros, aut verſam vomere terram
Tranſeat, audentem talia dede neci.
Quod Remus ignorans, humiles contemnere muros
Cœpit: &, His populus, dicere, tutus erit?

Nec

*Rurſus humum, & pedibus ſummas æquabis arenas.* Heinſ.

822. *Et terra petita de vicino ſolo.*] De alieno & finitimo agro in omen propugnandi agri & imperii. *Paul. Terra petita ſolo.*] Vide Plutarchum in Romulo. *Neap.*

823. *Ara imponitur plena.*] Ne tanta res fieret ſine re divina.

824. *Fungitur igne focus.*] *Finditur* vetuſtiores plerique. alii *funditur* vel *fingitur*. an *fungitur igne*, ut *oculi lacrymis funguntur* epiſtola Hermiones? & lib. 1. Faſt. *Functus erat dapibus*? Heinſ.

825. *Inde premens ſtivam.*] Ut ſulcus terræ imprimeretur. *Deſignat mœnia ſulco.*] Ex ritu finitimo. Vide & Varronem lib. 4. de L. L. Obiter moneo, ritum hunc, & alios ſervatos in libris, quos vocabant Rituales. de his Feſtus: *Rituales nominantur Etruſcorum libri, in quibus perſcriptum eſt, quo ritu condantur urbes, aræ, ædes ſacrentur, &c.* Res ipſa ſuadet, me ſilente, Romulum præcepta hæc prælegiſſe. *Neap.*

833. *Tonitru dedit omina lævo.*] Cur lævum dextro felicius, fiet palam ex his Plinii: *Fulmina læva proſpera, quia ſacrificantis vel precantis latus lævum, dextrum eſt ejus qui poſtulata largitur.* Neap.

839. *Factam vomere foſſam.*] *Factos ſulcos* Gottorph. *tactam foſſam.* Zulich. Maz. & duo alii. *verſam terram* Læti. *tactam terram* unus Moreti. *factam terram* pri. Med. *preſſam terram* pri. Ambroſ. *factam terram* unus Patavinus. Vulgatum non mutem temere. paulo ante habuimus, *Foſſa fit ad ſolidum.* Heinſ.

843. Retro

Nec mora tranſiluit. retro Celer occupat auſum.
Ille premit duram ſanguinolentus humum.
Hæc ubi Rex didicit; lacrymas introrſus obortas
Devorat, & clauſum pectore vulnus habet.
Flere palam non vult, exemplaque fortia ſervat:
Sicque meos muros tranſeat hoſtis, ait.
Dat tamen exſequias: nec jam ſuſpendere fletum
Suſtinet; & pietas diſſimulata patet.
Oſculaque applicuit poſito ſuprema feretro:
Atque ait; Invito frater ademte, vale.
Arſuroſque artus unxit: fecêre, quod ille,
Fauſtulus, & mœſtas Acca ſoluta comas.
Tum juvenem nondum facti flevêre Quirites.

Ulti-

843. *Retro Celer occupat auſum.*] Pro *retro* nonnulli *raſtro*, ſex *ultro*. unus *riſtro*. in Maz. & Zulich. eraſa erat vetus lectio. Scribe *rutro*. de quo ruſtico inſtrumento vide Nonium, Feſtum, & Varronem de L. L. Auctor de Viris illuſtribus in vita Procæ, de Romulo Romam condente, *edixit, ne quis vallum tranſiliret. quod Remus irridens tranſilivit, & à Celere Centurione rutro fertur occiſus.* Ita libri veteres. nam vulgati perperam *raſtro*. quæ totidem quoque verbis exhibet vetus Fragmentum de Origine gentis Romanæ P. Victori ſubnexum: niſi quod ibi *rutro vel raſtro fertur occiſus*. cum poſterius illud *vel raſtro* ſit delendum. Similis etiam diverſitas in Chronico Euſebiano, *Roma Palilibus, qui nunc dies feſtus eſt, Remus rutro paſtorali a Fabio Romuli duce occiſus eſt ob tranſmiſſum ſaltu vallum.* Halicarnaſſæus in hac de morte Remi hiſtoria σκάφιον hoc inſtrumentum ruſticum appellat. πλῆξαι τῷ σκαφίῳ κατὰ τῆς κεφαλῆς καὶ αὐτίκα ἀποκτεῖναι. huc etiam reſpiciunt iſta Varronis περὶ ἐγχῆς apud Nonium, *Cui, ceu Celer, δι ἑνὸς λήμματ☉ λόγ☉ Antipatri Stoïci filius rutro caput diſplanat.* ita legendus iſte locus, qui mendoſiſſimus circumfertur. λόγ☉ *Antipatri filius* tantundem eſt, ac ſi Antipatrum Patrem τοῦ λόγου diceret; quomodo Epicurus pater veri dictus. ſic μεταμέλ☉ *inconſtantiæ filius* eidem Varroni lege Mævia apud Nonium in *Bivira*. atque ita ſæpe veteres de rebus inanimatis. Noſter in Ibide *tela ruſtica* vocat *rutrum*, quo Remus obtruncatus eſt,

*Utque Remo muros auſo tranſire recentes,*
*Noxia ſint capiti ruſtica tela tuo.*

Heinſ. *Celer occupat auſum.*] Raſtro, ſeu rutro paſtorali. Antiquæ membranæ Chronici Euſebiani: *Remus rutro paſtorali de Fabio Romuli duce occiditur.* Neap.

846. *Devorat lacrymas.*]
*——fletumque reſorbent.*
Silius lib. 12. Et Noſter, Heroid. Epiſt. XI.
*Et cogor lacrymas combibere ipſe meas.*

848. *Sic meos muros.*] Ipſa verba Titi Livii. *Neap.*

852. *Invito frater ademte*] Verius *volenti* dixiſſes; nec aliud mihi umquam ſuadebis. Cicero 4. Officiorum; *Species enim utilitatis animum pepulit ejus; cui cum viſum eſſet utilius, ſolum quam cum altero regnare, fratrem interemit.* Neap.

855. *Tunc juvenes.*] Imo *juvenem* cum ſcriptis. & mox *ulli credere* rectius

quam

Ultima plorato ſubdita flamma rogo.
Urbs oritur (quis tunc hoc ulli credere poſſet?)
Victorem terris impoſitura pedem.
Cuncta regas: & ſis magno ſub Cæſare ſemper:
Sæpe etiam plures nominis hujus habe.
Et quoties ſteteris domito ſublimis in orbe;
Omnia ſint humeris inferiora tuis.
Dicta Pales nobis. idem Vinalia dicam.
Una tamen media eſt inter utramque dies.
Numina vulgares Veneris celebrate puellæ.
Multa profeſſarum quæſtibus apta Venus.
Poſcite thure dato formam, populique favorem:
Poſcite blanditias, dignaque verba joco.
Cumque ſua dominæ date grata ſiſymbria myrto,
Textaque compoſitâ juncea vincla roſa.
Templa frequentari Collinæ proxima portæ

Nunc

quam *illi* ex antiquorum nonnullis lego. quod & Naugerius vidit. *Heinſius.*

856. *Subdita flamma rogo eſt.* ] Inde ſepultus in Remuriâ: qui locus in ſummo Aventino: ubi ille de condendâ urbe fuerat auſpicatus. *Neap.*

858. *Victorem terris impoſitura pedem.* ] *Omnia ſub pedibus vertique regique videbant.* Virg.

863. *Idem Vinalia, &c.* ] IX. Kalend. erant ſacra Vinalia: quæ duplicia; & quæ celebrata hoc menſe, Plutarcho dicta A'φροδίσια; & quæ menſe Sextili XIV. Kalendas Septembres, auctore Feſto, & veteri Kalendario. Priora putarunt viri docti Veneri ſacra, poſteriora Jovi. *N.*

865. *Numina vulgares.* ] Hoc feſto meretriculæ Veneris Erycinæ templa adibant; & oblatis floreis munuſculis cuncta expetebant, quibus populo placerent. *Neap.*

866. *Multa profeſſarum.* ] Sic dictæ famoſæ hæ mulierculæ: nam ſe vulgare non poterant, niſi præcederet apud Ædiles profeſſio. *Multa Venus.* ] Non damno hanc lectionem, præferam tamen *Culta*, ſi per libros veteres liceat. Vulgatam tamen lectionem ſi tuemur; Tò *Multa* non cum *profeſſis*, ut ad Arnobium doctiſſimus Heraldus opinatur, ſed cum *Venere* erit conſtruendum. *Heinſ.*

868. *Dignaque verba loco.* ] *Joco* ſcripti potiores. probe. *jocum* ponit alibi quoque pro luſu Venereo. ut lib. II. Artis Amor.

*Accedant queſtus, accedat amabile murmur,*
*Et dulces gemitus, aptaque verba joco.*

epiſtola Sapphus,

*Crebraque mobilitas, aptaque verba joco.*

ſupra lib. I. Faſt. ut quidem legendum,

*Di quoque cultores gelidi venere Lycai,*
*Et quicunque joci non alienus erat.*
*Panes, & in Venerem Satyrorum prona juventus.*

ſic & ſæpe aliis locis. *Idem.*

871. *Collina proxima porta.* ] Strabo lib. 6. Dedicata Romæ hæc ædes anno DLXXII. de quo agens Livius lib. 40. *Ædes*, inquit, *duæ eo anno dedicatæ ſunt;*



Digitized by Google

Nunc decet : à Siculo nomina colle tenent.
Utque Syracuſas Arethuſidas abſtulit armis
Claudius, & bello te quoque cepit, Eryx;
Carmina vivacis Venus eſt tranſlata Sibyllæ;
Inque ſuæ ſtirpis maluit urbe coli.
Cur igitur Veneris feſtum Vinalia dicant,
Quæritis; & quare ſit Jovis iſta dies?
Turnus, an Æneas Latiæ gener eſſet Amatæ,
Bellum erat. Hetruſcas Turnus adoptat opes.
Clarus erat, ſumtisque ferox Mezentius armis:
Et vel equo magnus, vel pede major erat
Quem Rutuli Turnuſque ſuis adſciſcere tentant
Partibus. hæc contra dux ita Tuſcus ait:
Stat mihi non parvo virtus mea. vulnera teſtes;

Arma-

*ſunt, una Veneris Ericinæ ad portam Collinam, altera in foro Olitorio Pietatis.* Neap.

872. *A Siculo nomina colle tenet.* ] *Tenent*, templa videlicet, multi ex ſcriptis. Remed. Amor.

*Eſt prope Collinam templum venerabile portam:*
*Impoſuit templo nomina celſus Eryx.*

Heinſ. *A Siculo nomina colle tenet.* ] Ubi & tempium habuit ditiſſimum. de quo etiam Strabo eodem libro: Vide & Diodorum lib. 4. *Neapol.*

873. *Syracuſas Arethuſidas.* ] Oppidum Siciliæ nobiliſſimum. Accipiendus enim hîc M. Claudius Marcellus, qui fuit Syracuſarum glorioſiſſimus expugnator, plurimaque inde ſigna in urbem intulit. primuſque Hannibalem docuit vinci poſſe. *Ant.* *Arethuſidas.* ] Ab Arethuſa Syracuſii fontis nympha.

874. *Eryx bello.* ] Etiam Erycem montem armis cepit.

875. *Eſt tranſlata.* ] E Sicilia in urbem. *Carmine vivacis.* ] Pace tuâ dicam, mi Ovidi, hallucinaris: nam hæc Veneris ædes prope portam Collinam non dedicata monitu carminis Sibyllini, ſed vovit ſponte L. Porcius Liguſtino bello, dedicavit Porcius L. F. Licinius, ut ex Livio vidimus, anno DLXXII. Fateor aliam eidem Veneri voviſſe Q. Fabium Maximum juſſu libri fatalis, ſed ante hanc poſitam annis XXXIV. Servilio Geminio & C. Flaminio Coſſ. Vide & Livium lib. 22. Hoc igitur anno vota, ſed dicata DXXXVIII. L. Poſtumio Albino & T. Sempronio Coſſ. & lib. 23. *Neapol.*

878. *Sic Jovis iſta dies.* ] M. Varro lib. 5. de L. L. *Vinalia à vino: hic dies Jovis, non Veneris.* Neapol.

880. *Etruſcas Turnus adorat opes.* ] *Adoptat* Zulichemianus. optime. hoc eſt, adſciſcit. externas & auxiliares copias ſuis adjungit. Vatinius apud Ciceronem lib. v. Ep. Famil. IX. *Ego autem quem potius adoptem aut invocem, quam illum, quo defendente vincere didici?* Heinſ.

885. *Vulnera teſtor.* ] *Teſtes* à manu prima optimus Mazarinianus & tres alii. elegantius utique. ſic lib. XIII. Met.

*——ſunt & mihi vulnera teſtes:*

ut duo vetuſti codices illic exhibent. Curtius lib. IV. *Nec duces quidem copiarum ſua laude fraudandi ſunt. quippe vulnera, quæ quiſque excipit, virtutis indicia ſunt,* apud Virgilium,

—— vos

Digitized by Google

Armaque, quæ ſparſi ſanguine ſæpe meo.
Qui petis auxilium, non grandia divide mecum
Præmia, de lacubus proxima muſta tuis.
Nulla mora eſt operæ. veſtrum dare; vincere noſtrum eſt.
Quam velit Æneas iſta negata mihi!
Annuerant Rutuli. Mezentius induit arma:
Induit Æneas; alloquiturque Jovem.
Hoſtica Tyrrheno vota eſt vindemia Regi,
Jupiter: è Latio palmite muſta feras.
Vota valent meliora: cadit Mezentius ingens,
Atque indignati pectore plangit humum.
Venerat Autumnus calcatis ſordidus uvis:
Redduntur merito debita vina Jovi.
Dicta dies hinc eſt Vinalia. Jupiter illam
Vindicat, & feſtis gaudet ineſſe ſuis.
SEx ubi, quæ reſtant, luces Aprilis habebit;
In medio curſu tempora veris erunt.
Et fruſtra pecudem quæres Athamantidos Helles:
Signaque dant imbres: exoriturque Canis.

Hac

—— *vos coryli teſtes & flumina nymphis.*
& apud Propertium lib. II. El. IX.
—— *ſunt nobis ſidera teſtes.*
Horat.
*Teſtis Metaurum flumen.*
atque ita paſſim veteres. *Idem.*

893. *Hoſtica vindemia.*] Fructus vindemiæ hoſtilis: hoc eſt, muſta Rutulorum. *Vota eſt.*] Promiſſa. *Regi Tyrrheno.*] Mezentio regi Etruſcorum.

894. *Muſta feres*] *Feras* Petavianus. eſt enim voventis. *Heinſ.*

895. *Vota meliora valent.*] Vota Æneæ, quæ magis pia fuere, cum Jovi vinum voverit.

898. *Redduntur merito Jovi.*] Pro victoria Æneæ.

899. *Jupiter illa vindicat.*] *Illam* Urſini, primus Ambroſianus, Mazar. Zulich. aliique multi. nempe, diem, mox *quæ reſtant* non *reſtent* meliores. *Heinſ.*

901. *Sex ubi quæ.*] Et eſt ſenſus: Cum Aprili ſex tantum dies ſuperfuerint, hoc eſt, ſeptimo calendas, in medio curſu ver erit. Tunc enim & Rubigalia celebrantur, ut Plinius docet. *Ant. Sex ubi quæ reſtent.*] VII. Kalendas ver meo Publio bipartitur; quod Columellæ ipſo die Palilium, XI. Kalendas. *Neapol.*

903. *Et fruſtra quæres pecudem Helles Athamantidos.*] Fruſtra requires arietem Phryxi & Helles, Athamantis Thebani. f. *Et fruſtra pecudem quæres.*] Eodem VII. Aries occidit acronycho occaſu. *Neap.*

904. *Exoriturque Canis.*] Mira & nova fateor. Numquam audivi à nata Aſtrologia, poſt Arietis occaſum, imo poſt Tauri ortum, Canem exoriri. Quidam mallet, *exoriturque capra.* Sed ad quid? ſequuntur Rubigalia, quæ ad oc-

R 2 caſum

Hac mihi Nomento Romam cum luce redirem,
Obſtitit in mediâ candida pompa viâ.
Flamen in antiquæ lucum Robiginis ibat,

Exta

caſum Canis inſtituta, & celebrata. Vide Plin. lib 18. cap. 29. Suſpicio hinc mihi de menda venit; & adlubet ſcribere:

*Signa dabunt imbres, effugietque Canis.*

Hic enim moto Tauro ſtatim cedit navi Argoæ. Virg. primo Georg.

*Taurus, & averſo cedens Canis occidit aſtro.*

Firmat etiam noſtram emendationem; quod ille in occaſu vehemens, gelidus, pluvius. *Neap.*

905. *Hac mihi Nomento, &c.*] Cum Poëta ex ſuburbano Romam rediret, ut ipſe inquit, occurrentem turbam habuit, Rubigini ſacrificaturam, cui ſacerdos canem & ovem immolat. *Nomento Romam.*] Nomentum in via qua in Sabinos itur, ad decimumquintum ab urbe lapidem. *Paul.*

906. *In media candida turba via.*] Candida turba ſunt Flamines, qui ad Rubiginem placandam properabant, albo induti veſtimento: color is erat ſacrificantium. *Media via.*] De hac Servius: *Ab hoc oppido via Nomentana dicta, qua incipiebat à Viminali portâ.* & priſcus lapis:

VIÆ NOMENTANÆ PATRONUS.

*Neap. Candida turba.*] Rectius *pompa* primus Ambroſ. Mazar. & ſeptem vel octo alii. ſic *pompam* vocat comitatum illum Prudentius, qui Martyres ad ſupplicium ductos ſequebatur περὶ στεφ. Hymno primo,

*Quo viros dolore tortor, quave pompa ornaverit.*

ita enim ex vetuſtiſſimis libris ſcribendum. non *pœna*. Heinſ.

907. *In antiqua lucum*] Diſplicet lectio; ſed ſic plerique, præter duos optimos, qui habent *antiquum*. Quanto melius ad lucum, quam ad Rubiginem epithetum referre? Antiqua ſane Rubigalia non diffiteor: inſtituit Numa Pompilius anno regni ſui XI. vide Varronem lib. I. de R. R. *Lucum Rubiginis.*] Panvinius in Topographiâ Urbis lucum & ædem ponit in regione V. ſed ædem expreſſim viâ Nomentana extra portam Catulariam. *Rubiginis ibat.*] Libri duo è meis, *Robiginis.* & certe verius: nam ei venit etymon, ut ſuſpicor, à colore robo; qui Græcis ξανθός. Hinc *robos* boves à ruſticis vocatos, auctor eſt Feſtus in vocula *robum*. Expreſſe vetus Senatus Conſultum apud Gellium lib. 4. cap. 6. SI QUID SUCCIDANEIS OPUS ESSET ROBUS, SUCCIDERET. Vulgo male legitur, ROBIGUS ACCEDERET. *Neap. Rubiginis.*] *Robiginis* duo codices ex iis quos inſpexit Neapolis. atque ita ex noſtris Veterrimus Petavianus, & mox *Robigo.* ſic idem codex libro primo ſupra,

—— *ſcabra Robiginis expers.*

pro Robigine Dea Deus Robigus eſt Varroni & Feſto. hinc Robigalia apud eoſdem, & in Veteri Kalendario. *Robigus* etiam Gellio lib. V. cap. XII. apud Virgilium quoque libro primo Georg. codex Mediceus longe vetuſtiſſimus, aliique, quos Pierius Valerianus conſuluit,

—— *ut mala culmos Eſſet Robigo.*

ubi Servius. *Inde & Robigus deus, & ſacra ejus ſeptimo Kal. Majas Robigalia appellantur.* Ita ſcribe. vulgo *Rubigus Deus & decimo Kal. Majas Rubiginalia.* ſed Feſtus bene *ſeptimo Kalendas* habet. nam & eo die Kalendarium in marmore antiquo *ROB.* hoc eſt *Robigalia agnoſcit.* Idem Virgilius eodem libro,

*Exeſa inveniet ſcabra robigine pila.*

Georg. II.

*Nec ſcabie & ſalſa lædit robigine ferrum.*

quomodo & illic iidem vetuſtiſſimi codices. apud Columellam quoque lib. X. ſcribendum cenſeo,

*Hinc mala Robigo virides ne torreat herbas.*

& apud

Exta canis flammis, exta daturus ovis.
Protinus acceſſi; ritûs ne neſcius eſſem.
Edidit hæc Flamen verba, Quirine, tuus:
Aſpera Robigo, parcas Cerealibus herbis:
Et tremat in ſummâ læve cacumen humo.
Tu ſata ſideribus cœli nutrita ſecundis
Creſcere, dum fiant falcibus apta, ſinas.
Vis tua non levis eſt. quæ tu frumenta notaſti;
Mœſtus in amiſſis illa colonus habet.
Nec venti tantum Cereri nocuêre, nec imbres;
Nec ſic marmoreo pallet aduſta gelu:
Quantum, ſi culmos Titan incalfacit udos.
Tum locus eſt iræ, Diva timenda, tuæ
Parce, precor, ſcabraſque manus à meſſibus aufer;
Neve noce cultis: poſſe nocere ſat eſt.
Nec teneras ſegetes, ſed durum amplectere ferrum:
Quodque poteſt alios perdere, perde prior.
Utilius gladios & tela nocentia carpes.
Nil opus eſt illis: otia mundus agit.
Sarcula nunc, duruſque bidens, & vomer aduncus,
Ruris

& apud Prudentium contra Symmachum.

*Nunc conſumit edax ſegetem Robigo maligni*
*Aëris ex vitio.*

Neque aliter vetuſti codices apud Horatium lib. III. Od. XXIII.

*Nec peſtilentem ſentiet Africum*
*Fæcunda vitis, nec ſterilem ſeges*
*Robiginem.* Heinſ.

908. *Exta canis flammis.*] Rufus eſſe debebat; imo catulus, & lactens. Columella.

912. *Et tremat in ſummâ lene cacumen humo.*] *Læve cacumen* omnino ſcribendum cum nonnullis membranis. quod codex unus Moreti recte interpretatur *ſine rubigine*. læve enim ſcabio opponitur. *Heinſ.*

916. *Habet frumenta in amiſſis.*] Quia jam amiſſa exiſtimat.

919. *Culmos Titan incalfacit udos.*] Quod & principio Georgicon Poëta notavit in hiſce,

*ut mala culmos*
*Eſſet Rubigo.*

Bene *eſſet*: nam penitus rodit & occidit ſegetes. Rubigo autem tunc ſævit in ſata, cum illis udis ſoles magni superveniunt. *Neap.*

923. *Durum amplectere ferrum.*] *Conterere* primus Ambroſianus & Læti codex. & mox *otia mundus agit* non *agat* meliores. *Heinſ.*

927. *Vomer aduncus.*] *Vomis* Læti exemplar. ut apud Virgilium Georg. primo in veterrimis membranis,

——— *ſulco attritus ſplendeſcere vomis.*

& mox,

*Vomis & inflexi primum grave robur aratri.*

Deinde perperam *Ruris opus* quidam ex præ-



Digitized by Google

Ruris opes niteant: inquinet arma ſitus.
Conatusque aliquis vaginâ ducere ferrum;
Adſtrictum longâ ſentiat eſſe morâ.
At tu ne viola Cererem: ſemperque colonus
Abſenti poſſit ſolvere vota tibi.
Dixerat. à dextrâ villis mantele ſolutis
Cumque meri patera thuris acerra fuit.
Thura focis vinumque dedit, fibraſque bidentis,
Turpiaque obſcœnæ (vidimus) exta canis.
Tum mihi, Cur detur ſacris nova victima, quæris?
(Quæſieram) cauſſam percipe, Flamen ait:
Eſt canis (Icarium dicunt) quo ſidere moto
Toſta ſitit tellus, præcipiturque ſeges.
Pro cane ſidereo canis hic imponitur aræ:
Et, quare pereat, nil niſi nomen habet.

Cum

præſtantioribus. Triſtium lib. III.

*Ruris opes parva pecus & ſtridentia pluſtra.*

Idem.

930. *Sentiat eſſe aſtrictum.*] Cognoſcat in vagina hærentem.

933. *Dixerat.*] Flamen. *Villis ſolutis*] Non implicitas, non ut apud Virgil. *Tonſiſque ferunt mantilia villis*: ſed ſolutis. *Paul.* *A dextra villis mantele ſolutis.*] Manu dextra ſacerdos ille Quirinalis cum patera & acerra geſtabat linteum mappa longiuſculum, tergendis manibus peracto ſacrificio. *Mantele*, Græcis χειρόμακτρον. Confunditur tamen apud omnes mappa cum manteli. Vide Martialem in Epigrammate, cui lemma, *Gauſapa, vel mantele. Villis ſolutis.*] His contrarium, *tonſis villis*; Nec *villoſa lintea* apud Martialem ea ſunt, quibus villus per omnia inſurgit; tonſa, quibus deraſus; ſed quibus ſubtemen de induſtria relictum; tonſa, quibus nullum. *Villos* igitur *ſolutos* explico, ſubtemen è linteo pendens. *Neapol.* *A dextra.*] *Ad dextram* agnoſcit Priſcianus lib. VI. *at dextra* Urſini & duo alii. *mantele* etiam vetuſti. ut apud Virgil.

——*tonſis mantelia villis*,

Mediceus codex longe veterrimus. aliique omnes vetuſti. ſic *mantella* apud Lucilium, & *mantellum* apud Plautum. *Heinſ.*

935. *Thura focis vinumque dedit.*] Imo *dari*, quicquid libri veteres diſſentiunt, ut ad Tò *vidimus* referatur. niſi malis Tò *vidimus* parentheſi includi. *Heinſius.*

939. *Eſt canis, Icarium.*] Immolari canem, pro Caniculæ ſidere: cujus exortu accendi ſolis vaporem quis ignorat? igitur canis immolatur, ne nimio æſtu noceat frugibus. *Quo ſidere moto.*] Cum movetur in ipſo ortu. *Paul.* *Quo ſidere moto.*] Quo exorto. ſic poſtulat hic ſenſus: nam moveri ſidus proprie eſt, quod ἀπὸ τῦ ἀφανῦς εἰς τὸ φανερὸν procedit; & contra, quod ἀπὸ τῦ φανερῦ εἰς τὸ ἀφανές. *Neap.*

941. *Canis hic imponitur ara.*] Huic pariſſimum feſtum fuit apud Græcos, ſi bene memini: Κυνοφόντιν illi dixere. Athenæus lib. 3. *Neapol.*

942. *Et quare fiat.*] *Quare pereat* Zulich. Maz. Voſſ. Arond. & octo vel decem alii. quod verum eſt. *Heinſ.*

943. Cum

CUM Phrygis Aſſaraci Tithonia fratre relicto
Suſtulit immenſo ter jubar orbe ſuum;
Mille venit variis florum Dea nexa coronis:
Scena joci morem liberioris habet.
Exit & in Majas ſacrum Florale Kalendas.
Tunc repetam: nunc me grandius urget opus.
Aufert, Veſta, diem: cognato, Veſta, recepta eſt
Limi-

943. *Cum Phrygis Aſſaraci Tithonia fratre relicto.*] *Tithonia conjux* recte Virgilio ac Silio Italico Aurora dicitur. ut & Noſtro infra initio lib. v. ſed *Tithoniam*, ut hoc loco, πατρονυμικῶς recte dici non opinor. & tamen ſic locuti quoque alii. Statius inprimis Sylvar. lib. I. Epithalamio Stellæ,

*Nec ſi alma per auras*
*Te potius prenſa veheret Tithonia biga.*

& libro I. Thebaïdos,

*Clara laboriferos cælo Tithonia currus*
*Extulerat.*——

& libro XII.

——*trepidas ſubito Tithonia nubes*
*Diſcuſſit, ac reduci magnum parat æthera Phœbo.*

& apud Valerium Flaccum initio L. III.

*Tertia jam gelidas Tithonia ſolverat umbras.*

& libro V.

*Alma nova criſpans pelagus Tithonia Phœbo.*

Sed iis omnibus locis, & ſi qui alii apud poëtas veteres occurrunt, *Titania* reponendum cenſeo. Fuit enim Hyperionis Titanum unius filia, ſoror Phœbi & Lunæ. hinc & Luna pari modo Titania eſt dicta. *Heinſ.* *Cum Phrygis Aſſaraci.*] IV. Kalendas Majas incipiebant Floralia. Vide Plin. lib. 18. cap. 29. *Itaque iidem Floralia* IV. *Kalendas ejuſdem* Maji *inſtituerunt*, *Urbis anno* DXVI. ſcribe, *anno Urbis* DXIII. nam L. & M. Publicio plebis Ædilibus ut dicemus, inſtituta. *Neapol.*

944. *Suſtulit immenſo ter jubar orbe ſuum.*] *Immenſo ore* ſex libri. *emerſo orbe* Puteani codex. Lege *emerſo ore*. ut Amor. lib. I. El. XIII.

*Jam ſuper Oceanum venit ſeniore relicto*
*Flava pruinoſum qua vehit axe diem.*

de *emergendi* verbo vide quæ notamus lib. III. vſ. 399. *Heinſ.*

947. *Feſtum Florale.*] *Sacrum* vetuſtiores. *Idem.* *Feſtum Florale exit.*] Differtur in ſequentem diem. nam propter conſecrata ab Auguſto ſacella, Apollini & Veſtæ ſacrificatur. *Paul.* *Exit & in Majas.*] Scribit igitur ſolemnitatis partem ſub finem menſis Aprilis agitari; quod reliquum, menſe Majo. Diem ille Libro ſequenti facit IV. Nonas Majas. In Kalendario Conſtantini Magni prima Floralia invenio pridie Kalendas Majas, altera V. Nonas. *Neap.* *Sacrum florale.*] *Honoribus* (Galba) *ante legitimum tempus initis, præter commiſſiones ludorum Floralium, novum ſpectaculi genus, elephantos funambulos edidit.* Sueton. *Aprici videro ſenes Floralia noſtra.* Juven.

949. *Aufert Veſta diem. cognati Veſta recepta eſt Limine.*] *Aufer* Urſini, primus Petavii, Mazar. & decem alii. *Auſers* alter Petavii. & tum *recepta es* ſit legendum. Præterea *cognato limine* Arondelianus, & quatuor. venuſte. ſic *Cognata aqua* Faſt. III. *cognata lumina* & *cognatum caput* Faſt. IV. atque ita paſſim *Heinſ.* *Aufert Veſta diem.*] Ne fallaris: in hunc Veſtalia non incidunt, ſed in VI. Idus Junias. Nunc tranſlatio celebratur ſacri ignis in domum Palatinam. Mos fuit, Pontificem Maximum ædes publicas juxta Veſtam incolere: cumque Auguſtus Pontifex jam deſignatus Palatium vellet inhabitare, Veſtam ad ſe tranſtulit, id eſt, à regione VIII. in X. ubi ſitum: cujus partem tunc publicavit. Vide Dionem Caſſium. *N.*

Limine. ſic juſti conſtituere patres.
Phœbus habet partem; Veſtæ pars altera ceſſit:
Quod ſupereſt illis; tertius ipſe tenet.
State Palatinæ laurus, prætextaque quercu
Stet domus. æternos tres habet una Deos.

951. *Phœbus habet partem.*] In altero Palatii angulo templum erat Apollinis Palatini. unde illa noſtri Naſonis in extrema Metamorphoſi:

*Veſtaque Cæſareos inter ſacrata penates,*
*Et cum Cæſareâ tu Phœbe domeſtice Veſta.*

Vides duo numina in una domo dicata. Sueton. *Addita porticus cum bibliotheca Latina Græcaque.* de hac initio lib. 53. Dio Caſſius, & Horatius Epiſtola 2. ad Florum libro primo:

——— *Tangere vitet.*
*Scripta Palatinus quæcumque recepit Apollo.*

Latina ſcilicet, Græcaque, quæ diviſim in Palatio locata. Hinc colligo, quod unaquæque bibliotheca ſuos cuſtodes habuerit. *Neap.*

953. *Laurus & quercus prætexta.*] Ornata & cincta hinc inde lauris, aut prætexta coronis. Erat enim quercus illa Palatina, cum lauris ante fores Auguſti. In Metamorph. *Ante fores ſtabis, mediamque tuebere quercum.*

954. *Tres æternos Deos.*] Auguſtum, Apollinem, Veſtam. *Paul.*

# P. OVIDII NASONIS
# FASTORUM
## LIBER V.

QUæritis, unde putem Majo data nomina menſi?
Non ſatis eſt liquido cognita cauſſa mihi.

Ut

1. QVæritis unde putem, &c.] Majum Romulus tertium poſuit, de cujus nomine inter auctores diſſenſio eſt. Nam Fulvius Nobilior in Faſtis, Romulum dicit, poſtquam populum in majores junioreſque diviſit, ut altera pars conſilio, altera armis rempubl. tueretur, in honorem utriuſque partis, hunc *Majum*, ſequentem *Junium* vocaſſe. Poëta autem de origine menſis dubium ſe eſſe fatetur; quare à Muſis petit ut certior cauſa referatur. *Neapol.*

2. *Non ſatis eſt liquido cognita cauſa.*] Ea propter tria adducit ἔτυμα, menſem hunc aut à Majeſtate, Honoris & Reverentiæ filiâ dictum, aut à Majoribus, aut à Maja Mercurii matre. Primi nemo meminit niſi Noſter, ſecundum eſt ex ſententiâ Fulvii Nobilioris. Vide Macrobium primo Saturnalium: Tertium ex opinione Cincii; licet hic Majam Vulcani dicat uxorem. *Neapolis.*

3. Vt

Ut ſtat, & incertus qua ſit ſibi neſcit eundum,
Cum videt ex omni parte viator iter.
Sic, quia poſſe datur diverſas reddere cauſſas,
Qua ferar ignoro: copiaque ipſa nocet.
Dicite, quæ fontes Aganippidos Hippocrenes
Grata Meduſæi ſigna tenetis equi.
Diſſenſere deæ. quarum Polyhymnia cœpit
Prima. ſilent aliæ; dictaque mente notant.
Poſt chaos, ut primum data ſunt tria corpora mundo,
Inque novas ſpecies omne receſſit opus;
Pondere terra ſuo ſubſedit, & æquora traxit:
At cœlum levitas in loca ſumma tulit.
Sol quoque cum ſtellis nullâ gravitate retentus,
Et vos Lunares exſiluiſtis equi.
Sed neque terra diu cœlo, nec cætera Phœbo
Sidera cedebant: par erat omnis honos.
Sæpe aliquis ſolio, quod tu, Saturne, tenebas,
Auſus de mediâ plebe ſedere Deus.
Et latus Oceano quiſquam Deus advena junxit:
Tethys

3. *Ut ſtat, & incertus.*] Theognis: Ἐν τριόδῳ δ᾽ ἕστηκα. *Neap.*

8. *Grata Meduſai ſigna tenetis equi.*] Ita libri veteres conſtanter. Malim nihilominus *Graja.* ſic Noſter ſæpenumero. Met. lib. IV.

*Si tamen in tumido quondam concreta profundo*
*Spuma fui; Grajumque manet mihi nomen ab illâ.*

ubi ſimili errore erat peccatum. infra,

*Ora micant Tauri ſeptem radiantia flammis,*
*Navita quas Hyadas Grajus ab imbre vocat.*

lib. VI.

*—— vi ſtando Veſta vocatur,*
*Cauſaque par Graji nominis eſſe poteſt.*

plura loca poſſent congeri, ſi hoc ageretur. *Heinſius.*

9. *Diſſenſere Deæ.*] *Diſſedere* primus Farneſianus, eleganter. ſic lib. XV. Met.

*Diſſidet & varias ſententia.——*

ſed ſi ſilent, quod ſequitur, cur diſſentire dicuntur: rectius igitur forſan Junianus *Aſſenſere.* ut ſub finem libri VI, *Sic cecinit Clio: doctæ aſſenſere ſorores.* Sed puto *Deſedere* reponendum eſſe pro *Conſedere.* Idem.

18. *Sidera.*] Ceteræ ſtellæ ſoli cedere nolebant. *Erat par.*] Quia nulla erat diſcretio perſonarum, & dignitas. *Paul.* *Omnis honor.*] *Honos* vetuſtiores. quomodo & mox vſ. 23. Junianus. *Heinſ.*

20. *De media plebe.*] Τὸν τυχόντα Græci dicerent. *Sedere Deus.*] Ac ſi poſtea ſedes unicuique pro meritis aſſignatæ. Hanc diſtinctionem mihi viſus Homerus adſignificaſſe in Iliade A. *Neapol.*

21. *Et latus Oceano quiſquam Deus advena junxit.*] Metuo, ut ab Ovidii manu ſit hic verſus. In Zulichemiano vetus lectio penitus erat eraſa. Mazar.

*Nec latus Oceano quis quando leve tegebat.*

alii etiam multi. *Nec*, Lege, *Nec latus Oceano,*

Tethys & extremo ſæpe recepta loco eſt.
Donec Honor, placidoque decens Reverentia vultu
Corpora legitimis impoſuêre toris.
Hinc ſata Majeſtas; hos eſt Dea cenſa parentes:
Quaque die partu eſt edita, magna fuit.
Nec mora: conſedit medio ſublimis Olympo,
Aurea, purpureo conſpicienda ſinu.
Conſedere ſimul Pudor & Metus: omne videres
Numen ad hanc cultus compoſuiſſe ſuos.
Protinus intravit mentes ſuſpectus honorum.
Fit pretium dignis; nec ſibi quiſque placet.
Hic ſtatus in cælo multos permanſit in annos:
Dum ſenior fatis excidit arce Deus.
Terra feros partus immania monſtra Gigantas
Edidit, auſuros in Jovis ire domum.
Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues:
Atque ait, In magnos arma movete Deos.
Exſtruere hi montes ad ſidera ſumma parabant,

Et

*ceano, quamvis grandæva tegebat; Tethys.* Ea enim Oceani uxor. *Tegere latus.* Ut apud Horat. lib. II. Sat. V. *Vtne tegam ſpurco Dama latus?* Heinſ. *Et quiſquam deus advena.*] Aliunde adveniens. *Junxit latus Oceano.*] Auſus eſt ſedere prope Oceanum, deorum omnium parentem.

22. *Et Themis.*] Quæ fuit ſoror Saturni. *Sæpe eſt recepta ultimo loco.*]Cum nemo eſſet qui eam revereretur, & cederet.

24. *Corpora.*] Deorum ipſorum, & heroum *Toris legitimis.*] Qui eſſent illis lege conſtituti.

25. *Hinc ſata Majeſtas quæ mundum temperat omnem.*] *Hinc ſata Majeſtas, hos eſt dea cenſa parentes,* Mazarinianus & unus Farneſianus ac Mediceus Venuſte, &, ſi quid judico, vere. Vide omnino quæ notamus ad Epiſt. VII. vſ. 47. neque aliter fuiſſe videtur in Zulichemiano. nam vetus ſcriptura erat illic deleta. quidam etiam *His ſata.* Heinſius.

26. *Magna fuit.*] Semper una, & eadem. *Neapol.*

29. *Pudor & Metus.*] Majeſtatis individui comites. *Neap.*

30. *Vultus compoſuiſſe ſuos.*] *Cultus* Urſini codex. & placet. *Heinſius.*

31. *Suſpectus honoris intravit mentes.*] Cum prius nulla ratio haberetur honoris. *Paul. Suſpectus honorum.*] Cultus & admiratio digniorum. *Neap.*

37. *Mille manus illis dedit & pro cruribus angues.*] Non agnoſco hic numeros Ovidianos, etſi minime neſcius hanc agnoſci à Scholiaſte Statii lectionem ad lib. V. Theb. Opinor ſcribendum,

*Mille manus & mille dedit pro cruribus angues.*

Niſi diſtichon totum ab interpolatoris manu eſt, quod parum abeſt quin perſuadeat ut credam Paulo ante pro *Terra feros partus.* quidam *ferox.* alii *ferax.* ut *ferax partûs terra dicatur*, quomodo in Amoribus lib. II. El. XVI. *Terra ferax Cereris. Gigantas* quoque Urſini & Læti codex. ut alibi non ſemel. Vide ſupra lib. III. vſ. 439. *Heinſius.*

44. *Culta*

Et magnum bello ſollicitare Jovem.
Fulmina de cœli jaculatus Jupiter arce
Vertit in auctores pondera vaſta ſuos.
His bene Majeſtas armis defenſa Deorum
Reſtat: & ex illo tempore firma manet.
Aſſidet illa Jovi: Jovis eſt fidiſſima cuſtos:
Et præſtat ſine vi ſceptra tremenda Jovi.
Venit & in terras: coluerunt Romulus illam
Et Numa: mox alii, tempore quiſque ſuo.
Illa patres in honore pio matreſque tuetur:
Illa comes pueris virginibuſque venit.
Illa datos faſces commendat, eburque curule:
Illa coronatis alta triumphat equis.
Finierat voces Polyhymnia. dicta probarunt
Clioque, & curvæ ſcita Thalia lyræ.
Excipit Uranie: fecêre ſilentia cunctæ;
Et vox audiri nulla, niſi illa, poteſt.
Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat.
Martis opus juvenes animoſaque bella gerebant:
Et pro Dîs aderant in ſtatione ſuis.
Viribus illa minor, nec habendis utilis armis,
Conſilio patriæ ſæpe ferebat opem.
Nec niſi poſt annos patuit tunc Curia ſeros:

No-

44. *Culta manet.*] Multi ex melioribus *firma*, quatuor *tuta*. Sequenti verſu *illa* pro *inde*; & *conjux* pro *cuſtos* nonnulli. Forte *conſors*. ut Claudiano Juſtitia,

—— *conſors adjuncta Tonanti*. Idem.

46. *Et præſtat ſine vi ſceptra tenenda Jovi.*] *Timenda* multi ex melioribus. pri. Ambroſ. & Læti, *tremenda*. quatuor *tenere*. Idem.

47. *Coluerunt Romulus illam.*] Hinc Principi majeſtas in jure tribuitur. Vide Julium Paulum lib. 4. Sentent. tit. 5. & leg. 7. §. Hoc ceterum. D. Ad legem Juliam majeſt. & Legem ultimam C. De legib. *Neap.*

49. *In honore ſuo.*] *Pio* meliores magno numero. *Heinſ.*

51. *Et ebur curule*] Eburneam, & conſpicuam ſignis curulem ſellam, pro ipſis ædilibus. *Paul. Illa datos faſces.*] Dignitates Conſulares, Ædilitias, Prætorias, omnem denique Magiſtratum. *Neapol.*

62. *Sæpe ferebat opem.*] Ita veteres conſtanter. pro *ſæpe* tamen *turba* reponendum videtur, vel quid ſimile, ut ſit ad quod referatur Tò *illa* in ſuperiori verſu. *Heinſ.*

63. *Patuit tunc curia ſeros.*] Adludit ad Leges illas annarias. *Neap.*

64. Ne-

Digitized by Google

Nomen & ætatis mite Senatus erat.
Jura dabat populo ſenior: finitaque certis
Legibus eſt ætas, unde petatur honos.
Et medius juvenum, non indignantibus ipſis,
Ibat: & interior, ſi comes unus erat.
Verba quis auderet coram ſene digna rubore
Dicere; cenſuram longa ſenecta dabat.
Romulus hoc vidit: ſelectaque pectora Patres
Dixit. ad hos Urbis ſumma relata novæ.
Hinc ſua majores poſuiſſe vocabula Majo
Tangor, & ætati conſuluiſſe ſuæ.
Et Numitor dixiſſe poteſt, Da, Romule, menſem
Hunc ſenibus; nec avum ſuſtinuiſſe nepos.

Nec

64. *Nomen & ætatis mite ſenatus habet.* ] *Erat* longe venuſtius decem ex melioribus. *Heinſ.*

66. *Unde petatur honor.* ] Vide Latinum Pacatum in Panegyrico Theodoſii.

67. *Et medius juvenum.* ] Loco digniori. *Neap.*

68. *Et interior.* ] Si duo vero erant, prælatus ſenex in itione, aut ſeſſione, & ad dextram poſitus. *Neap.*

69. *Verba quis auderet coram ſene dicere.* ] Τελευταῖοι δὲ οἱ νεώτατοι, λόγον μὲν οὐθένα λέγοντες, ὅτι γὰρ ἦν δι' αἰσχύνης τοῖς Ῥωμαίοις τοῦτο, καὶ νέος οὐδεὶς ἑαυτὸν σοφώτερος εἶναι ἠξίου πρεσβύτου. Dionyſ. Halicarn. 7. ab U. C. ann. 263.

70. *Cenſuram longa ſenecta dabat.* ] Senibus, inquit, habita reverentia, æque ac morum magiſtris. *Neap.*

71. *Selectaque corpora patres.* ] Iidem *pectora.* utique & hoc melius. de conſilii enim non de virium præſtantia agitur. Propertius libro IV. Eleg. I.

*Pellitos habuit ruſtica corda patres.*

ſic apud Maronem,

*——juvenes fortiſſima fruſtra*
*Pectora ——*

& alibi,

*——lectos juvenes fortiſſima corda*
*Defer in Italiam. ——*

Silius libro VI.

*——Juvenes parat aſpera bello*
*Pectora captivos.*

mox pro *tribuiſſe vocabula* iidem *poſuiſſe* etiam recte. *Nomina ponere* Noſtro uſitatum. Virgilius lib. VIII.

*Sæpius & nomen poſuit Saturnia tellus.*

Silius libro VIII.

*Sed populis nomen poſuit metuentior hoſpes.*

Horatius libro I. Epiſt. VII.

*Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.*

quæ illic genuina eſt præſtantiſſimorum codicum ſcriptura. Virgilius libro VII.

*Laurenteſque ab ea nomen poſuiſſe colonis.* Heinſ.

*Selectaque pectora Patres dixit.* ] Patres conſcriptos. Sic eleganter Liv. dec. I. lib. 2. *Traditumque inde fertur, ut in ſenatum vocarentur, qui patres, quique conſcripti eſſent. Conſcriptos videlicet novum ſenatum appellabant lectos.*

72. *Summa relata.* ] Τὸ σύμπαν. Terentius Phormione: *Ad te ſumma rerum redit.* Neapol. *Summa urbis.* ] Sic Cæſar, *belli ſumma præficere aliquem. Summam belli committere fortunæ:* Et quaſi ſub uno ictu exponere.

76. *Avum ſuſtinuiſſe nepos.* ] *Avo* pri. Ambroſ. Læti, Maz. Zulich. pri. Farneſ. & quatuor alii probæ notæ. quod non

eſt

Digitized by Google

Nec leve præpoſiti pignus ſucceſſor honoris
Junius à juvenum nomine dictus habet.
Tum ſic, neglectos hederâ redimita capillos,
Prima ſui cœpit Calliopêa chori:
Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,
Qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.
Hinc ſata Pleïone cum cælifero Atlante
Jungitur, ut fama eſt; Pleïadaſque parit.
Quarum Maja ſuas formâ ſuperaſſe ſorores
Traditur, & ſummo concubuiſſe Jovi.

Hæc

eſt de nihilo. ut *negare* vel quid ſimile ſubintelligatur. libro tamen XIV. Met.

*Has rogat auxilium; nec Nympha juſta petentem*
*Suſtinuere deam.* Heinſ.

77. *Nec leve prepoſiti pignus ſucceſſit honoris:*
*Junius à juvenum nomine dictus adeſt.*]

*prepoſito honori* Læti codex, & primus Ambroſianus, & tres alii. quidam *prepoſitum*, quinque *præpoſiti*. quod ſequor. deinde in Zulich. & Mazar. *ſucceſſor* à manu prima, & *habet* pro *adeſt*. *Succeſſor* etiam eſt in uno Farneſ. & Mediceo. & *habet* in Urſini optimo, primo Farneſiano & uno Patavino. Scribe,

*Nec leve præpoſiti pignus ſucceſſor honoris*
*Junius à juvenum nomine dictus habet.*

niſi *præpoſito honori* mavis *Heinſ.*

82. *Qui terram.*] Malim *Qua*. aliter tamen libri vetuſti. *Idem.*

83. *Cum cælifero Atlante.*] Nonnulli *ſtellifero*. Sed Virgilius quoque *cæliferum Atlantem* dixit, & ſummus Virgilii imitator cum Silio Italico Valerius Flaccus, ſi per correctores ignavos & inſcitos licuiſſet. Is ergo Valerius lib. V. vſ. 411.

——— *ſtat cælifer Atlas*
*Oceano, genibuſque tumens infringitur unda.*

Nunc in vulgatis libris *ſtat ferreus Atlas*. quod ſciolorum commentum eſt, cum enim ſyllaba una aut altera librariorum ſupinitate excidiſſet ipſo vocis initio, pro *fer* repoſuerunt *ferreus* metro magis conſulentes, quam auctori nihil abſonum aut ineptum molito. nam ſi reſpiciebat ad materiam, ex qua ſtatua illa Atlantis facta, *æneus* potius dicendum erat, quam *ferreus*. atque ita forte ſcribendum. Idem Atlantem *cani* epitheto donarat, recte atque erudite. Sed ne hoc quidem illi licuit per librarios. locus eſt lib. II. vſ. 621.

——— *ſtupuitque fragore*
*Canus, & occiduis regnator montibus Atlas.*

ubi *Janum*, ſi Dis placet, inculcarunt ſatis importune, & præter rem. Nota ſunt illa Virgiliana de Atlante,

*Nix humeros infuſa tegit, tum flumina mento*
*Præcipitant ſenis, & glacie riget horrida barba.*

Silius Italicus libro primo de Atlante appoſite,

*Canet barba gelu, frontemque immanibus umbris*
*Pinea ſilva premit. quaſſant cava tempora venti,*
*Nimboſoque ruunt ſpumantia flumina rictu.*
*Tum gemina laterum cautes maria alta fatigans.*

ſecundo verſu *quaſſant* pro *vaſtant* repoſuimus ex conjectura. quarto pro *fauces* ex fide optimi codicis *cautes*. Recte igitur *canus*, qui & ſenex ſit, & glacie ac nive obſitus. *Idem.*

89. *La-*

Hæc enixa jugo cupreſſiferæ Cyllenes
  Ætherium volucri qui pede carpit iter.
Arcades hunc, Ladonque rapax, & Mænalos ingens
  Rite colunt, Lunâ credita terra prior.
Exſul ab Arcadiis Latios Evander in agros
  Venerat: impoſitos attuleratque Deos.
Hic, ubi nunc Roma eſt orbis caput, arbor & herbæ,
  Et paucæ pecudes, & caſa rara fuit.
Quo poſtquam ventum; Conſiſtite, præſcia mater,
  Nam locus imperii rus erit iſtud, ait.
Et matri & vati paret Nonacrius heros;
  Inque peregrinâ conſtitit hoſpes humo.
Sacraque multa quidem, ſed Fauni prima bicornis
  Has docuit gentes, alipediſque Dei.
Semicaper, coleris cinctutis, Faune, Lupercis;
  Cum luſtrant celebres vellera ſecta vias.

A

89. *Ladonque rapax.*] *Ladoque* multi ex ſcriptis. & *Mænalos* pro *Mænalus* Zulich. & optimus Patavinus. Mazar. & duo Medicei, *Mænalon.* recte forſan. quanquam enim Grammatici veteres Mænalus & Mænala in plurali agnoſcant, Stephanus tamen περὶ πόλεων ita videtur diſtinguere, ut Μαίναλος urbs ſit Arcadiæ, τὸ Μαίναλον mons. *Idem. Ladon rapax.*] Fluvius Arcadiæ. *Et Mænalus ingens.*] Mons eſt Mænalus *P.*

90. *Condita prior.*] Nam Arcades ſe ante lunam natos putabant.

91. *Exul ab Arcadia.*] *Arcadiis* prim. Ambroſ. opt. Patav. Maz. Zulich. agris nimirum. *Heinſ.*

94 *Caſa rara fuit.*] *Rara domorum*——*Tecta vident.* Virgil. 8. Æneid.

97. *Heros Nonacrius.*] Evander à Nonacri Arcadiæ monte. *Paret & matri.*] Ut debet filius matri parere. *Et vati.*] Et illi quæ futurorum præſcia.

100. *Et dei alipedis.*] Mercurii.

101. *Succinctis Faune Lupercis.*] Quia currebant cum ſubligaculis circa pudenda, ut notavimus in 2. *Neap.*

102. *Cum luſtrant celebres vellera ſecta vias.*] *Verbera* veteres plerique. Sed fruſtra. niſi *tergora* cum duobus amplectendum cenſes. *celeres* etiam iidem veteres. & pro *vias* Læti, pri. Ambroſ. & multi alii, *manus.* Puto,

*Cum luſtrant ſteriles tergora ſecta manus.*

vel *vellera ſecta.* tergora nempe caprina. lib. II. in hac de Lupercis narratione,

*Ille caprum mactat: juſſa ſub terga puellæ*
  *Pellibus exſectis percutienda dabant.*

& ibidem de Lupercis,

*Nupta quid expectas? non tu pollentibus herbis,*
  *Nec prece, nec magico carmine mater eris.*
*Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ.*
  *Jam ſocer optatum nomen habebit avi.*

Juvenal. Sat. II.

——— *ſteriles moriuntur, & illis*
*Turgida non prodeſt conditâ pyxide Lyde,*
*Nec prodeſt agili palmas præbere Luperco.*

Ubi Scholiaſtes, *Steriles mulieres ſebruantibus Lupercis ſe offerebant, & ferulâ verberabantur.* & mox, *palmas ideo dicit, quia aut catomis cædebantur, aut manibus vapulabant.* Ergo tam manus quam terga cæde-

At tu materno donaſti nomine menſem,
Inventor curvæ, furibus apte, fidis.
Nec pietas hæc prima tua eſt: ſeptena putaris
Pleïadum numerum fila dediſſe lyræ.
Hæc quoque deſierat; laudataque voce ſororum eſt.
Quid faciam? turbæ pars habet omnis idem.
Gratia Piëridum nobis æqualiter adſit;
Nullaque laudetur pluſve minuſve mihi.
AB Jove ſurgat opus. primâ mihi nocte videnda
Stella eſt in cunas officioſa Jovis.
Naſcitur Oleniæ ſignum pluviale Capellæ:
Illa dati cælum præmia lactis habet.
Naïs Amalthêa Cretæâ nobilis Idâ
Dicitur in ſilvis occuluiſſe Jovem.
Huic fuit hædorum mater formoſa duorum
Inter Dictæos conſpicienda greges;

Cor-

cædebantur. Plutarchus in Cæſare, de Lupercis, *πολλαὶ δὲ καὶ τῶν ἐν τέλει γυναικῶν ἐπιτήτιδες ὑπαντῶσαι παρέχουσιν, ὥσπερ ἐν διδασκάλου, τὼ χεῖρε, ταῖς πληγαῖς, πεπεισμέναι πρὸς εὐτοκίαν κυούσαις, ἀγόνοις δὲ πρὸς κύησιν ἀγαθὸν εἶναι.* Plura de Lupercalibus idem in Romulo & in Romanis Quæſtionibus. Ex his itaque Plutarchi ac Juvenalis locis jam liquet, cur *ſteriles manus* in Naſone cenſeam reponendas. Servius lib. VIII. Æn. ubi de Lupercali ſacro. *Nonnulli propter ſterilitatem hoc ſacrum dicunt à Romulo inſtitutum, ideoque & puellæ de loro capri cæduntur, ut careant ſterilitate & fœcundæ ſint.* pro *cinctutis lupercis* male *ſuccinctos* quidam codices agnoſcunt. Puto & eandem vocem Statio reddendam eſſe Sylvar. lib. V. Epicedio patris,

*—— & tua multum*

*Verbera cinctuti formidavere Luperci.*

cum *ſuccincti* in vulgatis libris dicuntur. *Heinſ.*

106. *Pleiadum numero fila.* ] *Numerum* Urſini codex multique alii, qui loquendi modus Ovidio familiaris. mox pro *laudata eſt*, quatuor ſcripti *laudataque*. ſcribe *laudataque voce ſororum eſt.* Idem. *Numero Pleiadum.* ] Quæ ſeptem fuere. Aliqui ad ſeptem planetas referunt, aliqui ad vocum diſcrimina. *Septena lyræ fila, Pleïadum numerum.* ] *Καὶ κιθαρισταὶ λύρας ἑπταχόρδους ἐλεφαντίνας κρέκοντες.* Dionyſ. Halic. lib. 7. *ἑπτὰ δ' εἰσὶν σύμπαντες κιθαρῳδίας νόμοι.* Tzetz. Chiliad. I. Hiſtor. 17. Conſule Athenæum lib. 4. c. 23. & ſeqq.

111. *Prima mihi nocte videnda.* ] Kalendis Majis Capella oritur heliace; poſt haſce Ptolemæo: *β.* inquit, *Ὥρα ιδ´ ϛ´ ὁ καλούμενος αἶξ ἑῷος ἀνατέλλει.* Columellæ eâdem die quâ noſtro Faſtographo. *Neapol.*

113. *Sidus pluviale.* ] Scripti duobus aut tribus exceptis *ſignum*. mox pro *Cretæa* Urſini & optimus Paravinus *Cretæa &* Moreti codex *Cretæaque* Puto *Creteide nobilis Ida.* vel *Curetide.* de quo dixi ad lib. VIII. Met. ubi *Curetida terram* pro Creta habes. *Heinſ. Capella Olenia.* ] Capræ, Helices nymphæ, Oleni filiæ: vel ab Oleno oppido in Bœotia.

123. *Cinxit-*

Cornibus aëriis, atque in ſua terga recurvis:
Ubere, quod nutrix poſſet habere Jovis.
Lac dabat illa Deo. ſed fregit in arbore cornu:
Truncaque dimidiâ parte decoris erat.
Suſtulit hoc Nymphe; cinctumque recentibus herbis,
Et plenum pomis ad Jovis ora tulit.
Ille, ubi res cæli tenuit, ſolioque paterno
Sedit, & invicto nil Jove majus erat,
Sidera nutricem, nutricis fertile cornu
Fecit; quod dominæ nunc quoque nomen habet.
Præſtitibus Majæ Laribus videre Kalendæ
Aram conſtitui, ſignaque parva Deûm.
Voverat illa quidem Curius: ſed multa vetuſtas
Deſtruit, & ſaxo longa ſenecta nocet.
Cauſſa tamen poſiti fuerat cognominis illis,
Quod præſtant oculis omnia tuta ſuis.

Stant

123. *Cinxitque decentibus herbis.*] *Cinctumque* rectius unus Vaticanus. *decoribus herbis* Urſini, Arondel. prim. Med. plurimique alii. Sed *recentibus* cum opt. Patav. Mazar. Zulich. prim. Ambroſ. Læti, & duodecim aliis ſcribendum. tres *virentibus*. Virgil.

*Thure calent aræ ſertiſque recentibus halant.*

hinc apud Theocrytum Idyll. XXVI. νεόδρεπτοι βωμοὶ, aræ verbis floribusve recentibus vinctæ. Propertius libro IV. Eleg. VI.

*Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris*
*Tibia Mygdoniis libet eburna modis.*

Noſter Met. VIII.

*——— pendentia vidi*
*Serta ſuper ramos, ponenſque recentia, dixi,*
*Cura deûm di ſunt.*

lib. III. Faſt.

*Veſta quoque ut folio niteat velata recenti.*

lib. IV.

*Sparguntur juncti flore recente boves.*

ſic *flore recenti vincire comam* Senecæ Thyeſte Act. V. ubi perperam *decente* reponunt. In Priapeis,

*At ô Priape ſæpe floribus novis*
*Tuas ſine arte deligavimus comas.*

Heinſ.

125. *Res cæli.*] Imperium. Virgil. 3. Æneid. *Res Aſiæ.*

127. *Fecit nutricem ſydera.*] Capram in ſydera transmutavit. *Cornu nutricis fecit fertile.*] Fecit illud cornu copiæ.

128. *Quæ dominæ nunc quoque nomen habent.*] *Quod habet* meliores plerique. cornu Amalthæum intelligit. *Heinſius.*

132. *Longa vetuſtas.*] *Multa vetuſtas* Mazar. Zulich. Voſſ. pri. Ambroſ. Læti, & quatuor alii. recte. nam *longa ſenecta* mox ſequitur. vide quæ notamus Remed. Amor. vſ. 632. *Idem. Nocet ſaxo.*] Quod vetuſtate exeſum.

133. *Quod præſtant oculis.*] Hoc primum notes, Lares etiam antiquis creditos, quos nunc vocamus genios tutelares. Nunc ad etymon deveniam. Plutarchus: *An Præſtites ſunt qui præſunt.* Hac etiam de cauſâ JOVEM PRÆSTITEM reperio legi.

135. Stant

Stant quoque pro nobis, & præſunt mœnibus Urbis,
Et ſunt præſentes, auxiliumque ferunt.
At canis ante pedes ſaxo fabricatus eodem
Stabat. quæ ſtandi cum Lare cauſſa fuit?
Servat uterque domum domino quoque fidus uterque.
Compita grata Deo: compita grata cani.
Exagitant & Lar & turba Diania fures:
Pervigilantque Lares; pervigilantque canes.
Bina gemellorum quærebam ſigna Deorum
Viribus annoſæ facta caduca moræ:
Mille Lares, Geniumque Ducis, qui tradidit illos,
Urbs habet; & vici numina trina colunt.
Quo feror? Auguſtus menſis mihi carminis hujus
Jus dabit. interea Diva canenda Bona eſt.



135. *Stant quoque pro nobis.* ] Hi ſpeciales Capellæ genii cuique ad cuſtodiam præfecti: Græci dixere, ἐπόπτας τῶν ἀνθρωπείων πραγμάτων. *Et præſunt mænibus urbis.* ] Hos vocarunt *Generales*, qui regna, urbes, populos curant *Neap.*

137. *Et canis.* ] *At* veteres plerique. *H.*

139. *Servat uterque domum.* ] Gloſſæ: *Lares* θεοὶ κατοικίδιοι. Domi vero nulla fuit illis certa ſedes: nam eos in foco poſitos reperio, in cubiculo, & in compluvio, & in porticu huic annexa, *Domino quoque fidus uterque.* ] Canum φιλοδεσποτίαν indies experimur, & non cuſtodiam? cuſtodes ipſos, ut mireris, κύνας veteres dixere. *Neap.*

140. *Compita grata Deo.* ] Compita qi συντρίχειαι. Gloſſæ, *Competit*, συντρέχει. Perſii vetus interpres ad illud Sat. V. *Pertuſa compita, ſunt loca in quadriviis quaſi turres*, ubi ſacrificia pro finitâ agriculturâ ruſtici celebrant *Merito pertuſa, quia per omnes quatuor partes pateant: patentes, vel compita dicuntur, ad quæ plura itinera competunt.* Hinc Lares Compitales, & Compitalia feſta, quæ Laribus in Compitis fiebant. Varro lib. 5. de L. L. *Neap.*

141. *Et turba Diania.* ] Canes Dianæ dicati.

145. *Habet mille Lares.* ] Mille Larium ſimulacra. *Et genium ducis.* ] Mercurii *Qui tradidit illos.* ] Qui genuit Lares, cum Laram nympham juſſu Jovis ad inferos ducens gravem redderet. *Qui tradidit illos.* ] Ne mireris venalem hanc κολακείαν in exſule ad ſuum Principem. Moneo, ne erret ex his aliquis, ab Auguſto primo Larum cultum Romæ traditum. Quid ille novi addiderit, vide apud Sueton. l. 2. c. 31. *Neap.*

146. *Urbs habet.* ] In quovis enim compito, in quovis larario domeſtico duo aderant, & cum his Auguſti Genius, qui inter eos apud veteres cultus, hoc à noſtris multis in locis adnotatum. *Neap. Et vici colunt tria numina.* ] In urbibus & compitis vicorum colebantur duo Lares, & ipſe genius.

148. *Jus habet.* ] *Dabit* aliquanto rectius Læti, primus Ambroſ. Arondel. Maz & ſex alii. *Heinſ. Interea diva canenda Bona eſt.* ] Agendum eſt de Dea Bona, cujus feſtum Kal. Majas celebratur. Hanc etiam Faunam, Opem, & Fatuam pontificum libris indigitari: *Bonam*, quod omnium nobis ad victum bonorum cauſa eſt: *Faunam*, quod omni uſui animantium favet: *Opem*: quod ipſius auxilio vita conſtet: *Fatuam*, à fando, Infantes partu editi, non prius vocem

Eſt moles nativa: loco res nomina fecit.
  Appellant ſaxum: pars bona montis ea eſt.
Huic Remus inſtiterat fruſtra, quo tempore fratri
  Prima Palatinæ ſigna dediſtis aves.
Templa Patres illic oculos exoſa viriles
  Leniter acclivi conſtituêre jugo.
Dedicat hæc veteris Clauſorum nominis hæres
  Virgineo nullum corpore paſſa virum.
Livia reſtituit; ne non imitata maritum
  Eſſet, & ex omni parte ſecuta virum.
POſtera cum roſeam pulſis Hyperionis aſtris
  In matutinis lampada tollit equis;
Frigidus Argeſtes ſummas mulcebit ariſtas,
  Candidaque à Calabris vela dabuntur aquis.
At ſimul inducunt obſcura crepuſcula noctem;
  Pars Hyadum toto de grege nulla latet.
Ora micant Tauri ſeptem radiantia flammis,

Na-

edunt, quam terram attigerint. *P.* *Diva canenda Bona eſt.*] Iiſdem Kalendis Majis ſacra erant Bonæ Deæ, ut auctor etiam vetus ſcriptor Cincius primo Saturnalium. Hanc Græci Γυναικείαν dixere: Latinis eſt ſane Dea polynominis. Victima in ejuſdem ſacrificio ſus erat prægnans: illud vero *Damium* appellatum. Vide cauſſam in Feſto. *Neap.*

149. *Eſt moles nativa: loco res nomina.*] Poëta templum Bonæ Deæ in Aventino deſcribit, quod Claudia virgo conſecravit: poſtea vetuſtate collapſum, Livia Auguſta reſtituit.

152. *Regna dediſtis aves.*] *Signa* Urſini codex & unus Patavinus, cum Naugerii libro. ſuperiori verſu *Hunc Remus inſtiterat* Zulichemianus à manu prima non *Huic*. ſic *inſiſtere limen*, *inſiſtere veſtigia* dixit Virgilius. *inſiſtere viam* & *iter* Plautus Terentiuſque. *Heinſ.*

153. *Oculos exoſa viriles*] Adeundus Tullius de Aruſpicum reſponſis.

154. *Leniter acclivi jugo.*] Vide ut explicat ædem Bonæ Deæ ſublaxanæ, de quâ cum antiquis Publius Victor regione XII. *Neap.*

155. *Hæres veteris nominis Clauſorum.*] Hæc Appia illa Claudia probatæ pudicitiæ femina. *N.*

156. *Corpore paſſa virum.*] *Nefas* primus Farneſianus pro diverſa lectione. forte rectius. quia *ſecuta virum* mox ſequitur. niſi illic *ſuum* malis, ut ad Tò *maritum* referatur. *Heinſ.* *Paſſa corpore virgineo nullum virum.*] Fuit enim virgo Veſtalis, & ſpectatæ pudicitiæ teſtimonio quoque matris deûm.

157. *Livia.*] Conjunx Auguſti. *Reſtituit.*] Templum illud cum eſſet vetuſtate collapſum. *P.*

160. *Tollet equis.*] *Tollit* meliores & *inducunt* pro *inducent* paulo poſt. *Heinſ.*

163. *At ſimul inducunt.*] Hic Noſter, ſui oblitus, poſuit ſtatim poſt ſolis occaſum Hyadum ortum: ſcribere debuiſſet, matutinum. *Neap.*

165. *Radiantia ſeptem flammis.*] Septem flammeis ſtellis, quæ ſunt in fronte Tauri.

166. *Hya-*

Digitized by Google

Navita quas Hyadas Grajus ab imbre vocat.
Pars Bacchum nutrîſſe putant: pars credidit eſſe
  Tethyos has neptes, Oceanique ſenis.
Nondum ſtabat Atlas humeros oneratus Olympo;
  Cum ſatus eſt forma conſpiciendus Hyas.
Hunc ſtirps Oceani maturis niſibus Æthra
  Edidit & Nymphas: ſed prior ortus Hyas.
Dum nova lanugo; pavidos formidine cervos
  Terret: & eſt illi præda benigna lepus.
At poſtquam virtus annis adolevit; in apros
  Audet, & hirſutas cominus ire leas.
Dumque petit latebras fœtæ catuloſque leænæ;
  Ipſe fuit Libycæ præda cruenta feræ.
Mater Hyan, & Hyan mœſtæ flevere ſorores;
  Cervicemque polo ſuppoſiturus Atlas.
Victus uterque parens tamen eſt pietate ſororum.
  Illa dedit cælum: nomina fecit Hyas.
Mater, ades, florum ludis celebranda jocoſis:

Di-

166. *Hyadas Græcus ab imbre vocat.*] Noſtri *Suculas*, Græci à pluvia appellant. Tyro Libertus apud Noctes Atticas lib. 13. c. 9. in quo A. Gellius ἀναςρολογητὸν ſe vel puero oſtendit. *Neap.*

167. *Pars Bacchum nutriſſe putat.*] *Putant* veteres nonnulli. venuſtius. mox *niſibus* pro *nixibus* pri. Farneſ. pri. Ambroſ. & ſex alii. Vide notas ad Epiſt. IV. vſ. 126. & deinde Tò *eſt* pro *lanugo* meliores non agnoſcunt. *Heinſ. Pars Bacchum nutriſſe putat.*] Ex Phetecyde & aliis vide quod reſtat mythici apud Hyginum Fabularum cap. 192. illum noſtri Ovidii intimum. *N. Neptes Tethyos.*] Filias Æthræ nymphæ, filiæ Oceani & Tethyos.

169. *Nondum Atlas ſtabat.*] Nondum Atlas converſus erat in montem ſui nominis, ut ſuſtineret humeris cœlum.

171. *Æthra ſtirps Oceani*] Filia Oceani. *Et Nymphas.*] Peperit etiam Hyadas ſorores. *Sed prior ortus Hyas.*] Natus eſt Hyas, antequam naſcerentur ſorores.

178. *Fuit præda.*] A leæna Libyca laceratus eſt. *P. Præda cruenta lea.*] Gloſſæ, *lea*, λέαινα. Neap. *Præda cruenta lea.*] *Fera* Zulich Mazar. Voſſ. Arond. Læti, opt. Patav. & quatuor alii. probe. nam *lea* & *leæna* jam præceſſerant. *Heinſ.*

182. *Illa.*] Pietas *Dedit cælum.*] Nam propter pietatem in cœlum relatæ ſunt. *Hyas.*] Ab Hya fratre *Hyades* dictæ ſunt.

183. *Mater ades florum.*] Eadem die celebratur feſtum Floræ, quod ex Aprili in Majum tranſlatum eſt. Flora cum magnas opes ex arte meretricia quæſiviſſet, populum Roman ſcripſit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore ejus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos appellant *Floralia*. Quod quia ſenatui flagitioſum videbatur, ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur. Deam finxerunt eſſe, quæ floribus præſit: eam-



Digitized by Google

Diſtuleram partes menſe priore tuas.
Incipis Aprili: tranſis in tempora Maji.
Alter te fugiens, cum venit alter, habet.
Cum tua ſint, cedantque tibi confinia menſum;
Convenit in laudes ille vel iſte tuas.
Circus in hunc exit, clamataque palma Theatris:
Hoc quoque cum Circi munere carmen eat.
Ipſa doce quæ ſis. hominum ſententia fallax.
Optima tu proprii nominis auctor eris.
Sic ego, ſic noſtris reſpondit Diva rogatis:
Dum loquitur, vernas efflat ab ore roſas.
Chloris eram, quæ Flora vocor. corrupta Latino
Nominis eſt noſtri littera Græca ſono.
Chloris eram Nymphe campi felicis, ubi audis
Rem fortunatis ante fuiſſe viris.
Quæ fuerit mihi forma, grave eſt narrare modeſtæ:
Sed generum matri repperit illa Deum.
Ver erat; errabam. Cephyrus conſpexit; abibam.

In-

que oportere placari, ut fruges cum arboribus aut viribus bene proſpereque floreſcerent. Eum colorem ſequutus in Faſtis poëta, non ignobilem nympham narravit, quæ ſit Chloris vocitata: eamque Zephyro nuptam, quaſi dotis loco id accepiſſet muneris à marito: ut haberet omnium florum poteſtatem.

188. *Ille vel ille.* ] *Vel iſte.* meliores. & mox. *Ipſa doce qua ſis* non *ſcis.* & *reſpondit Diva* pro *reſpondet*, & *efflat* pro *adflat*. Heinſ. *Ille vel ille*, *&c.* ] Et Aprilis & Majus convenit tuæ celebritati.

189. *Circus exit in hunc.* ] Ludi qui in circo, ſeu theatro fiunt, transferuntur in hunc menſem. *Verba clamata theatris.* ] Verba jocoſa, quæ in theatro cum clamore proferuntur. *P. Circus in hunc exit.* ] Plures Romæ Circi; notum: ſed unus Floræ dictus in regione VI. Hîc igitur ludi per id tempus editi. quis addubitet? erant vero venatorii, & manſuetorum animalium. Horum congreſſio voluptatis fuit, & incruenta. Sæpe tibi occurret in Valerii Martialis Epigrammat. Alias etiam ludos iiſdem feſtis datos reperio. *Neap. Clamataque verba theatris.* ] Ex his collige, & in circo luſum, & ſcenâ laſciviente. Ad hanc pertinet theatrum, in quo vulgi licentia, & à piiſſimis toties deteſtata impudicitia. Arnobius lib. 7. *Exiſtimatur tractari ſe honorifice Flora, ſi ſuis in ludis flagitioſas conſpexerit res agi, & migratum à lupanaribus in Theatra.* Πορνεῖον locum diceres, in quo editi ludi Scenici: nec fallor. *Neap.*

190. *Hoc quoque carmen.* ] Noſtrum. *Eat cum munere circi.* ] Cum ludis theatralibus.

196. *Littera Graca ſono.* ] X. Mutatum in F. à Χλωρὶς factum *Flora*, ut à χλί[illegible] *flos*. utraque tamen vox recepta Latinis. *Neap.*

200. *Repperit illa Deum.* ] Nupſit enim Zephyro. Vide Turnebum lib. 1. Adverſariorum cap. 7. *Neap.*

203. *Omnis*

Digitized by Google

Inſequitur; fugio. fortior ille fuit.
Et dederat fratri Boreas jus omne rapinæ,
Auſus Erechtheâ præmia ferre domo.
Vim tamen emendat dando mihi nomina nuptæ:
Inque meo non eſt ulla querela toro.
Vere fruor ſemper: veri nitidiſſimus annus.
Arbor habet frondes, pabula ſemper humus.
Eſt mihi fœcundus dotalibus hortus in agris.
Aura fovet; liquidæ fonte rigatur aquæ.
Hunc meus implevit generoſo flore maritus:
Atque ait, Arbitrium tu, Dea, floris habe.
Sæpe ego digeſtos volui numerare colores;
Nec potui. numero copia major erat.
Roſcida cum primum foliis excuſſa pruina eſt,
Et variæ radiis intepuêre comæ;
Conveniunt pictis incinctæ veſtibus Horæ,
Inque leves calathos munera noſtra legunt.
Protinus arripiunt Charites; nectuntque coronas,
Sertaque cæleſtes implicitura comas.
Prima per immenſas ſparſi nova ſemina gentes.

Unius

203. *Omne jus rapinæ.*] Conceſſit illi omnem mei rapiendi poteſtatem. Boreas enim ex ſeptentrione flat.

204. *Ferre præmia domo.*] Rapere ex Athenis Orythiam regis Erechthei filiam.

205. *Dando mihi nomina nuptæ.*] Alii *nymphæ*, & tum *numina* malim cum uno Patavino. *Heinſ.*

207. *Semper nitidiſſimus annus.*] *Tepidiſſimus* opt. Patav. prim. Farneſ. Maz. & à manu prima Zulich. & duo alii. ſed infra mox habebis,

*Si bene floruerint oleæ, nitidiſſimus annus.*

pro *ſemper* Zulich. & duo alii *per me.* unus Moreti *vere eſt.* liber Strozzæ *vere.* lege, *veri nitidiſſimus annus.* nempe *eſt.* Id.

217. *Conveniunt Horæ.*] Quæ cœli portas ſervare dicuntur. *Veſtibus pictis.*] Varii coloris. *Legunt noſtra munera.*] Colligunt noſtros flores. *Pictis incinctæ veſtibus Horæ.*] *Pictis floribus* tres veteres. quomodo *incingi mitra* alibi dixit. certe Horæ στεφανηφόροι Alcæo dicuntur. & πολυάνθεμοι Pindaro Olymp. Od. XIII. ſed nil temere mutandum. nam & pictis veſtibus flores ſubintelligi poſſunt. ſic & Sileni theatris veſte floribus contexta inducebantur, teſte Halicarnaſſeo lib. VII. Orpheus in Hymnis,

*Ὧραι θυγατέρες Θέμιδος καὶ Ζηνὸς ἄνακτος,*
*Εὐνομίη τε, Δίκη τε, καὶ Εἰρήνη πολύολβε,*
*Πέπλους ἑννύμεναι δροσεροὺς ἀνθῶν πολυθρέπτων.* *Idem.*

219. *Protinus accedunt.*] *Accipiunt* Mazar. Zulich. *arripiunt.* quod placet *accidunt* optimus Patav. *Idem.*



223. *De*

Unius tellus ante coloris erat.
Prima Therapnæo feci de ſanguine florem:
Et manet in folio ſcripta querela ſuo.
Tu quoque nomen habes cultos, Narciſſe, per hortos:
Infelix, quod non alter & alter eras!
Quid Crocon, aut Attyn referam, Cinyrâque creatum;
De quorum per me vulnere ſurgit honor?
Mars quoque, ſi neſcis, per noſtras editus artes.
Jupiter hoc ut adhuc neſciat, uſque precor.
Sancta Jovem Juno, natâ ſine matre Minervâ,
Officio doluit non eguiſſe ſuo.
Ibat, ut Oceano quereretur furta mariti:
Reſtitit ad noſtras feſſa labore fores.
Quam ſimul adſpexi; Quid te, Saturnia, dixi,
Attulit? exponit, quem petat, illa locum,
Addidit & cauſſam. verbis ſolabar amicis.
Non, inquit, verbis cura levanda mea eſt.

Si

223. *De ſanguine Theramnæo.* ] Prima converti Hyacinthi pueri ſanguinem in purpureas violas. *Theramnæo.* ] A Theramne vico Laconiæ. *Paul. Prima Therapnæo.* ] Θεράπναι oppidum Laconiæ.

224. *Scripta querela ſuo.* ] Aΐ aΐ lugentibus aptæ ſyllabæ in foliis inſcriptæ, ob interitum amaſii Apollinis: ſive ſint illæ τῦ Aΐαντος, ſi verum ex Ajacis ſanguine editum, ut ſcribit Columella. Inde de hoc flore duplex fabula Plinio lib. 21. cap. 11. *Neap.*

226. *Quod non eras alter & alter.* ] Quod non eratis duo, quod non erat alter à tertio quem amabas, ſed idem eras. nam imagine tua captus interiiſti.

227. *Quid Crocon aut Acin referam.* ] Acis non in florem, ſed in amnem, mutatus apud poëtas, ſi quid memini. *Attin* Pomponii Læti codex & unus Mediceus melioris notæ exhibent. quod & in ſuis invenerat Ciofanus. Plurimi ex antiquis *Athim* vel *Atym* vel *Aſtim*. *Athin* Zulichemianus. Voſſianus *Atyn* *Actyn* Urſini codex. Lege *Attyn*. cujus cruor in violam mutatus, ut ex Arnobii lib. v. apparet, qui multis fabulam hanc perſequitur. Sequenti verſu pro *ſanguine*, quod paulo ante præceſſerat, veterrimi maximâ ex parte *vulnere* agnoſcunt. *Heinſ.* *Quid referam Crocon.* ] Juvenem Crocum in florem quoque converſum. *Aut Acin.* ] Puerum à nymphis amatum, & in flores ſui nominis converſum. *Cinyraque creatum.* ] Adonin Cinyræ regis ex Myrrha filia natum, quem Venus amavit, de quo in 10. Met. ab apro interemptum in florem demutavit.

229. *Per noſtras editus artes.* ] Flora fuit, quæ mœſtæ Junoni, ob natam Minervam ex mariti vertice ſine ope conjugis, florem oſtendit in Achaia: quo tacto, Juno ſine viro fœcunda Martem peperit. Id tetigit Feſtus in Gradivi etymo. *Neap.*

233. *Facta Mariti.* ] Ita libri veteres. malim nihilominus *furta*. qui frequens error eſt in antiquis libris. neque aliter alter Petavianus. *Heinſ.*

241. *Cur*

Digitized by Google

Si pater eſt factus neglecto conjugis uſu
  Jupiter, & ſolus nomen utrumque tenet;
Cur ego deſperem fieri ſine conjuge mater:
  Et parere intacto, dummodo caſta, viro?
Omnia tentabo latis medicamina terris;
  Et freta, Tartareos excutiamque ſinus.
Vox erat in curſu: vultum dubitantis habebam.
  Neſcio quid, Nymphe, poſſe vidêris, ait.
Ter volui promittere opem, ter lingua retenta eſt:
  Ita Jovis magni cauſſa timoris erat.
Fer, precor, auxilium, dixit; celabitur auctor:
  Et Stygiæ numen teſtificatur aquæ.
Quod petis, Oleniis, inquam, mihi miſſus ab arvis
  Flos dabit. eſt hortis unicus ille meis.
Qui dabat, Hoc, dixit, ſterilem quoque tange juvencam;
  Matér erit. tetigi. nec mora; mater erat.
Protinus hærentem decerpſi pollice florem.
  Tangitur; & tacto concipit illa ſinu.
Jamque gravis Thracen, & læva Propontidos intrat:
  Fitque potens voti; Marſque creatus erat.
Qui memor accepti per me natalis, Habeto
  Tu quoque Romuleâ, dixit, in Urbe locum.

For-

241. *Cur ego deſperem.* ] *Deſierim* octo ex melioribus. tres *deſpicerem.* Forte *deſpuerim* vel *reſpuerim*, quod præſtat. mox *latis terris* pro *latis* Maz. & Zulich. hoc eſt fertilibus. dixi ſupra lib. 1. vſ. 545. *Latiis* perperam Urſini codex & Patavinus unus. infra vſ. 280. *latam dives habebat humum* cum Patavino. *Idem.*

245. *Vox erat in curſu.* ] Adhuc Juno loquebatur: cum neſcio quid volentis aliqua proferre notavit in Floræ vultu: ac ne tum quidem hæc verbum adjecit. *Neap.*

250. *Teſtificabor aqua.* ] *Teſtificatur* magis arridet cum optimo Patavino, Maz. Zulich. tribus aut quatuor aliis. *Heinſ.*

251. *Flos mihi miſſus.* ] Dabit quod petis, flos advectus ab agris Oleni urbis.

253. *Qui dabat, Hoc, dixit.* ] Ita diſtingue. Sequenti verſu aliud agebat Illuſtriſſimus Neapolis, dum legit,

*Tangit & intacto concipit illa ſinu.*

agitur enim de Junone, non de ſterili juvenca. *Heinſ.*

257. *Læva propontidos.* ] Ad ſiniſtram Propontidis. quod mare illud eſt inter Helleſpontum & pontum Euxinum.

259. *Habeto dixit in urbe locum.* ] Ac ſi Martis operâ Floralia inſtituta. Res ridicula. *Neap.* *Qui memor.* ] *Cum* vel *Tum* veteres pleriqne. *Heinſ.*

 261. *Forſi-*

Digitized by Google

Forſitan in teneris tantum mea regna coronis
  Eſſe putes. tangunt numen & arva meum.
Si bene floruerint ſegetes; erit area dives.
  Si bene floruerit vinea; Bacchus erit.
Si bene floruerint oleæ; nitidiſſimus annus.
  Pomaque proventum temporis hujus habent.
Flore ſemel læſo pereunt viciæque fabæque:
  Et pereunt lentes, advena Nile, tuæ.
Vina quoque in magnis operoſe condita cellis
  Florent: & nebulæ dolia ſumma tegunt.
Mella meum munus. volucres ego mella daturas
  Ad violam, & cythiſos, & thyma cana voco.
Nos quoque idem facimus: tunc cum juvenilibus annis
  Luxuriant animi, corporaque ipſa vigent.
Talia dicentem tacitus mirabar. at illa,
  Jus tibi diſcendi, ſi qua requiris, ait.
Dic, Dea, ludorum, reſpondi, quæ ſit origo.
  Vix bene deſieram; rettulit illa mihi.
Cætera luxuriæ nondum inſtrumenta vigebant:

Aut

261. *Forſitan in teneris, &c.* ] Non modo eſt mihi data poteſtas in flores, unde ſerta & coronæ fiant: ſed in arbores quoque & in ſegetes: quæ ſi bene floruerint, fertilitatem pollicentur.

262. *Tangit numen & arva meum.* ] *Tangunt* prætulerim cum Erfurtano & uno Patavino. *Heinſ*

265. *Annus nitidiſſimus.* ] *Nitidiſſimus* dixit, reſpectu eorum quæ oleo perunguntur.

266. *Pomaque quoque eventum.* ] *Pomaque proventum* Naugerii, Urſini & unus Patavinus codex. recte. ſic *proventus anni*, & ſimilia apud Rei ruſticæ ſcriptores. *Heinſ.*

268. *Nile advena.* ] Qui aliunde advenis in Ægyptum. *Lentes, advena Nile.* ] Quas Poëta *Peleuſiacas* vocat in Georgicis.

269. *Condita cellis.* ] Ἐν τοῖς οἰνῶσι. *Neap.*

272. *Et cytiſos.* ] Fruticem eſſe cytiſum inquit Plinius; ſummis laudibus prædicatum, pabulo ovium.

274. *Corporaque ipſa vigent.* ] *Virent* Mazar. & Zulich. à manu prima eleganter. *viridis ætas, virides anni* & ſimilia paſſim apud Poëtas. ſic & Græci, unde γόνυ χλωρὸν apud Theocritum. quod Horatius eſt imitatus. *Heinſ.*

276. *Jus tibi dicendi eſt.* ] *Diſcendi* meliores plerique, omiſſo *eſt*. vidit jam ex ſuis Ciofanus. *Idem.*

277. *Ludorum quæ ſit.* ] Scribit, Ædiles Plebis, qui dicti L. Publicius Malleolus, & M. Lucius Malleolus cum plurimos locupletes agros Populi Romani occupaſſe animadvertiſſent, ad populum reos adduxiſſent; ex quo factum ut peculatus damnarentur. Multatitia illa pecunia ad clivum ſternendum & Florales ludos, quos numquam Roma viderat, deputata. *Neap.*

283. Po-

Aut pecus, aut latam dives habebat humum.
Hinc etiam locuples, hinc ipſa pecunia dicta eſt
Sed jam de vetito quiſque parabat opes.
Venerat in morem populi depaſcere ſaltus:
Idque diu licuit, pœnaque nulla fuit.
Vindice ſervabant nullo ſua publica vulgus:
Jamque in privato paſcere inertis erat.
Plebs ad Ædiles delata licentia talis
Publicios: animus defuit ante viris.
Rem populus recipit: mulctam ſubiêre nocentes.
Vindicibus laudi publica cura fuit.
Mulcta data eſt ex parte mihi: magnoque favore
Victores Ludos inſtituêre novos.
Parte locant clivum, qui tunc erat ardua rupes.
Utile nunc iter eſt; Publiciumque vocant.
Annua credideram ſpectacula facta; negavit:
Addi-

283. *Populi depaſcere ſaltus.*] Ex quibus tantum olim ille vectigal emungebat. quia novi vectigalis nomen ſemper odio fuit. *Saltus* vero vocabant, ubi erant paſtiones, auctore Feſto Pompejo. Unde *ſaltuarii paſtores* Juriſconſulto in L. 8. D. De fundo inſtruct. & inſtr. legat. Scias etiam, eundem eſſe, populi ſaltum, & ſcripturarium agrum. *Neap.*

285. *Servabat ſua publica vulgus.*] *Servabant* optim. Patav. Putabam aliquando ſcribendum,

*Vindice verſabant nullo ſola publica vulgus.*

hoc eſt, vertebant. Noſter Pont. II. El. VII.

*Tempus in arvorum cultu conſumere dulce eſt.*

*Non patitur verti barbarus hoſtis humum.*

quidam legunt *paſcua.* quos inter Demſterus in Roſinum. quomodo unus Médiceus. alii duodecim *pabula.* mox *delata licentia* pro *perducta* notat ex ſuis Naugerius. quod placet. *Heinſ.*

287. *Perducta.*] Relata eſt. *Ad Ædiles Publicios.*] Qui publica procurabant.

289. *Mulctam ſubiêre nocentes.*] Ad id promulgata poſtea lex Thoria. *Neap.*

291. *Mulcta data eſt ex parte mihi.*] Ex eâ tunc tibi ædes extructa juxta Circum maximum, & inſtituti proprii ludi. De æde Tacitus Annal. 2. *Iiſdem temporibus*, id eſt, anno Urbis DCCLXIX. *Deûm ædes vetuſtate aut igni abolitas, cœptaſque ab Auguſto, dedicavit: eodemque in loco ædem Floræ, &c.* Neap.

292. *Victores.*] Illi qui exegerant à delinquentibus mulctam: aut victores Romani.

293. *Parte locant clivi.*] Omnino *clivum* cum vetuſtioris notæ pleriſque reponatur, quod Neapolis jam vidit. *qua tunc* etiam non *qui* Zulichemianus. *Heinſ.* *Parte locant clivi.*] Locarunt circum aut theatrum pro meis ludis, in parte clivi, Capitolini ſcilicet.

294. *Publiciumque vocant.*] Marc. Varro lib. 4. de L. L. *Clivus Publicius, ab Ædilibus plebeis Publiciis, qui eum publice ædificarunt.*

295. *Negavit.*] Eo igitur tantum an-

Addidit & dictis altera verba ſuis.
Nos quoque tangit honos. feſtis gaudemus, & aris:
Turbaque cæleſtes ambitioſa ſumus.
Sæpe Deos aliquis peccando fecit iniquos:
Et pro delictis hoſtia blanda fuit.
Sæpe Jovem vidi, cum jam ſua mittere vellet
Fulmina, thure dato ſuſtinuiſſe manum.
At ſi negligimur; magnis injuria pœnis
Solvitur: & juſtum præterit ira modum.
Reſpice Theſtiaden: flammis abſentibus arſit.
Cauſſa eſt; quod Phœbes ara ſine igne fuit.
Reſpice Tantaliden: eadem Dea vela tenebat.
Virgo eſt; & ſpretos bis tamen ulta focos.
Hippolyte infelix, velles coluiſſe Dionen,
Cum conſternatis diripereris equis.

Lon-

no illi exhibita. Sed florum damnis iram oſtendit, & longa oblivia: nam per LXVI annos ſolidos iterum Floralia ſua non vidit. diuturna ſane pauſa. *N.*

297. *Honor.* ] *Honos* præſtantiores. *Heinſ.*

305. *Arſit flammis ardentibus.* ] Nota eſt fabula apri Calydonii, Ætoliæ à Diana immiſſi, quod ei Oeneus rex Meleagri pater non ſacrificaverat. Aper à Meleagro occiſus eſt, & datum amicæ ſpolium, cum ab avunculis illi ereptum eſſet, avunculos & ipſe interemit. Althea mater pronior animo in fratres, quam in filium, ſtipitem diu ſervatum, in quo erat filii fatum, flammis injecit: & eo ardente, arſit infœlix Meleager. *Paul. Reſpice Theſtiaden.* ] Meleagrum Theſtii ex Althæâ matre nepotem. *Neap.*

307. *Reſpice Tantaliden.* ] Niobem Tantali filiam. *Eadem Dea vela tenebat.* ] Idoneum ſenſum non elicies, ni legas, *eadem Dea tela tenebat*. Neapol. *Reſpice Tantalidem.* ] Agamemnonem, qui dictus eſt Atrei filius ex Merope. Atrei autem pater eſt Pelops, Pelopis Tantalus. *Eadem dea vela tenebat.* ] In Aulide retenta ſunt vela Græcorum. *Virgo, &c.* ] Senſus eſt: Diana quidem eſt Virgo, & clemens eſſe debuit: bis tamen ultra modum ulta eſt acceptam injuriam, morte Meleagri, & Iphigeniæ ſacrificio. *A. Tela tenebat.* ] Imo *vela* ex fide hiſtoriæ. neque aliter ſcripti. de Agamemnone ad Trojam profecturo, & in Aulidis portu cum adverſis ventis luctante agitur. dormitavit hic Neapolis. *Heinſ.*

308. *Et tamen bis ulta focos ſpretos.* ] Bis vindictam ſumpſit de his qui ſuas ſpernebant aras. nam de Calydonia domo, & de Niobe.

309. *Hippolyte infelix velles coluiſſe Dionem.* ] Quam contemnebat ſemper, & pro Venere Dianam colebat. Sic ipſe apud Eurip. vſ. 102.

Πρόσωθεν αὐτὴν ἁγνὸς ὢν ἀσπάζομαι.

Et deinde ad ancillam, vſ. 113.

Τὴν σὴν δὲ Κύπριν πόλλ' ἐγὼ χαίρειν λέγω.

310. *Diripereris equis.* ] Vide quam ſupra mortale ingenium depingat hanc mortem Annæus Seneca Actu 5. in Tragœdiâ cui nomen Extincti. *Neap.*

311. *Col-*

Longa referre mora eſt collata oblivia damnis.
Me quoque Romani præteriêre Patres.
Quid facerem? per quod fierem manifeſta doloris?
Exigerem noſtræ qualia damna notæ?
Excidit officium triſti mihi. nulla tuebar
Rura: nec in pretio fertilis hortus erat.
Lilia deciderant: violas arere videres,
Filaque punicei languida facta croci.
Sæpe mihi Zephyrus, Dotes corrumpere noli
Ipſa tuas, dixit: dos mihi vilis erat.
Florebant oleæ; venti nocuêre protervi.
Florebant ſegetes; grandine læſa Ceres.
In ſpe vitis erat: cælum nigreſcit ab Auſtris,
Et ſubitâ frondes decutiuntur aquâ.
Nec volui fieri, nec ſum crudelis in irâ:
Cura repellendi ſed mihi nulla fuit.
Convenêre Patres: &, ſi bene floreat annus,
Numinibus noſtris annua feſta vovent.
Annuimus voto. Conſul cum Conſule ludos
Poſtumio Lænas perſoluëre mihi.
Quærere conabar, quare laſcivia major

His

311. *Collecta oblivia damnis.*] *Correcta* tres ſcripti. totidem *collata. collecta* optimus Patav. *Heinſ.*

313. *Fierem manifeſta.*] Ut populo oſtenderem, quâ pœnâ affecta ob ludorum præteritionem. *Neap.*

314. *Exigerent.*] *Exigerem* plurimi ex ſcriptis. *Heinſ.*

320. *Dos mihi vilis erat.*] Viles erant horti & flores.

322. *Grandine læſa ſeges.*] *Ceres* pri. Ambroſ. & ſex alii. ut Amor. lib. III. El. VII.

*Carmine læſa Ceres ſterilem vaneſcit in herbam.*

mox pro *frondes decutiuntur* pri. Farneſ. & quinque alii *excutiuntur*. Vide notas lib. III. vſ. 237. *flores* etiam alter Puteaneus. ſic ſupra.

*Si bene floruerit vinea, Bacchus erit*

Heinſ.

327. *Convenere patres.*] Anno Urbis DXXC. L. Poſtumio Albino & M. Popilio Læna Conſulibus: horum juſſu quotannis incœpta exhiberi Floralia; cumque cura ludorum pertineret ad Ædiles plebejos, ſpectaculum edidit Ædilis unus ejuſdem anni C. Servilius C. filius Caſca. *Neap.*

329. *Annuimus votis.*] *Voto* libri veteres. *Heinſ.*

330. *Perſoluëre mihi.*] *Rite vovere* Pigius emendat in Annalibus ex ſcripto codice p. 361. quod leges proſodiæ non ferunt. *Idem.*

331. *Quare laſcivia major.*] Nudatæ tunc in ſcenâ mimæ. Et quid non actum impudentius ſub Floræ clypeo. Adegêre

ea

His foret in Ludis, liberiorque jocus:
Sed mihi ſuccurrit, numen non eſſe ſeverum;
Aptaque deliciis munera ferre Deam.
Tempora ſutilibus cinguntur tota coronis;
Et latet injectâ ſplendida menſa roſâ.
Ebrius incinctis philyrâ conviva capillis
Saltat, & imprudens utitur arte meri.
Ebrius ad durum formoſæ limen amicæ
Cantat. habent unctæ mollia ſerta comæ.
Nulla coronatâ peraguntur ſeria fronte;
Nec liquidæ vinctis flore bibuntur aquæ:
Donec eras miſtus nullis, Acheloë, racemis;
Gratia ſumendæ non erat ulla roſæ.
Bacchus amat flores: Baccho placuiſſe coronam
Ex Ariadnæo ſidere noſſe potes.
Scena levis decet hanc: non eſt, mihi credite, non eſt
Illa cothurnatas inter habenda Deas.
Turba quidem cur hos celebrent meretricia ludos,
Non ex difficili cauſſa petenda ſubeſt.

Non

ea feſta, ut è theatro ſemel aufugeret Cato, nec denuo exinde viſeret. Valerius Maximus lib. 2 cap. 10. *Neap.*

335. *Tempora ſutilibus cinguntur tota coronis.* ] Cenſeo ſcribendum, quicquid ſcripti codices diſſentiunt. *tempora pota*, hoc eſt, potu madida. *tecta* eſt in editione Gryphii & quinque manu exaratis. Tò *pota* confirmatur à ſequentibus. *H.*

337. *Ebrius incinctis.* ] Scribe, *incinctus philyra conviva. capillos. Philyra.* ] Delirant qui philyram dicunt hic eſſe feminæ corollariæ nomen; *Philyris* antiqui utebantur pro lemniſcis in coronarum plexione. *Neap.*

339. *Ad durum limen amica.* ] *Durum limen* alibi dixit *inimica clauſtra*; quæ peſſulo clauſa noctu amatores excludebant: ipſi tunc ea ſoliti unguentis ungere.

340. *Cantat.* ] Ejuſmodi cantilena Latinis *occentatio*: unde, *oſtium occentare*. Neap. *Habent uncta mollia ſerta comæ.* ] Jam de ſertis comarum ſupra dixerat. Opinor itaque ſcribendum *habent uncta mollia ſerta fores*. amicarum enim foribus ſerta appendebant, & illinebant unguentum. de quo ritu multi. Lucret. lib. IV.

*At lacrymans excluſus amator limina ſæpe*
*Floribus & ſertis operit, poſteſque ſuperbos*
*Unguit amaracino.* ——

apud Perſium quoque Sat. V. illo loco,

—— *dum Chryſidis udas*
*Ebrius ante fores exſtincta cum face canto,*

videtur reponendum, *Chryſidis unctas ante fores.* Heinſ.

342. *Bibuntur vinctis.* ] Ab his qui caput habent floribus coronatum. *Paul.*

349. *Turba quidem cur hos celebret.* ] *Celebrent* pri. Bononienſis. *Heinſ.*

350. *Non ex difficili cognita cauſa fuit.* ] Plurimi ex vetuſtioribus *cauſa petita*

Non eſt de tetricis, non eſt de magna profeſſis:
Vult ſua plebejo ſacra patere choro.
Et monet ætatis ſpecie, dum floreat, uti:
Contemni ſpinam, cum cecidêre roſæ.
Cur tamen, ut dantur veſtes Cerealibus albæ,
Sic hæc eſt cultu verſicolore decens?
An quia maturis albeſcit meſſis ariſtis;
Et color & ſpecies floribus omnis ineſt?
Annuit; & motis flores cecidêre capillis:
Accidere in menſas ut roſa miſſa ſolet.
Lumina reſtabant; quorum me cauſſa latebat.
Cum ſic errores abſtulit illa meos.
Vel quia purpureis collucent floribus agri;

Lu-

*tita fuit.* ſex *petita mihi eſt. petita ſubeſt* Zulich. Maz. Voſſ. pri. Farneſ. opt. Patav. aliique quatuor. duo *petenda ſubeſt.* lib. II.

*Parva quidem cauſa, ſed apta, ſubeſt:*

lib. IV.

*Cauſaque, cur jubeat, (diſcite) certa ſubeſt.*

& poſtea, *an ſua cauſa ſubeſt.* & infra hoc libro, *huic ſigno fabula nota ſubeſt.* Idem.

353. *Dum floreat, uti.* ] Hoc idem pluribus eleganter, ut ſolet, expreſſit primo Amorum Elegia VI. *Neap.*

354. *Contemnunt ſpinam.* ] *Contemni* bene Mazar. Zulich. prim. Farneſ. opt. Patav. & quatuor alii. *Heinſ.*

355. *Cur tamen.* ] In Cerealibus ludis, albæ veſtes adhibentur, ab ariſtarum colore: ſic in Floralibus pictæ & variæ, ab ipſa florum varietate. *Paul.* *Sic eſt hæc cultu verſicolore decens?* ] Gloſſis *verſicoloria* ſunt ποικιλόχροα. Veſtis verſicolor Græcis ἀνθινὴ ἐσθὴς, ut & ποικίλη. Sed cur in Floralibus hæc geſtari ſolita? quia flores varii etiam coloris. Luxurioſis olim proprius hic habitus. Unde forte in his feſtis receptum puto, quia ad meretrices celebritas pertinebat. *N.*

358. *Et color.* ] *At color* pri. Ambroſ. Læti, Mazar. Zulich. & duo alii. placet. & mox *Accidere in menſas* pro *Decidere* veterum pleriqne. etiam probe. ſic Lucretius lib. IV.

*Ætheris ex oris in terrarum accidere oras*

pro cadere dixit. ita enim rectius libri veteres quos vidi, quam *ad oras.* Varro Parmenone apud Nonium in *Trabs, Alia trabs pronis in humum accidens proxima frangit ramos cadens.* Seneca Hippol. Act. II.

*Terra repente corpus exanimum accidit.*

ita optimus Mediceus. non *cadit.* Idem Troaſin *accidere ad genua* dixit. Lucretius *res nova miraque menti Accidit.* & idem ſic paſſim. Livius Andronicus apud Nonium in *Struices,*

*Qua Caſtalia per ſtruices ſaxeas lapſu accidit.*

Heinſ.

360. *Ut roſa miſſa ſolet.* ] Menſas olim floribus ornatas, in deliciis fuiſſe, notum. Sed mentiar, ni Noſter adludit ad ſparſionem, quæ de tecto & deſuper fiebat. *Neap.*

361. *Lumina reſtabant.* ] Hoc monitum vult ſub finem, ludos diurnos etiam per noctem continuaſſe veteres, & facibus accenſis: Quod voluptatum illecebris aptiſſima videatur licentia nocturna. *Neap.*

371. *Cur*

Digitized by Google

Lumina ſunt noſtros viſa decêre dies:
Vel quia nec flos eſt hebeti, nec flamma, colore;
Atque oculos in ſe ſplendor uterque trahit:
Vel quia deliciis nocturna licentia noſtris
Convenit. à vero tertia cauſſa venit.
Eſt breve præterea, de quo mihi quærere reſtat,
Si liceat, dixi. (dixit & illa, Licet)
Cur tibi pro Libycis claudantur rete Leænis
Imbelles capreæ, ſollicituſque lepus.
Non ſibi, reſpondit, ſilvas ceſſiſſe; ſed hortos,
Arvaque pugnaci non adeunda feræ.
Omnia finierat: tenues ſucceſſit in auras.
Manſit odor. poſſes ſcire fuiſſe Deam.
Floreat ut toto carmen Naſonis in ævo;
Sparge, precor, donis pectora noſtra tuis.

NOcte minus quartâ promet ſua ſidera Chiron
Semivir, & flavi corpore miſtus equi.
Pelion hæmoniæ mons eſt obverſus in Auſtros:
Summa virent pinu: cætera quercus habet.
Phillyrides tenuit. ſaxo ſtant antra vetuſto,
Quæ juſtum memorant incoluiſſe ſenem.
Ille manus olim miſſuras Hectora letho

Cre-

371. *Cur tibi pro Libycis claudantur.*] *Claudantur* pri. Ambroſ. Læti, & quatuor alii. ut ſuperiora illa *dixit & illa licet*, vel *dixerat illa*, ut eſt in Erfurtano, per Parentheſin legantur. *Heinſ.*

379. *Nocte minus quarta.*] Tertia nocte poſt Cal. Maj. oritur Chiron Centaurus Saturni & Philyræ filius. Qui Æſculapium & Achillem nutriſſe exiſtimatur. Pietate igitur & diligentia effecit, ut inter deos annumeraretur. *Nocte minus quarta.*] V. nonas Centaurus fertur in ortum. *Neap.*

381. *Pelion Æmoniæ.*] Deſcribit ubi, & quales erant Chironis ædes. *Neap.*

382. *Summa virent pinu.*] *Viret* codex unus ex meis, alius itidem ex Mediceis. eleganti Græciſmo. Met. lib. IV.

*Imminet æquoribus ſcopulus pars ima cavatur*
*Fluctibus, & tectas defendit ab imbribus undas,*
*Summa viret.*

ubi perperam à nonnullis *virent* reponitur. Eodem libro, ex fide optimorum codicum,

*Quaque patet nunc terga cavis ſuperobſita conchis,*
*Nunc laterum coſtas ferit enſe.*

Heinſ.

383. *Phillyrides.*] Chiron: à Philyra nympha, Oceani & Tethyos filia: ex qua Saturnus in equum verſus, Chironem genuit, à qua *Phillyrides* nominatus eſt.

385. *Ille manus in lyricis modis.*]

*Philly-*

Creditur in lyricis detinuiſſe modis.
Venerat Alcides exactâ parte laborum;
Juſſaque reſtabant ultima pæne viro.
Stare ſimul caſu Trojæ duo fata videres:
Hinc puer Æacides, hinc Jove natus erat.
Excipit hoſpitio juvenem Philyreïus heros:
Et cauſam adventûs hic rogat, ille docet.
Perſpicit interea clavam ſpoliumque leonis:
Virque, ait, his armis, armaque digna viro.
Nec ſe, quin horrens auderent tangere ſetis
Vellus, Achilleæ continuêre manus.
Dumque ſenex tractat ſqualentia tela venenis;
Excidit, & lævo fixa ſagitta pede eſt.
Ingemuit Chiron, traxitque è corpore ferrum:
Adgemit Alcides, Hæmoniuſque puer.

Ipſe

*Phillyrides puerum citharâ perfecit Achillem.*

Ovid. 1. de Arte. Senec. in Troad. a. 3. vſ. 832.

*Jam trucis Chiron pueri magiſter,*
*Tinnulas plectro feriente chordas,*
*Tunc quoque ingentes acuebat iras*
*bella canendo.*

Deinde læſus Achilles ab Agamemnone ad alios tranſtulit uſus, quod & Pyrrho exprobratur,

*Interque cædes Græciæ, atque uſtas rates,*
*Segnis jacebat, belli & armorum immemor,*
*Levi canoram verberans plectro chelym.*

Ibid. a. 2. vſ. 19. Ὅμηρος τὸν Ἀχιλλέα πεποίηκε τὴν ὀργὴν πέπτοντα τὴν πρὸς τὸν Ἀγαμέμνονα διὰ Μουσικῆς, ἧς ἔμαθε παρὰ τοῦ σοφωτάτου χείρωνος. Ælian. lib. 8.

387. *Venerat.* ] Ad Chironem. *Ultima juſſa.* ] Ultima quæ ab Euryſtheo eſſent nutu Junonis impoſita: volunt ultimum laborem fuiſſe Cerberum, quem ab inferis traxit. *Paul.* *Venerat Alcides.* ] Vide Hyginum lib. 11. Poët. Aſtronomicon. *Neap.* *Exhauſtâ parte laborum.* ] *Exacta* quidam veteres cum primo Ambroſiano. *Heinſ.*

389. *Stare ſimul duo fata Trojæ.* ] Duos viros, qui diverſis temporibus Trojam exciderunt: Herculem, qui ſub Laomedonte Trojam diruit: & Achillem, qui poſtea Hectorem interemit.

393. *Reſpicit interea clavam.* ] *Perſpicit* Zulich. & quatuor alii. ſic Met. 11.

*Dumque ea magnanimus Phaëthon miratur, opuſque*
*Perſpicit.* Heinſ.

399. *Ingemuit Chiron.* ] Cum eſſet ſaucius. *Paul.* *Traxitque è vulnere ferrum.* ] *E corpore* rectius vetuſtiores plerique. nam *vulnera* mox ſequitur. *Heinſ.*

400. *Et gemit Alcides.* ] *Ingemit* Zulich. Mazar. alter Petavianus. tres *Adgemit.* ut Triſt. 1. Eleg. 11.

*Adgemit & noſtris ipſa carina malis.*

Statius Theb. 11.

*Flent mæſti retro comites, & uterque gementi*
*Adgemit.*

ſic Horatius Arte Poëtica,

*Ut ridentibus arrident, ita flentibus adflent.*

ita jam pridem Theodorus Marcilius in

notis

Ipſe tamen lectas Pagaſæis collibus herbas
  Temperat, & varia vulnera mulcet ope.
Virus edax ſuperabat opem: penituſque recepta
  Oſſibus, & toto corpore peſtis erat.
Sanguine Centauri Lernææ ſanguis Echidnæ
  Miſtus ad auxilium tempora nulla dabant.
Stabat, ut ante patrem, lacrymis perfuſus Achilles:
  Sic flendus Peleus, ſi moreretur, erat.
Sæpe manus ægras manibus fingebat amicis:
  [Morum, quos fecit, præmia doctor habet.]
Oſcula ſæpe dedit. dixit quoque ſæpe jacenti;
  Vive, precor; nec me, care, relinque, pater.
Nona dies aderat; cum tu, juſtiſſime Chiron,
  Bis ſeptem ſtellis corpora cinctus eras.

HUnc lyra curva ſequi cuperet; ſed idonea nondum
  Eſt via. nox aptum tertia tempus erit.

SCorpios in cælo, cum cras luceſcere Nonas
  Dicimus, à media parte notandus erit.

Hinc

notis ad poëtam illum ſuis monuit ſcribendum. *Idem.*

401. *Lectas Pagaſais collibus herbas Temperat.*] Jam notaſti ſupra, hunc Medicinæ etiam operam dediſſe; imo fertur magni illius Archiatri præceptor. *Neap.* *Montibus Pagaſais.*] Theſſalicis à Pagaſis. Pagaſæ in Theſſalia ſunt, Pherarum emporium.

402. *Vana vulnera mulcet ope.*] Naugerii, Urſini, & octo alii, *varia.* ne bis idem dicat. nam vanam fuiſſe opem proximis verſibus eſt deſignaturus. *H.*

406. *Tempora nulla dabat.*] *Dabant* optimus Patav. & ſex alii. quæ locutio eſt imprimis elegans. atque ita vitabitur κακοφωνία omnis, cum *Stabat* proxime ſequatur. *Idem.*

407. *Stabat ut ante patrem.*] Hæc, & quæ ſequuntur, edocent quantus debeatur magiſtris amor, & honor. *Neap.*

408. *Erat flendus Peleus.*] Pater à filio. quaſi dicat, non aliter ille fleviſſet morientem patrem.

410. *Morum, quos fecit, præmia doctor habet.*] Valde metuo ne hic verſus grammatici aut pædagogi alicujus commentum ſit, cum oſcitantiâ librarii genuinus Ovidii eſſet omiſſus, adeo nihil ſpirat præter merum frigus & Latinitatem ſemibarbaram. *Heinſ.*

414. *Bis ſeptem ſtellis.*] Hygino ſunt 24. præter ſtellas hoſtiæ, quam ſupra Aram tenens immolare videtur. *Neap.* *Corpora cinctus eras.*] *Tempora* Naugerii, Urſini, & unus Patavinus. In toto Chironis corpore ſtellas xx. recenſet Scholiaſtes Germanici, xxiv. Hyginus. *Heinſ.*

416. *Nox aptum tertia tempus erit.*] 3. Nonas Lyra oritur ortu acronicho. *Neap.*

417. *Scorpius.*] *Scorpion* duo veteres. Lego, *Scorpios.* & mox *notandus erit* cum melioribus, non *videndus* Heinſ.

418. *Media parte videndus erit.*] Pridie Nonas altera pars Scorpiii occidit coſmice. Columella: *Pridie Nonas Maijas*

Hinc ubi protulerit formoſa ter Heſperus ora,
Ter dederint Phœbo ſidera victa locum;
Ritus erit veteris nocturna Lemuria ſacri:
Inferias tacitis Manibus illa dabunt.
Annus erat brevior; nec adhuc pia Februa norant:
Nec tu dux menſum, Jane biformis, eras.
Jam tamen exſtincto cineri ſua dona ferebant;
Compoſitique nepos buſta piabat avi.
Menſis erat Majus majorum nomine dictus,
Qui partem priſci nunc quoque moris habet.
Nox ubi jam media eſt, ſomnoque ſilentia præbet;
Et canis, & variæ conticuiſtis aves;
Ille memor veteris ritûs, timiduſque Deorum,
Surgit: habent gemini vincula nulla pedes.
Signaque dat digitis medio cum pollice junctis;

Occur-

*jas Nepa medius occidit.* Nepam pro Scorpione uſurpat. *Neap.*

419. *Hinc ubi protulerit.* ] 7. Idus Majas ſacris Lemuralibus triduum impendebatur. *Neap.*

421. *Nocturna Lemuria.*] Gloſſæ, *Lemuralia*, ἑορ]αὶ τῆς Ἑςίας. Vide Zoſim. lib. 4. de Valentiniano: Cui Larum, niſi Lemuralibus nocturna ſacra factitata? ſane hoc nomine certum eſt comprehendi & bonos & noxios genios. *N.* *Ritus erit veteris nocturna Lemuria ſacri.* ] Puto ſcribendum *Ritus eunt.* pro *nocturna* quidam veteres *celebrare.* unus *celebrate.* ut ſit,

*Ritus eunt veteris* (*celebrate*) *Lemuria ſacri.*

ſic lib. 11. *Fauni ſacra bicornis eunt.* vide notas lib. 11. vſ. 149. *Heinſ.*

423. *Pia februa.*] Luſtrationes poſtea Februario menſe inſtitutas. *Februa norant.*] *Norat* ſcil. annus prim. Ambroſ. Mazar. Zulich. & duo alii. *Heinſ.*

424. *Eras dux menſum.* ] Pro *menſium.* Non erat adhuc tibi dicatus primus anni menſis. *Paul.* *Annus erat brevior.* ] Proponit hic veterem hunc ritum à Romulo inſtitutum numquam omiſſum; licet Numa additum anno Februarium, totum placandis defunctis & luſtrationibus adduxerit. *Neap.*

425. *Sua dona ferebant.* ] Unde Feralia dicta illa menſe Februario. *Neap.*

429. *Nox ubi jam media eſt.* ] Addit qua noctis hora hæc ἐναγίσματα fiebant. Μέσσην quoque νύκτα lib. 3. Apollonius obſervat ad Magica; ſed quartam ſuſpicatur aptiſſimam Auctor anonymus, nec temere: Invenio tamen paſſim apud veteres, quovis tempore noctis magos ſimilia ſacra operatos; de die etiam, dummodo locus, in quo illa agenda, fuiſſet tenebris obſitus. *Neap.* *Somnoſque ſilentia præbet.*] *Somnoque ſilentia præbet* meliores magno numero. *Heinſ.*

432. *Vincula nulla pedes.* ] Forte, ne hypodema quidem in tacitis ſacris vel tantillum rumoris excitaret; an quia, quod verius, moris erat magis nudo pede ſacra ſua peragere, ut apud Senecam Medea:

*Secreta nudo nemora luſtravi pede.*

Neap.

433. *Signaque dat digitis.* ] Sed cum ſtrepitu, non enim vult, qui ſacra facit,

Occurrat tacito ne levis umbra ſibi.
Terque manus puras fontanâ proluit undâ;
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.
Averſusque jacit: ſed dum jacit, Hæc ego mitto;
His, inquit, redimo meque meoſque fabis.
Hoc novies dicit, nec reſpicit. umbra putatur
Colligere, & nullo terga vidente ſequi.
Rurſus aquâ tangit, Temeſæaque concrepat æra:
Et rogat ut tectis exeat umbra ſuis.
Cum dixit novies, Manes exite paterni,
Reſpicit, & purè ſacra peracta putat.
Dicta ſit unde dies, quæ nominis exſtet origo,
Me fugit. ex aliquo eſt invenienda Deo.
Plejade nate, mone, virgâ venerande potenti:

Sæpe

cit, ut umbra ſibi penitus tacito occurrat. clare hoc ſenſus inquit. *Neap.* *Medio cum pollice junctis.*] Eſt crepitus ille qui fit manibus noſtro ævo in quavis ſaltatione, ſive comica, ſive ruſtica, digito ſcilicet medio adeo preſſe juncto cum pollice, ut lapſus in palmam ſtrepitum edat. Hunc vero ſuperſtitioſum ritum, ne umbra accedat ante jactum fabarum, præter Noſtrum, non habeo qui mihi adſtruat. *Neap.*

435. *Cumque manus pure fontana perluit unda.*] *Manus puras* multi ex antiquis. ut Met. IX.

*—— puraſque ad ſidera ſupplex*
*Creſſa manus tollens.*

*Terque manus* pri. Ambroſ. unus Farneſ. & Læti liber. Puto,

*Terque manus puras fontanâ ubi perluit unda,*

vel *proluit.* ut eſt in aliis. Sequenti verſu *accipit ante*, non *ore*, multi ex antiquis. ſed male. lib. II.

*Et ſeptem nigras verſat in ore fabas.*

Heinſ. *Fontana perluit unda.*] Ante quodvis ſacrum præcedebat χέρνιψ. quem hæc latent? *Neap.*

436. *Nigras fabas.*] Quia nigris Lemuribus ſacra fiunt. Aſſumebatur autem hoc legumen parentando, quia mortuorum animas in fabis eſſe quidam tradiderunt: in quarum floribus, auctore Feſto, luctus literæ apparere videntur. *Accipit ore fabas.*] Fallor, an purior è Vaticanis petita lectio? *accipit ante fabas.* Neapol.

439. *Hac novies dicit.*] Forte quia hic numerus in magico iſto ſacro neceſſarius. *Neap.*

441. *Rurſus aquam tangit.*] *Aquâ* Mazarinianus. recte, ut puto. *aqua tangere*, luſtrare. ut ad æra concrepata reſpiciat. dixi lib. IV. vſ. 740. *Heinſius.* *Æra Temeſaa.*] A Temaſe urbe Brutiorum, quam Auſonii condiderunt. Erat ibi ærarium, & ærifodinarum locus. *Paul.* *Temeſaa ara.*] Non quod hæc vis inſita huic Tempſeo metallo, ſed quia nobile illud Tempſæ apud ſcriptores. Dixit vero *Temeſaa* Græcatius: Latinis eſt Tempſa, quæ Græcis, Τεμέσα. Strabo lib. 6. *Concrepat ara.*] Æris tinnitum aptum ad ſpectra ſolvenda credidit vetuſtas. Vide Theocriti Scholiaſtem. *Neapol.*

447. *Nate Pleiade.*] Mercurius ex Maja una Pleiadum natus. *Virga potenti.*] Caduceo. *P.* *Pleiade nate mone.*] Ἀποστροφὴ ad Mercurium, ut ſibi pandat Lemuralii nominis originem. *N.*

448. *Sæpe*

Sæpe tibi Stygii regia viſa Jòvis.
Venit adoratus Caducifer. accipe cauſſam
Nominis. ex ipſo cognita cauſſa Deo eſt.
Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras,
Et male veloci juſta ſoluta Remo;
Fauſtulus infelix & paſſis Acca capillis
Spargebant lacrymis oſſa peruſta ſuis.
Inde domum redeunt ſub prima crepuſcula mœſti;
Utque erat, in duro procubuêre toro.
Umbra cruenta Remi viſa eſt aſſiſtere lecto,
Atque hæc exiguo murmure verba loqui:
En ego dimidium veſtri parſque altera voti
Cernite ſim qualis; qui modo qualis eram!
Qui modo ſi volucres habuiſſem regna jubentes;
In populo potui maximus eſſe meo:
Nunc elapſa rogi flammis & inanis imago.
Hæc eſt ex illo forma relicta Remo.
Heu! ubi Mars pater eſt? ſi vos modo vera locuti;
Uberaque expoſitis ille ferina dedit.

Quem

448. *Sæpe eſt tibi viſa regia Jovis Stygii.* ] Sæpetu ad inferos in Plutonis regiam deſcendiſti, cum nuncius ſis utrorumque deorum, ſupernorum & inferorum.

450. *Ex ipſo cognita cauſa deo eſt.* ] Ita meliores. *Heinſ.*

451. *Romulus ut, &c.* ] Remum extinctum frater magnificentiſſime humavit in Remoria. Noctu per quietem viſa eſt imago Remi aſtare lecto Fauſtuli, & Laurentiæ nutricis, querique de miſeranda ſua morte, & crudelitate Celeris, qui eum interemerat: orareque, ut à Romulo illud precibus impetrarent, quo ſuo nomine diem ſignaret. Romulus ea cauſa inſtituit diem illi feſtum, appellavitque *Remuria.* mutata deinde eſt prima litera, & *Lemuria* dicta. poſtea ab illo umbræ, *Lemures* appellatæ ſunt.

455. *Viſa eſt aſſiſtere lecto.* ] Ut indicet, non quidem apparuiſſe Remi umbram, ſed viſam ex ſomni eluſione: licet vere vivis mortalibus apparere animæ poſſint. His paria illa Maronis:

*In ſomnis ecce ante oculos mæſtiſſimus Hector*
*Viſus adeſſe mihi.*

Neap.

460. *Qui modo talis eram.* ] *Qualis eram* Zulich. Mazar. Urſin. pri. Ambroſ. Arond. aliique multi ex melioribus. ſic apud Plautum Moſtellaria: *Hem vide qua ſim, at qua fui ante! qualis* pro *quantus.* ut *talis* pro *tantus.* Plautus Captivis, *Quid me oportet facere, ubi tu talis vir falſum autumas?* Salluſtius de Marco, *Tamen ad id locorum talis vir conſulatum appetere non audebat.* Phædrus,

*Quaſo tam anguſtam talis vir ponis domum?* Heinſ.

463. *Nunc ſum elapſa.* ] Quidam ex ſcriptis Tò *ſum* non agnoſcunt. *Idem.*

Quem lupa ſervavit, manus hunc temeraria civis
Perdidit. ô quanto mitior illa fuit!
Sæve Celer, crudelem animam per vulnera reddas:
Utque ego, ſub terras ſanguinolentus eas.
Noluit hoc frater. lacrymas in mea fata dedit.
Quod potuit, pietas æqualis in illo eſt.
Hunc vos per lacrymas, per veſtra alimenta rogate,
Ut celebrem feſto ſignet honore diem.
Mandantem amplecti cupiunt, & brachia tendunt.
Lubrica prenſantes effugit umbra manus.
Ut ſecum fugiens ſomnos abduxit imago;
Ad regem voces fratris uterque ferunt.
Romulus obſequitur, lucemque Remuria dixit
Illam, qua poſitis juſta feruntur avis.
Aſpera mutata eſt in lenem tempore longo
Littera, quæ toto nomine prima fuit.
Mox etiam Lemures animas dixêre ſilentum.
Is verbi ſenſus, vis ea vocis erat.
Fana tamen veteres illis clauſêre diebus;
Ut nunc ferali tempore operta vides.

Nec

468. *Perdidit.* ] Mitior nempe fuit ferinus animus humano. huic par dictum Bianoris, quo concluſit celebre Epigramma ſuper Arionis fabulâ:

*Κτεινόμεθ' ἀνθρώποις, ἰχθύσι σωζόμεθα.* N.

469. *Animam per vulnera reddas.* ] Precatur interfectori ſimile mortis genus. Fuit ethnicorum ſententia, animæ à corpore ſejunctæ remanere poteſtates ſenſitivas. *Neap.*

471. *Pietas æqualis in illo eſt.* ] Putabam aliquando *æqualis.* hoc eſt *ab qualis*, vel *at qualis*, vel *Di, qualis.* ut dixi Epiſt. XVIII. vſ. 102. mox pro *manibus ille* multi ex melioribus *in mea fata.* & pro *noſtro honore*, pri. Ambroſ. & Lætì codex *feſto.* Heinſ.

476. *Lubrica prenſantes effugit umbra manus.* ] Ex Virgil. 6.

*Ter conatus ibi collo dare brachia circum,*
*Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago,*
*Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.*

Ex Homer. Odyſſ. λ. vſ. 205.

*Τρὶς μὲν ἐφωρμήθην, ἑλέειν τέ με θυμὸς ἄνωγε,*
*Τρὶς δέ μοι ἐκ χειρῶν σκιῇ εἴκελον ἢ καὶ ὀνείρῳ*
*Ἔπτατ', ἐμοὶ δ' ἄχος ὀξὺ γενέσκετο κηρόθι μᾶλλον.*

481. *Aſpera mutata eſt in lenem.* ] R. in L. à Remuriâ pronuntiatum Lemuria. *Neap.*

483. *Animas dixere ſilentum.* ] Gloſſæ, *Lemures*, *νυκτερινοὶ δαίμονες.* *Neap.*

486. *Tempore Ferali.* ] In Feralibus menſe Februario.

490. Menſe

Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora. quæ nupſit, non diuturna fuit.
Hac quoque de cauſsâ (ſi te proverbia tangunt)
Menſe malas Majo nubere vulgus ait.
Sed tamen hæc tria ſunt ſub eodem tempore feſta
Inter ſe nullo continuata die.
Quorum ſi mediis Bœoton Oriona quæres;
Falſus eris. ſigni cauſſa canenda mihi.
Jupiter, & lato qui regnat in æquore frater;
Carpebant ſocias, Mercuriuſque, vias.
Tempus erat, quo verſa jugo referuntur aratra;
Et pronum ſaturæ lac bibit agnus ovis.
Forte ſenex Hyrieus anguſti cultor agelli

Hos

490. *Menſe malum.*] *Malas* in melioribus. *Heinſ.*

491. *Sed tamen hac tria feſta.*] Lemuria, & continentia à nuptiis, & templa clauſa. *Sub eodem tempore.*] Quia iiſdem diebus.

492. *Inter ſe nulla continuata die.*] Nam hi ſex continuis diebus. Primus, tertius, quintus ſacri ſunt Lemuralibus. hinc capies vetus Kalendarium, in quo ſic illa notantur.

A. LEM. N.
BC.
C. LEM. N.
D. NP. LUDMARTIN CIRC.
E LEM. N.

493. *Quorum ſi mediis, &c.*] Incidebant media Lemuralia in V. Idus Majas, ergo in idem tempus occaſus Orionis. *Bœoton Oriona.*] Ex patriâ. *Neapol* *Quaris Oriona Bœoton.*] A Bœotia: ſi vis videre ſtellas Orionis.

494. *Cauſa ſigni eſt mihi canenda.*] Canam quis fuerit Orion & qua cauſa cœlo locatus ſit. Poëta fabulam hanc refert, Jovem, Mercurium hoſpitio receptos ab Hyreo: qui cognitis diis bovem immolat. Cum ab his, ſobolem concedi peteret, minxiſſe in corium bovis, & juſſiſſe humari. Decimo menſe natum puerum; *Uriona* ab urina appellatum, deinde *Oriona*.

496. *Mercuriuſque vias.*] Tres etiam Varino ſunt; ſed hic pro Mercurio ponit Ἀπόλλωνα Palæphatus. Servius Homeri Scholiaſtes, ut Naſo. *Neap.*

498. *Et pronus.* Maz. & Zulich. *pronum* optime. unus Moreti *promtum*. Heinſ.

499. *Forte ſenex Hyreus.*] *Hyrtheus* Mazar. *Hirteus.* Zulich. unus Moreti *Hyereus.* unus Puteani *Hereus.* alii aliter. Scaliger *Iereus.* optimus Urſini liber tam hic quam infra *Hyrieus.* vere omnino. ne dubita. ſic & ib. VI. *proles Hyriea* ſcribendum. ὑριεὺς Græcis eſt, quem Orionis patrem faciunt Parthenius Eroticis cap. XX. Antoninus Liberalis Metamorphoſi XXV. Palæphatus περὶ μυθῶν. Scholia antiqua in Homeri Iliados lib. B. & Σ. & Nicandrum. ubi tamen perperam ὀρειὺς pro ὑριεὺς nunc legitur. Narrat quoque fabulam ex Ariſtomacho Scholiaſtes Germanici & Hyginus duobus locis poëtico Aſtronomico. ſed utrique pro *Hyrieo* eſt *Erythreus.* neſcio an mendoſe. Hunc Neptuni & Halcyones filium facit Homeri Scholiaſtes, & Palæphatus, ut & Hyginus poëtico Aſtronomico fabula Tauri. ubi tamen *Hyrea* pro *Hyriea* ſolenni errore ſcribitur. In Mythologia Hygini fab. CLVII. inter Neptuni filios *Rias ex Alcyone Atlantis*



*filia*

Hos videt, exiguam ſtabat ut ante caſam.
Atque ita, Longa via eſt, nec tempora longa ſuperſunt,
Dixit; & hoſpitibus janua noſtra patet.
Addidit & vultum verbis; iterumque rogavit.
Parent promiſſis; diſſimulantque Deos.
Tecta ſenis ſubeunt nigro deformia fumo:
Ignis in heſterno ſtipite parvus erat.
Ipſe genu poſito flammas exſuſcitat aurâ,
Et promit quaſſas comminuitque faces.

Stant

*filia* memoratur. etiam corrupte pro *Hyriens* Scholiaſtes Statii Theb. IX. ubi agit de Driante Orionis filio, *Avus enim Drias Neptuni filius fuit.* lege *Hyrieus.* Apud Hyginum quoque fab. CXCIV. in hac narratione male omnino legitur, *Jovis, Neptunus, Mercurius in Thraciam ad Byrſeum regem in hoſpitium venerunt.* cum reponendum ſit *ad Hyrieum regem.* Cætera hujus fabulæ fœdis etiamnum modis illic corrupta ſunt. Scholiaſtes Statii Theb. III. *Neptunus cum ad OEnopionem regem in hoſpitium veniſſet.* ubi, cum vetuſtus codex ad *Oriem regem* exhibeat, *ad Hyrieum regem* non dubito eſſe reponendum. Notetur autem in tranſcurſu Hyrieum quibuſdam regem dici, quem Ovidius anguſti agelli cultorem facit. Similiter variant auctores de Celeo Triptolemi patre. Quidam OEnopionis filium faciunt Orionem, quos inter Servius ad lib. I. & X. Æneïdos, ac Scholiaſtes Statii Theb. III. ſed de loco Statii mendoſo vidimus ut fortaſſe Servius pari etiam modo ſit caſtigandus. alii enim rectius OEnopionis generum dicunt, cujus filiam Meropen duxerit uxorem. quam Apollodorus Sidenæi uxorem adſignet ante Meropes nuptias. Apud Parthenium de Orionis & Hærus Amoribus fabula minus nota occurrit. Noſter ei Lyricen amicam dat lib. II. Art. Amat. ſi ſana illic lectio eſt,

*Pallidus in Lyrice ſylvis errabat Orion.*

ſed *Dirces ſylvis* ſcribendum videri ſuo loco monui. Cæterum Scholiaſtes Statii ad l. VII. Theb. *Pelaſgum* dat Orioni Patrem. ubi vetus liber *Pelargum* agnoſcit. Apollodorus è terra natum aſſerit, vel etiam ex Neptuno & Euryale, idque Pherecyde teſte. Heſiodus apud Nicandri Scholiaſten ex Neptuno & Gelone Minois filia. Atque hæc de Hyrieo & Orione. *Idem.*

506. *In heſterno ſtipite parvus erat.*] Sic explicat; quod Græci uno verbo *Ζώπυρον.* *Neap.*

507. *Ipſe genu nixus flammas excuſſit ab aura.*] *Genu poſito* Læti, unus Farneſ. & prim. Ambroſ. utrumque rectum eſt. deinde probe Zulich. Mazar. optimus Petav. pri. Farneſ. & quatuor alii, *flammas exſuſcitat aura.* cui verbo frequens apud Tullium uſus eſt. ſic *ſopitos ſuſcitare ignes* Virgilio duobus locis. *excitare foculum bucca* Juvenalis Satyra III. Noſter lib. VIII. Met. de Philemone, *ignes ſuſcitat heſternos.* male ergo Neapol. amplectitur, *extremo ſtipite.* quod eſt in quibuſdam ſcriptis. Adi Notas Met. IV. vſ. 662. Amor. III. Eleg. VII.

——— *heſternâ languidiore rotâ.*

Triſt. I. Eleg. III. ex veſtigiis veterum librorum,

*Contigit heſternos ore tremente focos.*

Heinſ.

508. *Et promit quaſſas.*] *Profert* multi ex melioribus. nam *promit* mox ſequitur,

*Promit fumoſo condita vina cado.*

ubi tamen Mazar. *Prodit* eleganti locutione, cum uno Patav. & Gottorphiano Met. IV. ex optimo codice,

——— *lavaque à parte Meduſa*

Ipſe

Stant calices. minor inde fabas, olus alter habebant:
Et fumant teſtu preſſus uterque ſuo.
Dumque mora eſt, tremulâ dat vina rubentia dextrâ.
Accipit æquoreus pocula prima Deus.
Quæ ſimul exhauſit; Da nunc bibat ordine, dixit,
Jupiter. audito palluit ille Jove.
Ut rediit animus; cultorem pauperis agri
Immolat, & magno torret in igne bovem.
Quæque puer quondam primis diffuderat annis,
Prodit fumoſo condita vina cado.
Nec mora: flumineam lino celantibus ulvam,
Sic quoque non altis diſcubuêre toris.
Nunc dape, nunc poſito menſæ nituêre Lyæo.
Terra rubens crater, pocula fagus erant.
Verba fuêre Jovis; Si quid fert impetus, opta:
Omne feres. placidi verba fuêre ſenis:
Cara fuit conjux primæ mihi cura juventæ

Co-

*Ipſe retro verſus ſqualleutia prodidit ora.* Virgilius libro II. Æneid.

——— *illos patefactus ad auras*
*Reddit equus, latique cavo ſe robore pro-dunt.*

ita monet in vetuſtiſſimo codice Longobardico legi Pierius Valerianus. non *promunt*. Idem.

509. *Minor inde fabas.* ] Quid ponat præter legumina ? Hæc apud veteres invenies in victu pauperum, aut Philoſophorum. *Neap. Olus alter habebat.* ] *Habebant* Strozzæ liber. & paulo poſt pro *ſpumat uterque* multi *ſpumant*. Læti, pri. Ambroſ. & quinque alii *fumat*. Lege *fumant*. ſic apud Juvenalem Satyra XIV. *grandes fumabant pultibus ollæ.* pro *teſtu* plurimi veteres *teſto*. alii *teſta* minus bene. dixi lib. II. vſ. 645. *Heinſ.*

515. *Ut rediit animus* ] Hæc vera lectio. quicquid turbant libri veteres. Vide Notas Epiſt. VI. vſ. 31. *Idem.*

517. *Primis diffuderat annis.* ] Juvenalis : *Capillato diffuſum Conſule potat.* Vinum veteres ætate æſtimabant. quis iguorat? hinc optimi, amariores calices. Seneca Epiſtolâ LXIV. *Quomodo in vino nimis vetere ipſa nos amaritudo delectat. Diffuderat annis.* ] Diffuſum vinum eſt κατισαμνισμένον. *Neap.*

519. *Flumineam ulvam.* ] Fluvialem aut paluſtrem herbam.

520. *Incubuere thoris.* ] *Diſcubuere* duo veteres. ut lib. VIII. Met.

*Diſcubuere thoris Theſeus comiteſque laborum.* Heinſ.

522. *Terra rubens crater.* ] Forte *Teſta rubens.* nam crateres ex ære ſolebant confici ſic & Teſta rubens, Sedulio in præfatione carminis Paſchalis,

*At nos exiguum de paupere carpſimus horto,*
*Rubra quod apppoſitum teſta miniſtrat olus.* Idem.

*Erat terra rubens.* ] Erat crater fictilis ex creta rubra. *Paul. Pocula fagus erant.* ] Ex poculo oſtendit curtam etiam Hyrei ſuppellectilem. *N.*

525. *Cara fuit conjux prima mihi cura juventa.* ] *Prima mihi cura juventa* Max. Zulich. prim. Farneſ. & quinque alii. Lege,

 *Cara*

Digitized by Google

Cognita nunc ubi ſit quæritis? urna tegit.
Huic ego juratus, vobis in verba vocatis,
Conjugio dixi ſola fruêre meo.
Et dixi, & ſervo, ſed enim diverſa voluntas
Eſt mihi: nec conjux & pater eſſe volo.
Annuerant omnes: omnes ad terga juvenci
Conſtiterant. pudor eſt ulteriora loqui.
Tum ſuperinjectâ texêre madentia terrâ.
Jamque decem menſes; & puer ortus erat.
Hunc Hyrieus, quia ſic genitus, vocat Uriona.
Perdidit antiquum littera prima ſonum.
Creverat immenſum: comitem ſibi Delia ſumſit.
Ille Deæ cuſtos, ille ſatelles erat.
Verba movent iras non circumſpecta Deorum.
Quam nequeam, dixit, vincere, nulla fera eſt.
Scorpion immiſit Tellus. fuit impetus illi
Curva gemelliparæ ſpicula ferre Deæ.
Obſtitit Orion. Latona nitentibus aſtris
Addidit: &, Meriti præmia, dixit, habe.
SEd quid & Orion, & cetera ſidera mundo
Cedere feſtinant, noxque coarctat iter?



*Cara fuit conjux prima mihi cura juventa.*
vel *prima juventa*, ut Strozzæ liber & unus Moreti. multi alii. *prima mihi cara juventa.* Urſini codex,
*Cara fuit conjux cara mihi prima juventa.*
pro *Cognita* Mazar. Zulich. pri. Farneſ. & quatuor alii *Condita.* ut ad urnam referatur. *Heinſ.*

530. *Sed pater.* ] *Et pater* bene Zulich. Mazar. & alii quatuor. *Idem.*

532. *Conſtiterant.* ] Unus Farneſ. *Conſtiterunt.* & tum *Annuerunt* quoque legendum. Scribe etiam *juvenca.* vaccam ab iis initam deſcribit. *Idem.* *Pudor eſt ulteriora loqui.* ] Corium juvenci perminxêre. *Neap.*

533. *Tum texêre madentia.* Terga ſcilicet: hoc eſt, corium madidum urina.

536. *Littera prima ſonum.* ] Ου ſcilicet verterunt in ο: diverſe tamen ſentit Strabo, qui de Oreo monte ſcribit l. 10. Δοκεῖ δὲ καὶ ὁ Ὠρίων ἐνταῦθα τραφεὶς, οὕτως ὀνομασθῆναι. *Neap.*

541. *Tellus immiſit ſcorpion.* ] Peperit Terra ſcorpionem, & in Orionem miſit.

545. *Sed quid & Orion.* ] Poſt occaſum Orionis, & Urialem, feſtum Martis Ultoris: quod poëta videtur ſtatim ſubdere occaſui Orionis. *Sed quid & Orion.* ] Fictio poëtica de citâ Orionis & ſiderum immerſione, ut dies illa illuceſcat quâ Cæſar Octavianus in foro à ſe ſtructo templum Martis Ultoris conſecravit. Hanc eſſe ſuſpicor, quæ notatur in veteri Kalendario 4. Idus Majas. N P. LUDI MARTI IN CIRC. *Neap.*

Quid ſolito citius liquido jubar æquore tollit
Candida Lucifero præveniente dies?
Fallor? an arma ſonant? non fallimur: arma ſonabant.
Mars venit; & veniens bellica ſigna dedit.
Ultor ad ipſe ſuos cælo deſcendit honores,
Templaque in Auguſto conſpicienda Foro.
Et Deus eſt ingens, & opus. debebat in Urbe
Non aliter nati Mars habitare ſui.
Digna Giganteîs hæc ſunt delubra tropæis:
Hinc fera Gradivum bella movere decet:
Seu quis ab Eöo nos impius orbe laceſſet;
Seu quis ab Occiduo Sole domandus erit.
Proſpicit armipotens operis faſtigia ſummi:
Et probat invictos ſumma tenere Deos.
Proſpicit in foribus diverſæ tela figuræ;
Armaque terrarum milite victa ſuo.
Hinc videt Ænean oneratum pondere ſacro;

Et

547. *Liquido jubar æquore tollit.*] *Vitreo* pro diverſa lectione alter Mazarinianus. ut *vitreus pontus* Horatio. multi alii *nitido.* mox pro *arma ſonabant* malim *ſonarunt.* ut in Ibide, *læva ſonavit avis* non *volavit*, ex antiquis libris. *Heinſ.*

548. *Præveniente lucifero.*] Stella Veneris, quæ prænuntiat diem.

552. *In Auguſto conſpicienda foro.*] Ipſemet Princeps in ipſo monumento Ancyrano: ULTORUM TEMPLUM, FORUM AUGUSTUM, ET TEMPLUM APOLLINIS, &c. FECI. Suetonius in eodem: ubi & votum, & quæ in cauſsâ, & annum etiam habes. cap. 29.

553. *Et opus.*] Docta ſane ſequens cauſa. Sed forſan & adeo magnifice ſtruxit, ut parentis etiam mortui deſiderium aliquâ in parte adimpleret. de quo Suetonius Jul. cap. 44. *Neap.*

556. *Bella movere decet.*] Et quid, niſi hoc illa ſuperius præfati Hiſtorici adſignificant *ut de bellis triumphiſque hic conſuleretur Senatus.* Idem antea in Capitolio agi ſolitum.

559. *Perſpicit.*] Libri meliores tam hic, quam paulo poſt, *Proſpicit.* Heinſ. *Operis faſtigia ſummi.*] Ergo Martis ſignum poſitum etiam in templi trichoro. Vitruvius: *Ornantque ſignis fictilibus, aut æreis inauratis earum faſtigia.* imo hodiernis ſtatuam illius, cui templum conſecratum in ipſo faſtigio, conlocare. hinc, inquit, videt operis ſummi faſtigia, fores cum ſpoliis hoſticis, ſtatuas, quæ in utrâque fori porticu erant. Faſtigium Græcis *ἀετὸς, ἀέτωμα, τρίχωρον, πτερὸν, πτερύγιον.* Inde *δίπτερος ναὸς*, ædes, quæ uno & altero erat faſtigio. *Neap.*

560. *Et probat invictos illa tenere Deos.*] *Invictas ſumma tenere deas* Urſini, prim. Ambroſ. Zulich. & tres alii. Mazar. Voſſ. Arondel. Læti, plurimique præterea *invictos ſumma tenere Deos.* quidam etiam *ſola tenere.* infra lib. 11.

*Aurea poſſedit ſocio Capitolia templo*
*Mater, &, ut debet, cum Jove ſumma tenet.* Heinſ.

563. *Hinc videt Æneam.*] Idem auctor imaginum nomina non recenſet:

 Sta-

Et tot Iülêæ nobilitatis avos.
Hinc videt Iliaden humeris ducis arma ferentem:
Claraque diſpoſitis acta ſubeſſe viris.
Spectat & Auguſto prætextum nomine templum,
Et viſum lecto Cæſare majus opus.
Voverat hoc juvenis tunc cum pia ſuſtulit arma.
A tantis Princeps incipiendus erat.
Ille manus tendens, hinc ſtanti milite juſto,
Hinc conjuratis, talia dicta dedit:
Si mihi bellandi pater eſt, Veſtæque ſacerdos
Auctor; & ulciſci numen utrumque paro:
Mars, ades; & ſatia ſcelerato ſanguine ferrum:
Stetque favor cauſſâ pro meliore tuus.

Tem-

*Statuas*, inquit, *omnium triumphali effigie in utrâque fori ſui porticu dicavit.* Adde his inſignes Apellis tabulas, de quibus Plinius. *Neap.* *Oneratum pondere caro.*] *Sacro* prim. Medic. & Thuaneus. placet. ut ad patrem ſimul & Deos penates reſpiciat. Met. XIII.

*——ſacra & ſacra altera patrem*
*Fert humeris venerabile onus Cythereius heros.*

Faſt. I.

*Jam pius Æneas ſacra & ſacra altera patrem*
*Afferet.*

lib. IV.

*Hinc ſatus Æneas (pietas ſpectata per ignes)*
*Sacra patremque humeris altera ſacra tulit.*

Dido Ænea,

*——nec qua mihi, perfide, jactas*
*Presserunt humeros ſacra paterque tuos.*

Heinſ.

565. *Hinc videt Iliaden.*] Romulum ex Ilia natum. *Ferentem humeris arma ducis.*] Arma Acronis ducis Ceninenſium, quem Romulus obtruncaverat, & ſpoliaverat. *Paul.* *Hinc videt Iliaden.*] Deſcribit qualis erat Romuli ſtatua, gerens ſcilicet ſuper humeros Acronis ſpolia, Ceninenſium Ducis.

566. *Acta ſubeſſe viris.*] Oſtendit quamque imaginem ſuum ἔλεγχον habuiſſe rerum geſtarum; indicem vocat Tibullus Hiſtorici plerumque titulum. *Neap.*

567. *Prætextum nomine.*] Id eſt inſignitum; & bene: nam templo etiam ornamento erat inſcriptum nomen tanti Principis. *Prætextum* eſt Latinis quidquid adſutum ad ornamentum: unde ſic dicti veſtium limbi, clavi, faſciæ. *Neap.*

569. *Voverat hac juvenis.*] Octavius princeps cum juvenis eſſet, hoc templum bello Philippenſi vovit.

571. *Inſtanti milite juſto In conjuratos.*] Hæc ſunt nihili. Scribe cum optimis maxima ex parte libris,

*——hinc ſtanti milite juſto,*
*Hinc conjuratis.*

Heinſ.

574. *Ulciſci utrumque nomen.*] Et patris, & pontificis. *Paul.* *Nomen utrumque paro.*] Patris & Pontificis maximi. *Neap.* *Nomen utrumque paro.*] *Numen utrumque* Urſini, Naugerii, prim. Farneſ. Voſſ. Arond. plurimique alii. & placet. Veſtam & Divum Julium innuit. ſic ſupra libro III.

*Ignibus æternis æterni numina præſunt*
*Cæſares.* Heinſ.

577. Fe-

Templa feres, & me victore vocaberis Ultor.
Voverat; & fuſo lætus ab hoſte redit.
Nec ſatis eſt meruiſſe ſemel cognomina Marti:
Perſequitur Parthâ ſigna retenta manu.
Gens fuit & campis, & equis, & tuta ſagittis;
Et circumfuſis invia fluminibus.
Addiderat animos Craſſorum funera genti;
Cum periit miles, ſignaque, duxque ſimul.
Signa decus belli Parthus Romana tenebat;
Romanæque aquilæ ſignifer hoſtis erat.
Iſque pudor manſiſſet adhuc, niſi fortibus armis
Cæſaris Auſoniæ protegerentur opes.
Ille notas veteres, & longi dedecus ævi
Suſtulit. agnorunt ſigna recepta ſuos.

Quid

577. *Feres templa.*] Voveo ego tibi templum. *Vocaberis Ultor.*] Nam ſtatuam tibi templum ſub titulo Martis Ultoris. *Paul.*

579. *Nec ſatis eſt meruiſſe ſemel cognomina Martis.*] Ita meliores. nempe *Marti* ſcribendum. nam unus Patav. *ſui cognomina Marti.* alius *ſui Martem* Zulich. & Mazar. *meminiſſe mei.* mendoſe. alii *meruiſſe ſibi*, vel *ſui*, *vel ſatis*, vel *quidem*, vel *viro*. male omnia. *Heinſ.* *Nec ſatis eſt meruiſſe.*] Ex prædictis ſumit anſam dicendi de alio templo ejuſdem cognominis ab Auguſto in Capitolio extructo, ob recepta ſigna Romana à Parthis jam cum dedecore Imperii retenta. Nec dubium, duo Romæ fuiſſe templa Martis Ultoris, cum & in nummis totidem diverſæ ichnographiæ appareant.

580. *Parthi manu.*] *Parthis* Voſſ. Urſin. Mazar. pri. Medic. & quinque alii. Lege *Partha manu.* Remed. Amor.

*Vince Cupidineas pariter Parthaſque ſagittas.*

ſic & *Partha tropæa* Propertio. & *Partha tellus* & *Parthi foci.* ſic *Maura jacula* Horatio lib. I. Od. XXII. *Non eget Mauris jaculis.* ita enim meliores ſcripti. quomodo alibi *Mauram undam* & *Mauros angues* dixit. Silius libro III.

*——juga Pyrenes venatibus acer*
*Metiri jaculove extendere prælia Mauro.*

Heinſius. *Ligna retenta manu.*] Quæ M. Craſſo ademerant. *Neap.*

581. *Quid tibi nunc ſolita ſagitta.*] *Solitas ſagittas.* Erfurt. quare legebam,

*Quo tibi nunc ſolitas mitti poſt terga ſagittas?*

ut jam monui ad Ep. IV. *Heinſ.* *Et campis, & equis.*] Nolo ad hæc alium habeas interpretem præter Dionem Caſſium lib. 40. *Neap.*

583. *Funera Craſſorum.*] M. Craſſi patris, & Publii Craſſi filii, & legionum quæ cum his fuere. *Paul.* *Craſſorum funera genti.*] Hoc etiam Noſter tetigit peregregiè in Arte.

*Parthe dabis pœnas: Craſſi gaudete ſepulti;*
*Signaque barbaricas non bene paſſa manus,* &c. Neap.

588. *Armis Cæſaris.*] Niſi Cæſar Auguſtus Romanum imperium tueretur.

589. *Ille notas veteres.*] Nam per 32. annos ſolidos poliri non valuit hæc macula in armis Romanis. *Neap.*

590. *Agnorunt ſuos.*] Romanos ſcilicet milites. Aut per hypallagen intelligas, Romani agnorunt ſua ſigna recuperata.

595. Et

Digitized by Google

Quid tibi nunc ſolitæ mitti poſt terga ſagittæ;
  Quid loca, quid rapidi profuit uſus equi?
Parthe, refers aquilas: victos quoque porrigis arcus.
  Pignora jam noſtri nulla pudoris habes.
Rite Deo templumque datum nomenque bis ulto:
  Et meritus votis debita ſolvit honos.
Solemni Ludos Circo celebrate, Quirites:
  Non viſa eſt fortem ſcena decere Deum.
PLeiadas adſpicies omnes, totumque ſororum
  Agmen; ubi ante Idus nox erit una ſuper.
Tum mihi non dubiis auctoribus incipit æſtas;
  Et tepidi finem tempora veris habent.
IDibus ora prior ſtellantia tollere Taurum
  Indicat: huic ſigno fabula nota ſubeſt.
Præbuit ut taurus Tyriæ ſua terga puellæ
  Jupiter, & falsâ cornua fronte tulit;
Illa jubam dextrâ, lævâ retinebat amictus;

Et

595. *Et nomen Biſulto.* ] Merito quoque bis eſt Ultor cognominatus: nam Auguſtum juvit in ultione paterna, & Parthorum injuria ulciſcenda. *Nomenque Biſultor.* ] Lege *Biſulto* cum Zulich. Mazar. plurimiſque aliis. nonnulli *Biſultum* minus bene. Urſini liber, *numenque biſultum*. Sequenti etiam verſu *Et meritus* meliores pro *Emeritus*. Heinſ.

597. *Solemnes Ludos Circi.* ] *Circum* Voſſian. Arondel. & plurimi alii. ut ſit appoſitio; in qua aſſiduus Noſter. ſic apud Livium lib. XXX. cap. XL. libri meliores, *Cerealia ludos Dictator & Magiſter Equitum ex Senatus conſulto fecerunt.* & lib. XXXIX cap. XXII. *Ludi Taurilia facti ſunt.* nec pauciores *Circo*. Sed ne quid diſſimulem, placet impenſe cum Mazar. Zulich. & Hamburgenſi legi *Solenni ludos Circo.* Idem. *Solemnes ludis Circi* ] Ergo eodem die ludi in Circo Marti fiebant: nec aliud ſibi volunt notæ illæ, quas ſupra citavi è Kalendario veteri. Jurarim Jovem lapidem, illos quos olim vovere Conſules in bello contra Cæſaris percuſſores, quotannis poſtea exhibitos. Dio lib. 48. ſub finem anni DCCLXXIV. *Neap.*

598. *Scena non eſt viſa decere fortem deum.* ] Scena, ubi levia referuntur, non convenit rebus Martiis: ſed in Circo opus eſt nunc & equorum curſu certare, & Martios ludos exhibere.

601. *Non dubiis auctoribus.* ] Agit de his quos ipſemet videt: nam Columellæ incipit æſtas die nonâ menſis, Ptolemæo decimaquintâ.

603. *Idibus ora prior.* ] Pridie Idus Tauri caput oritur ante ſolis ortum. *N.*

605. *Puella Tyria.* ] Europæ. à Tyro Phœniciæ: nam filia regis Agenoris. *P.* *Præbuit, ut taurus.* ] Feſtus: *Alii eam à prædonibus raptam, & nave, quæ Jovis tutelam, effigiem tauri, habuerit.* Tutela eſt pictura aliqua numinis in puppe, à qua nomen naves accipiebant: *tauri effigies* paraſemon; quod in prora. *Neap.*

607. *Læva retinebat amictus.* ] Iiſdem pæne verbis Lucianus in Dialogo *Ζεφύρου καὶ Νότου*. Apud Græcos πέπλος & uſum præbuit pallii, & tunicæ. Varro lib. 4. de L. L. *Neap.*

610. *Si-*

Et timor ipſe novi cauſſa decoris erat.
Aura ſinus implet: flavos movet aura capillos.
Sidoni, ſic fueras accipienda Jovi.
Sæpe puellares ſubduxit ab æquore plantas;
Et metuit tactus aſſilientis aquæ:
Sæpe Deus prudens tergum demittit in undas;
Hæreat ut collo fortius illa ſuo.
Littoribus tactis ſtabat ſine cornibus ullis
Jupiter: inque Deum de bove verſus erat.
Taurus init cælum. te, Sidoni, Jupiter implet:
Parſque tuum terræ tertia nomen habet.
Hoc alii ſignum Phariam dixêre juvencam;
Quæ bos ex homine eſt, ex bove facta Dea.
Tum quoque priſcorum virgo ſimulacra virorum
Mittere roboreo ſcirpea ponte ſolet.

Cor-

610. *Sidoni.*] O Europa, à Sidone urbe Phœniciæ. *Aſpicienda Jovi.*] *Accipienda* prim. Ambroſ. & duo alii. hoc eſt Jovis tergo. mox lege *tergum demittit* cum Mazar. Zulich. & multis aliis. Plures *dimittit*. proxime verum. Vulgati *dimiſit*. Heinſ.

617. *Sidoni.*] Europa. *Implet te Jupiter.*] Gravidam fecit, & de te Minoëm genuit.

619. *Phariam dixere juvencam.*] Iſidem, illam Inachi filiam. *Neap.*

621. *Tunc quoque priſcorum.*] Iiſdem Idibus ſcirpea ſimulacra in Tiberim è ponte jacta. Vide Dionyſium. *Virgo ſimulacra virorum.*] Intellige Veſtalem: non tamen una aderat, ſed omnes, & cum his Pontifices, & Prætores aliique myſtæ. *N. Virgo ſimulacra deorum Mittere roboreo ſcirpea ponte ſolet.*] *Vulgo ſimulacra deorum Mitti ſolent* codex Politiani & Urſini, niſi quod in illo poſteriori *ſolet*, & pro *vulgo*, *virgo* cum vulgatis. optimus Patav. *Tu quoque priſc. virgo ſ. virorum Mit. rob. ſcir. pon. ſoles.* eo & ſeptem alii alludunt in quibus *Tu ſolet*. *virgo* ad veſtales referendum, de quibus Feſtus in Argei. quæ tamen non ſolæ faciebant hæc ſimulacra, ſed pontifices etiam, ut Halicarnaſſeus nos docet. quare *vulgo* magis arridet cum Politiani codice. Varro, *Argei fiunt ex ſcirpeis. Simulacra ſunt in hominum* XXIV: *& quotannis à Ponte ſublicio ſacerdotibus publice jaci ſolent.* Præterea pro *virorum* Gottorph. & ſeptem alii *deorum*. pro *reorum* ut puto. frequenti errore. ſic Pont. lib. I. Eleg. IV. ſcribendum cenſeo,

*I nunc & veterum nobis exempla reorum,*
*Qui forti caſum mente tulere refer.*

& in Ibide,

*In te tranſcribet veterum tormenta reorum,*
*Manibus antiquis cauſa quietis eris.*

Quibus locis *virorum* nunc legitur. Claudianus lib. II. in Rufin. *vetereſque reos ex ordine quærit.* Hic tamen nihil conſeo temere mutandum, cum totum diſtichon ſic, ut nunc legitur, in vulgatis libris, à Lactantio citetur lib. I. Inſt. Divin. *Heinſ.*

622. *Roboreo ponte.*] Hic, ut vidiſti, eſt *ſublicius:* ſic dictus à ſublicis. His tantum ſine ære aut ferro ſtetit diutius ſuffultus: inde ξυλίνην γέφυραν nominat Plutarchus. Scio etiam Græcos vocaſſe ἱερὰν: forte *quod eo*, inquit Varro, *ſacra & ultra & cis Tiberim non mediocriter fiebant*

Digitized by Google

Corpora poſt decies ſenos qui credidit annos
  Miſſa neci; ſceleris crimine damnat avos.
Fama vetus: tum cum Saturnia terra vocata eſt,
  Talia fatidici dicta fuêre Dei:
Falcifero libata ſeni duo corpora, gentes,
  Mittite; quæ Tuſcis excipiantur aquis.
Donec in hæc venit Tirynthius arva, quotannis
  Triſtia Leucadio ſacra peracta modo.
Illum ſtramineos in aquam miſiſſe Quirites.
  Herculis exemplo corpora falſa jaci
Pars putat, ut ferrent juvenes ſuffragia ſoli,
  Pontibus infirmos præcipitaſſe ſenes.
Tybri, doce verum: tua ripa vetuſtior Urbe.

Prin-

*bant.* An ipſe vere ſacer habitus à populo? *Neap.*

623. *Poſt decies.*] Sexagenarios; antiquâ & propriâ voculâ *caſnares. Caſnar* eſt Feſto ſenex, ſed Oſcorum linguâ. *N.*

624. *Damnat avos crimine ſceleris.*] Arguit majores ſceleratæ cædis, & ſummæ immanitatis. quaſi dicat: Non ita ſunt majores tanti ſceleris arguendi. Et hoc ideo, inquit, quia putabant aliqui eundem morem in Italia fuiſſe, qui apud Pleros Scytharum populos ſervatur, ubi ſexagenarii necantur: ut ea ratione inſtitutum arbitrarentur in Latio, ſexagenarios è pontè in fluvium mitti ſolitos. quod poëta negat, cum majores non ſint tanti ſceleris accuſandi. *P.*

626. *Fatidici dicta fuiſſe ſenis.*] *Fuere* meliores. pro *ſenis* optimus Mediceus, *Dei.* ut de Apolline agatur. ſic lib. II.

*Fatidicum verbis fallere velle Deum.*

certè *ſeni* proximo verſu denuo ſequitur. Sed Dodonæum fuit Oraculum. ut ex Macrobio lib. I. cap. VII. & Lactantio lib. I. Inſtitut. Divinar. diſcimus. quare ſcribendum *fatidici Jovis.* prior Syllaba in *ſenis* ex ultimâ præcedentis vocis fuit repetita. quod errori cauſam dedit. & ſic Erfurtanus à manu prima. *Heinſ. Fatidici dicta fuiſſe ſenis.*] Illa retine ipſamet verba.

ΣΤΕΙΧΕΤΕ ΜΑΙΟΜΕΝΟΙ ΣΙΚΕΛΩΝ ΣΑΤΟΥΡΝΙΑΝ ΑΙΑΝ
Η Δ' ΑΒΟΡΙΓΕΝΕΩΝ ΚΟΤΥΛΗ ΟΥ ΝΑΣΟΣ ΟΧΕΙΤΑΙ
ΑΙΣ ΑΝΑΜΙΧΘΕΝΤΕΣ ΔΕΚΑΤΗΝ ΕΚΠΕΜΨΑΤΕ ΦΟΙΒΩ
ΚΑΙ ΚΕΦΑΛΑΣ ΑΔΗ ΚΑΙ ΤΩ ΠΑΤΡΙ ΠΕΜΠΕΤΕ ΦΩΤΑ. N.

627. *Falcifero ſeni.*] Saturno ferenti falcem.

628. *Excipiantur aquis Thuſcis.*] Tiberinis. Hoc igitur reſponſum fuit, ut duo dejicerentur in fluvium, & ſic Saturno litaretur.

629. *Donec Tirynthius.*] Hercules à Tiryntho oppido Bœotiæ. *Venit in hæc arva.*] Latina: victo in Hiſpania Geryone. *P. Donec in hæc venit.*] Hic mitius oraculi mentem interpretatus, omnemque ἀνθρωποθυσίαν ad Italiâ rejecit.

630. *Leucadio deo.*] Imo *modo* cum Naugerii, Urſini, Maz. Zulich. & duobus aliis. nec aliter Lactantius. vide Strabonem lib. X. de hoc ritu. *Heinſ. Leucadio ſacra peracta Deo.*] Vide Strabonem lib. 10. *Neap. Sacra triſtia.*] Ob humanam victimam. *Leucadio modo.*] Sacra quæ parantur eo modo, quo ſacrificatur Apollini ad Æcium in mari Leucadio: nam immolatur humana victima.

635. *Tibri doce verum, tua ripa vetuſtior.*]

Principium ritûs tu bene noſſe potes.
Tybris arundiferum medio caput extulit alveo;
Raucaque dimovit talibus ora ſonis:
Hæc loca deſertas vidi ſine mœnibus herbas:
Paſcebat ſparſos utraque ripa boves.
Et quem nunc gentes Tyberin noruntque timentque,
Tunc etiam pecori deſpiciendus eram.
Arcadis Evandri nomen tibi ſæpe refertur:
Ille meas remis advena torſit aquas.
Venit & Alcides turbâ comitatus Achivâ.
Albula, ſi memini, tunc mihi nomen erat.
Excipit hoſpitio juvenem Pallantius heros:
Et tandem Caco debita pœna venit.
Victor abit, ſecumque boves Erytheïda prædam
Abſtrahit. at comites longius ire negant.
Magnaque pars horum deſertis venerat Argis:

Mon-

*ſtier.*] Numen Tiberinum invocat, ut veram cauſam referat. Quæ quidem ab illo ad Herculis comites refertur, qui in illis collibus, ubi poſtea urbs eſt condita, remanſerunt. At cum amore patriæ tangerentur, aliqui ex his in morte mandabant, ut mitterentur in Tibrim, quo ab undis in patriam reportarentur. Hæredes vero non parebant, ſed humabant extinctos, & ſcirpeas imagines in fluvium dejiciebant.

639. *Hac loca deſertas.*] Multa hujus narratiunculæ extant apud Feſtum in voce *ſexagenarios*, ſub initium loci; cujus partem tempus edax abſumpſit. *N.*

640. *Sparſas boves.*] *Sparſos* meliores. *Heinſ.* *Utraque ripa.*] Et Latina & Hetruſca.

641. *Et quem nunc gentes Tyberim noruntque timentque.*] *Tyberis* Urſini & unus Puteaneus. *Tyberin* prima editio. Putabam aliquando *Tyberinum horrentque timentque.* Heinſ.

646. *Tunc mihi.*] Nondum in meas aquas immerſus Rex Tiberinus. *Neap.*

647. *Heros Pallantius.*] Euander. *Juvenem.*] Herculem.

648. *Caco debita pœna fuit.*] *Pœna venit* Mazar. Zulich. prim. Ambroſ. prim. Medic. opt. Patav. Voſſ. & ſeptem alii. bene. dixi ad Epiſt. IV. Triſt. lib. II. ex veteri libro,

*Cujus in eventu pœna clementia tanta eſt,*
*Venerit ut noſtro lenior ira metu.*

Non *ut fuerit*, quod eſt in vulgatis. l. IV. Eleg. V.

*Dum veniat placido mollior ira Deo.*

ſic *Venit amor gravius quo ſerius* Epiſtola IV. & alia his ſimilia paſſim, de quibus vide Paſſeratium ad Propertii Eleg. V. lib. I. vſ. ult. *Heinſ.*

649. *Prædam Erythreida.*] Armenta, quæ fuere Geryonis, qui regnavit in Erythra inſula, ad dextram faucium freti Atlantici in Hiſpania.

651. *Magnaque pars horum deſertis manſit in agris.*] *Venerat agris* Urſini, pr. Ambroſ. Mazar Zulich. & tres alii. Scribe, *venerat Argis.* hinc enim Argei dicta ſimulacra ſcirpea quæ in Tyberim jactata. de quibus Halicarnaſſeus l. I. Varro loco quem ſupra adduximus, & Feſtus in *Argei.* Argis enim comitatum omnem Hercules in Latium excurrens adduxerat,

Montibus his ponunt ſpemque Laremque ſuum.
Sæpe tamen patriæ dulci tanguntur amore;
Atque aliquis moriens hoc breve mandat opus:
Mittite me Tyberi: Tyberinis vectus ut undis
Litus ad Inachium pulvis inanis eam.
Diſplicet hæredi mandati cura ſepulchri:
Mortuus Auſoniâ conditur hoſpes humo.
Scirpea pro domino Tyberi jactatur imago,
Ut repetat Grajas per freta longa domos.
Hactenus: ut vivo ſubiit rorantia ſaxo
Antra, leves curſum ſuſtinuiſtis aquæ.

CLare nepos Atlantis, ades: quem montibus olim
Edidit Arcadiis Pleïas una Jovi.
Pacis & armorum Superis imiſque Deorum
Arbiter, alato qui pede carpis iter:

Læte

duxerat. ſic. Virgll. lib. x.

*Egregium Antorem latus inter & ilia figit,*
*Herculis Antorem comitem, qui miſſus ab Argis*
*Haſerat Evandro.* Heinſ.

652. *Spemque Laremque ſuum.* ] Malim *remque* Porphyrius Panegyrico ad Conſtantinum,

*——ſervire volunt, mirabile dictu!*
*Remque Laremque ſuum.* Idem.

655. *Mittite me in Tyberim.* ] Tò *in* libri quidam non agnoſcunt. *me Tyberis* Strozzæ codex. Scribe *Mittite me Tyberi.* ſic infra *Tybri jactatur imago.* ubi non eſt audiendus Neapolis, qui *in Tyberim* ex antiquis codicibus reponit. *Idem. Mittite me in Tiberim.* ] Nam κακῶς mortuus putabatur apud Græcos in alienâ terrâ ſitus.

656. *Pulvis inanis eam.* ] prius cremari volebant: non mirum: mandabant ex more ſuæ gentis. *Neap.*

661. *Hactenus & vivo ſubiit.* ] *Ut vivo* Urſini, Mazar. Voſſian. Arondel. plurimique alii. ut Epiſt. Sapphus,

*Hactenus; ut media cætera nocte ſilent.* Heinſ.

663. *Clare nepos Atlantis.* ] Invocat nunc Mercurium: quoniam idibus Majis eſt ejus feſtum, quo die fuit illi à ſenatu ædes apud Circum maximum conſecrata. *Atlantis nepos.* ] *Mercuri facunde nepos Atlantis:* ut Horat. inquit. nam ex Maja illius filia natus. *P. Clare nepos Atlantis.* ] Apoſtrophe ad Mercurium, cum de æde eidem ſacrâ & ſacrificio ſit acturus. *Neap. Quem montibus olim.* ] Virg. 8. *Vobis Mercurius pater eſt, quem candida Maja Cyllenes gelido conceptum in vertice fudit.*

664. *Una Pleias.* ] Maja ex Pleiadum numero. *Edidit Jovi.* ] Peperit Jovi filium. *Montibus Arcadia.* ] In Cyllene monte Arcadiæ. unde *Cyllenius* dictus.

665. *Arbiter pacis & armorum.* ] Pro caduceo dictum, quo pacem ferit, & bella indicit *Superis imiſque Deorum.* ] Horatius Odâ 10. libro primo.

*——Superis Deorum*
*Gratus, & imis.*

Neap.

666. *Qui carpis iter alato pede.* ] Quique volas, quoties *pedibus talaria nectis Aurea.*

668. Quæ

Digitized by Google

Læte lyræ pulſu, nitidâ quoque læte palæſtrâ;
Quo didicit cultè lingua favente loqui.
Templa tibi poſuêre Patres ſpectantia Circum
Idibus. ex illo eſt hæc tibi feſta dies.
Te; quicunque ſuas profitetur vendere merces,
Thure dato, tribuas ut ſibi lucra, rogat.
Eſt aqua Mercurii portæ vicina Capenæ:
Si juvat expertis credere; numen habet.
Huic venit incinctus tunicas mercator; & urnâ
Purus ſuffitâ, quam ferat, haurit aquam.
Uda fit hinc laurus: lauro ſparguntur ab udâ
Omnia, quæ dominos ſunt habitura novos.
Spargit & ipſe ſuos lauro rorante capillos:
Et peragit ſolitâ fallere voce preces.

Ablue

668. *Quò docente.* ] *Favente* opt. Patav. Læti, pri. Ambroſ. Mazar. Zulich. Voſſ. & duo alii. quod magis arridet. *Heinſ.* *Quo didicit cultè lingua favente loqui.* ] Quod ab Ægyptiis, qui Mercurium primum verba in ordinem redegiſſe, vocumque Harmonias inveniſſe credebant. Diod. Sicul. lib. 1. c 2.

669. *Templa tibi poſuere patres.* ] Iiſdemmet Idibus, ſub annum poſt Romam conditam CCLVIII. Per id tempus etiam collegium mercatorum inſtitutum. *Spectantia circum.* ] Sed maximum ibi locant priſci Topographi, Mercurii unum, de quo Noſter. Ædiculas, aras, & alia ille habuit per urbem loca ſibi conſecrata. *Neap.*

670. *Hac tibi feſta dies.* ] Mazar. Zulich. Urſin. pri. Ambroſ. & ſex alii. An *pacta?* an *ſacra?* quod poſterius in multis ſcriptis occurrit. ſic & ſupra non ſemel *factis* pro *feſtis* aut *ſacris* legitur. mox *profitetur* & *rogat* pri. Farneſ. prim. Medic. Arondel. Gottorph. & tres alii. *Heinſ.*

673. *Eſt aqua Mercurii.* ] Hoc ſolum teſtimonio probant viri docti, extra portam Capenam viâ Appiâ aquam fuiſſe ita nuncupatam; qua populus, qui negotio & quæſtui operam dabat, his Idibus luſtrari ſolitus. *Neap.*

675. *Huc venit incinctus tunica.* ] Cingulo; è quo marſupium auri monetalis propendebat Hic vetus mercatorum habitus. *Neap.* *Incinctus tunica.* ] *Tunicas* Mazar. Zulich. Læti, opt. Medic. prim. Ambroſ. Voſſ. & duo Farneſiani eleganti Græciſmo. niſi Malis *tunicam.* quod pro diverſa lectione in uno Moreti erat notatum. mox pro *urna ſuffuſa* lege *ſuffita.* nam Urſini præſtantiſſimus *ſuffitam.* optimus Mediceus pro diverſa lectione, *ſuffitas.* Naugerii liber *ſuffecta.* Mazar. Zulich. & unus Vatic. *ſuffit aquam*, *ſuffit & haurit aquam.* quæ turbatiſſima ſunt. pro *quam gerit*, idem Urſini codex *ferit.* puto *quam gerit*, urnam nempe. Propertius libro IV. Eleg. IX.

*Suffiit & pura limina ſparſit aqua.*

ſic ſcribo. *Heinſ.*

679. *Lauro rorante.* ] Aquis madente.

680. *Incipit & ſolita dicere voce preces.* ] Scripti fere omnes recte,

*Et peragit ſolita fallere voce preces.*

niſi quod *ſolitas preces* eſt in nonnullis. *Peragit preces voce ſolita fallere.* ita conſtruendum, quod decepit Neapolim; impulitque ut pro vulgata lectione pugnaret. *Heinſ.*

Ablue præteriti perjuria temporis, inquit.
Ablue præteritâ perfida verba die.
Sive ego te feci teſtem, falſove citavi
Non audituri numina magna Jovis;
Sive Deum prudens alium Divamve fefelli;
Abſtulerit celeres improba dicta Noti.
Et pateant veniente die perjuria nobis:
Nec curent Superi, ſi qua locutus ero.
Da modo lucra mihi, da facto gaudia lucro:
Et face ut emtori verba dediſſe juvet.
Talia Mercurius poſcentem ridet ab alto,
Se memor Ortygias ſurripuiſſe boves.

AT mihi pande, precor, tanto meliora petenti,

In

682. *Præterita perfida verba fide.*] *Die* ſcripti fere omnes paucis exceptis, iiſque minus caſtigatis. Unde Scaliger & Gruterus *præterita die* pro *diei.* ut *fide* pro *fidei* paſſim apud Noſtrum. *preterito die* Mazar. & Zulich. Puto ſcribendum, *præteritis perfida verba deis.* hoc eſt, neglectis, ſpretis. Met. VIII.

—— *ſolas ſine thure relictas*
*Præterita ceſſaſſe ferunt Latoidas aras.*

Epiſtola Cydippes,

*Prateriine tuas de tot cæleſtibus aras?*

ſequenti verſu *falſuſve* pro *falſove* Zulich. & alii tres ſcripti. ſed niſ muta. ſic Art. Am.

*Per Styga Junoni falſo jurare ſolebat*
*Jupiter.* Idem.

684. *Numina vana Jovis.*] *Numina magna* opt Patav. prim. Farneſ. Mazar. Voſſian. aliique multi. & recte. ſic Am. lib. II. Eleg. VIII. ubi etiam de perjurio agit.

*Per Veneris feci numina magna fidem.*

ſic & *di magni* paſſim dicti. *Idem.*

686. *Improba verba.*] *Dicta* Mazar. Zulich. Voſſ. pri. Farneſ opt. Patav. & duo alii. *verba* jam præceſſerat. *Idem.*

687. *Et pereant veniente die.*] *Pateant* Zulich. Mazar. Urſini, Voſſ. pri. Farneſ. & decem alii. Recte. Pateat ac detur, inquit, die veniente aditus ad nova mihi perjuria. Vulgatam lectionem ſi admittamus, bis idem dixerit. *Idem.*

689. *Da modo lucra mihi.*] Hinc apte Agoraſtocli apud Plautum reſpondet Milphio ſervus in Pœnulo:

*Ecquid amare videor?* Mi. *damnum, quod Mercurius minime amat?*
*Namque Ædepol, lucrum amare nullum amatorem addecet.* Neap.

691. *Poſcentes ridet.*] *Poſcentem* Urſini, pri. Farneſ. & quinque alii. omnino bene. nam ad mercatorem, de quo ſupra, eſt referendum. opt. Patav. Mazar. & Zulich. *poſcenti.* Heinſ.

692. *Memor ſe ſurripuiſſe boves Ortygias.*] Memor ſe furto ſubtraxiſſe Pheræas vaccas regis Admeti, quæ ſub cuſtodia Phœbi erant. *Ortygias.*] A Delo inſula, quæ Ortygia dicta eſt. *Paul.* *Se memor Ortygias.*] Obſerva ſales mei Naſonis. Furti vero crebra mentio ſit à Græcis. unde Homerus jure hunc vocat in hymnis ἀρχὸντα φιλητῶν: quippe fraudes primus commentus, & lucra illicita. *Neap.*

693. *At mihi pande precor multo meliora petenti.*] *Tanto meliora* Mazar. Zulich. Urſin. pri. Ambroſ. & cæteri fideliores plerique. recte. niſi quod pro *pande* in quibuſdam *parce* perperam. ſic *tanto melior* apud Plautum & Phædrum. vide

In Geminos ex quo tempore Phœbus eat.
Cum totidem de menſe dies ſupereſſe videbis;
Quot ſunt Herculei facta laboris, ait.
Dic, ego reſpondi, cauſſam mihi ſideris hujus.
Cauſſam facundo prodidit ore Deus.
Abſtulerant raptas Phœben Phœbeſque ſororem
Tyndaridæ fratres, hic eques, ille pugil.
Bella parant, repetuntque ſuas & frater & Idas;
Leucippo fieri pactus uterque gener.
His amor, ut repetant, illis, ut reddere nolint,
Suadet: & ex cauſsâ pugnat uterque pari.
Effugere Oebalidæ curſu potuêre ſequentes:
Sed viſum celeri vincere turpe fugâ.
Liber ab arboribus locus eſt, apta area pugnæ.
Conſtiterant illic: nomen Aphidna loco.

Pe-

de Gronovii Noſtri Obſervat. lib. II. cap. XXI. Seneca Epiſt. XXI. *Tanto melior ſurge & reſpira.* Heinſ.

694. *Sol eat Geminos.* ] Relicto Tauri ſigno, Geminorum ſignum ingrediatur. *Neap.*

695. *Cum totidem de menſe dies.* ] Quot facta Herculis: ergo 15. Kalendas Noſtro Sol in Geminis. in eandem conjicitur à Columella. *Neap.*

697. *Dic; ego reſpondi.* ] Malim. *Dic age.* nam Tò *ego* è manu recentiori erat in Zulichemiano, veteri lectione eraſa. & ſequenti verſu pro *reddidit ore* prim. Ambroſianus & Læti codex cum uno Patav. *Prodidit.* bene. dixi l. III. v. 292. *Heinſ.*

699. *Phœben Phœbeſque ſororem.* ] Phœben, & Elairam. Harum proci antiqui, Idas, & Lynceus frater: cum quibus poſtea certamen initum.

700. *Ille pugil.* ] Hac arte callebat Pollux. *Neap. Fratres Tyndaridæ.* ] Caſtor & Pollux Tyndari privigni: Nam Jovis ex Ledæ Tyndari conjuge filii.

701. *Et frater & Idas.* ] Lynceus, & ipſe Idas. *Parant bella.* ] Contra Caſtorem & Pollucem.

704. *Ex cauſa.* ] *A cauſa* pri. Ambroſ. Mazar. Zulich. Lege *è cauſa.* Heinſ.

705. *Oebalidæ.* ] Caſtor & Pollux Oebalii, hoc eſt, Laconici.

707. *Liber ab arboribus locus.* ] Locus purus, patens, apertus. Stat. Thebaid. 7. —— *colle per excelſum patulo, quem ſubter aperto* —— *Arva ſinu, nullique à montibus obſtant* —— *Deſpectus.* Ex Enn. 16. Annal. *Montibus obſtipeis obſtantibus.* Tacit. 2. Annal. *pura humo inter arborum truncos.* Liv. 3. 4. *Signis collatis dimicatum puro ac patenti campo.* Et Lucan l. 7. *Explicat hinc tellus campos effuſa patentes.*

708. *Conſtiterant illo nomina fida loco.* ] *Conſtiterunt* unus Patavinus. Quantivis pretii lectio eſt, quam Zulichemianus exhibet.

*Conſtiterant illic. nomen Aphidna loco.* neque aliter in Mazar. fuiſſe videtur. nam *illic* diſertim apparebat, cæteris vocibus in mendâ cubantibus. Aphidnas Laconicas diſtinguit ab Atticis Stephanus περὶ πόλεων, quas Dioſcori poſt raptam à Theſeo Helenam expugnarunt. Apposite omnino Stephanus, Ἄφιδνα δῆμος Ἀττικῆς τῆς Λεοντίδος φυλῆς, ἀπὸ Ἀφίδνα αὐτόχθο-

 νος

Pectora trajectus Lyncêo Caſtor ab enſe
  Non exſpectato vulnere preſſit humum.
Ultor adeſt Pollux; & Lyncea perforat haſtâ,
  Qua cervix humeros continuata premit.
Ibat in hunc Idas, vixque eſt Jovis igne repulſus:
  Tela tamen dextræ fulmine rapta negant.
Jamque tibi, Pollux, cœlum ſublime patebat;
  Cum, Mea, dixiſti, percipe verba pater.
Quod mihi das uni, cœlum partire duobus:
  Dimidium toto munere majus erit.
Dixit, & alterna fratrem ſtatione redemit:

Utile

νος. ἔςι καὶ πόλις Ἀφίδναι. ἔςι καὶ τῆς Λακωνικῆς, ὅθεν ἦσαν αἱ Λευκιππίδες φοίβη καὶ Ἱλάειρα. Quanquam Theocritus in Dioſcuris & Pindarus Nemeis Od. x. qui hiſtoriam luculentis verſibus deſcripſerunt, ad Apharei tumulum pugnam hanc commiſſam fuiſſe aſſeverant. Aphareus autem cum Meſſeniis imperarit, ſit veriſimile, monumentum ejus iſta in regione extitiſſe. Certe Apollodorus in hac fabula in Meſſeniorum tractu concurriſſe Dioſcuros cum Ida Lynceoque contendit. Habes & hiſtoriam apud Hyginum fab. LXXX. ſed ubi pugna ſit commiſſa, non addit. apud quem perperam *Laïra* pro *Ilaïra* appellatur altera Leucippidum, & Ἐλάειρα pro Ἱλάειρα apud Scholiaſten Pindari. Cæterum Avienus in Arateis videtur innuere Leucippas fuiſſe raptas à Dioſcuris bello Athenienſi, quod ob raptam à Theſeo Helenam gerebatur. ſed quemadmodum bella duo confundit, ita etiam Atticas Aphidnas cum Lacedæmoniis. Locum ecce, ut in veterrimo codice Voſſiano legitur,

*At capiti ſuberunt Gemini, proleſque Tonantis*
*Egregia, & patrio poſt reddita numina cœlo.*
*Nam Lacedæmoniis cum Mars caluiſſet Aphidnis*
*Caſtora Cecropii tulit inclementia belli.*
*At frater lucemque & fata ſuperſtitis avi.*
*Protinus alterna germanos tempora vitæ*
*Jupiter attollit, cœlique in celſa recептans*
*Æterna flagrare facis jubet ignibus ambos.*

Neque aliter Hyginus in Geminis, *ſed qui de Caſtore & Polluce dicunt, hoc amplius addunt, ut Caſtor in oppido Aphidnis ſit occiſus, quo tempore Lacedæmonii cum Athenienſibus bellum geſſerunt.* Ita emenda. Perperam vulgati *in oppido Ariadnis*. Heinſ. *Conſtiterant nomina fida.*] Caſtor & Pollux, qui mutuæ fidei clarum nomen habent.

709. *Trajectus Lynceo Caſtor ab enſe.*] Theocritus in Dioſcoris ait. Lynceum à Caſtore interfectum: Apollodorus l. 3. βιβλιοθήκης, Caſtorem ab Ida, à Polluce Lynceum. *Lynceio.*] Pro Lynceo: ut Cepheia, & paria. *Neap.*

712. *Cervix humeros tegit.*] *Premit* meliores. *Heinſ.*

719. *Alternâ fratrem ſtatione recepit.*] *Redemit* probe veteres pleriquę. Maronis illa cogitabat,

*Si fratrem Pollux alternâ morte redemit.*

ſequenti verſu *ſidus uterque* Zulich. pri. Farneſ. & ſex aut ſeptem alii. non *utrumque*. ſic lib. III. de Pico & Fauno.

*Romani numen uterque ſoli.* Heinſ.

*Alter-*

Utile ſollicitæ ſidus uterque rati.
Ad Janum redeat, qui quærit Agonia quid ſint:
Quæ tamen in Faſtis hoc quoque tempus habent.
Nocte ſequente diem canis Erigoneïus exit.
Eſt alio ſigni reddita cauſſa loco.
PRoxima Vulcani lux es; Tubiluſtria dicunt.
Luſtrantur puræ, quas facit ille, tubæ.
QUattuor inde notis locus eſt; quibus ordine lectis
Vel mos ſacrorum; vel Fuga Regis ineſt.
NEc te prætereo, populi Fortuna potentis
Publica; cui templum luce ſequente datum.



*Alterna ſtatione.* ] Ut alternis vicibus eſſent in cœlo.

721. *Ad Janum redeat.* ] 12. Kalendas Junias Agonalia urbs iterabat. Hoc die notantur hæc feſta in veteri Kalendario: De etymo ad Januarium te Naſo meus rejicit. vide & ibi noſtri laboris plura. *Neap.*

725. *Proxima Vulcani lux eſt, quam Luſtria dicunt.* ] Primus ad Feſtum incomparabilis Scaliger vidit *Tubiluſtria* eſſe reponendum. Certe in veterrimo Urſini, Zulichemiano, Mazariniano, opt. Patavino, & tribus aliis *ubiluſtria*. in optimo Mediceo *tubiluſtria* erat emendatum. neque aliter in ora codicis ſui Politianus. Scribe nulla mutatione,

*Proxima Vulcani lux es: Tubiluſtria dicunt.* Heinſ.

*Proxima Vulcani.* ] X. Kalend. Tubiluſtrium erat. de quo Varro lib. 5. de Linguâ Latinâ: *Tubiluſtrium appellatur, quod eo die in atrio ſutorio ſacrorum tubæ luſtrantur. Quam luſtria dicunt.* ] Mavult θαυμάσιος ἀνὴρ, *Tubiluſtria dicunt.* Aſſentior lubens. *Neap.*

726. *Luſtrantur tubæ puræ.* ] Ab ipſis tubicinibus moturis aciem claſſicis, antequam abeant. *Quas ille.* ] Vulcanus. *Facit.* ] Quæ conflantur ab opificibus, quibus ille præeſt.

727. *Quatuor inde Notis.* ] *Locis* Zulich. Mazar. & unus Farneſ. *Heinſ. Lectis ordine.* ] Poſtquam quatuor ipſas dierum notas legeris. *Paul. Quatuor inde notis locus eſt.* ] Quatuor ſignis, quibus dies notantur in Faſtis. *Ant. Quatuor inde notis.* ] Sequens Maji dies, id eſt, 9. Kalendas. ſic notatur in Kalendariis, Q. R. C. F. Anceps Poëta de interpretatione, hinc ait: *Vel mos ſacrorum, vel fuga Regis ineſt.* Sciendum, Regi ſacrorum neque Magiſtratum gerere, neque verba ad populum habere fas fuiſſe: propterea in Comitium ire non licebat niſi hoc die, qui notatus eſt in Kalendariis. Itabat enim in Comitium ſacrificii causâ: quo properanter parato, fuga ſe è Comitio eripiebat. Hinc per breves quattuor litteras, Q. R. C. F. interpretantur QUANDO REX COMITIO FUGIT, De more Plutarchus in libello τῶν Κεφαλαίων. *Neap.*

728. *Vel eſt mos ſacrorum.* ] Quod ſervetur conſuetudo ſacrorum, & immolationis victimarum. *Vel eſt fuga regis.* ] Tarquinii. nunc vero pro eodem ſacrificia fiunt, etiam quod tandem victus, poſtea fugerit omni ſpe deſtitutus.

730. *Datum tibi templum.* ] Conſecrata tibi ædes. Sed hæc in fine ſubſequentis libri repetemus. *Paul. Cui templum luce ſequente datum.* ] Hoc eſt, 8. Kalendas. Jam liquidum, hanc publicam eſſe Primigeniam. Vovit hanc Primigeniæ ædem ſe Conſule P. Sempronius anno Urbis conditæ DXLIX. Vide Livium lib. XXIX. & lib. XXXIV.

Hanc ubi dives aquis acceperit Amphitrite;
Grata Jovi fulvæ roſtra videbis avis.
AUferat ex oculis veniens Aurora Booten;
Continuâque die ſidus Hyantis erit.

731. *Hanc ubi dives aquis.* ] Eodem 8. Kalendas Aquila oritur veſperi. *Neapol.* *Ubi Amphitrite.* ] Uxor Neptuni. *Dives aquis acceperit.* ] *Aquas* unus Patavinus. *ſuſceperit* pri. Farneſ. & pri. Mediceus. Lege, *dives aqua ſuſceperit.* Heinſ.

732. *Videbis roſtra avis.* ] Aquilæ. *Grata roſtra Jovi.* ] Ob Ganymedem raptum.

733. *Auferet.* ] *Auferat* bene Zulichemianus pri. Ambroſianus & alii duo. nonnulli *Aufert.* Heinſ. *Auferet ex oculis veniens.* ] 7. Arctophylax heliace fertur in occaſum; & 6. heliacus Hyadum ortus. *N.*

734. *Et die continua.* ] Quæ illi proxima erit: hoc eſt, trigeſimo die Maji. *Erit ſidus Hyantis.* ] Hyas apparebit, qui fuit Atlantis ex Æthra filius. *Paul.*

# P. OVIDII NASONIS
# FASTORUM
## LIBER VI.

HIC quoque menſis habet dubias in nomine cauſſas:
Quæ placeant, poſitis omnibus, ipſe leges.
Facta canam; ſed erunt qui me finxiſſe loquantur:
Nullaque mortali numina viſa putent.
Eſt Deus in nobis: agitante caleſcimus illo.
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.
Fas mihi præcipuè vultus vidiſſe Deorum:

Vel

1. HIÇ *quoque menſis.* ] Junius Majum ſequitur. Poëta triplicem menſis cauſam affert. Aut quod à Junone *Junonius.* Aut ab Hebe, quæ in perpetua juventa eſt, Junius propter ipſos juvenes. Aut à Romanorum Sabinorumque concordia.

2. *Ipſe leges.* ] *Lege* Urſini, Naugerii, & unus Patavinus. Læti, & pri. Ambroſ. *legas.* mox *loquantur* pro *loquentur* meliores. *Heinſ.*

6. *Sacra mentis ſemina.* ] Sic Phemius Muſicus Ulyſſi. Odyſſ. χ. vſ. 347. ——θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμας——Παντοίας ἐνέφυσεν. *Et ſunt in tanto non parvum pectore numen.* Silius lib. 13. ubi prolixe Homerum prædicat. Hinc etiam αἱ Μοῦσαι τοῦ οὐρανοῦ θυγατέρες. Pauſan. in Bœotic.

13. Præ

Vel quia ſum vates; vel quia ſacra cano.
Eſt nemus arboribus denſum, ſecretus ab omni
Voce locus; ſi non obſtreperetur aquis.
Hic ego quærebam cœpti quæ menſis origo
Eſſet, & in curâ nominis hujus eram.
Ecce Deas vidi: non quas præceptor arandi
Viderat; Aſcræas cum ſequeretur oves.
Nec quas Priamides in aquoſæ vallibus Idæ
Contulit. ex illis ſed tamen una fuit.
Ex illis fuit una, ſui germana mariti.
Hæc erat, agnovi, quæ ſtat in arce Jovis.
Horrueram, tacitoque animum pallore fatebar.
Cum Dea, quos fecit, ſuſtulit ipſa metus:
Namque, ait, O vates Romani conditor anni,
Auſe per exiguos magna referre modos;
Jus tibi feciſti numen cœleſte videndi,
Cum placuit numeris condere feſta tuis.
Ne tamen ignores, vulgique errore traharis;
Junius à noſtro nomine nomen habet.
Eſt aliquid nupſiſſe Jovi, Jovis eſſe ſororem.
Fratre magis, dubito, glorier, anne viro.
Si genus adſpicitur; Saturnum prima parentem
Feci. Saturni ſors ego prima fui.
A patre dicta meo quondam Saturnia Roma eſt:

Hæc

13. *Præceptor arandi.* ] Heſiodus: qui fatetur ſe vidiſſe Muſas. At ego vidi reginam Junonem. *Præceptor arandi.* ] Ob illud opus quod inſcribitur, *Opera & dies*: ubi de Re ruſtica præcepta tradidit. *P.*

14. *Aſcræas cum ſequeretur oves.* ] Aſcra, hujus patria. Ibi fuit vati ovium cura. *Neap.* *Aſcræas.* ] Ab Aſcra, quæ eſt in Bœotia, juxta Heliconis partem

15. *Nec quas Priamides.* ] Nec vidi eas deas, quas Paris Priami filius.

16 *Ex illis fuit una.* ] Juno videlicet, & ſoror & ſimul Jovis conjux. *Neap.*

17. *Quæ ſtat in arce Jovis.* ] In maximo templo Capitolino: in quo tria delubra, medium Jovis, dextrum Minervæ, lævum Junonis. *Neap.*

26. *Junius habet nomen.* ] Sacer hic menſis mihi, à Junone *Junonius* eſt appellatus. *P.* *Nomine nomen habet.* ] Macrobius primo Saturnalium. *Neap.*

29. *Si aſpicitur genus.* ] Quaſi, ſi ratio generis eſt habenda. *Prima feci parentem.* ] Prima ego ex illo genita ſum. Verum ut in 4. lib. lib. diximus, Jupiter & Juno ſimul nati ſunt.

31. *Quondam Saturnia Roma eſt.* ] Vide Terentium Varronem de colle Capitolino. *Neap.*

 34. *Tem-*

Hæc illi à cœlo proxima terra fuit.
Si torus in pretio eſt; dicor matrona Tonantis:
Junctaque Tarpejo ſunt mea templa Jovi.
An potuit Majo pellex dare nomina menſi?
Hic honor in nobis invidioſus erit?
Cur igitur Regina vocor, Princepsque Dearum?
Aurea cur dextræ ſceptra dedêre meæ?
An faciant menſem luces, Lucinaque ab illis
Dicar; & à nullo nomina menſe traham?
Tum ne pœniteat poſuiſſe fideliter iras
In genus Electræ, Dardaniamque domum.
Cauſſa duplex iræ. rapto Ganymede dolebam:
Forma quoque Idæo judice victa mea eſt.
Pœniteat, quod non foveo Carthaginis arces;
Cum mea ſint illo currus & arma loco.
Pœniteat Sparten, Argoſque, measque Mycenas,
Et veterem Latio ſuppoſuiſſe Samon.
Adde ſenem Tatium, Junonicolaſque Faliſcos;
Quos ego Romanis ſuccubuiſſe tuli.
Sed neque pœniteat: nec gens mihi carior ulla eſt.
Hîc colar, hîc teneam cum Jove templa meo.
Ipſe mihi Mavors, Commendo mœnia, dixit,

Hæc

34. *Templa ſunt juncta.*] Capitolio. in arce enim tria erant templa ſimul juncta, Jovis, Junonis & Minervæ.

35. *Pellex dare nomina menſi?*] Pellicem vocat Majam Atlantis filiam, quæ ſuo Jovi concubuit; & jure. *Neap.*

39. *An facient.*] *Faciunt* multi ex ſcriptis. at primi. Ambroſ. & octo alii *faciant*. Heinſ. *An luces facient menſem*] Cum menſis ex lucibus, hoc eſt, ex diebus conſtet. *Ab illis.*] Lucibus ſcilicet, dicar ego *Lucina*. Neap.

42 *In genus Electræ.*] In Trojanos, qui ab Electra matre Dardani progeniti ſunt.

43. *Cauſa duplex iræ.*] Ganymedis raptus, adeo toro noſtro exitialis; formæ vero, judicium Paridis. Hi homines uterque Trojani: à quibus Romani originem deducunt. *Neap.*

45. *Pœniteat, quod non fovi.*] *Foveo* meliores. *Heinſ.*

47. *Pœniteat Sparten.*] Tres ſibi cariores urbes. Iliade δ. Ἄργός τε Σπάρτη τε, καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη. *N.*

48. *Veterem Samon.*] De Samo Ionica intelligit, quæ inſula eſt in mari Icario, ubi nata putatur Juno.

49. *Adde ſenem Tatium.*] Regem Sabinorum. quaſi adde Sabinos omnes, qui me pie colebant. *Junoniculoſque Faliſcos.*] *Junonicolaſque* cum ſcriptis. *Heinſ.*

52. *Hic color, hic teneo.*] *Colar* & *teneam* caſtigatiores. *Idem.*

53. *Ipſe mihi Mavors.*] Septimo arguit à jure tutelæ, quoniam Mars filius

eam

Hæc tibi: tu pollens Urbe nepotis eris.
Dicta fides ſequitur. centum celebramur in aris:
Nec levior quovis eſt mihi menſis honor.
Nec tamen hunc nobis tantummodo præſtat honorem
Roma: ſuburbani dant mihi munus idem.
Inſpice, quos habeat nemoralis Aricia Faſtos,
Et populus Laurens, Lanuviumque meum;
Eſt illic menſis Junonius. inſpice Tibur,
Et Prænestinæ mœnia ſacra Deæ:
Junonale leges tempus. nec Romulus illas
Condidit: at noſtri Roma nepotis erat.
Finierat Juno. reſpeximus. Herculis uxor
Stabat; & in vultu ſigna dolentis erant.
Non ego, ſi toto mater me cedere cælo
Juſſe-

eam urbem maternæ fidei commendarit.

55. *Centum celebramur in aris, &c.*] Ὑπερβολικῶς. Revera multa erant in Urbe Junonis fana, luci, delubra, aræ, ædes, ædiculæ ſub cognomine Caprotinæ, Jugæ, Juliæ, Lucinæ, Matutæ, Martialis, Monetæ, Sororiæ, Soſpitæ, Reginæ: & adhuc aliquot me fugiunt. *Neap.*

57. *Nec præſtat.*] *Præſtet* Zulich. & unus Patavinus. Lege *Ne præſtet.* Heinſ.

58. *Suburbani dant mihi munus idem.*] Qui ſunt in oppidis agri Romani, ſeu, ut melius dicam, qui in urbicariâ degunt regione; quæ ad centeſimum uſque lapidem extendebatur. Urbicaria igitur & ſuburbicaria regio, eſt ille tractus qui urbi circumjacebat, & ab Italiâ ſeparabatur: nam inter annonariam regionem nullo modo urbicaria includebatur. hæc etiam *Romana* nuncupatur in veteri inſcriptione, nec certe diverſa.

59. *Inſpice quos habeat.*] Leges, inquit, menſem Junonium in Faſtis municipalibus, Aricinis, Laurentinis, Lanuvinis, Tiburtinis, Prænestinis, nec cum harum urbium auctoribus ullum mihi ſanguinis vinculum. De Faſtis Prænestinis non ſilebo illud, publicatos olim ab inſigni libertino Verrio Flacco. *Neap.* *Aricia faſtos.*] *Faſtus* pri. Medic. de quo egimus ſupra initio libri primi. mox metri ratio exigit reponamus *Lanuviumque* pro *Laviniumque* cum ſcriptis nonnullis. Urſini codex *Laviniumque nemus*, pro *Lanuviumque.* eleganter. Fuit enim ingens illic lucus Junoni Soſpitæ ſacer, quod ex Æliani Hiſt. Animal. & Cicerone diſcimus. quanquam Ælianus Lanuvium cum Lavinio confundit. Apud Silium quoque Italicum non ſemel pari modo peccatur. *Heinſ.*

60. *Lanuviumque meum.*] Ibi illi fuit ædes lucuſque ſummæ religionis: illuc Romani, Republicâ afflictâ, confugiebant. Vide Livium lib 22. *Neap.*

61. *Aſpice Tibur.*] *Inſpice* meliores. *Heinſ.*

62. *Dea Prænestina.*] Præneſte oppidum, ubi & templum Fortunæ, & ædes Junonis.

65. *Uxor Herculis.*] Hebe Junonis filia, Herculi nupta. *Paul.*

66. *Signa dolentis erant.*] Scripti plerique *vigoris* vel *doloris.* quidam etiam *decoris* duo *ruboris.* unus *pudoris.* nil muto. Faſt. IV. de Cerere,

*Maximaque in vultu ſigna dolentis erant.* Heinſ.

67. *Non ego, ſi toto.*] Inſurgit primo pro

Juſſerit, invitâ matre morabor, ait.
Nunc quoque non luctor de nomine temporis hujus.
Blandior; & partes pæne rogantis ago.
Remque mei juris malim tenuiſſe precando;
Et faveas cauſſæ forſitan ipſe meæ.
Aurea poſſedit ſocio Capitolia templo
Mater, & ut debet, cum Jove ſumma tenet.
At decus omne mihi contingit origine menſis.
Unicus eſt, de quo ſollicitamur, honor.
Quid grave, ſi titulum menſis, Romane, dediſtis
Herculis uxori, poſteritaſque memor?
Hæc quoque tetra aliquid debet mihi nomine magni
Conjugis. huc captas appulit ille boves.
Hîc male defenſus flammis & dote paternâ
Cacus Aventinam ſanguine tinxit humum.
Ad propiora vocor. populum digeſſit ab annis
Romulus, in partes diſtribuitque duas.
Hæc dare conſilium, pugnare paratior illa eſt:
Hæc ætas bellum ſuadet, at illa gerit.
Sic ſtatuit, menſeſque notâ ſecrevit eâdem.
Junius eſt juvenum; qui fuit ante, ſenum.

dixit:

pro ſe Hebe, ſive Juventas; & memorat antiqua officia conjugis in urbem collata: ſecunda juvenum cauſam tuetur.

72. *Et faveas cauſa forſitan ipſe mea.*] Alii *faveat ipſa*, ut ad Junonem reſpiciat. *Heinſ.*

77. *Quid grave.*] Cur eſt alicui moleſtum? aut quid magni momenti eſt? *Si tu Romane & poſteritas memor.*] Quæ memoria tenuiſti beneficia à viro meo collata. *Dediſti titulum menſis uxori Herculis.*] Ornaſti me honore menſis, quæ Herculi nupta ſum. *Romane dediſti.*] *Dediſtis* Voſſianus & duo Medicei. ut ad poſteritatem quoque referatur. *Heinſ.*

82. *Aventinam humum.*] Nam erat in ſpelunca montis Aventini, ubi ab Hercule interemptus eſt.

83. *Populum digeſſit ab annis.*] In ſeniores, & juniores. *Neap.*

84. *In duas partes.*] Senatum & plebejos, ſeu ſenectutem & juventutem.

85. *Pugnare paratior illa eſt.*] Ratio apud Plutarchum in libello, An ſeni ſit gerenda Reſpublica.

86. *Hac atas bellum ſuadeat, illa gerat.*] Lege cum ſex ſcriptis *ſuadet, at illa gerit.* vel, *ſuadet & illa gerit* cum Urſini & nonnullis aliis libris præſtantioris notæ. Amor. lib. I. Eleg. IX.

*Ille fores domina ſervat, at iſte ducis.*

& mox,

*Hic portas frangit; at ille fores.*

Heinſ.

88. *Junius eſt juvenum; qui fuit ante, ſenum.*] Sic diſtingue, *Junius hic* Zulich. Puto,

*Junius hinc juvenum; qui fuit ante, ſenum eſt.*

*qui fuit ante*, qui præceſſit, Majus videlicet.

Dixit: & in litem ſtudio certaminis iſſent;
Atque irâ pietas diſſimulata foret.
Venit Apollineâ longas Concordia lauro
Nexa comas, placidi numen opuſque Ducis.
Hæc ubi narravit Tatium, fortemque Quirinum,
Binaque cum populis regna coîſſe ſuis;
Et Lare communi ſoceros generoſque receptos;
His nomen junctis Junius, inquit, habet.
Dicta triplex cauſſa eſt. at vos ignoſcite, Divæ:
Res eſt arbitrio non dirimenda meo.
Ite pares à me. perierunt judice formæ
Pergama: plus lædunt, quam juvat una, duæ.

PRima dies tibi, Carna, datur. Dea cardinis hæc eſt.
Numine clauſa aperit, claudit aperta ſuo.

Unde

licet. *Idem. Junius eſt juvenum.*] Nam à junioribus Junius dictus. *Qui fuit ante.*] Menſis qui anteceſſit, *Eſt ſenum.*] Nam à ſenioribus, hoc eſt, à majoribus *Majus* denominatus.

91. *Longas Concordia lauro.*] Hæc, repulsâ utraque Deâ, neſcio an docte, & ſcite, probat à junctis, Romulo, & Tatio Sabinorum Rege, menſem Junium ſic dictum, quaſi Unium, ſive Jungium

92. *Placidi numen opuſque ducis.*] *Munus opuſque* Hamburg. Junian. & alter Petavianus. ſic hæc duo conjunxit etiam Pont. lib. IV. Eleg. prima,

*Tutelaque feror munus opuſque tua.*

infra hoc ipſo libro,

*Ite Deam læti Fortem celebrate Quirites,*
*In Tyberis ripâ munera Regis habet.*

In obitum Druſi,

*Nec ſua conſpiciet (miſeram me!) munera Druſus,*
*Nec ſua pro templi nomina fronte leget.*

Art. Amat. lib. I. de Concordiæ Templo,

*Aut ubi muneribus nati ſua munera mater*
*Addidit; externo marmore dives opus.*

Triſt. lib. II. ex antiquis libris,

*Veneris in magni templum tua munera Martis.*

ubi *numina* in vulgatis nunc circumfertur. *Heinſ. Placidi numen opuſque.*] Auguſtus hic, an Tiberius? malim Tiberium; cum & ſcribat Noſter in primo ſub finem, templum huic Divæ poſuiſſe. *Neap.*

93. *Hæc.*] Concordia. *Ubi narravit Tatium.*] Bella Tatii, regis Sabinorum, in Romulum geſta, & inita poſtea fœdera.

97. *Triplex cauſa dicta eſt.*] A Junone, Hebe, Concordia.

98. *Res eſt arbitrio non dirimendo meo.*] *Lis dirimenda* ab Ovidio ſcriptum fuiſſe exiſtimo. ut Juriſconſ. paſſim. etſi vulgata lectio membranas omnes habet auctores. *Heinſ.*

100. *Pergama.*] Trojana mœnia. *Duæ plus lædunt, quam una juvet.*] Veluti plus potuere Trojanos lædere Juno & Pallas, quam juvare potuerit Venus. *P. Quam juvat una.*] *Juvet* Arond. prim. Farneſ. Gottorph. & decem alii. *Heinſ.*

101. *Dea Cardinis hæc eſt.*] Hinc cuidam ex antiquis *Cardinea* hæc dicta, ſive *Cardea*: prius, inquit Noſter, nominata *Crane*; quaſi dicas, ni fallor; κραιπνόν. Hujus feſtum, ut vides, erat Calend. Junius:

Digitized by Google

Unde datas habeat vires, obſcurior ævo
Fama; ſed è noſtro carmine certus eris.
Adjacet antiqui Tiberino lucus Helerni:
Pontifices illuc nunc quoque ſacra ferunt.
Inde ſata eſt Nymphe (Granen dixêre priores)
Nequicquam multis ſæpe petita procis.
Rura ſequi, jaculiſque feras agitare ſolebat;
Nodoſasque cavâ tendere valle plagas.
Non habuit pharetram: Phœbi tamen eſſe ſororem
Credebant. nec erat, Phœbe, pudenda tibi.
Huic aliquis juvenum dixiſſet amantia verba;
Reddebat tales protinus illa ſonos;
Hæc loca lucis habent nimis, & cum luce pudoris.
Si ſecreta magis ducis in antra, ſequor.
Credulus antra ſubit. frutices hæc nacta reſiſtit;
Et latet, & nullo eſt invenienda modo.

Vide-

niis: eandem diem in ſequentibus dat templo Junonis Monetæ, templum Martis extra portam Capenam, templo Tempeſtatis, quibus vetus Kalendarium IV. nonas his notis A. F. MART. CAR. MONET. N. *Prima dies tibi.* ] Aggreditur nunc feſtorum rationem, & Calend. Jun. feſtum eſſe Carnæ deæ inquit. Sacrum enim illi in Cœlio monte, Calen. Juniis. Junius Brutus voti reus fecit. Et poëta *Carnam* quaſi cardinam dicit, quod cardinibus præſit: & fuiſſe nympham quandam quæ Crane appellata ſit, & Jano placuerit.

103. *Unde datas habeat vires.* ] Puto *ratas*. ſed pro vulgata lectione ſtant libri veteres. *Heinſ. Obſcurior ævo.* ] Quaſi vetuſtate certior fama non habetur. *Habeat datas vires.* ] Quis Carnæ dederit vim vertendi cardinis, & claudendi, aperiendi.

105. *Adjacet antiquus Tiberino lucus Helerni.* ] Malo *antiqui Helerni* cum pri. Ambroſiano & duobus aliis. *antiquus Tyberni lucus* Mazar. Cæterum de *Helerno* & diverſis hoc loco lectionibus vide quæ notamus lib. II. vſ. 67. *Heinſius. Helerni.* ] Helernum & locum vocant, & loci Genium. *Tiberino.* ] Tres apud me veteres habent, *Tiberina lucus Hilerna:* ac ſi ſenſus, prope lucum Hilernæ adſidet alius, quo Pontifices ſacra ferunt. *Neap.*

107. *Inde.* ] Ab Helerno. *Eſt ſata nymphe.* ] Nata Carna. *Dixere Carnem.* ] Prius enim *Crane*, deinde *Crana* appellata.

110. *Tendere.* ] Nodis contexta retia.

112. *Pudenda tibi.* ] Tum præſtantia formæ, tum etiam ſpectatis moribus. *P.*

113. *Huic aliquis juvenum dixiſſet.* ] Deeſt particula: pro, ſi dixiſſet. *Neap.*

116. *Ducis in antra, ſequar.* ] *Sequor* meliores. ſic apud comicos ſæpe, *I præ; ſequor.* Triſt. III. El. I. *Duc age: namque ſequor.* ſic & ibi veteres. *Heinſ.*

117. *Credulus ante iit.* ] *Ante iniit* alii. plurimi *ante ſubit.* alii aliter. Sed recte, ſi quid judico, Regius & prior Bononienſis, *antra ſubit.* lib. II.

*Antra ſubit toſis laqueataque pumice vivo.*

Idem.

124. *Nil*

Viderat hanc Janus; viſæque cupidine captus
 Ad duram verbis mollibus uſus erat.
Nympha jubet quæri de more remotius antrum:
 Utque comes ſequitur, deſtituitque ducem.
Stulta, videt Janus quæ poſt ſua terga gerantur.
 Nil agis en: latebras reſpicit ille tuas.
Nil agis en: dixi. nam te ſub rupe latentem
 Occupat amplexu; ſpeque potitus ait:
Jus pro concubitu noſtro tibi cardinis eſto.
 Hoc pretium poſitæ virginitatis habe.
Sic fatus, ſpinam, qua triſtes pellere poſſet
 A foribus noxas (hæc erat alba) dedit.
Sunt avidæ volucres; non quæ Phineïa menſis
 Guttura fraudabant: ſed genus inde trahunt.
Grande caput: ſtantes oculi: roſtra apta rapinæ:

Cani-

124. *Nil agis, & latebras reſpicit ille tuas.* ] Lege, *Nil agis en.* quomodo Arondelianus. Sequenti etiam verſu cenſeo ſcribendum, *Nil agis en. dixin?* cum ſcripti ac vulgati perperam *dixit* agnoſcant. Sunt enim non Jani, ſed poëtæ interpellantis. certe *dixi* eſt in Juniano, Erfurtenſi, & uno Vaticano. unus Patavinus *dico.* Vide Notas ad Epiſt. XII. vſ. 71. *Idem.*

126. *Occupat amplexu.* ] Hui, hui, tu ille Janus, de quo Auguſtinus VII. Civitatis divinæ? *De Jano non mihi facile quidquam occurrit quod ad probrum pertineat. Teque potitus ait.* ] *Speque potitus* Urſini & unus Patav. brobe. ſimile mendum inſedit Elegiam primam iib. III. Pont. *cupias, ut ſpe potiaris, oportet.* ubi *re* male legitur. ſic Met. lib. XI. *ſpe potitur tandem.* ſic & *auſo potiri* paſſim *Heinſ.*

127. *Jus pro concubitu.* ] Erat illud, ut à foribus & omni limine noxia & infauſta omnia depelleret, tum nocturna ſpectra, tum alia infeſta: ea vis inſita erat ſpinæ albæ, quam Janus ei dederat: hinc introducit ſtriges quondam illam abegiſſe, quæ Procæ infantis faciem in cunis laniarant. *Neap.*

128. *Poſita virginitatis.* ] Quam ego violavi.

130. *A foribus.* ] *Laribus* duo veteres. mox *fraudarant* malo quam *fraudabant.* Heinſ. *Erat alba.* ] Plura enim ſunt ſpinarum genera, quæ à Plinio referuntur. *Paul. A foribus noxas.* ] Dioſcorides de Rhamno: Λέγεται δὲ καὶ κλῶνας αὐτῆς, θύραις ἢ θυρίσι προστεθέντας, ἀποκρούειν τὰς τῶν φαρμάκων κακουργίας. Rhamnus & alba ſpina ſynonyma. Quod obſervandum duxi, omnibus ſpinarum generibus veteres noxarum pellendi vim ingenitam crediſſe.

131. *Non qua Phineïa menſis.* ] Tangit hîc Harpyias, quæ cibos & menſas Phinei fœdarunt. His, inquit, ſunt ſtriges haud multo diſſimiles. *Neap. Sunt avidæ volucres.* ] Striges aves eſſe dicunt nocturnas, magno capite, roſtro, & unguibus aduncis, & quæ noctu infantium cunas adoriuntur, fodiuntque roſtro corpuſculum, & ſanguinem hauriunt. Multi putant non aves, ſed mulierculas eſſe, quæ ſe veneficio quodam, cum volunt, in ſtriges vertunt.

133. *Stantes oculi.* ] Virg. 6. Æn.
—— *Stant lumina flamma.*

Augur-

Digitized by Google

Canities pennis, unguibus hamus ineſt.
Nocte volant, pueróſque petunt nutricis egentes;
Et vitiant cunis corpora rapta ſuis.
Carpere dicuntur lactentia viſcera roſtris;
Et plenum poto ſanguine guttur habent.
Eſt illis ſtrigibus nomen: ſed nominis hujus
Cauſſa; quod horrendâ ſtridere nocte ſolent.
Sive igitur naſcuntur aves, ſeu carmine fiunt;
Næniaque in volucres Marſa figurat anus;
In thalamos venêre Procæ. Proca natus in illis
Præda recens avium quinque diebus erat.
Pectoraque exſorbent avidis infantia linguis.
At puer infelix vagit, opemque petit.
Territa voce ſui nutrix accurrit alumni;
Et rigido ſectas invenit ungue genas.

Quid

*δυσαντιβλέπτος.* ——— ὀφθαλμῶ δ' ἄρα οἱ πυρὶ λάμπετον. Homer. Iliad. 13.

135. *Pueroſque petunt.* ] Huc pertinent illa Iſidori: *Hæc avis vulgo amma dicitur, ab amando parvulos: unde & lac præbere dicitur naſcentibus.*

137. *Lactentia viſcera.* ] Sic Noſter Metam. 15. vſ. 201. *Nam tener, & lactens, puerique ſimillimus ævo ——— Vere novo eſt.* annus ſcil.

140. *Quod horrenda ſtridere nocte ſolent.* ] Lege *horrenda voce* vel contra libros veteres. lib. II. Artis Amatoriæ etiam *noctis* pro *vocis* legitur. Iſidorus Etymolog. *Strix nocturna avis habens nomen de ſono vocis, quando enim clamat, ſtridet.* Virgil. lib. IX.

——— *tum vox horrenda per auras*
*Excidit.*

Val. Flaccus lib. I.

——— *vox reddita tandem.*
*Vox horrenda viris.*

ſic *horrendi clamores* apud Virgil. Noſter Faſt. IV. *horrendo lotos adunca ſono.* & *horrendum murmur* in Ibide. Janus Vlitius *horrendum ſtridere* legebat: ut apud Virgilium lib. VI. *bellua Lernæ Horrendum ſtridens.* ſed de *nocte* jam præceſſerat. *Heinſ. Quod ſolent ſtridere.* ] A ſtridendo igitur, quod noctu ſtrident, *ſtriges* dicuntur. *P.*

141. *Seu carmine fiunt, &c.* ] An detur lycanthropia, haud noſtrûm inquirere: ſed paſſim legitur apud Ethnicos, de quadam vetula. Iſidorus: *Striges, mulieres volaticæ.* Gloſſarium: *Striga, λαστρυγὼν, καὶ γυνὴ φαρμακίς.* Sed *volaticæ* dictæ, ob metamorphoſin in animal volatile. *Neap.*

142. *Næniaque in volucres falſa figurat anus.* ] *Nænia Marſa.* Urſini, Naugerii, unus Patav. & unus Mediceus. optime. dictum Art. Am. lib. II. vſ. 102. Hanc etiam lectionem in uno ſuo Neapolis invenit. in alio *Nænia ſaga.* etiam non male. *Heinſ. Næniaque in volucres.* ] Nænia hic non carmen lugubre, ſed verba quæ concipiebantur ad lycanthropiam. *Figurat.* ] Horat. Epodon libro ad Canidiam. *Caputque Marſa diſſilire nænia.* Neap.

143. *In thalamos venere Procæ.* ] Proca ille Rex Albanus; ſed purum fictum. *Neap.*

150. *Nova*

Quid faceret? color oris erat, qui frondibus olim
  Eſſe ſolet ſeris, quas nova læſit hyems.
Pervenit ad Granen, & rem docet. illa, Timorem
  Pone; tuus ſoſpes, dixit, alumnus erit.
Venerat ad cunas: flebant materque paterque.
  Siſtite vos lacrymas, ipſa medebor, ait.
Protinus arbuteâ poſtes ter in ordine tangit
  Fronde: ter arbuteâ limina fronde notat.
Spargit aquis aditus, ſed quæ medicamen habebant:
  Extaque de porcâ cruda bimeſtre tenet.
Atque ita, Noctis aves, extis puerilibus, inquit,
  Parcite: pro parvo victima parva cadit.
Cor pro corde, precor, pro fibris ſumite fibras.
  Hanc animam vobis pro meliore damus.
Sic ubi libavit, proſecta ſub æthere ponit:
  Quique ſacris adſunt, reſpicere illa vetat.
Virgaque Janalis de ſpinâ ſumitur albâ:
  Qua lumen thalamis parva feneſtra dabat.

Poſt

150. *Nova hyems.*] Autumnus. Sic Virgil. *Æſtate nova:* pro Vere.

153. *Mater & pater.*] Aventinus cum conjuge, parentes Procæ.

157. *Spargit aquis aditus, & aqua medicamen habebant.*] Duo veteres unus Vatican. alter Bononienſis *& qua.* lege, *ſed qua medicamen habebant.* Aquas luſtrales intelligit. *Heinſ.*

158. *Cruda bimeſtre tenet.*] Solita illa plerumque elixa Diis offerri. Servius: *Reddi exta dicebantur, cum probata & elixa aræ ſuperponebantur.* Vide & Arnobium lib. 7. Hoc tamen ſacro nec cruda puto poſtea aræ cremanda impoſita; quia ſub dio, ut vides, ea locat, quæ rapere volaticas illas credebat: unde jubet ne præſentes exta reſpiciant; ut præcipit ille in Lemuralibus lib. 5. poſt jactum fabarum, ut legumen, umbra ſibi ipſi, legat.

161. *Pro fibris.*] Pueri, *Fibras.*] Suillæ. *P.* *Pro fibris ſum te fibras.*] Λοβὸς τῶ ἥπατος, Græci dicerent. Hujus vero divortia notat Heſychius vocaſſe aruſpices πύλας; eaque accurate ſolita ab iiſdem inſpici.

162. *Hanc animam vobis pro meliore damus.*] *Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis——Perſolvo. Hanc animam vobis.*] Alieni fati vicariam. Videtur alludere ad eos qui ſponte mortem pro alio obibant: Græcis ἀντίψυχοι dicti. *Neap.*

163. *Proſecta ſub æthera ponit.*] *Æthere* meliores. & ſequenti verſu *quique ſacris adſunt* Voſſ. & ſex alii, non *adſunt ſacris.* Heinſ. *Proſecta ſub aëre ponit.*] Sunt, quæ noſtri aliter dixere proſicias, & præſicias, ſive proſicia, exta ſecta jam in exiguas miculas. Gloſſæ exponunt θυμάτων ἀπαρχάς. His opponuntur, quæ vocat Arnobius, *ſolida animantium viſcera.* Neap.

165. *De ſpinâ ſumitur alba.*] *Ponitur* Arondel. Voſſ. & plurimi præterea veteres. recte. niſi cum Jano Vlitio noſtro malis *ſubditur.* Heinſ.

167. *Nec*

Poſt illud nec aves cunas violaſſe feruntur;
  Et rediit puero, qui fuit ante, color.
Pinguia cur illis guſtentur larda Kalendis,
  Miſtaque cum calido ſit faba farre, rogas?
Priſca Dea eſt; aliturque cibis, quibus ante ſolebat:
  Nec petit adſcitas luxurioſa dapes.
Piſcis adhuc illi populo ſine fraude natabat:
  Oſtreaque in conchis tuta fuêre ſuis:
Nec Latium norat, quam præbet Iönia dives,
  Nec quæ Pygmæo ſanguine gaudet, avem.
Et præter pennas nihil in pavone placebat:
  Et tellus captas miſerat ante feras.

Sus

167. *Nec aves cunas violaſſe.* ] Fuere & alia antidota adverſus has. Scita carmina apud Feſtum, quibus ſoliti Græci illas avertere. Juvit etiam allium puero annexum, & utrique brachio hyænæ viventis oculus erutus. *Neap.*

169. *Pinguia cur illis.* ] Huic deæ, ut ſuperius diximus, pulte, fabacio & lardo ſacrificatur, quod vires his rebus maxime corporis corroborentur. Poëta aliam cauſam affert, quod antiqua dea antiquis cibis contenta ſit. *Pinguia cur illis.* ] De ſacrificiis quæ Divæ Carnæ fiebant, vide Macrobium primo Saturnalium. Naſo referet ad frugales antiquorum mores & cibos.

170. *Mixtaque cum calido farre.* ] Hæc puls fabaria, ſeu fabata. Unde *fabataria* dicta vaſa, quibus hujuſmodi cibus conditus infundebatur, pulmentarium ex faba & farre, Græcis ἔτνος dictum, quod nomen genericum adſignificans quodvis pulmentarium ex leguminibus confectum. Unde Athenæus l. 9. vocat ἐτνηρὸν ἕψημα. juſculum ex iſtis paratum. *N. Sit faba farre rogas?* ] Lege, *ſi rogas.* quanquam ſcripti cum vulgatis hic conſentiunt. *Heinſ.*

173. *Piſcis adhuc illi populo.* ] Alii *populis.* vel *illic populi.* Putabam aliquando,

*Piſcis adhuc vilis populi ſine fraude natabat.*

nondum pretium piſcibus erat poſitum. *Idem. Piſcis.* ] Illis nondum erat uſus edendorum piſcium, ut nec oſtrearum. *Paul.*

174. *Tuta fuere ſuis.* ] Nihil his frequentius poſtea in cœnis priſci ſæculi, imo ante cœnam: nam ad guſtationem & πρόπομα, ut ita loquar, illis uſum. Vide Macrobium III. Saturnalium.

175. *Quam præbet Ionia dives.* ] Ignoti Latinis, inquit, erant attagenes; dixit, *Ionicos:* non quod in reliquis Aſiæ provinciis rarus hic ales; ſed quia Ionicus ſapore reliquos Aſiaticos longe ſuperabat. Attagen, nos ex Græco habemus; Latinis eſt, *ruſticula ſive gallina ruſtica.*

176. *Nec quæ, &c.* ] Gruibus & cygnis oculos conſuebant, & in tenebris ad victum ſaginabant. *N. Nec quæ.* ] Similiter de gallina altili Mart. in apophoret. Epigr. 62. *Paſcitur & dulci facilis gallina farina: Paſcitur & tenebris ingenioſa gula eſt. Gaudet avis.* ] *Avem* Urſini, Voſſii, unus Vatic. & Mediceus venuſte & vere. ſic apud Virgilium libri meliores Eclog. 11.

*Invenies alium, ſi te hic faſtidit, Alexin.* Heinſ.

178. *Nec tellus captas miſerat ante feras.* ] *Arte* pro diverſa lectione alter Puteaneus. Quid, ſi legatur *tellus Afra*, vel *Inda.* ſi *arte* mavis, intellige de leonibus, tigribus, pardis, elephantis & ſi-

Sus erat in pretio: cæſa ſue feſta colebant.
Terra fabas tantum, duraque farra dabat.
Quæ duo miſta ſimul ſextis quicunque Kalendis
Ederit; huic lædi viſcera poſſe negant.
Arce quoque in ſummâ Junoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.
Ante domus Manlî fuerant; qui Gallica quondam
A Capitolino reppulit arma Jove.
Quam bene (Dî magni) pugnâ cecidiſſet in illâ
Defenſor ſolii, Jupiter alte, tui!
Vixit, ut occideret damnatus crimine regni.
Hunc illi titulum longa ſenecta dabat.
Lux eadem Marti feſta eſt; quem proſpicit extra
Appoſitum Tectæ porta Capena viæ.



& ſimilibus, qui Romam capti mittebantur ad ſpectacula. *Idem.*

181. *Sextis quicumque Kalendis.* ] Si numeres Kalendas à Januario, hæ Juniæ erunt 6. Frequens loquendi modus Juriſconſultis. Sed obſerva Junias ob hujuſmodi eſum dictas *fabarias*. In Kalendario Conſtantini Magni prima dies menſis Junii ſic notatur, FABARICI. *N.*

183. *Arce quoque in ſumma.* ] Calendis Juniis ædem Junoni Monetæ conſecrarunt, in ea parte Capitolii, in qua fuerat domus Marci Manlii Capitolini. *Junoni Monetæ.* ] Conſecrata ſub appellatione *Junonis Monetæ.*

184. *Ex voto memorant.* ] Hujus nec verbum quidem in Plutarcho, ſed tantum de dirutâ Manlii domo; quaſi hanc ob cauſſam in ejuſdem areâ à Senatu ædem Monetæ collocatam.

185. *Ante domus Manli fuerat.* ] *Fuerant* Mazar. Zulich. Sarrav. & alii tres ſcripti. templa videlicet. *Heinſ. Ante domus Manli fuerat.* ] Vide Livium lib. 7. *N.*

186. *Qui reppulit arma à Jove Capitolino.* ] Reppulit Gallos, cum jam eſſent occupaturi arcem.

189. *Damnatus crimine regni.* ] Ob id ſaxo Tarpejo dejectus: locuſque idem in uno homine, & eximiæ gloriæ monumentum, & pœnæ ultimæ fuit. *N.*

191. *Lux eadem Marti feſta eſt.* ] Iiſdem Kal. Juniis Marti litabant extra portam Capenam, ubi templum habebat. Id in Livio lego: *Cum omnes extra portam Capenam ad Martis ædem convenire juniores armatos juſſiſſet.* Hæc ædes à Lucio Sullâ Felice reſtituta, aucta, ac ſupra centum columnas impoſita: poſtea diruta precibus Stephani Pontificis Maximi, cum juſſu Gallieni ibi cogeretur ſacrificare.

192. *Dextra porta Capena via.* ] *Tecta via* veteres plerique; niſi quod in nonnullis *recta*. ſed Via Recta campi Martii hic locum non habet. Emenda Martialem lib. III. Ep. V.

*Protinus hunc primæ quæſitum in limine Tectæ,*
*Quos tenuit Daphnis, nunc tenet ille Lares.*

Ita ex veſtigiis membranarum ſcribendum, quicquid iſti *tecta via* viri docti obloquuntur. *Heinſ. Tecta porta Capena.* ] An Appia eſt *via tecta*, hoc eſt, lapide ſtrata, quæ à Capena portâ incipiebat? an noſtro inhærebis Codici, in quo *dextra*? ac ſi bivium extra portam fuiſſet, dextraque viá templum iſtud poſitum. *N.*

Te quoque, Tempeſtas, meritam delubra fatemur,
Cum pæne eſt Corſis obruta claſſis aquis.
Hæc hominum monumenta patent. ſi quæritis aſtra;
Tunc oritur magni præpes adunca Jovis.
POſtera lux Hyadas Taurinæ cornua frontis
Evocat: & multâ terra madeſcit aquâ.
MAne ubi bis fuerit, Phœbúſque iteraverit ortus;
Factaque erit poſito rore bis uda ſeges;
Hac ſacrata die Tuſco Bellona duello
Dicitur: & Latio proſpera ſemper adeſt.
Appius eſt auctor: Pyrrho qui pace negatâ

Mul-

193. *Te quoque, Tempeſtas.* ] Hæc illuſtrentur ex veteri lapide Romæ ante xl. annos effoſſo, & de L. Scipione intellige, qui Corſicam expugnavit; non de M. Marcello, quod interpretes volunt. *Heinſ.* *Meritam delubra fatemur.* ] Tempeſtatis ædem ajunt votam à M. Marcello, qui bello Punico ſecundo Syracuſas vicit, Oceani periculo liberato; cum in Corſicam & Sardiniam navigaret. Situs ædis fuit in Appiâ etiam extra portam Capenam, ut illa Martialis. *N.*

194. *Aquis Corſis.* ] In mari prope Corſicam.

195. *Hac monumenta hominum.* ] Manifeſta ſunt, quæ ab hominibus facta ſunt. *Si quærimus aſtra* ] *Quæritis* Urſini & tres alii. ut ſæpe alibi Noſter. *Heinſ.*

196. *Tunc.* ] Eodem die Calendarum. *Præpes adunca.* ] Oritur Aquila. *Præpes.* ] Præpetes aves, quæ volatu exhibent augurium. *Oſcines*, quæ ore canunt. *Tunc oritur.* ] Eiſdem Kalendis oſtendit ortum totius Aquilæ veſpertinum: cui adſtipulatur Columella & Plinius.

197. *Poſtera lux.* ] IV. Nonas Hyades oriuntur heliace. *Neap. Evocat.* ] Ab ipſo oriente. *Cornua taurina frontis.* ] Quoniam Taurus ab ortu ſurgit.

198. *Multa aqua.* ] Ob pluviam, quam Hyades inferunt.

199. *Fuerit bis mane.* ] Bis illuxerit. *Mane ubi bis fuerit.* ] Pridie Nonas Junii Bellonæ ædes conſecrata in circo Flaminio verſus portam Carmentalem. In hac dabatur Senatus Legatis exterarum nationum, quas in urbem admittere nolebant; item ducibus è bello revertentibus. *N.*

200. *Factaque erat poſito rore bis uda ſeges.* ] De hoc loquendi modo ad Ep. xx. vſ. 82. hic tamen *Tactaque rore* malim reponi. ut ſupra *tacta rore queremur aves.* vide notas lib. IV. vſ. 740. *Heinſ.*

201. *Hac die dicitur ſacrata.* ] Hoc eſt, ædes Bellonæ bello Hetruſco conſecrata fuit. *P. Tuſco Bellona duello.* ] In eo caſtra hoſtium ab Appio capta, imo direpta, præda ingens parta, & militi conceſſa, ſeptem millia & trecenti occiſi, duo millia & centum viginti capti. *N.*

203. *Appius.* ] Claudius, qui bello Samnites, Sabinos, & Thuſcos domuit, viam uſque Brundusium lapidibus ſtravit. *Pyrrho qui pace negata.* ] Hic Pyrrhus Epirotarum Rex ſuppetias Tarentinis dedit, indicto eis à Romanis bello: ipſe in Italiam venit anno Urbis conditæ CDLXXIII. ſibique junxit Samnites, Lucanos, Brutios. Vaſtavit multam Italiæ partem; deinde à Romanis petiit pacem eo pacto, ut oppida jam victa fas eſſet ei retinere: negatum hoc Appii cæci ſtimulis. Is poſtea victus, & ex Italiâ pulſus anno Urbis conditæ CDLXXVIII. *Multum animo vidit, &c.* ] Tunc enim captus utroque oculo, imo & ſurdus id temporis eſſe cupivit, ne quoſdam in Senatu audiret ad fœdam pacem inclinantes. *Neap.*

204. Mul-

Multum animo vidit; lumine captus erat.
Proſpicit à templo ſummum brevis area Circum.
Eſt ibi non parvæ parva columna notæ.
Hinc ſolet haſta manu, belli prænuntia, mitti;
In Regem & gentes cum placet arma capi.
ALtera pars Circi cuſtode ſub Hercule tuta eſt:
Quod Deus Euboïco carmine munus habet.
Muneris eſt tempus, qui Nonas Lucifer ante eſt.
Si titulos quæris: Sylla probavit opus.
QUærebam Nonas Sanco Fidione referrem,

An

204. *Multum animo vidit.*] Inde apud Ennium ita increpat ſenatum: *Quò vobis mentes, recta quæ ſtare ſolebant.*

205. *Proſpicit à tergo ſummum brevis area Circum.*] *Summus Circus* pars anterior Circi. quid ergo *Proſpicit à tergo?* ſi de tergo areæ accipis, debet legi *reſpicit.* proſpicere enim à tergo nemo dicitur. ſi de tergo templi interpretaris, peccas in hiſtoriam. Area enim hæc ante ædem Bellonæ erat, ut ex Feſto in *Bellonæ*, & Pub. Victore in Regione IX. diſcimus. Optime igitur Urſini liber vetuſtiſſimus, & unus Patavinus. *Proſpicit à templo.* Mutarunt nempe locum, qui Ædem Bellonæ templum dici poſſe non opinabantur. *Heinſ.*

206. *Parva columna notæ.*] Optime: nam vere parva, & columella. Vide Feſtum Pompejum. *Neap.*

207. *Belli prænuntia mitti.*] Idque ecce clarius è Dione de M. Antonino in Marcomannico bello. *Neap.*

209 *Altera pars Circi.*] In reliquâ parte Circi Flaminii erat ædes Herculis Magni Cuſtodis: Fragmentum veteris Kalendarii: HERCULI MAGNO CUSTODI IN CIRCO FLAMINIO. Auctorem hujus templi fateor me ignorare. *Neap.*

210. *Quod Deus.*] Multi *Qui.* Junianus *Quam.* nempe alteram partem. ſic in Triſtibus ex antiquis libris,

*Quam prius à miti Cæſare munus habet.*
nempe *vitam.* Art. Am. II.

*Munus habe cælum; cælo ſpectabere ſidus.*
Heinſius. *Quod munus.*] Quam ædem Deus.] Hercules. *Habet Euboico carmine.*] Ex inſpectione carminis Sibyllini. *Euboico.*] Cumæo.

211. *Qui Nonas Lucifer ante eſt.*] Urſini, *quo.* Lege, *qui Nonas Lucifer anteit.* ſequenti verſu *Sylla probavit opus* non eſt ſollicitandum, nec mutandum in *rogavit*, quod amico meo viro doctiſſimo videbatur. Cenſorum proprie eſt probare. Vide veterem inſcriptionem apud Neapolim hoc loco. *Heinſ.*

212. *Si quæras titulos.*] Ipſius templi, quo titulo ſignetur. *Sylla probavit opus.*] A ſenatu enim conditum, probatumque à Sylla dictatore, qui ex univerſis fortunis Herculi decimam ſacrificans, opipara populo fecit convivia. *Paul. Sylla probavit opus.*] Nullus mihi nec vetus nec novus ſcriptor, qui hoc probet.

213. *Sancto Fidione referrem.*] Scribe *Sanco,* & *Sancus* ſequenti verſu cum optimo Urſini libro & duobus Mediceis. Adi præterea Neapolim. hoc loco pro *Semo pater*, libri veteres conſtanter *Semi pater*, niſi quod in nonnullis mendoſe *Semi caper.* Nihil muto. Nam quod Neapolis ex Reatina inſcriptione notat & ad Roſtratum Duilii Ciacconius,

SEMIPATRI SANCO.

apud Gruterum p. XCVI. alioſque SEMOPATRI legitur. & apud Propertium l. IV. Eleg. X.

*Sic Sancum Tatiæ compoſuere Cures.*
quo loco videndus Paſſeratius. & apud Feſtum in *Prædia*, *In æde Sanci, qui Deus fidius putatur.* Livius lib. VIII. cap. XX.

An tibi, Semo pater: cum mihi Sancus ait:
Cuicunque ex illis dederis; ego munus habebo.
Nomina trina fero: ſic voluêre Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini:
Inque Quirinali conſtituêre jugo.
Est mihi (ſitque, precor, noſtris diuturnior annis)
Filia: quâ felix ſoſpite ſemper ero.
Hanc ego cum vellem genero dare; tempora tædis
Apta requirebam, quæque cavenda forent.
Tum mihi poſt ſacras monſtratur Junius Idus
Utilis & nuptis, utilis eſſe viris.
Primaque pars hujus thalamis aliena reperta eſt.

Nam

*Semonem Sangum* vocat. ſed & illic *Sancus* eſt ſcribendum, ut & Σάγκον pro Σάγκτον apud Halicarnaſſæum & Plutarchum in Problematis Romanis. quanquam Auguſtinus utrumque nomen in libris de Civitate Dei videtur agnoſcere. Nam in veteri inſcriptione,

SANCTO SANCO SEMONI
DEO FIDIO SACRUM.

τὸ SANCO titulis potius quam nominibus Semonis adſcribendum. Ovidius certe non niſi terna ejus nomina agnoſcit. Si tamen à *ſanciendo orbe* dictus eſt, utrumque nomen ex Auguſtini ſententia poſſit admitti. apud Silium Italicum libro VIII. ubi nunc legitur,

*Ibant & leti pars Sanctum voce canebant.*

codex Oxonienſis *Sangum* pro *Sancum*. Heinſ. *Sancto, Fidione referrem.* ] Hic Deus præcipue cultus à Sabinis: & Fidius, & Sabus, & Sanctus, & Semipater vocatus. Sed puto diverſum Sanctum à Sabo; ex quo Sabinos nomen accepiſſe M. Cato in Originibus tradit his verbis: *Nomen eſſe impoſitum ex Sabo Divi Sanci Gentilis filio.* Mens ſane Poëtæ fuit, ut exiſtimaret à Sancto originem Sabinos, ſed à Sabo nomen traxiſſe: Sanctus enim fuit primus Sabinorum Rex Relatus ergo in Deorum ſynodum à Sabinis, imo à Romanis. *Neap.*

214. *An tibi Semo pater.* ] Non ſuadet Inſcriptio Reatina:

SEMIPATRI SANCO.

*Neap.*

216. *Nomina terna.* ] *Trina* quinque ſcripti. ut lib. V. *vici numina trina colunt.* Plura diximus alibi. *Heinſ.* *Sic voluere Cures.* ] Sabini: à Curibus, quæ erat urbs opulentiſſima. *Paul.*

217. *Donarunt æde Sabini.* ] Hi ergo populi templi auctores. O ſi verum! Sed vereor ne verior Dionyſius lib. 9. qui ſcribit, Spurium Poſtumium Conſulem dedicaſſe anno Urbis conditæ CCXCVIII. ultimum vero Tarquinium exſtruxiſſe; gloriam tamen inſcriptionis Poſtumio ex S. C. conceſſam. Forte ob odium in Tarquinios. *Neap.*

219. *Noſtris diuturnior annis Filia.* ] Hujus nomen non legi: hoc teneo, ex eâ nepotes Ovidium habuiſſe; idque ipſomet atteſtante in Triſtibus:

*Filia me mea bis primâ fœcunda juventâ,*
*Sed non ex uno conjuge, fecit avum.*

Tangit filiæ διγαμίαν. *Neap.*

221. *Hanc ego cum vellem genero dare.* ] Optima codici Voſſiano interpretatio adſcripta. *Hæc fuit uxor Fidi Cornelii Fabii.* recte. Seneca libro de Conſtantia ſapientis cap. XVII. *In Senatu flentem vidimus Fidum Cornelium Naſonis generum.* Hinc Senatorem fuiſſe colligo. De Genero hoc Ovidii nihil notatum ab iis, qui vitam ejus contexuerunt. *Heinſ.*

226. Cum

Nam mihi ſic conjux ſancta Dialis ait:
Donec ab Iliacâ placidus purgamina Veſtâ
Detulerit flavis in mare Tybris aquis;
Non mihi dentoſâ crinem depectere buxo,
Non ungues ferro ſubſecuiſſe licet:
Non tetigiſſe virum; quamvis Jovis ille ſacerdos,
Quamvis perpetuâ ſit mihi lege datus.
Tu quoque ne propera: melius tua filia nubet,
Ignea cum purâ Veſta nitebat humo.
TErtia poſt Nonas removere Lycaona Phœbe
Fer-

226. *Conjunx ſancta Dialis.*] An *cincta?* ut libro III. vſ. 397. ubi plura. *Idem.*

227. *Donec ab Iliaca.*] Uſque ad 17. Junii diem.

228. *In mare Tibris aquis.*] Cui credam, Feſto, Varroni, an Noſtro? Illi ajunt delatum in locum certum, imo hunc portâ clauſum ad venerationem: Naſo vult jactum in Tiberim. Hæreo.

229. *Detenſo crinem detexere buxo.*] Velim videre qui intelligat, & nos doceat quid ſit *detenſum buxum.* duo libri *detenſo.* tres *detonſum.* duo *detonſos crines.* prima editio *detonſa.* Læti codex *detonſa.* Scribe omnino *detonſa buxo*, hoc eſt pectine buxeo, qui Martiali *buxus multifido dente* Apophoretis,

*Quid faciet nullos hic inventura capillos,*
*Multifido buxus quæ tibi dente datur?*

Idem lib. XII. *dentem* pro pectine dixit,

*Exiguos ſecto comentem dente capillos.*

Tibullus lib. I. Eleg. IX.

*Aut tenues denſo pectere dente comas.*

*dentatus* & *dentoſus*, ut *moratus* & *moroſus*, *comatus* & *comoſus*, ſimiliaque. Si cui *dentoſa* vox inſolentior videbitur, *dentata* licet reponat. ſic apud Petronium, *deſcendentes ab aure capillos dentatâ manu ducere.* Heinſ. *Detonſo crinem depectere buxo.*] His ergo diebus Flaminicæ Diali vetitus concubitus, ungues ferro ſecare, capillum depectere: quod ei etiam præcipue non fas per id tempus quo ad Argeos itabat, ut 15. & 16. Kalendas Apriles; Noſter menſe Martio. *N.*

230. *Ferro ſubſecuiſſe licet.*] Diebus licitis ſegmina ſubter arborem ſiliquam terrâ operiebantur. Vide leges Flamini & conjugi impoſitas ex libris Sacerdotalibus apud A. Gellium lib. 10. c. 15. *N.*

232. *Quamvis ſit ille Jovis ſacerdos.*] Licet ſit flamen Dialis. *Quamvis ſit datus mihi.*] Ut divortium facere non poſſimus. Hæc ergo fieri non poſſunt, donec placidus Tibris detulerit purgamina in mare ab Iliaca Veſta: uſque quo purgatum erit templum Veſtæ Iliacæ, & omnia quæ ſunt in eo, munda & nitida reddita, & ſordes & ipſa purgamina jacta in Tibrim, ferenda in æquor. *Paul.* *Perpetua ſit mihi lege datus.*] Quid iſtud eſt? ergo divortium Flaminicæ vetitum fuit. ita: nam univira & unicuba eſſe debebat. *Neap.*

234. *Ignea cum pura veſte nitebit humus.*] Optime Scaliger, *Veſta nitebit humo.* neque aliter in uno Farneſiano & Matthæi Herculani libro erat emendatum. *pura humo*, æde purgata poſt ſtercus ablatum. Codex præterea Bononienſis *virebit.* ut apud Horat Epod XVII.

*——— nec Sicana fervida*
*Virens in Ætna flamma.*

ita enim codices multi. apud Martial. *virens flamma*, de quo vide commentatores. *Heinſ.* *Cum ignea humus.*] Terræ globus: quæ in templo ſuſtinet ignem Veſtalem. *Nitebit pura veſte.*] Cum erit jam purgata & nitida.

235. *Tertia poſt Nonas.*] 7. Idus Arctophylax occidit mane. *Neap.*


236. Et

Fertur: & à tergo non habet Urſa metum.
Tunc ego me memini Ludos in gramine Campi
Adſpicere: & didici, lubrice Tybri, tuos.
Feſta dies illis, qui lina madentia ducunt,
Quique tegunt parvis æra recurva cibis.
MEns quoque numen habet. Menti delubra videmus
Vota metu belli, perfide Pœne, tui.
Pœne, rebellaras: & letho Conſulis omnes
Attoniti Mauras pertimuêre manus.
Spem metus expulerat; cum Menti vota Senatus
Suſcipit; & melior protinus illa venit.
Adſpicit inſtantes mediis ſex lucibus Idus
Illa dies, quâ ſunt vota ſoluta Deæ.
VEſta, fave: tibi nunc operata reſolvimus ora:
Ad tua ſi nobis ſacra venire licet.

In

236. *Et urſa non habet metum à tergo.*] Reſpexit ad fabulam, cum Arcas filius adultus matrem in urſam mutatam inſequeretur. Nunc cum occidat, non timet inſequentem filium.

237. *Tunc ego, &c.*] Eodem die fiebant ludi in campo Martio, qui *Tibrales* dicti ſunt ad honorem Tibridis. & feſtum à piſcatoribus celebratur. *Tunc.*] Septimo idus. *In gramine campi.*] In gramineo campo Martio.

238. *Et dici, lubrice Tybri, tuos.*] *Didici* meliores. & mox *repellaras* pro *repellabas*. Heinſ.

240. *Æra recurva.*] Γναμπτὰ ἄγκιστρα, dixit Homerus in Odyſſeâ.

241. *Mens quoque numen habet.*] Poſt infelicem illam Romanorum cladem ad lacum Traſymenum. *Delubra videmus Vota.*] Suaſu Decemvirûm. Poſt inſpectos libros Fatales, ædem vovit Atilius Prætor, dedicavit T. Octacilius Craſſus. Vide Livium lib. 32. & 33. N *Mens quoque habet numen.*] Quia conſecrata, & inter deos collocata.

242. *Pœne perfide.*] O Hannibal, qui nunquam ſervabas fœdera cum tua bella ſuperent Romani, voverunt ædem Menti. *Perfide Pœne.*] *Senatorum unum infeſtum perfidiæ Carthaginienſium ſucclamaſſe ferunt: per quos deos fœdus icturi eſſent, cum eos, per quos ante ictum eſſet, fefelliſſent? per eoſdem, inquit Aſdrubal, qui tam infeſti ſunt fœdera violantibus.* Livius l. 10 Decad. 3. Hoc etiam attingit Cic. de Offic. 1. *Cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho de imperio dimicabatur. Pœni fœdifragi, crudelis Annibal, reliqui juſtiores.*

243. *Letho conſulis.*] Morte Pauli Æmilii ad Cannas. *Paul. Letho Conſulis.*] C. Flaminii. *Neap.*

244. *Pertimuêre manus Mauras.*] Vires Afrorum.

245. *Spem metus expulerat.*] Alii *abſtulerat*. ut infra,

*Abſtulerat vires corporis ipſe timor.*

Heinſ.

247. *Mediis ſex lucibus Idus.*] Oſtendit quo die conſecrata: hoc eſt, eodem 7. Idus. *Neap.*

249. *Tibi nunc operata reſolvimus ora.*] 5. Idus erant ſacra Veſtalia, ut monent Kalendaria. de feſto M. Varro l. 5. *Dies Veſtalia, ut virgines Veſtales Veſtæ ſacrificent.* Neap.

251. Quæ-

In prece totus eram. cæleſtia numina ſenſi,
Lætaque purpureâ luce refulſit humus.
Non equidem vidi (valeant mendacia vatum)
Te, Dea; nec fueras adſpicienda viro.
Sed quæ neſcieram, quorumque errore tenebar,
Cognita ſunt nullo præcipiente mihi.
Dena quater memorant habuiſſe Palilia Romam,
Cum flammæ cuſtos æde recepta ſuâ eſt.
Regis opus placidi, quo non metuentius ullum
Numinis ingenium terra Sabina tulit.
Quæ nunc ære vides, ſtipulâ tunc tecta videres:
Et paries lento vimine textus erat.
Hic locus exiguus, qui ſuſtinet atria Veſtæ,
Tunc erat intonſi regia magna Numæ.
Forma tamen templi, quæ nunc manet, ante fuiſſe
Dicitur: & formæ cauſſa probanda ſubeſt.

Veſta

255. *Quorumque errore tenebar.*] *Trahebar* prim. Farneſ. & Ambroſ. & Læti, cum quatuor aliis. ut lib. v.

*Ne tamen ignores, vulgique errore traharis.*

Metam. 11.

*Utque viam teneas, nulloque errore traharis.*

ſed & alterum rectum eſt. *Heinſ.*

258. *Æde recepta Dea eſt.*] *Recepta ſua eſt* rectius pri. Ambroſ. & Læti liber. pro *Palilia* ſuperiori verſu *Parilia* Urſini codex. dixi lib. IV. vſ. 721. pro *Romam* eodem verſu *nomen*, Mazar. Zulich. aliique plurimi. Voſſ. Arondel. Erſurt. duo alii, *numen.* Forte,

*Dena quater memorant abiiſſe Palilia, numen*
*Cum flamma cuſtos æde recepta ſua eſt.*

Idem. *Æde recepta Dea eſt.*] Recte. nam ſequitur, hanc ædem *Regis opus placidi*, id eſt, à Numâ templum conditum. *Recepta Dea eſt.*] Et ubi antea ſacra hæc Veſtæ? Ilium certe habuit primitus; poſtea ab Æneâ Lavinii conſtituta: inde in Albam longam tranſtulit Aſcanius, Numa vero in urbem. *Neap.*

261. *Quæ nunc ære nitent, ſtipula tunc tecta virebant.*] *Ære virent* plurimi veterum. *ære vides ſtipula tunc tecta virebant*, Mazar. Arondel. ac itidem plurimi alii. At vere Urſini, Naugerii, & tres alii,

*Quæ nunc ære vides, ſtipula tunc tecta videres.* Heinſ.

262. *Lento vimine textus erat.*] Hic in ipsâ novâ æde, ni fallor, poſtea religione ſervatus eâdem, qua vetus illa Romuli caſa: & hunc puto Feſti *penum*.

263. *Qui ſuſtinet atria Veſtæ.*] Atrium erat ubi illæ degebant. Plinius: *Virgines cum vi morbi atrio Veſtæ coguntur excedere, matronarum curæ cuſtodiæque mandantur.* Illud igitur fuerat pars regiæ, quam *parvam* alicubi vocat, hic *magnam.* Neapol.

265. *Quæ nunc manet.*] Rotunda ſcilicet eſt: nec alia dicitur fuiſſe antiquæ ædis forma. *Neap.*

266. *Forma cauſa probanda ſubeſt.*] Malim *ſua eſt*, quia *ſubeſt* denuo occurrit verſu proximo. mox *Veſta eadem eſt quæ terra*, Urſini codex & duo alii, non *& terra* cum vulgatis. *Heinſ. Forma templi.*] Ædes Veſtæ ideo rotunda facta eſt, ad



pilæ

Digitized by Google

Veſta eadem eſt, quæ Terra: ſubeſt vigil ignis utrique.
  Significant ſedem terra focuſque ſuam.
Terra pilæ ſimilis nullo fulcimine nixa
  Aëre ſubjecto tam grave pendet onus.
Ipſa volubilitas libratum ſuſtinet orbem:
  Quique premat partes, angelus omnis abeſt.
Cumque ſit in media rerum regione locata,
  Et tangat nullum pluſve minuſve latus;
Ni convexa foret, parti vicinior eſſet:
  Nec medium terram mundus haberet onus.

Arto

pilæ ſimilitudinem, quod eam deam crederent Terram eſſe. *Ant.*

267. *Veſta eadem eſt.* ] Non ſunt diverſa, ſed ſunt idem. nam Terra Veſta, dicitur. *Ignis vigil.* ] Inextinctus. *Subeſt utrique.* ] Veſtæ & terræ. *Terra habet ignis elementum.* ] Veſta in templo habet ignem inextinctum.

268. *Significant ſedem ſuam.* ] Nam terra eſt in medio loco totius mundi, & focus ille eſt in medio templo: ſic oſtendunt ſuam ſedem.

271. *Ipſa volubilitas.* ] Hi ſex verſus in Urſini libro & ſex aliis leguntur. à cæteris abſunt. *Heinſ.*

276. *Terra mundus haberet onus.* ] *Terram haberet onus* elegantius Urſini, Læti, & duo alii. unus Mediceus *terras.* mox *Syracoſia* lege nam in *Syracuſia* tertia ſyllaba producitur. à Syracuſis Συρακύσιος poëtice Συρακόσιος. ſic *verſu Syracoſio* Virgilius Ecloga ſexta, ut habent vetuſtiſſima exemplaria. apud Claudianum quoque in Epigrammate de hac Archimedis Sphæra *Syracoſius ſenex* ſcribendum, & apud Priſcianum de Ponderibus,

*Prima Syracoſii mens prodidit alta magiſtri.*

& apud Noſtrum in Ibide,

*Utque Syracoſio præſtricta fauce poëta.*

& Pont. lib. IV. Eleg. III.

*Ille Syracoſia modo formidatus in urbe.*

neque aliter apud Silium Italicum paſſim in vetuſtiſſimo codice exaratur. pro *Arte* etiam *Arce* reponendum cum optimo Patavino & duobus aliis. Achradinam intelligit, editiorem Syracuſarum partem, ubi ſervatam fuiſſe hanc Sphæram ex Athenæo docemur lib. V. in deſcriptione navis illius celeberrimæ, quam Archimedes Hieroni Regi conſtruxit, βιβλιοθήκην ἔχον ἐν αὐτῷ κατὰ δὲ τὴν ὀροφὴν πόλον, ἐκ τῆς κατὰ τὴν Ἀχραδίνην ἀπομεμιμημένον ἡλιοτρόπιον. Silius lib. XIV. quatuor partes urbis Syracuſanæ, *quatuor arces* vocat.

*Nunquam hoſte intratos muros, & quatuor arces.*

idem ibidem *arces* non addito numero.

*Inde Syracoſias caſtris circumdedit arces.*

Florus *tres arces totidemque muros* Syracuſis aſſignat. Cæterum locum Athenæi de hac Sphæra eſſe intelligendum vox πόλον ſatis evincit, nam ἡλιοτρόπιον dixit, quod curſum per duodecim ſigna Solarem exprimeret. ſcio aliter interpretari viros doctos. Claudianus de hac Sphæra,

*Percurrit properum mentitus ſignifer annum,*
*Et ſimulata novo Cynthia menſe redit.*

Ita lego. vulgati *proprium annum.* Paulo ante etiam ſcribendum,

*Jura poli, rerumque fidem, legeſque Deorum*
*Ecce Syracuſius tranſtulit arte ſenex.*

Nam vetuſtiores libri, *legeſque Deorum.* Vulgata exemplaria *virorum.* Idem.

277. In

Arte Syracoſiâ ſuſpenſus in aëre clauſo
Stat globus, immenſi parva figura poli.
Et quantum à ſummis, tantum ſeceſſit ab imis
Terra. quod ut fiat, forma rotunda facit.
Par facies templi: nullus procurrit in illo
Angulus. à pluvio vindicat imbre tholus.
Cur ſit virgineis, quæris, Dea culta miniſtris?
Inveniam cauſſas hac quoque parte ſuas.
Ex Ope Junonem memorant Cereremque creatas
Semine Saturni: tertia Veſta fuit.
Utraque nupſerunt; ambæ peperiſſe feruntur:
De tribus impatiens reſtitit una viri.
Quid mirum, virgo ſi virgine læta miniſtrâ
Admittit caſtas in ſua ſacra manus?
Nec tu aliud Veſtam, quam vivam intellige flammam.
Nataque de flammâ corpora nulla vides.
Jure igitur virgo eſt, quæ ſemina nulla remittit,
Nec capit: & comites virginitatis habet.
Eſſe diu ſtultus Veſtæ ſimulacra putavi:
Mox didici curvo nulla ſubeſſe tholo.
Ignis inexſtinctus templo celatur in illo.

Effi-

277. *In aëre clauſo.* ] In ipſa templi concavitate *Arte Syracuſia.* ] Geometria. Nam ſicut terra in aëre pendet, ita intra templum Veſtæ globus ille, quo terra referebatur, pendere videbatur. Sed id geometrica arte Archimedis, qui Syracuſis in ea floruit. Hic ſphæram commentus dicitur, qua mundi & elementorum rationem oculis ſubjecit.

279. *Tantum ſeceſſit ab imis Terra.* ] In ejus, inquit, medio puncti inſtar hærebat tellus. Scias illam è vitro fabricatam: ut id perſpici poſſet, motus etiam ipſi cæleſtes, ſiderum ortus, & occaſus, mentitus Signifer, ſimulacra Cynthia, ut cum Claudiano loquar. *Neap.*

282. *A pluvio vindicat imbre tholus.* ] Græci hujuſmodi templum dicerent ναὸν θολοειδῆ.

283. *Cur ſit virginibus.* ] Duplicem aſſignat cauſam, cur Veſtæ virgines inſerviant. Prior eſt, quod inter ſorores tantum ipſa remanſerit viri impatiens: altera, quod Veſta ſit eadem cum igne, à quo nihil generatur. *Neap.* *Virginibus miniſtris.* ] *Virginis* meliores. *Heinſius.*

292. *Corpora nulla vides.* ] Veriorem ſententiam hic Noſter ſecutus. Placuit enim Sophis quibuſdam, ignem noſtrum, & elementarem ſua quoque creare animalia. *Neap.*

294. *Comites virginitatis amat.* ] *Habet* Urſini, Læti, prim. Ambroſ. & novem alii. *Heinſ.*

296. *Nulla ſubeſſe curvo tholo ſimulacra.* ] Nulla eſſe ſimulacra ſub ipſa teſtudine templi.



300. *Pay*

Effigiem nullam Veſta nec ignis habent.
Stat vi terra ſuâ : vi ſtando Veſta vocatur.
Cauſſaque par Graji nominis eſſe poteſt.
At focus à flammis, & quod fovet omnia dictus:
Qui tamen in primis ædibus ante fuit.
Hinc quoque veſtibulum dici reor: inde precando
Adfamur Veſtam, Quæ loca prima tenes.
Ante focos olim longis conſidere ſcamnis
Mos erat; & menſæ credere adeſſe Deos.
Nunc quoque, cum fiunt antiquæ ſacra Vacunæ,
Ante Vacunales ſtantque ſedentque focos.
Venit in hos annos aliquid de more vetuſto:
Fert miſſos Veſtæ pura patella cibos.

Ecce,

300. *Par Gaii nominis.* Nam Ἑςίαν Græci ducunt *ἀπὸ τῦ ἱςάναι. Neap.*

303. *Hinc quoque veſtibulum dici reor.*] Primorem illam domus partem à Veſtâ, hoc eſt, igni: nam in veſtibulo erat focus. N. *Inde precando Dicimus, ô Veſta quæ loca prima tenes.*] Hic denuo diſcrepant libri veteres. Urſini, pri. Ambroſ. Zulich. Mazar. aliique nonnulli, *inde precando Quæ famur Veſta.* alii plures *unde precando Quæ famur veſtra eſt* vel *Veſtam.* unus *Quæramus Veſta.* alius *Quæramur.* duo *unde precando Adfamur Veſtam.* non male. Latere mendum certus ſum. ſed medicina non eſt in promtu. Scribendum videtur tamen,

——— *inde precantes*
*Præfamur, Veſtam, quæ loca prima tenes.*

vel *inde precamur Præfati Veſtam.* nam *precamur* eſt in plurimis antiquis. Tibullus libro III. Eleg. II.

*Præfata ante meos manes, animamque precata.*

ubi male *animamque rogata* multi codices antiqui, quod tamen approbatores ſuos invenit. nec melius magnus Scaliger, *animamque rigata.* ut *rigata cum manus* conſtruatur. Virgil. lib. XI.

*Ut primum placati animi & trepida ora quierunt,*
*Præfatus Divos ſolio Rex infit ab alto.* H.

305. *Olim ſcamnis conſidere.*] Vide Athenæum lib. 9. & Iſidorum de vitâ Populi Romani: *Majores noſtri ſedentes epulabantur. Scamnis longis.*] Hæc, ſi memini, alibi dixit *cava.* Compacta ergo tribus tabulis, aut quatuor, ſi ſubtus aliam habebant in arculæ formam. *N.*

307. *Cum fiunt ſacra, &c.*] Vacuna à vacando dicta, quæ præeſt vacantibus & otioſis: cui cum agricolæ à laboribus ruris ceſſarent, & poſt perceptos fructus requieſcerent per hyemem, vota ſolvebant & ſacrificabant. P. Sed Varroni l. I. Rer. divin. Minerva eſt. *Quod ea maximè hi gaudent, qui ſapientia vacant.* Annua ſacra Romæ habuit ut vides, & templum, in quo illa factitata. *Neap. Belli.*] Idque ecce clarius è Dione de M. Antonino in Marcomannico bello.

309. *Venit in hos annos.*] Pervenit in noſtra tempora. *Aliquo de more.*] Quoniam ut antiqui ſolebant, ita nunc in Vacunalibus ſedetur, & in Veſtalibus.

310. *Pura patella.*] Tres Vaticani *curva* an *curta?* de quo l. II. Faſt. vſ. 645. ſed bene vulgatam lectionem interpretatur Neapolis. *Heinſ. Patella pura.*] Purgata & nitida. *Fert cibos miſſos.*] Qui mittuntur à piis civibus. *Veſta.*] Ipſi numini libantibus. Junxit enim illud deos colere, & in patellam dare: pro

cibis

Ecce, coronatis panis dependet aſellis;
Et velant ſcabras florida ſerta molas.
Sola prius furnis torrebant farra coloni;
Et Fornacali ſunt ſua ſacra Deæ.
Suppoſitum cineri panem focus ipſe parabat;
Strataque erat tepido tegula quaſſa ſolo.
Inde focum ſervat piſtor, dominamque focorum,
Et quæ pumiceas verſat aſella molas.
Prætaream, referamne tuum, rubicunde Priape,
Dedecus? eſt multi fabula plena joci.
Turrigerâ frontem Cybele redimita coronâ
Convocat æternos ad ſua feſta Deos.
Convocat & Satyros, & ruſtica numina Nymphas.
Silenus, quamvis nemo vocarat, adeſt.
Nec licet, & longum eſt epulas narrare Deorum:
In multo nox eſt pervigilata mero.
Hi temere errabant in opacæ vallibus Idæ:

Pars

cibis & munuſculis, quæ diis libanda mittuntur. *P. Pura patella.*] Purum omne aptum ſacrificiis: ſed vere, purum hîc nihil aliud quam deterſum. Hinc verbum *purare*, pro purgare, paſſim Varroni & Catoni uſitatum.

311. *Panis dependet aſellis.*] In honorem Veſtæ hoc tempore aſini molitorii coronabantur à piſtoribus. Inter cauſas recenſet fabulam quandam, quæ apud Lactantium exſtat, quam vide. Quod attinet ad formam panis, quæ aſinario collo imponebatur in modum coronæ fuiſſe exiſtimo; veluti olim diſtribuit populo Romano Aurelianus Imperator, ut teſtatur Flavius Vopiſcus. *Neap.*

314. *Et Fornacali dea ſunt ſacra*] Nam in Fornacalibus à Numa inſtitutis, deæ fornaci convenientia ſacra fiebant. *Fornacali ſunt ſua ſacra Dea.*] Primæ editiones, & quatuor ſcripti, *ſtata ſacra*, quod & in ſuis Neapolis invenerat. id tamen metuo, ut ferri poſſit. certe libro II.

*Curio legitimis nunc Fornacalia verbis*
*Maximus indicit, nec ſtata ſacra facit.*

Heinſ.

315. *Ipſe focus parabat panem.*] Non enim in furno ſed in foco, & ſub cinere panis coquebatur: quoniam piſtores Romæ non fuere ad Perſicum uſque bellum, annis ab urbe condita ſuper quingentos octoginta. Ipſi panem faciebant Quirites: mulierumque id opus maxime erat. *P. Focus ipſe parabat.*] Olim, inquit, furnus farri torrendo inſerviebat, at pani coquendo ipſi foci cineres. Merito ergo piſtores feſtum agunt Veſtæ focorum Dominæ. *Neap.*

320. *Fabula plena joci.*] *Parva joci* libri meliores magno numero. *Heinſ.*

323. *Convocat & Satyros.*] Qui Bacchum comitabantur.

324. *Silenus.*] Bacchi nutritius. *Paul. Nemo vocarat, adeſt.*] Silenus creditus muſca dialium conviviorum. *Neap. Silenus.*] Bacchi alumnus. Redi ad p. 167. huj. libr. vſ. 26.

325. *Nec licet & longum eſt.*] Scribo, *Nec libet*. ita ſæpe peccatum, ut monuimus ad Epiſt. Sapphus. *Heinſ.*

327. *Di temere errabant.*] *Hi* cum melioribus. nam de Diis agi ſatis liquido

ſupe-

Pars jacet, & molli gramine membra levat.
Hi ludunt, hos ſomnus habet; pars brachia nectit,
Et viridem celeri ter pede pulſat humum.
Veſta jacet, placidamque capit ſecura quietem,
Sicut erat poſitum ceſpite fulta caput.
At ruber hortorum cuſtos Nymphasque Deasque
Captat; & errantes fertque refertque pedes.
Adſpicit & Veſtam dubium, Nymphamne putarit,
An ſcierit Veſtam: ſciſſe ſed ipſe negat.
Spem capit obſcœnam, furtimque accedere tentat;
Et fert ſuſpenſos corde micante gradus.
Forte ſenex, quo vectus erat, Silenus aſellum
Liquerat ad ripas lene ſonantis aquæ.
Ibat ut inciperet longi Deus Helleſponti;
Intempeſtivo cum rudit ille ſono.
Territa voce gravi ſurgit Dea. convolat omnis
Turba. per infeſtas effugit ille manus.
[Lampſacos hoc animal ſolita eſt mactare Priapo:
Apta aſini flammis indicis exta damus.]
Quem tu, Diva memor, de pane monilibus ornas.
Ceſſat opus: vacuæ conticuêre molæ.
Nomine, quam pretio celebratior, arce Tonantis,
Dicam Piſtoris quid velit ara Jovis.

Cincta

ſuperiora evincunt. *Idem.* *In opaca vallibus Ida.*] Fingit feſtum in Phrygiâ apud dilectos Cybelæ colles. *Neap.*

335. *Dubium eſt.*] Tollo Tò *eſt.* ita præſtantiores libri. *Heinſ.*

338. *Et fert gradus ſuſpenſos.*] Aut quia erectus in digitos incedebat. *Micante.*] Tremente.

341. *Deus longi Helleſponti.*] Priapus, numen Lampſacenorum, qui ſunt in Helleſponto.

345. *Lampſacus.*] *Lampſacos* nonnulli. & ſequenti verſu *Apta aſini* pro *Hinc aſini* meliores omnes. Sed emunctæ naris quilibet facile odoretur hoc diſtichon ab aliquo homine male feriato hic præter rem eſſe inculcatum, ut & alibi non raro factum. *Heinſ.* *Lampſacus.*] Priapi patria in Helleſponto. *Solita eſt mactare.*] Hinc carmen illud incerti auctoris:

*Lampſaceos melior non imbuet hoſtia cultros.*

350. *Dicam Piſtoris.*] Libri veteres *Diſcant piſtores* vel *Dicant.* quidam etiam *Diſcant piſtoris.* Lego *Dic jam*, vel *Diſcite.* Heinſ. *Dicam piſtoris.*] Docet cur Jupiter piſtor aram habuerit in monte Tarpejo. cujus conſtituendæ hanc cauſam ferunt: Galli urbe capta, cum ſolam potiendi Capitolii ſpem in fame obſeſſorum reponerent, Romanis ex arce Jovis monitu panes jaculantibus, ad fiduciæ ſpeciem ſpectaculo ſtupefacti, ad omittendæ obſidionis fœdera deſcenderunt

Digitized by Google

Cincta premebantur trucibus Capitolia Gallis:
  Fecerat obſidio jam diuturna famem.
Jupiter ad ſolium ſuperis regale vocatis,
  Incipe, ait Marti. protinus ille refert:
Scilicet ignotum eſt, quæ ſit fortuna meorum,
  Et dolor hic animi voce querentis eget?
Si tamen, ut referam breviter mala juncta pudori,
  Exigis: Alpino Roma ſub hoſte jacet.
Hæc eſt, cui fuerat promiſſa potentia rerum,
  Jupiter? hanc terris impoſiturus eras?
Jamque Suburbanos, Hetruſcaque contudit arma.
  Spes erat in curſu. nunc Lare pulſa ſuo eſt.
Vidimus ornatos ærata per atria pictâ
  Veſte triumphales occubuiſſe ſenes.
Vidimus Iliacæ transferri pignora Veſtæ
  Sede. putant aliquos ſcilicet eſſe Deos?
At ſi reſpicerent, qua vos habitatis in arce,
  Totque domos veſtras obſidione premi;
Nil opis in curâ ſcirent ſupereſſe Deorum,
  Et data ſollicitâ thura perire manu.

Atque

runt, exiſtimantes Romanis frumenti copiam ſupereſſe. Unde poſtea repulſis Gallis Jovi piſtori ara in Capitolio conſtituta. *Ant.*

355. *Qua ſit fortuna meorum.* ] *Malorum* ſcripti meliores conſtanter magnâ copiâ. Triſt. IV. Eleg. prim.

*Nec tamen, ut veni, levior fortuna malorum eſt.*

unus *locorum* alius *deorum*. tertius *viarum*. Vulgatæ lectioni non temere moverim controverſiam. Marti enim ſacra Roma. *Heinſ.*

361. *Jamque contudit ſuburbanos.* ] Jam Roma bello vicerat Sabinos, Ceninenſes, Fidenates, Latinos omnes, & Volſcos. *Et arma Etruſca.* ] Phaliſcos & Vejos.

362. *Spes.* ] Imperii propagandi. *Erat in curſu.* ] In proſperitate rerum bene geſtarum, & bene gerendarum. *Nunc eſt pulſa lare ſuo.* ] Quia pulſi cives.

363. *Vidimus occubuiſſe ſenes triumphales.* ] Trucidatos à Gallis eos ſenes, qui olim de hoſtibus triumphaverant, omnibus honoribus in republica functos. *Veſte picta.* ] Ipſa prætexta. *Picta Veſte.* ] Clare ſubdit hanc fuiſſe triumphalium, *Heinſ.* *Ærata per atria.* ] *Creata* Lipſius Epiſtolicis Quæſtionibus. l. IV. cap. V. quod jure improbat Neapolis. ſi quid mutandum refingam, *reſerata per atria.* ſic lib. IV. Metam.

——*reſeratis aurea valvis*
*Atria tota patent.* Heinſ.

364. *Triumphales ſenes.* ] Hi ſunt, quos θριαμβικοὺς ἄνδρας appellat Plutarchus in Camillo, cum enarrat hanc Urbis calamitatem. *Nap.*

366. *Sede.* ] *Æde* quidam. reliqui fere mendoſe, *Cede.* *putent* præterea unus Patav. Mox *Nil opis* legendum cum ſcriptis. *Heinſ.*

371. *Ca-*

Atque utinam pugnæ pateat locus! arma capeſſant;
  Et, ſi non poterunt exſuperare, cadant.
Nunc inopes victus ignavaque fata timentes
  Monte ſuo clauſos barbara turba premit.
Tum Venus, & lituo pulcher trabeâque Quirinus,
  Veſtaque pro Latio multa locuta ſuo.
Publica, reſpondit, cura eſt pro mœnibus iſtis,
  Jupiter: & pœnas Gallia victa dabit.
Tu modo, quæ deſunt fruges, ſupereſſe putentur,
  Effice: nec ſedes deſere, Veſta, tuas.
Quodcunque eſt Cereris ſolidæ, cava machina frangat;
  Mollitamque manu duret in igne focus.
Juſſerat: & fratris virgo Saturnia juſſis
  Annuit; & mediæ tempora noctis erant.
Jam ducibus ſomnum dederat labor. increpat illos
  Jupiter: & ſacro, quid velit, ore docet:
Surgite, & in medios de ſummis arcibus hoſtes
  Mittite, quam minime tradere vultis, opem.
Somnus abit, quæruntque novis ambagibus acti,
  Tradere quam nolint, & jubeantur, opem.
Ecce, Ceres viſa eſt. jaciunt Cerealia dona.
  Jacta ſuper galeas ſcutaque longa ſonant.

Poſſe

371. *Capeſſent.* ] *Capeſſant* & *cadant* meliores. *Item.*

374. *Clauſos monte ſuo.* ] Obſeſſos in monte Tarpejo. *Paul.* *Turba premit.* ] *Premebant* unus Vatic. *Heinſ.*

375. *Quirinus.* ] Romulus vaticinii peritus lituum manu gerere conſuevit, hoc eſt, baculum ſine nodo aduncum, ut Livius ſcribit: quo idem rex, urbem conditurus, regionem deſcripſit. *Ant.*

380. *Sedes tuas.* ] *Lactum tuum* prim. Ambroſ. & Lati. mox *Mollitamque* manu, quam *Mollitamque.* & *Juſſerat*, at *fratris* quam *&*, & *tempora noctis erant* quam *erant.* de quo poſtremo vide Notas lib. II. vſ. 149. ſed per libros veteres vix licet. *Heinſ.*

381. *Quodcumque eſt ſolidæ Cereris.* ] Quidquid frumenti habetis molæ ſubjicite. *Neap.*

383. *Virgo Saturnia.* ] Veſtâ Saturni filia.

388. *Tradere vultis.* ] *Mittere* Urſini, Voſſii, & unus Patavinus. non invenuſtâ repetitione. *Heinſ.*

389. *Somnus abit.* ] Excitati ſunt è ſomno Quirites. *Quærunt.* ] Inquirunt inter ſe duces. *Acti novis ambagibus.* ] Nova & dubia verborum circuitione, aut obſcuris Jovis monitis.

390. *Quam opem.* ] Quod auxilium, *Nolint tradere.* ] Nollent aliis dare, & jubeantur ab Jove in hoſtes mittere.

391. *Eſſe Ceres viſa eſt.* ] *Ecce* Urſini. Naugerii, & octo alii. *Heinſ.*

392. *Scutaque longa ſonant.* ] Ut ſigum Gallicum. *Neap.*

393. *Hoſte*

Digitized by Google

Poſſe fame vinci ſpes excidit. hoſte repulſo
  Candida Piſtori ponitur ara Jovi.
Forte revertebar feſtis Veſtalibus illac,
  Qua Nova Romano nunc Via juncta Foro eſt.
Huc pede matronam vidi deſcendere nudo:
  Obſtupui tacitus ſuſtinuique gradum.
Senſit anus vicina loci: juſſumque ſedere
  Alloquitur, quatiens voce tremente caput.
Hoc, ubi nunc fora ſunt, udæ tenuêre paludes:
  Amne redundatis foſſa madebat aquis.
Curtius ille lacus, ſiccas qui ſuſtinet aras,
  Nunc ſolida eſt tellus, ſed lacus ante fuit.
Qua Velabra ſolent in Circum ducere pompas;
  Nil præter ſalices caſſaque canna fuit.

Sæpe

393. *Hoſte repulſo.* ] Repulſis & cæſis à Camillo Gallis.

395. *Feſtis Veſtalibus illa.* ] *Illac* plerique. *Heinſ.*

396. *Qua via nova.* ] Per quam à Velabro ad Romam aſcendebant, jungebatur foro, & viæ ſacræ, tendebatque prope Palatium, ubi & nunc ædes eſt ſub appellatione divæ Mariæ in via Nova. *Juncta Romano foro.* ] Quod inter Capitolium & Palatium eſt.

397. *Nudo deſcendere vidi.* ] Cauſam poſiti calcei cenſet ex antiquâ neceſſitate in eos annos perduraſſe (nam olim ad templum euntibus paludes aliquot tranſeundæ) non ex numinis reverentiâ: ad quam reſpexit etiam apud antiquos nudipedis inceſſus. *Neap.*

398. *Obſtupui tacitus ſuſtinuique gradum.* ] Octo aut decem veteres *gradus*. Puto,

*Obſtupui, tacitos ſuſtinuique gradus.*

Val. Flaccus lib. III.

*Ter tacitos egere gradus.*

ſic *inceſſu tacito progredi* apud Virgilium. & *paſſu tacito præterire* apud Claudianum. Noſter Art. Am. *tacito pede labitur ætas.* mox *vicina loci* pro *loco*. Heinſ.

401. *Hic, ubi nunc fora ſunt, udæ tenuere paludes.* ] *Hoc* Urſin. Zulich. Muzar. & tres alii. novem *Hac*. utrumque bene. Voſſ. & duo alii, *Hac*. & ſic paſſim Noſter. vide Notas lib. III. vſ. 219. *Idem.*

402. *Amne redundatis foſſa madebat aquis.* ] Plurimi ex vetuſtioribus,

*Mane redundanti foſſa madebat aqua.*

quos cave audias. Triſt. lib. II. Eleg. x.

*Sive igitur nimis Borea vis ſæva marinas,*
*Sive redundatas flumine cogit aquas.*

ſic & *ſingultati ſoni* Triſt. III. El. v. *Idem.* *Aqua redundanti amne.* ] Inundatione Tibridis effuſis aquis.

403. *Siccas qui ſuſtinet aras.* ] Quorum erant hæ aræ in lacu Curtio? neſcio, niſi *aras* Poëta dixit pro *aram*; ut toties in hoc Opere, templa pro templum: iſtud eſt haud dubium; & illam Saturni ſignificat. Victor in regione 8. *Ara Saturni in lacu Curtii.* Neap.

405. *Qua Velabra ſolent ducere pompas in Circum.* ] Qua ſolet duci pompa triumphalis armorum victricium. Triumphantes enim cum pompa per Velabrum tranſibant.

406. *Nil præter ſalices.* ] Vide Varronem de Aventini collis etymo. *Neapol.* *Craſſaque canna.* ] *Caſſaque* duo meliores Farneſiani, & Mazarinianus à manu prima, eleganter. ſic *caſſam nucem* pro

vacuam

Sæpe ſuburbanas rediens conviva per undas
 Cantat, & ad nautas ebria verba jacit.
Nondum conveniens diverſis iſte figuris
 Nomen ab averſo ceperat amne Deus.
Hîc quoque lucus erat juncis & arundine denſus,
 Et pede velato non adeunda palus.
Stagna receſſerunt, & aquas ſua ripa coërcet:
 Siccaque nunc tellus. mos tamen inde manet.
Reddiderat cauſſam. Valeas, anus optima, dixi:
 Quod ſupereſt ævi, molle ſit omne, tui.
Cætera jam pridem didici puerilibus annis;
 Non tamen idcirco prætereunda mihi.
Mœnia Dardanides nuper nova fecerat Ilus:
 Ilus adhuc Aſiæ dives habebat opes.
Creditur armiferæ ſignum cæleſte Minervæ
 Urbis in Iliacæ deſiluiſſe juga.
Cura videre fuit: vidi templumque locumque.

Hoc

vacua dixit Plautus. & *caſſis oſtrea teſtis* Serenus Sammonicus c. x. apud Silium libro VII. vſ. 698. *caſſa ſonipes exterritus umbra* ſcribendum. ubi *craſſa* perperam legitur. ſic *caſſa flamma* Remed. Amor. & *caſſa terra fertilitas* lib. v. Met. ex antiquis libris, & *caſſa cinnama* lib. xv. *Heinſ.*

407. *Rediens per undas ſuburbanas.*] Per ſtagnantes aquas, cum inundaſſet Tibris.

408. *Ebria verba jacit.*] Malim *dicta*, ſi per libros liceat. vide Notas lib. III. vſ. 695. Propert. lib. I Eleg. XVI.

*Te non ulla mea læſit petulantia lingua,*
*Qua ſolet irato dicere tuta loco.*

Ubi veteres libri, *tota loco.* Scribe *pota joco. jocum iratum* vocat dicteria & ſcommata. niſi mavis *probra joco.* Heinſ. *Ebria verba jacit.*] Propertius: *Muta jace verba favilla.* Neap.

410. *Ceperat amne Deus.*] Cum non erat nomen hoc Vertumni: qui ſic dictus ab amnis curſu mutato. *Neap.*

419. *Ilus Dardanius.*] Dardani pronepos. *Fecerat nuper nova mœnia.*] Ilum urbem à ſe denominatam condidit.

421. *Signum cæleſte.*] Pri. Ambroſ. & Læti, *vitale.* Puto pro *fatale.* Heinſ. *Signum cæleſte.*] Τὸ ἄγαλμα Πάλλαδος. Ferunt hoc fuiſſe ligneum veteres Grammatici. *Cæleſte Minervæ.*] Hoc ſignum vetuſtas credidit nullâ mortali elaboratum induſtriâ; inde dictum διοπετής. Plin. lib. 12. capite primo: Signum vero ſtantis, an ſedentis effigie conſpiceretur, res adhuc in incerto. Strabo tamen lib. 13. auctor eſt, Palladium, quod ſuâ ætate Ilienſes habebant, rectum ſtetiſſe: unde colligit, non eſſe primum illud antiquorum Ilienſium. hoc enim ſediſſe probat ex Homeri verſu Iliade ζ. *Neap.*

423. *Vidi templumque.*] Fragmina ſcil. & templi rudera: nam ante Ovidii natalem à Fimbriâ incenſum; ſed fortaſſis poſtea refectum. Ibi autem ſemper aſſervatum ſignum aliquod Minervæ, certo certius: nam Strabo lib. 13. ut vidiſti, agit de Palladio ſuæ ætatis. *Neap.*

424. Ho

Digitized by Google

Hoc ſupereſt illi: Pallada Roma tenet.
Conſulitur Smintheus: lucoque obſcurus opaco
Hos non mentito reddidit ore ſonos:
Æthercam ſervate Deam; ſervabitis Urbem:
Imperium ſecum transferet illa loci.
Servat, & incluſam ſummâ tenet Ilus in arce:
Curaque ad hæredem Laomedonta venit.
Sub Priamo ſervata parum. ſic ipſa volebat;
Ex quo judicio forma revicta ſuo eſt.
Seu genus Adraſti, ſeu furtis aptus Ulyſſes;
Seu pius Æneas, eripuiſſe datur.
[Auctor in incerto. res eſt Romana: tuetur
Veſta, quod aſſiduo lumine cuncta videt.]
Heu quantum timuêre Patres, quo tempore Veſta
Arſit,

424. *Hoc ſupereſt illic.* ] Urſini codex. *illi.* Heinſ.

425. *Conſulitur Smintheus.* ] Quum palladium è cœlo cecidiſſet, Ilus conſuluit Apollinem Sminthcum, cujus ſtatuæ mus pedibus ſubjacet. Eſt enim *ſmintha mus*, lingua Cretenſium.

430. *Cura venit.* ] *Redit* idem liber & unus Patavinus. *Heinſ.*

431. *Sic ipſa volebas Ex quo judicio forma revicta tua eſt.* ] *Volebat* meliores & *ſuo eſt* vel *ſua eſt.* Idem. *Sic ipſa volebat.* ] Voluit Pallas furto ſurripi, irata Trojanis ob Judicium Paridis. *Ant.*

433. *Seu genus Adraſti.* ] Seu rapuit te nepos Adraſti regis Argivorum, hoc eſt, Diomedes, Tydei & Deiphyles Adraſti filiæ filius. *Paul.*

434. *Eripuiſſe ferunt.* ] Vix Latinitatis ratio conſtabit huic verſui, niſi cum Sarraviano codice, *eripuiſſe datur* reſcribas. unus Farneſianus *eripuiſſet eam.* an *eripuere deam?* Heinſ.

435. *Auctor in incerto: res eſt Romana; tuetur*
*Veſta, quod aſſiduo lumine cuncta videt.* ]

Sic veteres. non, *in incerto eſt*. Nihil hic ſani. Primo ſcribendum videtur *res eſt Trojana.* hinc paſſim *Troica* & *Iliaca Veſta* dicitur. Cætera expedire poſſem variis conjectoris, quæ perplexa valde & intricata ſunt, ſed ne quid te, Lector, morer, verſum utrumque ab interpolatoris illâ manu, quam Ovidius paſſim eſt expertus, fuiſſe procuſum cenſeo. doctiſſimus Gronovius ad Statium & Livium *juncta videt* velit reponi. *Idem.* *Auctor in incerto.* ] Nam alii volunt, raptorem fuiſſe Demophoontem, & ob furtum occiſum ab Agamemnone. Hoc vero ſcitu dignum centumvirale judicium Athenis tunc primum & ob hanc cauſam inſtitutum. Harpocration: Ἔχει δὲ τὸ δικαστήριον τὴν τοῦ Παλλαδίου ἐπωνυμίαν, &c. *Res eſt Romana.* ] Non adeo certe id proferas: nam, prô, quot urbes Palladia Iliaca ſibi vindicarunt! Vide Strabonem lib. 6. *Neap.* *Res eſt Romana.* ] Nam nunc Romæ eſt. *Veſta tuetur.* ] Servat Palladium in ſuo templo.

437. *Quo tempore Veſta Arſit.* ] Contigit incendium hoc anno Urbis DXII. Q. Lucatio & A. Manlio Conſulibus. Arſit iterum Veſtæ templum ſub Commodo Braduâ ſecundum & Aproniano Conſulibus, cum fere tota urbs corruiſſet, tunc flammis conſumptum templum Pacis illud clarum, ædificiaque

Arſit, & eſt adytis obruta pæne ſuis!
Flagrabant ſancti ſceleratis ignibus ignes:
Miſtaque erat flammæ flamma profana piæ.
Attonitæ flebant demiſſo crine miniſtræ:
Abſtulerat vires corporis ipſe timor.
Provolat in medium, & magnâ, Succurrite, voce,
Non eſt auxilium flere, Metellus ait.
Pignora virgineis fatalia tollite palmis:
Non ea ſunt voto, ſed rapienda manu.
Me miſerum! dubitatis? ait. dubitare videbat,
Et pavidas poſito procubuiſſe genu.
Haurit aquas: tollenſque manus, Ignoſcite, dixit,
Sacra: vir intrabo non adeunda viro.
Si ſcelus eſt; in me commiſſi pœna redundet.
Sit capitis damno Roma ſoluta mei.
Dixit, & irrupit: factum Dea rapta probavit;
Pontificiſque ſui munere tuta fuit.
Nunc bene lucetis ſacræ ſub Cæſare flammæ:

Ignis

pæne innumera. de quâ ſtrage fuſe Herodianus libro primo. *Neap.*

438. *Tectis obruta pæne ſuis.* ] *Adytis ſuis* elegantius prim. Ambroſ. & Læti. *Heinſ.*

441. *Demiſſo crine miniſtra.* ] Hic locus luci eſt iis qui dubitant, an Veſtales comam aluerint. *Neap.*

443. *Provolat in medium.* ] Divinitus quaſi miſſus: nam pridie ei evenit quod in his ſcribit Valerius Maximus libro primo cap. 4. de Auſpiciis. *Neap. Magna ſuccurrite voce.* ] *Vivâ voce* optimus Farneſianus & tres alii. ut apud Horatium Arte Poëticâ.

*Reſpicere exemplar vitæ morumque jubebo*
*Doctum imitatorem, & vivas hinc ducere voces.*

*vivam humum* paulo poſt Noſter dicet. ſic codex Voſſianus veterrimus. mox *officium* pro *auxilium* & *flammis* pro *palmis* plurimi ex antiquis. ſed fruſtra. *H.*

444. *Metellus.* ] Qui Pontifex erat.

447. *Dubitatis ait.* ] Strozzæ liber, *dubitatis adhuc.* ut Tò *ait* ſubintelligatur. *Heinſ.*

449. *Haurit aquas.* ] Quibus ſeſe aſpergens expurgaret.

450. *Non adeunda viro.* ] Nam vetitus maribus ingreſſus in adyta Veſtæ quis hæc neſcit? Ibi erat ignis, Palladium, & alia arcana urbis præſidia, hac formulâ junctim hæc omnia invocabant. *Neap.*

452. *Roma ſit ſoluta.* ] Libera omni periculo. *Damno capitis mei.* ] Meo ſupplicio.

453. *Factum Dea rapta probavit.* ] Immo & jure Senatus: nam, præter alios titulos honorum, conceſſum, ut curru veheretur ad curiam. quantivis pretii res apud Romanos. Pulcra igitur præmia; ſed juvit uterque oculus amiſſus, quâ de cauſa ſacerdotium illi negatum. Sic Lex jubebat; quæ ea: SACERDOS INTEGER SIT. *Neap.*

455. *Sacro ſub Cæſare flamma.* ] *Sacra*

Ignis in Iliacis nunc erit, eſtque, focis.
Nullaque dicetur vittas temeraſſe ſacerdos
Hoc Duce: nec vivâ defodietur humo.
Sic inceſta perit: quia quam violavit, in illam
Conditur: & Tellus Veſtaque numen idem eſt.
Tum ſibi Callaïco Brutus cognomen in hoſte
Fecit, & Hiſpanam ſanguine tinxit humum.
Scilicet interdum miſcentur triſtia lætis;
Ne populum toto pectore feſta juvent.
Craſſus ad Euphraten Aquilas, natumque, ſuoſque
Perdidit: & leto eſt ultimus ipſe datus.
Parthe, quid exſultas? dixit Dea. ſigna remittes:
Quique necem Craſſi vindicet, ultor erit.

AT ſimul auritis violæ demuntur aſellis,
Et Cereris fruges aſpera ſaxa terunt;
Navita puppe ſedens, Delphina videbimus, inquit;
Humida cum pulſo nox erit orta die.

JAM, Phryx, à nuptâ quereris, Tithone, relinqui;
Et vigil Eoïs Lucifer exit aquis.

Ite,

*era* in melioribus. & *temeraſſe* mox pro *temerare*. Sarravianus *temerata*, ut ſit Græciſmus. *Heinſ.* *Sacro ſub Cæſare flamma.* ] Vide beneficia collata ab Auguſto in Veſtales apud Suetonium libro primo cap. 21. *Neap.*

459. *Quam violavit.* ] Violatur enim Veſta, quæ & Tellus eſt. *Paul.* *In illa conditur.* ] *In illam* meliores. & ſequenti verſu Tò *eſt* non agnoſcunt. mox lego, *ut Tellus Veſtaque numen idem eſt*. non *&c.* jam ſupra dixerat, *Veſta eadem eſt quæ Terra*. Heinſ.

461. *Tum ſibi Callaico.* ] Eodem Veſtalium die, anno urbis DCXVIII. D. Junius Brutus ſexaginta Gallæcorum millia, qui Luſitanis ex Oceani montibus auxilio venerant, aſpero & difficili bello oppreſſit: unde Callaici cognomen retulit. Adi Strabonem, Florum, & alios. Sed heus! meus liber habet, *Tum ſibi Gallaco*. an male? non hercle. Vellejus Paterculus lib. 2. *Gallaci cognomen meruit*. Neap. *Cognomen ab hoſte Fecit.* ] *In hoſte* liber Urſini & Zulichemianus. quod arridet. *Heinſ.*

464. *Nec juvant.* ] *Ne juvent* meliores. *Idem.*

466. *Ultimus eſt datus letho.* ] Captus & ipſe à Surena duce Parthorum, ultimo loco extinctus eſt.

469. *Demuntur aſellis.* ] *Demuntur* & *terunt* iidem. *Heinſ.*

471. *Delphina videbimus, inquit.* ] Statim poſt Veſtalia, & ante Matralia, ut vides, hoc eſt, 4. Idus, facit Delphini ortum veſpertinum. idem ſentit Columella. *N.*

473. *Jam Phryx à nupta.* ] 3. Idus erant Matralia, ſacra matris Matutæ: eodem die Kalendario veteri, & Conſtantiniano. *Neap.* *Phryx.* ] Trojane: nam Laomedontis filius. *Quereris relinqui.* ] Quereris quod te Aurora relinquat.

474. *Exit aquis Eois.* ] Surgit ab Oriente. Sic indicat diem quo Matralia



cele-

Digitized by Google

Ite, bonæ matres, (veſtrum Matralia feſtum)
Flavaque Thebanæ reddite liba Deæ.
Pontibus & magno juncta eſt celeberrima Circo
Area: quæ poſito de bove nomen habet.
Hac ibi luce ferunt Matutæ ſacra parenti
Sceptriferas Servî templa dediſſe manus.
Quæ Dea ſit: quare famulas à limine templi
Arceat, (arcet enim) libaque toſta petat;
Bacche, racemiferos hederâ redimite capillos,
(Si domus illa tua eſt) dirige navis iter.
Arſerat obſequio Semele Jovis. accipit Ino
Te, puer; & ſummâ ſedula nutrit ope.
Intumuit Juno, raptâ quod pellice natum
Edu-

celebrantur. Eſt enim Matutæ deæ feſtum, quæ à Græcis Leucothea dicitur.

476. *Dea Thebana.*] Leucotheæ Cadmi conditoris Thebarum in Bœotia filiæ. *Paul.* *Thebanæ reddite liba Deæ.*] Vide M. Varronem. *Neap.*

480. *Servi templa dediſſe manus.*] Hac ipſa die à Servio Tullio matri Matutæ ædes ſacra dicata; poſtea, captis Veiis, à M. Furio Camillo refecta. nec alia Plutarchi mens in ejus Vitâ. Hanc iterum reperio reſtitutam anno DXLI. Q. Fulvio Flacco, Appio Claudio Pulcro Coſſ. *Neap.*

482. *Arcet enim.*] Imo unam admittit; quam rurſus matronæ pugnis cæſam à templi limine ejiciunt. *Neap.* *Libaque toſta petit.*] *Petat* cum Mazar. Zulich. pri. Ambroſ. opt. Patavino, Voſſ. & duobus aliis. *Heinſ.*

484. *Dirige vatis opus.*] *Iter* Thuan. *navis iter* Junian. & unus Mediceus. ut alibi Noſter. ſic libri primi initio,

*Excipe pacato, Cæſar Germanice, vultu*
*Hoc opus; & timide dirige navis iter.*

Remed. Am.

*Rectaque cum ſociis me duce navis eat.*

&,

*Naviget hinc aliâ jam mihi linter aqua.*

ſed quid moramur in re protrita? pro *redimite capillos* ſuperiori verſu Mazar. Zulich. pri. Farneſ. & opt. Patav. *diſtincte.* neque aliter Scholiaſtes Statii Theb. VII. *Idem.*

485. *Arſerat obſequio.*] Hæc breviter tota fabula. Ferunt, uſtâ Jovis operâ Semele, Dionyſium ex incenſo fere utero à Mercurio ſublatum; infantulum ſtatim Ino excepit, & nutriit: id cum graviter Jovis conjux tuliſſet, quod natum ex pellice educandum accepiſſet, fecit, ut Athamas, vir Inus, furore percitus Learchum filium occideret: tum uxor, arrepto Melicertâ, ob Athamantis timorem, in mare proximum ſe cum filio projecit. Hinc poſt varios caſus in Latium adducta, ibi à Nicoſtratâ, Evandri parente, comiter accipitur; & una cum filio ab incolis Arcadibus in Deorum numerum referuntur, mutato nomine Inus in Matutam, Melicertæ in Portunum. Græci dixere matrem Λευκοθέαν, filium Παλαίμονα, ſed poſt immortalitate donatos. *Accipit Ino Te puer.*] Apollonius Argonauticon lib. 4. Bacchi nutricem facit quamdam nomine Matrin, Ariſtæi filiam: ſed aliter, & cum Naſone, Orpheus in Hymnis. *Neap.*

487. *Rapta quod pellice natum Educet.*] *Raptum* veteres magno numero. Scribe *partum quod pellice natum educet.*
partum

Educet. at ſanguis ille ſororis erat.
Hinc agitur furiis Athamas, & imagine falſa:
Tuque cadis patriâ, parve Learche, manu.
Mœſta Learchêas mater tumulaverat umbras;
Et dederat miſeris omnia juſta rogis.
Hæc quoque, funeſtos ut erat laniata capillos,
Proſilit; & cunis te, Melicerta, rapit.
Eſt ſpatio contracta brevi, freta bina repellit;
Unaque pulſatur terra duabus aquis.
Huc venit inſanis natum complexa lacertis;
Et ſecum è celſo mittit in alta jugo.
Excipit illæſos Panope centumque ſorores;
Et placido lapſu per ſua regna ferunt.
Nondum Leucotheë, nondum puer ille Palæmon
Verticibus denſi Tybridis ora tenent.
Lucus erat: dubium Semelæ Stimulæne vocetur;
Mæna-

partum ex pellice natum. mox pro *ſed imagine falſa*, lege *furiis & imagine falſa*. cum Urſini, Voſſ. Mazar. Zulich. pr. Ambroſ. Læti, & ſex aliis. Quidam *ſub imagine*. Scholiaſtes Statii Theb. VII. *in imagine falſus*. Heinſ.

488. *Erat ſanguis ſororis.* ] Ideo educabat, quia erat filius Semeles, quæ erat ſoror Inus.

489. *Athamas.* ] Vir Inus. *Agitur furiis.* ] Juno induxit illi furiam: qua percitus ille, Learchum filium putans leænæ catulum, interemit. *Falſa imagine.* ] Cum leænæ catulum exiſtimaret.

490. *Learche.* ] Qui filius eras Athamantis & Inus.

492. *Omnia juſta.* ] Perperam Canterus Novar. Lect. lib. I. cap. VIII. *omina* legit, ut monuimus Triſt. IV. Eleg. X. vſ. 80. *Heinſ.*

495. *Eſt ſpatio contracta brevi.* ] *Concreta* Scholiaſtes Statii. Theb. VI. *Heinſ.* *Eſt ſpatio contracta brevi.* ] Per topographiam Iſthmum Achaicum oſtendit, ubi ſe in mare præcipitem dederit Ino *Terra contracta.* ] Anguſta. *Brevi ſpatio.* ] Nam ſex tantum millibus paſſuum. *Repellit bina freta.* ] Duo maria, Ionium & Ægæum.

496. *Una terra.* ] Unus Iſthmos. *Pulſatur.* ] Alliditur. *Duabus aquis* ] Mari Ægeo, & mari Ionio.

498. *Mittit in alta jugo.* ] E petrâ Moluride. vide Attica Pauſaniæ. *Neap.*

501. *Nondum Leucothee.* ] Per mare ergo vehitur mortalis adhuc Ino, & nondum relata in Deos, verſo primo nomine in Leucothean. *Neap.*

502. *Verticibus denſis Tybridis.* ] Rectius legas *denſi*. Met. lib. IX.

*Verticibusque frequens erat, atque impervius amnis.*

Heinſ.

503. *Lucus erat, dubium Semele Stimelene vocetur.* ] *Stimulene* vetuſtiores. & recte. contra Neapolis. *Stimulæ lucum* vocat Scholiaſtes Juvenalis ad Sat. II. Stimulæ quoque Deæ fit mentio apud Auguſtinum de Civitate Dei huc illud paulo poſt alludit, *Latias Saturnia Bacchas Inſtimulat*. in veteri inſcriptione apud Gruterum occurrit Lucus SEMELES, ut & apud P. Sextum Rufum de Regionibus Urbis, & Livium lib. XXXIX.

Mænadas Auſonias incoluiſſe ferunt.
Quærit ab his Ino, quæ gens foret. Arcadas eſſe
Audit; & Evandrum ſceptra tenere loci.
Diſſimulata Deam Latias Saturnia Bacchas
Inſtimulat fictis inſidioſa ſonis:
O nimium faciles, ô toto pectore captæ,
Non venit hæc noſtris hoſpes amica choris.
Fraude petit; ſacrique parat cognoſcere ritum.
Quo poſſit pœnas pendere, pignus habet.
Vix bene deſierat; complent ululatibus auras
Thyades effuſis per ſua colla comis:
Injiciuntque manus, puerumque revellere pugnant.
Quos ignorat adhuc, invocat illa Deos:
Dîque, virique loci, miſeræ ſuccurrite matri.
Clamor Aventini ſaxa propinqua ferit.
Appulerat ripæ vaccas Oetæus Iberas.
Audit; & ad vocem concitus urget iter.
Herculis adventu, quæ vim modo ferre parabant,
Turpia fœmineæ terga dedêre fugæ.

Quid

xxxix. cap. xii. pro *vocetur* Voſſ. Mazar. Zulich. tres alii *vocatur*. Puto *vocatus*: vel quod malim *dicatus* vel *dicetur*.

*Lucus erat, dubium Semela Stimulane dicatus*, Idem.

*Semele, &c.*] De luco Semeles vetus memoria eſt in Sexto Rufo regione ii. & in hoc antiquo marmore.

DIIS MANIBUS.
M. CÆCILIO SP. F. SUO RUFO
SOLIARIO AB LUCO SEMELES,
&c. *Neap.*

504. *Mænades Auſonias.*] Bacchi ſacerdotes Latias, quæ Orgia celebrabant.

505. *Arcadas eſſe audit.*] In uno Patavino, *Arcadas audit*, venuſta repetitione. *Heinſ.*

509. *Veſtris choris.*] *Noſtris* meliores. & mox *effuſis in ſua colla comis*, non *per ſua*. minimum refert. *Idem.*

510. *Non venit amica.*] Nam venit exploratrix rerum noſtrarum,

512. *Habet pignus.*] Filium.

515. *Puerumque avellere pugnant.*] *Revellere* iidem. *Heinſ.*

516. *Illa.*] Ino. *Quos ignorat.*] Nam peregrina nondum cognoverat deos Italos.

517. *Dîque virique loci.*] *Dîque Deæque* Mazarinianus. quod prætulerim omnino. Virgilius Georgicis,

*Dîque deæque omnes, ſtudium quibus arva tueri.*

Propertius lib. iii. Eleg. x.

*Dîque deæque omnes, quibus eſt tutela per agros.*

ſed nihil neceſſe. Met. lib. ii.

*Inde Deos, hominesque voco, nec contigit ullum*
*Vox mea mortalem.*

Heinſ.

518. *Ferit ſaxa Aventini.*] Vox ipſa inclamantis exaudita eſt ex Aventino, ubi erat Hercules, Eo enim tempore illuc appulerat, ex Hiſpania rediens.

523. *Ma-*

Digitized by Google

Quid petis hinc, (cognorat enim) matertera Bacchi?
An numen quod me, te quoque vexat, ait?
Illa docet partim; partim præſentia nati
Continet: & furiis in ſcelus îſſe pudet.
Rumor (ut eſt velox) agitatis pervolat alis:
Eſtquè frequens, Ino, nomen in ore tuum.
Hoſpita Carmentis fidos intraſſe penates
Diceris, & longam depoſuiſſe famem.
Liba ſuâ properata manu Tegeæa ſacerdos
Traditur in ſubito cocta dediſſe foco.
Nunc quoque liba juvant feſtis Matralibus illam.
Ruſtica ſedulitas gratior arte fuit.
Nunc, ait, ô vates venientia fata reſigna,
Qua licet: hoſpitiis hoc, precor, adde meis.
Parva mora eſt: cœlum vates ac numina ſumit;
Fitque ſui toto pectore plena Dei.
Vix illam ſubito poſſes cognoſcere; tanto
Sanctior, & tanto, quam modo, major erat.
Læta

523. *Matertera Bacchi.* ] Verba ſunt Herculis. O Ino ſoror Semeles, matris Bacchi.

524. *Te quoque vexat? ait.* ] Belle: nam uterque patiuntur Junonis flagellum. *Neap.*

527. *Rumor ut eſt velox.* ] Divulgatum eſt nomen Inus per Latium, & ſuſcepta ea hoſpitio à Carmenti, quæ vaticinata eſt eos, hoc eſt, Inum & filium, in deos referendos, futuraque numina ponti: alteram quoque *Leucotheam* à Grajis, à noſtris *Matutam* nuncupandam: alterum præfuturum portubus, & à noſtris *Portunum*, à Græcis *Palæmona* nominandum. *Pervolat alis agitatis.* ] Quam celerrime transfertur. *Pervolat alis.* ] Malim *provolat*. ut ſupra *Provolat in medium*. Sequenti verſu male turbant libri veteres. Senſus eſt, Nomen tuum, ô Ino, frequens eſt in ore omnium. mox *Carmenta* pro *Carmentis* Læti codex. *Heinſ.*

531. *Sacerdos Tegeæa.* ] Camentis à Tegæa oppido Arcadiæ. *Liba properata ſua manu.* ] Quæ celeriter ipſa ſuis manibus fecit.

532. *Dicitur & ſubito.* ] *In ſubito* meliores. & *illam* pro *illa* ſequenti verſu mutatâ diſtinctione. lapſus hic eſt Neapolis, qui aliter ſcribendum contendit. Urſini exemplar & alii nonnulli *gratior ante* pro *arte*. Heinſ.

533. *Nunc quoque.* ] Hoc etiam tempore. *Illam feſtis Matralibus.* ] Cum Matralia celebrantur; offeruntur enim liba, quorum offerendorum mos ab his libis, quæ Carmentis obtulit, originem habuit. *P.*

534. *Fuit gratior arte.* ] Nam gratiora illa liba properata, quam ſi paraſſet illas dapes ſplendidas, & ſummo artificio conditas.

535. *Reſigna nunc.* ] Aperias tu mihi. *Nunc.* ] Cum ederim.

536. *Qua licet.* ] *Qua libet.* Voſſ. & tres alii. unus *Qua libet.* Forte *Quamlibet.* de quo ad Epiſtolam VI. vſ. 140. *Heinſ.*

 542. *Huic*

Læta canam: gaude defunćta laboribus, Ino,
  Dixit; & huic populo dextera ſemper ades.
Numen eris pelagi: natum quoque pontus habebit.
  In veſtris aliud ſumite nomen aquis.
Leucotheë Grajis, Matuta vocabere noſtris.
  In portus nato jus erit omne tuo.
Quem nos Portunum, ſua lingua Palæmona dicet
  Ite, precor, noſtris æquus uterque locis.
Annuerant: promiſſa fides: poſuêre labores.
  Nomina mutarunt: hic Deus, illa Dea eſt.
Cur vetet ancillas accedere, quæritis? odit.
  Principiumque odii, ſi ſinat ipſa, canam.
Una miniſtrarum ſolita eſt, Cadmei, tuarum
  Sæpe ſub amplexus conjugis ire tui.
Improbus hanc Athamas furtim dilexit: ab illâ
  Comperit agricolis ſemina toſta dari.
Ipſa quidem feciſſe negat, ſed fama recepit.
  Hoc eſt cur odio ſit tibi ſerva manus.
Non tamen hanc pro ſtirpe ſuâ pia mater adoret:

Ipſa

542. *Huic populo proſpera ſemper ades.*] *Dextera* quatuor veteres. quod magis arridet. ſic ad Janum libro primo, *Dexter ades ducibus, in veſtris aquis* non *noſtris* meliores. *Idem.*

545. *Leucotheë Grajis.*] A Græcis appellabere *Leucothea*, ab albicante mari: ut *Matuta*, à matutino tempore. *Noſtris.*] Latini appellabant te *Matutam*, & præeris matutino tempori: nam *matutinus* à Matuta dicitur. *P.*

546. *Juserit omne tuo.*] Vide Feſtum Pompejum in *claudere*.

547. *Quem nos Portumnum.*] *Portunum* veterrimi libri tam hic quam apud Virgilium, aliosque. *Heinſ.*

549. *Annuerat: promiſſa fides.*] *Annuerant* tres libri. unus Patav. *promiſſa fide.* Puto. *Annuerunt promiſſa fide.* vel *Adſuerat promiſſa fides.* ſic *fides pollicita* lib. III.

*Pollicitam dictis, Jupiter, adde fidem.* Met. XI.

*Pollicitamque fidem tangendo ſingula tentat.* Idem.

*Poſuere labores.*] Juxta reſponſum *defuncta laboribus.*

551. *Cur vetet ancillas.*] Repelluntur à templo Matutæ, ancillæ omnes, præter unam quam alapis cædunt, & impellunt.

552. *Si ſinat illa.*] *Ipſa* meliores. & mox pro *Cadméa* codex Læti *Cadmei.* & ſic à manu prima fuiſſe videtur in Mazariniani libro. tres alii *Cadmeia.* quomodo *Cadmeis Agave* Virgilio in Culice. *Heinſ.*

553. *O Cadmea.*] O Ino Cadmi filia. *Una tuarum.*] Antiphera una ex ancillis tuis.

559. *Pia mater adoret.*] Nam ipſa parum fortunata parens, felicior matertera. vidit id etiam Plutarchus in libello τῶν Κεφαλαίων: ubi habes, in matris Matutæ ſacris liba toſta offerri ſolita, ancillas ab ejus templo repulſas; pro

quibus

Ipſa parum felix viſa fuiſſe parens.
Alterius prolem melius mandabitis illi.
Utilior Baccho quam fuit ipſa ſuis.
Hanc tibi, Quo properas, memorant dixiſſe, Rutuli?
Luce meâ Marſo Conſul ab hoſte cades.
Exitus acceſſit verbis: flumenque Telonum
Purpureo miſtis ſanguine fluxit aquis.
Proximus annus erat: Pallantide cæſus eâdem
Didius hoſtiles ingeminavit opes.

Lux

quibus matronæ eo feſto precabantur. *Neap.*

560. *Ipſa parum fœlix parens.*] Cum alterum extinctum à patre vidiſſet, cum altero ſe præcipitem dedit.

562. *Ipſa ſuis.*] *Illa* plerique meliores. & pro *illi* verſu ſuperiori, Urſini, Læti & duo alii, *in quam.* prim. Ambroſ. & Junian. *inquit.* Videtur aliquid latere. *Heinſ.*

563. *Hanc tibi quo properas.*] Fabuloſum eſt quod auctor hic dicit, P. Rutilium conſulem admonitum fuiſſe à matre Matuta, ne properaret in Marſos: ſed ingenioſe à Poëta fictum eſt, ut Rutilii interitus aptius Matralibus jungeretur. *Ant. Memorant dixiſſe, Rutili?*] Eodem die feſto matris Matutæ anno Urbis DCLXIII. P. Rutilius Lupus in bello Marſico occiſus. Florus falſo ſcribit, L. Cæſarem, non Rutilium in eâ pugnâ occubuiſſe.

564. *Marſo conſul ab hoſte cades.*] Miror cur potius Marſo, non Lucano, non Venuſino dixerit: cum, præter Marſos, Malini, Viſtini, Maruceni, Picentes, Ferentani, Hirpini, Pompejani, Venuſini, Japiges, Lucani, Samnites, & aliæ propinquæ gentes contra urbem Romam conſurrexerint. *Neap.*

565. *Acceſſit verbis.*] Nam ut illa prædixerat, ille eo die interiit. *Et flumen, &c.*] Liris amnis: ad Lirim enim pugnatum eſt, cum conſul periit. *Paul. Flumenque Telon.*] Sic ſcriptus hic amnis apud Oroſii quædam & Freculſi exemplaria, ubi de hac clade: in aliis, *Teloni.* Neap. *Flumenque Theloni Purpureum.*] *Toleni* Zulich. Urſin. & cæteri plerique vetuſtiores alii *Toloni.* Voſſ. & duo alii *Telonum.* unus *Telonum.* apud Appianum, Oroſium, Paulum Diaconum, & Freculſum etiam variatur in hoc nomine. *Purpureo* etiam alter Bononienſis, ut ſcribendum putem, *flumenque Tolenum Purpureo miſtis ſanguine fluxit aquis.* Eſt autem hic amnis tam Tolenus quam Tolenius dictus. *flumen Tolenum.* ut apud Horatium, *Teſtis Metaurum flumen.* & *flumen Rhenum* alibi. *Heinſ.*

567. *Cæſus eadem Pallantide.*] Interemptus eodem die. *Pallantide.*] Dixit propter Auroram, quæ dicta eſt Pallantis filia. *P. Proximus annus erat.*] Id eſt DCLXIV. Timeo immanem prochroniſmum. *Neap.*

568. *Didius.*] Non hic ſeſe expedit Neapolis. & merito. is videatur Voſſii & Mazarini codex *Vidius.* in altero Ambroſiano pro diverſa lectione *Tullius.* Erfurtanus *Dilius.* Forte *Julius* legendum. ut L. Julium Cæſarem innuat, qui A. V. C. DCLXIII. cum Rutilio conſul fuit. hunc enim Florus lib. III. cap. XVIII. bello Marſico in prælio vulneratum & poſt mortuum ſcribit. Quanquam lapſum fuiſſe Florum plerique contendunt, qui pro Rutilio Cæſarem ſupponat. Amplius cogitandum. *Heinſ.* *Didius hoſtiles.*] De Tito Didio mentio crebra in bello Marſico. Fuit unus ex Prætoribus L. Sexto Cæſari annexis. vide Appianum libro primo: ſuſpicor loqui Naſonem de ſtrage,

Lux eadem, Fortuna, tua eſt, auctorque, locuſque.
  Sed ſuperinjectis quis latet æde togis?
Servius eſt: hoc conſtat enim. ſed cauſſa latendi
  Diſcrepat; & dubium me quoque mentis habet.
Dum Dea furtivos timide profitetur amores;
  Cæleſtemque homini concubuiſſe pudet;
(Arſit enim magno correpta cupidine Regis,
  Cæcaque in hoc uno non fuit illa viro)
Nocte domum parvâ ſolita eſt intrare feneſtrâ:
  Unde Feneſtellæ nomina porta tenet.
Nunc pudet, & vultus velamine celat amatos:
  Oraque ſunt multâ regia tecta togâ.
An magis eſt verum, poſt Tullî funera plebem
  Confuſam placidi morte fuiſſe ducis?
Nec modus ullus erat: creſcebat imagine luctus;
  Donec eam poſitis occuluêre togis.

Tertia

ge, quam Didius accepit à Sertorio juxta Bætim in Hiſpania, cujus meminit Plutarchus. Sed hæc fuit anno DLXXIII. totoque decennio, ni fallor, decipitur Ovidius. *Neap.*

569. *Lux eadem.* (Quæ Matralium) *Fortuna, tua eſt.*] Non illius cognomento Sejæ, ut blaterat Fanenſis; ſed Virilis. cujus auctor etiam Servius Tullius. Vide Dionyſium lib. 4. In hac erat ſimulacrum ligneum iſtius Principis, ſed velato togâ capite: hoc quam ob cauſam, multis diſſerit. *Neap.* *Lux eadem Fortuna.*] Eodem die Matraliorum: hoc eſt, decimo die menſis Junii, eſt feſtum Fortunæ, cui delubrum eodem in loco idem Servius dedicavit ubi erat ejus ſimulacrum, ſed pannis velatum. Huic rei triplicem affert Poëta rationem. *Et locus.*] Idem: nam boario ædes conſecrata. vel quod habeat ſacellum junctum.

570. *Quis latet iſte togis.*] *Quid iſte* quatuor libri. codex Læti & pri. Bonon. *quis latet ade.* quod & Neapolis eſt ſecutus. *Heinſ.*

575. *Arſit enim magna.*] Sic vulgo creditum. *Neap.*

576. *Non fuit caca.*] Effingitur enim cæca Fortuna, quia merentes deprimit, immerentes extollit: in Tullio non fuit cæca, quia ſemper illi proſpera affulſit.

578. *Feneſtella porta.*] Hæc vera lectio, quicquid libri veteres obloquuntur, in quorum nonnullis *feneſtralis*, vel *feneſtrata*. Plutarchus περὶ τῆς Ῥωμαίων τύχης, φενέστελλαν πύλην vocat. Idem in Quæſtionibus Romanis Problem. XXXV. πύλην φαινεστραν. mendoſe, ut puto. *Heinſ.* *Porta tenet nomine feneſtella.*] Porta appellatur feneſtra. An quia Servius rex ſecundiſſima fortuna uſus, cum Fortuna rem habuiſſe creditus eſt, cum per feneſtram ad eum penetraret. *P.* *Unde Feneſtella.*] De hac lege quæ ſcribit idem fuſius ἐν Αἰτίοις, & judicium præſtantiſſimi viri Onephrii Panvinii in Urbe Romà. *Neap.*

579. *Nunc pudet.*] Fortuna facti. *Vultus amatos.*] Vultus Tullii quem amavit.

584. *Donec eum poſitis occuluere togis.*] *Eam poſitis* meliores. imaginem ſcilicet. ſic infra,

*Signum erat in ſolio reſidens ſub imagine Tulli.*

quidam

Tertia cauſſa mihi ſpatio majore canenda eſt:
Nos tamen adductos intus agemus equos.
Tullia, conjugio ſceleris mercede peracto,
His ſolita eſt dictis exſtimulare virum:
Quid juvat eſſe pares, te noſtræ cæde ſororis
Meque tui fratris, ſi pia vita placet?
Vivere debuerant & vir meus & tua conjux,
Si nullum auſuri majus eramus opus.
Et caput & regnum facio dotale parentis.
Si vir es, i, dictas exige dotis opes.

Regia

quidam *compoſitis*. mendoſe. *evoluere* Voſſianus pro diverſa lectione. Libens legam,

*Donec eam appoſitis involuere togis.*

de quo ad Epiſt. VII. vſ. 100. & Ep. IX. vſ. 86. *Heinſ.*

586. *Nos tamen adductos intus agemus equos.*] Itidem Amor. l. 3. Eleg. 2. vſ. 12.

*Nunc ſtringam metas interiore rota.*

ubi invenies annotata noſtra. Silius lib. 16.

*At queis interior cura; & prudentia Circi.*

Et Noſter de Arte. lib. 2. vſ. 426.

*Interior curru meta terenda meo eſt.*

Currus ergo interior breviore orbe convertitur.

587. *Conjugio parato.*] Imo *peracto.* quod libri caſtigatiores agnoſcunt. *H.*

589. *Quid juvat eſſe pares.*] Verba ipſius Tulliæ ad Tarquinium: quid prodeſt, ſi in patrando ſcelere pares ſumus. *Cæde noſtra ſororis.*] Quia ſororem meam tibi nuptam veneno confeciſti. *Et me cæde tui fratris.*] Quia veneno ego fratrem tuum & virum meum peremi.

590. *Pia vita placet.*] *Vota placent* alii. prima editio & duo ſcripti, *pia jura.* quod arridet. Met. VIII.

*Mens ubi materna eſt, ubi ſunt pia jura parentum?*

ſic & ibi recte pro *vota* libri meliores. *Heinſ.*

593. *Regnum factum eſt dotale.*] *Facito* Urſini & quinque alii. opt. Patav. *fatio.* pri. Ambroſ. *facis eſt.* Mazar. Zulich. multique alii, *facio.* quod placet. unus *facias.* alius *faciam.* Puto,

*Sit caput, ut regnum, faxo dotale parentis.*

vel,

*Stat capite, ut regno, pactum dotale, parentis.*

vel,

*En caput, ut regnum, facio dotale.*

ut apud Horat.

*—— propria hæc mihi munera faxis.*

Idem.

594. *Indictas exige dotis opes.*] Lege, *i, dictas exige dotis opes.* & ſic codex Strozzæ. Terentius Heaut. Act. V. ſc. V. *cur non accerſi jubes filiam, & quod dixti dotis, firmas?* Martialis lib. XII.

*Præluxere faces, velarunt flammea vultum,*
*Nec tua defuerunt verba, Thalaſſe, tibi.*
*Dos etiam dicta eſt.*

Cicero pro Flacco, *Quæcunque ſine hoc auctore eſt dicta dos, nulla eſt.* ſic & *doti dicere* paſſim apud Juriſconſultos. Servius ad vſ. 31. lib. 1. Georg. *Servit. Quia quandocunque in manum convenerat, omnia protinus, quæ doti dicebantur, marito ſerviebant.* ſic & ibi ſcribendum. Val. Flaccus lib. VI.

*—— en cujus thalamis Æetia virgo*
*Dicta manet.*

*dicere* pro polliceri & addicere. Cornelius Nepos vita Eumenis, *Hoc tempore data eſt Eumeni Cappadocia, ſive potius dicta; nam tum in hoſtium erat poteſtate.*

vide

Regia res ſcelus eſt. ſocero cape regna necato:
  Et noſtras patrio ſanguine tinge manus.
Talibus inſtinctus ſolio privatus in alto
  Sederat. attonitum vulgus ad arma ruit.
Hinc cruor, hinc cædes: infirmaque vincitur ætas.
  Sceptra gener ſocero rapta Superbus habet.
Ipſe ſub Eſquiliis, ubi erat ſua regia, cæſus
  Concidit in dura ſanguinolentus humo.
Filia carpento patrios initura penates,
  Ibat per medias alta feroxque vias.
Corpus ut adſpexit, lacrymis auriga profuſis
Reſti-

vide plura apud Nonium in *Dicere*. ubi *dicta dos* etiam ex Varrone Myſteriis & Afranio Fratriis notatur. Poſſet & legi *en dictas*. ſimile mendum expunximus Epiſtola XIV. vſ. 126. ubi pro *inſuper adde*, reponendum, *i*, *ſuperadde*. apud Maronem pro *Tyrrhenas*, *i*, *ſterne acies*, multi ex veterrimis libris, *inſterne*. l. IV. Faſt. ſupra, cum in membranis præſtantiſſimis eſſet,

*Dic ter, & in vivo perlue rore manus*,

*i*, *perlue* reſinximus. Martialis lib. X. Epigr. XX.

*Si tibi mens eadem, ſi noſtri mutua cura*
  *eſt*,
*I quocunque loci: Roma duobus erit*.

ſic iſta autumo eſſe conſtituenda, ſi paria mecum, inquit, facis amando, quocunque demum iveris, ubicunque fixeris pedem, Romanos nobis ipſis præſentes præſtabimus. hoc eſt, mutuæ conſuetudinis voluptas nihil votorum ſummæ abeſſe aut ultra à nobis deſiderari patietur. Vulgati libri *In quocunque loco*. ſatis frigide. *Idem*.

595. *Regia res ſcelus eſt*, ] Dictum impium: & fere par vulgato illi Atrei ad L. Annæum Senecam in Thyeſte Actu II.

*——— Sanctitas, pietas, fides,*
*Privata bona ſunt, qua juvat Reges eant.*

*Regia res ſcelus eſt*. ] *nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt*. Cicero ex Enn. lib. I. Officior.

Εἴπερ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος περὶ
Κάλλιστον ἀδικεῖν, τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν
  χρεών.

Eurip. in Phœniſ. Sed chorus reſpondet.

Οὐκ εὖ λέγειν χρὴ μὴ 'πὶ τοῖς ἔργοις
  καλοῖς.

Hinc Cicer. 3. Offic. *Ipſe autem ſocer in ore ſemper Græcos verſus Eurip. habebat, quos dicam, ut potero, incondite fortaſſe, ſed tamen ut res poſſit intelligi*: NAM SI VIOLANDUM EST JUS, REGNANDI GRATIA VIOLANDUM EST, ALIIS REBUS PIETATEM COLAS. Et deinde ſubjungit: *Capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id unum, quod ſceleratiſſimum fuerat, exceperit*. Illa dominandi lubido vocatur φιλαρχία Halicarnaſſeo lib. I. de Romulo & Remo. *ſua enim retinere privatæ domus, alienis certare regiam laudem eſſe*. Tacit. annal. 15.

598. *Ad arma ruit*, ] *In arma* Zulich. Urſini, Voſſii. multique alii. quod placeret, niſi τὸ *in* ſuperiori verſu præceſſiſſet. Vide Notas Epiſt. III. vſ. 136. *Heinſ*.

599. *Hinc cruor & cædes*. ] *Hinc cædes* Voſſ. Arondel. & quinque alii. ut Faſt. II.

*Hinc tonat, hinc miſſis abrumpitur ignibus æther*. Idem.

609. *Certa*

Reſtitit. hunc tali corripit illa ſono:
Vadis? an ſpectas pretium pietatis amarum?
Duc, inquam, invitas ipſa per ora rotas.
Certa fides facti: dictus Sceleratus ab illâ
Vicus, & æternâ res ea preſſa notâ.
Poſt tamen hoc auſa eſt templum monumenta parentis
Tangere: mira quidem, ſed tamen acta loquar.
Signum erat in ſolio reſidens ſub imagine Tullî:
Dicitur hoc oculis oppoſuiſſe manum.
Et vox audita eſt, Vultus abſcondite noſtros,
Ne natæ videant ora nefanda meæ.
Veſte datâ tegitur: vetat hanc Fortuna moveri:
Et ſic è templo eſt ipſa locuta ſuo:
Ore revelato quâ primum luce patebit
Servius, hæc poſiti prima pudoris erit.
Parcite, matronæ, vetitas attingere veſtes:
Sollemni ſatis eſt voce movere preces:
Sitque caput ſemper Romano tectus amictu,
Qui Rex in noſtra ſeptimus Urbe fuit.
Arſerat hoc templum: ſigno tamen ille pepercit
Ignis: opem nato Mulciber ipſe tulit.
Namque pater Tullî Vulcanus, Ocreſia mater

Præ-

609. *Certa fides facti.* ] In plerisque *facti eſt.* alter Putean. *factis.* deinde *Poſt tamen hoc* non *hac* meliores. *Idem.* *Sceleratus ab illa Vicus.* ] Vide Varronem lib. 4. de L. L. Dionyſius lib. 4. ipſum vicum Κύπριον (ſeu rectius Ὄλϐιον, licet idem ſit: ita tamen lego, ut ſequar veteres editiones) ait nominatum. *Neap.*

612. *Acta loquor.* ] *Loquar.* Urſin. Arond. multique alii. prim. Ambroſ. & Læti. *acta canam:* lib. v.

*Facta canam, ſed erunt qui me finxiſſe loquantur.* Heinſ.

613. *Erat ſignum reſidens in ſolio.* ] Erat ſimulacrum quod ſedere in regio ſolio videbatur.

620. *Erit prima poſiti pudoris.* ] Nam quoad velata erit imago, ſemper vos pudebit tanti ſceleris, quod ſuſtinuiſtis regum optimum trucidari. Sinite ergo tectam eſſe imaginem, ne, cum velamine ejus, pudorem quoque veſtrum deponatis.

622. *Solennes preces.* ] *Solemni voce* meliores. *Heinſ.*

624. *Qui rex in noſtra.* ] Atqui ſeptimus rex Romanorum Tarquinius fuit Superbus. Sed Ovid. hoc loco T. Tatium regibus connumerat, quem Romulus in ſocietatem regni recepit.

625. *Signo tamen ille pepercit.* ] In ipſo incendio non exarſit Tulli effigies: non marmorea, ſed lignea, ut mireris. Vide Dionyſium lib. 5. *Neap.*

627. *Pater Tulli Vulcanus.* ] Narratur

hæc

Digitized by Google

Præſignis facie Corniculana fuit.
Hac ſecum Tanaquil, ſacris de more paratis,
Juſſit in ornatum fundere vina focum.
Hîc inter cineres obſcœni forma virilis
Aut fuit, aut viſa eſt: ſed fuit illa magis.
Juſſa foco captiva fovet. conceptus ab illâ
Servius à cælo ſemina gentis habet.
Signa dedit genitor, tum cum caput igne coruſco
Contigit, inque comâ flammeus arſit apex.
Te quoque magnificâ, Concordia, dedicat æde
Livia, quam caro præſtitit illa viro.
Diſce tamen, veniens ætas, ubi Livia nunc eſt
Por-

hæc etiam fabella ab Hiſtoricis: ſed olim plebeis animis credita ex ſucceſſu in illis flammis. Hujus verus pater fuit princeps quidam vir in Corniculi expugnatione occiſus. *Neap.* *Ocriſia mater.*] Libri veteres *Creſia*, vel *Creſſia*. Scribe *Ocreſia.* Ὀκρήσσιαν vocat Plutarchus. Tabula ænea Lugduni, quæ orationem Claudii Imp. continet de civitate Gallis dandâ, SERVIUS. TULLIUS. SI. NOSTROS. SEQUIMUR. CAPTIVA. NATUS. OCRESIA. Ὀκρισίαν vocat ſemper Halicarnaſſæus. In vulgatis Arnobii exemplaribus lib. v. *Ocriſia eſt.* apud Feſtum in voce *Nothum* *Odiſia* perperam dicitur. *Heinſ.*

628. *Præſignis facie.*] *Præſigni faciem* Mazar. & Zulich. Lege *Præſignis faciem.* familiaris Naſonis Græciſmus. lib. XII. Metamorph. ex veteri codice,

*Cinctaque adeſt virgo matrum nurmumque caterva*

*Præſignis faciem.* Idem.

*Ocriſia Corniculana.*] Ex Corniculo Latinorum oppido.

629. *Tanaquil.*] Regina Tarquinii Priſci conjunx. *Sacris de more peractis.*] Rectius *paratis* alter Bonon. & unus Farneſ. quomodo enim peracta ſacra, ſi vinum foco poſt affunderetur. unus Moreti, *ſacris litatis.* ut apud Virgil.

—— *ſacriſque litatis*
*Indulge hoſpitio.*

Met. XIV.

—— *ſacriſque ex more litatis*
*Littora adit nondum nutricis habentia nomen.*

lib. XIII.

—— *fibris de more litatis*
*Regia tecta petunt.*

ſic & ibi veteres nonnulli. *Heinſ.*

632. *Aut viſa eſt.*] Aut ita apparuit.

633. *Juſſa foco captiva ſedet.*] *Fovet* duo Farneſiani & unus meus. quod arridet. *fovet*, nempe membrum iſtud virile. *Heinſ.*

636. *Inque comis flammeus arſit apex.*] *Inque comâ* meliores. *haſit apex* pro diverſâ lectione Sarravianus. Plurimi veterum *exit apex.* perperam. *Idem.* *Flammeus haſit apex.*] Res nota: quod & finxit Maro Mantuanus in Aſcanio. *Neap.*

637. *Te quoque magnifica.*] Eodem IV. Idus Junias templum Concordiæ Virilis dedicatum à Liviâ prope ejuſdem nominis porticum, in martyrema, ſuſpicor, Concordiæ maritalis: nam ſubdit:

—— *Quam caro præſtitit illa viro.*

Auguſtum enim ſibi devinxit hac arte. *Neap.*

639. *Ubi Livia nunc eſt Porticus.*] Hanc περίπατον vocavit Strabo lib. 5. quam ſcriptores Græci fere omnes στοὰν. Sane credibile, in eâ ſtatuas adaptatas toto pæne orbe ſelectas: quin antiquiſſimas tabu-

Porticus, immenſæ tecta fuiſſe domus.
Urbis opus domus una fuit: ſpatiumque tenebat,
Quo brevius muris oppida multa tenent.
Hæc æquata ſolo eſt, nullo ſub crimine regni,
Sed quia luxuriâ viſa nocere ſuâ.
Suſtinuit tantas operum ſubvertere moles
Totque ſuas hæres perdere Cæſar opes.
Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur;
Cum vindex, alios quod monet, ipſe fecit.

Nulla

tabulas habuerit, non addubito. Hic ſere fuit proprius harum porticuum ornatus: Athenis fuit celebris illa, quæ prius dicta Πεισιανάκτειος; poſtea, à varietate picturarum parietibus incruſtatâ, ἡ Ποικίλη. *Neap.*

640. *Immenſæ tecta fuiſſe domus.*] Noſter hîc agit de ſuperbâ illa domo Vedii Pollionis, quam defunctus Auguſto legavit, ut teſtatur Dio Caſſius lib. 54. Dedicata hæc Liviana anno Urbis DCCLXIV. Vide Dionem lib. LVI. *Neap.* *Tecta fuere domus.*] *Fuiſſe* meliores. & paulo ante *primo viro* non *caro* Urſini codex & unus Patavinus. *ſacro* Erfurtanus. alius *claro*. Heinſ.

641. *Urbis opus domus una fuit.*] Ex Virgil. 5. *Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram, —— Urbis opus.*

643. *Æquata ſolo.*] Καθαιρεθεῖσα. Halicarn. l. 3. de Alba. Καὶ τὸ τεῖχος ἤρειπον ἐκ θεμελίων. Idem, lib. 9. Κατασκάψας τὸ τεῖχος. Idem. 3. de Latinor. urbe. Lucan. 1.

*—— in planum effundere muros.*

Ὡς οὐδ' ἴχνος γε τειχέων εἶναι σαφές. Eurip. Helen.

*Sub nullo crimine regni.*] Non quod autor crimine affectati regni damnaretur, quemadmodum domus M. Manlii Capitolini.

646. *Totque ſuas heres.*] De Auguſto hæc legimus in Suetonio c. 56. Quoties ei aliquid relictum ex ignoti teſtamento, capere quidquam non ſuſtinuiſſe: at legata, vel partes hereditatum à quibuſcumque parentibus relicta ſibi, aut ſtatim liberis eorum conceſſiſſe; aut, ſi pupillari ætate eſſent, die virilis togæ vel nuptiarum cum incremento reſtituere conſueviſſe. O magnum Principem! *N.*

647. *Sic agitur cenſura.*] Cenſor ergo per id tempus Auguſtus, quo domum Pollianam ſolo æquavit. Supputemus. Mors & legatum Vedii incidit in annum DCCXXXIX. M. Livio Druſo & L. Calpurnio Piſone Coſſ. Auguſo poſt reditum Syriæ qui fuit anno DCCXXXV. Præfectura morum cum Cenſoriâ poteſtate (notum, illum æque Cenſoris nomen ac Dictaturam refugiſſe) ad quinquennium decreta. Videatur & Suetonius lib. 2. cap. XXVII. *Neap.*

648. *Cum judex.*] *Vindex* Voſſ. prim. Farneſ. Maz. Zulich. & nonnulli alii. bene. ſic de eodem Auguſto, Triſt. V. Eleg. XI. ex veſtigiis veterum membranarum,

*Eripuit cum me vindicis ira tibi.*

lib. III. Eleg. VI.

*Fortunamque meam metuens, non vindicis iram.*

lib. II. Eleg. IX.

*Quicquid id eſt, habui moderatam vindicis iram.*

lib. III. Eleg. III.

*Non gravior merito vindicis ira fuit.*

Pont. I. Eleg. VII.

*Judicium nobis igitur cum vindicis adſit.*

Heinſ.

649. *Nulla*

Digitized by Google

Nulla nota eſt veniente die, quam ducere poſſis.
Idibus invicto ſunt data templa Jovi.
Et jam Quinquatrus jubeor narrare minores.
Nunc ades ô cœptis, flava Minerva, meis.
Cur vagus incedit totâ tibicen in Urbe?
Quid ſibi perſonæ, quid ſtola longa, volunt?

Sic

649. *Nulla nota eſt veniente die, quam dicere poſſis.*] *Ducere* Voſſian. & decem alii libri veteres. Legendum puto, *quam ducere poſſim.* ſic apud Horatium, *qua notam duxit niveus videri.* Propertius l. I. Eleg. V.

*Et timor informem ducet in ore notam.*

Tibull. lib. I. Eleg. VI.

*—— & menſa ducat in orbe notam.*

Noſter Triſt. II.

*Et tacitam menſa ducat in orbe notam.*

Claudianus bello Getico,

*—— excepti telis immane relatu*
*Prodigium miramque notam duxere futuri.*

Noſter Epiſtola Acontii,

*—— veniſſe volubile malum,*
*Verba ferens doctis inſidioſa notis.*

ita ſcribendum, cum *doctis notis* illic legatur. *diſcere* Thuaneus. *dicere poſſim* in Zulichemiano & Mazariniano. *Idem.* *Nulla nota eſt veniente die.*] Die ſubſequenti. hoc eſt, tertio idus Junias, nullus eſt in Faſtis feſtorum titulus.

650. *Invicto ſunt data templa Jovi.*] Adeo rara memoria, imo nulla hujus templi apud patres noſtros; ut credam, *invictum* pro epitheto hic poſitum, non pro cognomine: ſub quo ædes revera ſacrata. Fit igitur hic mentio de templo aut Jovis Sponſoris, aut Latialis. ſed hoc divinare eſt.

651. *Et jam Quinquatrus.*] De majoribus diximus in Martio ſub finem: de minuſculis Varro lib. 5. de L.L. Feſtus Pompejus: *Minuſcula Quinquatrus appellabantur Idus Juniæ; quod is dies feſtus erat tibicinum qui Minervam colebant. Narrare minores.*] Ita in Panathenæis apud Athenienſes lego majora & minora. *P.*

652. *Nunc ades.*] Malim *Huc.* Heinſius.

654. *Quid perſona, quid toga longa.*] Quare perſonati eunt, & muliebri ornatu cum longis veſtibus? *Paul.* *Quid toga longa, volunt.*] Hac lectione quid melius poteſt eſſe aut certius? Stola quidem erat veſtis matronalis. Sed & toga etiam antiquitus veſtis feminea. imo *longam* addidit, ut has matronales adſignificaret: nam viriles haud erant trans crura prodigæ; muliebres ad talos uſque demiſſæ. *Neap.* *Quid toga longa volunt?*] *Stola* Zulich. Mazarinian. opt. Patav. Voſſian. duo Farneſiani probe. quomodo ſcribendum Pigius quoque viderat in Annalibus. diſtincta tamen, ut opinor. Nam Herodotus lib. IV. apud Sauromatas notat ſtolam viris mulieribuſque communem fuiſſe. certe apud Romanos ſolis mulieribus erat in uſu. Quare Plutarchus Problematis Romanis in hac hiſtoria ἐσθῆτας γυναικείας pro ſtolis dixit. & Val. Maximus lib. II. cap. V. *varia veſte velatas* deſcribit. Plutarchus ibidem, ἐτύγχανον δὲ οἱ πολλοὶ διὰ τὴν παννυχίδα καὶ τὸν πότον ἐν ἐσθῆσιν ἀνθιναῖς καὶ γυναικείαις ὄντες. Fruſtra quoque Neapolis negat *ſtola* pro *toga* in antiquis libris reperiri. Stola igitur veſtis tam virorum, quam mulierum apud quaſdam nationes, ſed & tibicinum aut citharœdorum. Ælianus l. III. cap. XLIII. ποικίλης ἱστορίας, de citharœdo à Sybaritis occiſo, φονευθεὶς ὁ κιθαρῳδὸς σὺν αὐτῇ στολῇ κατέφυγεν εἰς τῆς Ἥρας βωμόν. Halicarnaſſæus lib. II. Ῥωμαίων δὲ τῶν αὐθιγενῶν οὔτε μητραγυρτῶν τις, οὔτε καταυλούμενος πορεύεται διὰ τῆς πόλεως, ποικίλην ἐνδεδυκὼς στολὴν οὔτε ὀργιάζων τὴν θεὸν τοῖς φρυγίοις ὀργιασμοῖς. Vide Nonium in *Stola*, Heinſ.

656. Poſſim

Sic ego: ſic poſitâ Tritonia cuſpide dixit.
  Pace velim doctæ verba referre Deæ.
Temporibus veterum tibicinis uſus avorum
  Magnus, & in magno ſemper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis:
  Cantabat mœſtis tibia funeribus.
Dulcis erat mercede labor: tempuſque ſecutum,
  Quod ſubito Grajæ frangeret artis opus.
Adde quod Ædilis, pompam qui funeris irent,
  Artifices ſolos juſſerat eſſe decem.
Exſilio mutant Urbem, Tiburque recedunt:
  Exſilium quodam tempore Tibur erat:
Quæritur in ſcenâ cava tibia; quæritur aris:
  Ducit ſupremos nænia nulla choros.

Ser-

656. *Poſſem minimum docta verba referro dea.* ] *Pacta dea* plurimi veterum. Probe Vaticanus unus *Pace velim docta verba referre Dea.* Met. VII.

*—— liceat mihi vera referre*
*Pace Dea.*

ſic Triſt. v. Eleg. XII.

*Pace novem veſtra liceat dixiſſe ſorores.*

ita frequenter præſtantiſſimi ſcriptores. *Idem.*

661. *Tempuſque ſecutum.* ] Fuit annus urbis CCCCXLI. M. Valerio & P. Decio Coſſ. Per id tempus collegium tibicinum prohibitum à Cenſoribus Appio Claudio & C. Plautio in æde Jovis veſci. Sed haud hæc prima cauſa urbici diſceſſus; alia præceſſerat, quæ ſequitur. *Neap.*

662. *Grata frangeret artis opes.* ]. *Graja* optimus Patav. prim. Farneſ. Mazar. Arond. aliique nonnulli. & recte. quod ex ſtolæ uſu præter morem Romanum liquet. de quo ſupra *artis opus* etiam Urſini, optimus Patavinus & quatuor alii. ſic lib. I.

*Ipſe mea movi callidus artis opus.*

ubi male *opem* ſubſtituunt libri quidam. *Heinſ.*

663. *Adde quod Ædilis.* ] Huic ſcilicet honori ſublato, eundem Appium Claudium eâ tempeſtate quâ Ædilitatem agebat (exercuit hanc anno CDXI. cum P. Cornelio Arvinâ) tibicines damnoſo quodam edicto irritaſſe, quo ſumptus funebres coarctavit. & in duodecim tabulas præſcriptum reduxit: ſtatuitque, ne quis plures quam decem ex iis in exequiis adhiberet. Pighius inter hoc & ſuperius diſtichum multa deſiderari cenſet: fallitur: quid enim hæc ſignificant, *Dulcis erat mercede labor?* ac ſi diceret, Præmium antiquitus, levaſſe laborem. quod præmium? niſi jus veſcendi in æde Jovis, quod poſtea illis ereptum. *Pompa qui funeris irent.* ] *Pompam* veterrimus Urſini & Strozzæ codex. venuſte. ſic *exequias ire.* de quo dixi Amor. lib. II. Eleg. VI.

664. *Artifices ſolos.* ] Ii pariter & Græcis τεχνῖται: commune nomen muſicis, thymelicis & hiſtrionibus. *N.*

665. *Exſilio mutant urbem.* ] Sed αὐτομάτως. Valerius: *Tibur irati ſe contulerunt.*

668. *Nulla toros.* ] *Choros* multi veterum. *Heinſ.*

Servierat quidam quantolibet ordine dignus
Tibure: ſed longo tempore liber erat.
Rure dapes parat ille ſuo; turbamque canoram
Convocat. ad feſtas convenit illa dapes.
Nox erat; & vinis oculique animique natabant:
Cum præcompoſito nuntius ore venit.
Atque ita, Quid ceſſas convivia ſolvere? dixit:
Auctor vindictæ jam venit, ecce, tuæ.
Nec mora; convivæ valido titubantia vino
Membra movent: dubii ſtantque labantque pedes.
At dominus, Diſcedite, ait. plauſtroque morantes
Suſtulit. in plauſtro ſirpea lata fuit.
Alliciunt ſomnos tempus motuſque merumque;

Pota-

671. *Et convocat turbam canoram.*] Invitat tibicines ad cœnam.

673. *Vinis oculique animique natabant.*] —— *Senſus deperditus omnis.* Propert. 1. Eleg. 3. πίνειν ἀκηδέστως. Smyr. lib. 2. ἀμφὶ δ' ἄρ' ὀφθαλμοὶ στροφέδινεον. βαρύθοντο δέ οἱ φρένες. Hinc οἶνος παρδαμάτωρ. Odyſſ. 9. vſ. 373.

674. *Ore præcompoſito.*] Verbis fictis.

675. *Quid ceſſas convivas ſolvere.*] *Convivia* cum Urſini, Mazar. Zulich. Læti, opt. Patav. quinque aliis. *Heinſ.*

676. *Auctor vindictæ nam venit ille ſuæ.*] *Jam venit ecce tuæ* meliores. vel *nam venit.* ſic Rem. Amor.

*Publicus aſſertor dominis oppreſſa levabo*
*Pectora. vindictæ quiſque favete ſuæ.*

vidit ita legendum eſſe quoque Pigius, & paulo ante *Servierat.* qua in re aſſentientes habet vetuſtos codices. Cæterum paulo aliter hanc hiſtoriam narrant Livius libro IX. cap. XXX. Val. Maximus lib. II. cap. V. & Plutarchus in Problematis Romanis. *Idem.* *Auctor vindictæ, &c.*] Inſtrumentum hîc pro libertate Βινδικτα ἢ ῥάβδος, inquiunt Græci Juriſconſulti; quâ ſupra ſervi caput impoſitâ, à Prætore manumittebatur. *N.*

680. *In plauſtro ſcirpea lata fuit.*] *Sirpea lata* habent tres antiqui duo *ſirpea nata.* multi *ſcirpea nata.* Thuani *matta.* Gryphianæ editionis margo *ſcirpea larva.* Scaliger & Muretus *matta* conjiciunt. ut Læti codex & unus Vatic. Salmaſius ad Hiſtoriam Auguſtam & illum ſecutus Neapolis *ſirpea lata.* ut *ſirpea* ſit ſubſtantivum. quod neſcio an alibi occurrat. Certe vox *matta* non eſt in uſu Latinis niſi ſcriptoribus poſteriorum temporum. Plutarchus ἁμάξας δέῤῥεσι κύκλῳ περικαλυπτομένας vocat, qui in omnibus fere hujus hiſtoriæ cum Naſone conſentit. quare fuit cum *Scortea* legendum putarem. *Heinſ.* *Sirpea lata fuit.*] Sirpare veteribus, pro colligare, Græcis πλέκειν. Ergo, *ſirpea* colligatum τὸ πλέγμα. Tegiticula igitur quædam è vimine contexta circa plauſtrum erat (hoc ſupra Plutarchus facit pellibus circumquaque contectum) ſudibus munita, ut expanderetur, ne aliquid decideret. *Capſum* Latinis. Iſidorus: *Capſum, carruca undique contexta.* Neap.

681. *Et motus.*] Plauſtri illa agitatio. *Et merum.*] Quod efficacius eſt ad inciendum ſoporem.

682. Tu-

Potaque ſe Tibur turba redire putat.
Jamque per Eſquilias Romanam intraverat urbem;
Et mane in medio plauſtra fuêre Foro.
Plautius, ut poſſent ſpecie numeroque Senatum
Fallere, perſonis imperat ora tegi.
Admiſcetque alios: &, ut hunc tibicina cœtum
Augeat, in longis veſtibus ire jubet.
Sic reduces bene poſſe tegi: ne forte notentur
Contra collegæ juſſa redîſſe ſui.

Res

682. *Turba redire putat.*] *Putant* unus liber. *Heinſ.*

683. *Per Exquilias.*] Per portam Exquilinam, quam Tyburtinam quoque vocant: Hoc tempore vocatur porta ſancti Laurentii.

684. *Et mane.*] Cum illuceſceret. *Plauſtra fuere in medio foro Romano.*] Et Livius, *Nec prius ſenſere, quam plauſtris en foro relictis, plenos crapula eos lux oppreſſit.*

685. *Callidus ut poſſet ſpecie numeroque Senatum Fallere.*] Ita libri ſcripti, quos videre mihi contigit, conſtanter. Editiones nonnullæ *Claudius.* quomodo manu recentiori erat ſcriptum in Urſini libro, & in codice Pomponii Læti pro diverſa lectione. Mazarin. *Calidus.* libri veteresNeapolis *Cautius.* quare in Pighio aſſentitur lib. I. Annal. corrigenti *Plautius.* A. V. C. CDXLII. de lectione *Cautius*, Neapolis non ſua ſed Pigii fide uſus eſt. cujus emendationem amplector. Idem *poſſent* pro *poſſet* reponit, & pro *Senatum*, *Sanatum*. feliciter. vide Feſtum in *Sanates*. Urſini tamen codex, prim. Med & quatuor alii *Senatus*. Mazar. Zulich. opt. Patav. prim. Farneſ. Arondel. *Paratus.* Pighii emendationem rejicit Voſſius Grammatici operis. l. II. c. XVII. quod *Sanates* tanquam *ſanatæ mentis* Feſto dicantur. atque ita prima repugnet ſyllaba. ſed quid ſi nugatus ſit Feſtus? certo Tò *Senatum* ferri non poteſt. quanquam enim Livius, Val. Maximus ac Plutarchus in nonnullis à ſe invicem hic diſſentiant, in eo tamen conveniunt, quod tibicines repetitos à Tiburtibus per Senatum Romanum aſſeverent. ut opus non fuerit Senatum falli. *Heinſius.* *Claudius ut poſſet.*] Variant & ſcripti, & cuſi: Pighio adſentior, qui ſcribit, *Plautius ut poſſet.* Hic collega fuit Appii Claudii, ut diximus: quem veriſimile operam dediſſe, ut tibicines levatis gravaminibus in integrum reſtituerentur; non Appium Claudium, qui tibicines non ſemel offenderat, quidpiam illis indulſiſſe. *Neap.*

688. *Eſſe jubet.*] *Ire* Gryphius & duo veteres. recte. & mox *rediſſe* pro *redire* meliores. niſi quod codex Urſini *venire.* Heinſ.

690. *Contra juſſa ſui collegæ.*] Suorum collegarum: ſi qui erant, qui Tybure remanſiſſent. Quoniam ita conſtituerant, non redire, niſi reſtituto priore honore, & jure epulandi: ſed ita perſonati non videbantur fefeliſſe collegas. Senatus tamen omnia reſtituit. *Paul.* *Contra collegæ.*] Appii Claudii. *Juſſa rediſſe ſui.*] Hoc placuit Plautio, ne populus haud unanimi amborum conſenſu in urbem reſtitutos animadverteret: non quod uni eorum pſephiſmata collegæ reſcindere poteſtas ademta. Paſſim videmus, ut Cenſorum alter è Senatu aliquem ejiciat, retineat alter: tribu alter moveat, vetet alter. exemplum in Livio lib. 40. ſub finem; Hinc quorumdam Cenſorum concordia pro re ſingulari

Res placuit: cultuque novo libet Idibus uti;
Et canere ad veteres verba jocoſa modos.
Hæc ubi perdocuit, Supereſt mihi diſcere, dixi,
Cur ſit Quinquatrus illa vocata dies.
Martius, inquit, agit tali mea nomine feſta:
Eſtque ſub inventis hæc quoque turba meis.
Prima terebrato per rara foramina buxo,
Ut daret effeci tibia longa ſonos.
Vox placuit: liquidis faciem referentibus undis
Vidi virgineas intumuiſſe genas.
Ars mihi non tanti eſt; valeas, mea tibia, dixi.
Excipit abjectam ceſpite ripa ſuo.
Inventam Satyrus primum miratur: at uſum
Neſcit, & inflatam ſentit habere ſonum.

Et

notata ab Hiſtoricis. *Neap.* *Res placuit.*] Et tibicinibus & ſenatui. *Et idibus.*] Et Juniis ſcilicet. *Licet uti novo cultu.*] Ornatu. Datum enim eſt, ut triduum quotannis ornati, cum cantu, atque ea quæ tunc erat ſolennis licentia, per urbem vagarentur.

691. *Licet Idibus uti.*] Malo *libet* cum Hamburgenſi. vel *juvat* cum Oxon. & uno Vatic. *Heinſ.*

691. *Habet tali mea nomine feſta.*] *Agit* meliores. quidam *ait.* proxime verum. Met. XI.

*—— feſtum genialiter egit*
*Per bis quinque dies.*

Idem.

697. *Buxo terebrato.*] Perforato. *Per rara.*] Pauca enim erant in antiqua tibia. Immo volunt tria tantum fuiſſe, à tribus in cantu & ſono vocibus, gravi, acuta, & flexa; poſtea plura facta ſunt.

700. *Vidi & virgineas.*] Delent meliores Tc &. Heinſ.

701. *Ars mihi non tanti eſt valeas mea tibia dixit.*] Voſſ. & duo alii cum Naugeriano *valeas ars optima, dixi.* & tum legam, *Ars mihi non tanti es.* pri. Bonon. *cava tibia.* Idem. *Valeas mea tibia, dixi.*] Nil aliud hic *valeas* quam Græcum ἔῤῥω. *Neap.*

702. *Excipit abjectam.*] *Ejectam* Putean. & Douſæ excerptu. hoc eſt, aqua ejectam. lib. II. de Campo Martio,

*Qui tamen ejectâ ſi forte tenebitur undâ.*

mox *at uſum* non & Læti codex. probe. *Heinſ.*

703. *Satyrus.*] Satyrum appellat Marſyam regem, qui geminam tibiam adinvenit, & fluvius eſt ejuſdem nominis in Mæandrum cadens. *Paul.*

704. *Afflatam ſentit habere ſonum.*] *Inflatam* rectius Mazar. Zulich. Arond. Læti, & ſex alii. nonnulli *efflatum* vel *efflatam* fruſtra. lib. IV. *furioſaque tibia flatur.* & *inflexo Berecynthia tibia cornu Flabit.* lib. XI. Met. *inflato Berecynthia tibia cornu.* Emenda Propertium lib. III. Eleg. III.

*Nec tibi ſit rauco prætoria claſſica cornu*
*Flare, nec Aonium cingere Marte nemus.*

ubi perperam *Flere* nunc circumfertur. quod & Janum Douzam video deprehendiſſe. *Heinſ.* *Afflatam ſenſit habere ſonum.*]

Et modo demittit digitis, modo concipit auras:
Jamque inter Nymphas arte ſuperbus erat.
Provocat & Phœbum. Phœbo ſuperante pependit:
Cæſa receſſerunt à cute membra ſuâ.
Sum tamen inventrix auctorque ego carminis hujus.
Hoc eſt cur noſtros ars colat iſta dies.
TErtia lux veniat, quâ tu Dodoni Thyene,
Stabis Agenorei fronte videnda bovis.
Hæc eſt illa dies, qua tu purgamina Veſtæ,
Tybri, per Etruſcas in mare mittit aquas.
SI qua fides ventis; Zephyro date carbaſa, nautæ:
Cras veniet veſtris ille ſecundus aquis.
AT pater Heliadum, radios ubi tinxerit undis,
Et cinget geminos ſtella ſerena polos;
Tollet humo validos proles Hyriêa lacertos;
Continua Delphin nocte videndus erit.

Sci-

*ſonum.* ] Inde doctior, geminas tibias inflavit. Primus fiſtulam πολυκάλαμον, ſive σύριγγα, inveniſſe dicitur; capiſtrum etiam, quo tibicines os ſibi ſubſtringebant. de quo Scholiaſtes Ariſtophanis, & alii. *Neap.*

705. *Et modo dimittit digitos.* ] *Digitis* Naugerii, Mazar. Zulich. Urſini. Arond. opt. Patav. & ſex alii. vere. *Heinſ.* *Modo concipit auras.* ] Totam hanc artem mire expreſſit elegans Cyprianus in libello de Spectaculis. *Neap.*

707. *Provocat & Phœbum.* ] Provocavit Marſya Apollinem in certamen cantus, cum in Niſam urbem ad Dionyſium veniſſet cum Cybele.

708. *Cæſa receſſerunt à cute.* ] Pependit illa Celænis. Herodotus de hac l. 7. *Paul.*

710. *Ars colit.* ] *Colat* meliores. ſequenti verſu pro *nox* legit *lux* Berſmannus, atque ita Mazar. à manu prima, & plurimi alii. pro *veniet* Naugerii codex *venit.* Lege, *Tertia lux veniat.* ſic paſſim Noſter in his libris loquitur. *Heinſ.*

611. *Tertia nox veniet.* ] Erit tertia, ſi includas Idulim. nec alia mens Naſonis: nam Hyadum ortum conjicit in diem, quâ ſtercus ex æde Veſtæ defertur in Tiberim. id ſolemniter actum à veteribus XVII. Kalendas Julias. *Thyene* una Hyadum: cujus mentione indicat earum ἐπιτολήν. *N.* *Dodona Thyene.* ] *Dodoni* meliores. & mox *Agenorei bovis* pro *Agenorea.* Reſpicit enim taurum, à quo Europa rapta eſt. *Heinſ.*

712. *Fronte bovis Agenorei.* ] In fronte Tauri, qui cœlo figuratus eſt. de quo diximus ſuperius. Et de Hyadibus ſuperiore libro: quæ cum ſint in fronte Tauri, ſecunda die Maji matutinæ ſurgebant. Nunc vero tempeſtivius ſurgunt, & media nocte apparent. Fuere ipſæ numero ſeptem, & *nymphæ Dodonides* appellatæ. Ultima earum Thyene eſt.

717. *At pater Heliadum.* ] Eâdem luce cum Sole Orion ſimul emergit: nec eſt cur ambigas, an agat de ortu coſmico. *N.* *Pater Heliadum.* ] Phœbus: hoc eſt ipſe Sol. Nam *Heliades* dictæ Solis filiæ.

719. *Tollet humo.* ] Elevabit à tellure, *Proles Hyrea.* ] Orion Hyrei filius. *Valido,*



*dos*

Scilicet hic olim Volſcos Æquoſque fugatos
Viderat in campis, Algida terra, tuis.
Unde ſuburbano clarus, Tuberte, triumpho,
Vectus es in niveis, Poſtume, victor equis.
JAm ſex, & totidem luces de menſe ſuperſunt:
Huic unum numero tu tamen adde diem.
Sol abit è Geminis, & Cancri ſigna rubeſcunt:
Cœpit Aventinâ Pallas in arce coli.
JAm tua, Laomedon, oritur nurus: ortaque noctem
Pellit, & è pratis uda pruina fugit.
Reddita, quiſquis is eſt, Summano templa feruntur,
Tum, cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.
HAnc quoque cum patris Galatea receperit undis,
Plenaque ſecuræ terrà quietis erit;
Surgit humo juvenis telis afflatus avitis;
Et

*dos lacertos.* ] Καρτερὸν dixit virum Aratus. *N.* *Proles Hyrea.* ] *Hyriſea* Urſini & opt. Petav. *Hyrtea* Zulich. *Hyrſea* Mazar. Lege *Hyriea.* dixi lib. v. vſ. 499. *Heinſ.*

721. *Volſcos Æquoſque fugatos.* ] Eodem xv. anno Urbis CCCXXII. A. Poſtumus Tubertus inſignem victoriam adeptus in Algido ex expugnatis uno tempore Æquorum Volſcorumque caſtris. Adi Livium. *Neap.*

723. *Tiburte triumpho.* ] *Tuburte* Læti codex. tertius Mediceus & Polit. *Tuberte.* quod verum eſt. pro *Poſtume* veteres plerique *poſtmodo.* Heinſ.

724. *Vectus es in niveis.* ] Meminit & triumphi Diodorus Siculus libro 12.

725. *Jam ſex & totidem luces de menſe ſuperſunt, &c.* ] Decima octava etiam die Junii ſol relictis Geminis, ingreditur Cancrum, & in Aventino dedicata eſt ædes Palladi à ſenatu. *Jam ſex & totidem.* ] 13. Kalendas Sol tranſit in Cancrum. *Neap. Superſunt.* ] Malim *ſuperſint.* Heinſ.

729. *Jam, ó Laomedon, oritur tua nurus.* ] Aurora conjux tui filii Tithoni. *P. Jam tua Laomedon.* ] 12. Kalendas erat Summani ſacrum: eodem die in fragmento veteris Kalendarii, in quo tantum pars Maji & Junii his literis, C C. SUMMANO AD CIRC. MAX. Nigra pecus inferis immolabatur. *Neap.*

730. *Cana pruina fugit.* ] Arond. multique alii ex antiquis *ima* vel *una.* Sed recte Urſini, Voſſii, & ſex alii, *uda.* quamquam vulgatam lectionem non damno. duo *orta.* totidem *vana.* Heinſ.

731. *Summano quiſquis is eſt.* ] Quicunque deus ſit Summanus. Huic deo Romani nocturna fulmina aſſignant, cum diurna Jovi attribuant. Eâ ratione volunt aliqui Summanum eſſe Plutonem dictum, quaſi ſummum manium. *Paul.*

732. *Pyrrhe timendus eras.* ] Anno ſecundo belli Tarentini. Sed cultus antiquior, & à Tatio Rege, ut volunt priſci Annales apud M. Varronem. *N.*

733. *Hunc quoque.* ] Imo *Hanc,* id eſt, Auroram cum Voſſ. Sarrav. & quatuor aliis. *Heinſ. Cum Galatea.* ] Nympha maris, filia Nerei & Doridis. Sed pro ipſo mari in hoc loco. *Hanc quoque cum patriis.* ] Eodem 12. nocte ineunte oritur Ὀφιοῦχος. *Neap.*

737. No-

Et gemino nexas porrigit angue manus.
Notus amor Phædræ, nota eſt injuria Theſei:
Devovit natum credulus ille ſuum.
[Non impune pius juvenis Trœcena petebat.
Dividit obſtantes pectore taurus aquas.]
Sollicitì terrentur equi; fruſtraque retenti
Per ſcopulos dominum duraque ſaxa trahunt.
Exciderat curru, loriſque morantibus artus
Hippolytus lacero corpore raptus erat:
Reddideratque animam, multum indignante Dianâ.
Nulla, Coronides, cauſa doloris, ait.
Namque pio juveni vitam ſine vulnere reddam;
Et cedent arti triſtia fata meæ.
Gramina continuo loculis depromit eburnis:
Profuerant Glauci manibus illa prius:
[Tunc, cum obſervatas augur deſcendit in herbas;
Uſus & auxilio eſt anguis ab angue dato.]
Pectora ter tetigit, ter verba ſalubria dixit:
Depoſitum terrâ ſuſtulit ille caput.
Lucus eum, nemoriſque tui, Dictynna, receſſus

Ce-

737. *Notus amor Phædra.*] Hoc μυθολόγημα nihil moror. Vide Hyginum lib. II. Poët. Aſtron. *Neap.*

738. *Ille credulus.*] Theſeus, qui dictis uxoris fidem adhibuit.

739. *Non impune pius.*] Hoc diſtichon agnoſcit Urſini codex cum duobus melioris notæ Patavinis. Idque Naugerius ex ſuo in poſtremam editionem admittere non dubitavit. Cave tamen credas Naſonis eſſe. *Heinſ.*

745. *Multum indignante Diana.*]
Ἐγὼ γὰρ αὐτῆς ἄλλον ἐξ ἐμῆς χερὸς,
Ὃς ἂν μάλιστα φίλτατος κυρεῖ βροτῶν,
Τόξοις ἀφύκτοις τοῖς δὲ τιμωρήσομαι.
Ipſa loquitur in Hippol. Eurip. vſ. 1420

746. *Coronides.*] Æſculapius Apollinis & Coronidis nymphæ filius.

750. *Glauci manibus illa prius.*] Hunc etiam vult vitæ redditum ab Æſculapio: quod factum à Polydio ſcribit Apollodorus. quem omnino vide lib. 3. Bibliotheces ſub initium. *Neap.*

751. *Tunc cum obſervatas.*] Nullum commodum ſenſum elicueris ex hoc diſticho. Quare certus ſum, id quoque ſpuriæ eſſe notæ. *Heinſ.*

752. *Uſus & auxilio.*] Cum Æſculapius de Glauco ad vitam revocando mente agitans, in ſeceſſu quodam ſerpentem baculo percuſſum interfeciſſet, alter herbam ore ferens accurrit, & mortui caput ea contigit: quo facto, ambo inde incolumes receſſerunt. *Ant.*

755. *Nemoriſque ſui Dictynna receſſu.*] Vel *tui* Sarrav. Scribe,
*Lucus eum nemoriſque tui, Dictynna, receſſus*
*Celat.*

Celat: Aricino Virbius ille lacu.
At Pluto Clothoque dolent, hæc fila reneri,
Hic fieri regni jura minora ſui.
Jupiter exemplum veritus direxit in illum
Fulmina, qui nimiæ moverat artis opem.
Phœbe, querebaris. Deus eſt. placare parenti.
Propter te, fieri quod vetat, ipſe facit.

NOn ego te, quamvis properabis vincere, Cæſar,
Si vetet auſpicium, ſigna movere velim.

Sint

nam in Zulichemiano *receſſus.* Heinſ: *Dictynna receſſu.* ] De hoc cognomento Dianæ adi Diodorum Siculum *βιβλιοθήκης* lib. 5. quæ Βριτόμαρτις dicta. *N.*

756. *Ille eſt Virbius.* ] Miſſo enim priore nomine, *Virbius* eſt appellatus.

757. *At Lacheſis Clothoque dolent ſua fila teneri,*
*Et fieri regni jura minora ſui.*

pro *Lacheſi* in uno Farneſ. Regio, meo, eſt *Limenus.* Putean. *Limens.* alius *Limenons.* Erfurtanus *Climenes.* in Mazar. Zulich. pri. Farneſ. aliiſque nonnullis eraſa vetus lectio. etiam in Voſſiano. ubi relicta ad marginem priſcæ lectionis interpretatio ridicula, *Limines ſive Liminus Deus dicitur eſſe liminis.* deinde meliores omnes, *hac fila teneri, Hic fieri regni.* Latet haud dubie mendum. Scribe,

*At Clymenus Clothoque dolent; hæc fila reneri.*
*Hic fieri regni jura minora ſui.*

Poſſet & *Clymenos* legi. ſingula videamus. Cur Pluto Clymenus dicatur, cauſam dat Auctor Etymologici. Κλύμενος ὄνομα κύριον ἥρωος. παρὰ τὸ κλύω τὸ δοξάζω. ἐςὶ καὶ ἐπίθετον ᾅδου. τουτέςιν ὁ πάντα καλῶν πρὸς ἑαυτὸν, ἢ ὁ ὑπὲρ πάντων ἀκουόμενος. in Anthologia Græcorum Epigrammatum libro tertio: capite εἰς ὄρνις, Epigrammate Anytes,

Οὐκ ἔτι δὴ ἐγείρει σε κατ᾽ ἀφνεὸν ἀκίδος οἶκον
Ἄγρια μελιζομέναν ἴφιτας ἀίλινος.

Ἤδη γὰρ λειμῶνας ἐπὶ Κλυμένου πεπότηκας,
Καὶ δροσερὰ χρυσέας ἄνθεα περσεφόνας.

& eodem libro, capite εἰς ποιήτας Antipatri epigrammate εἰς Ὀρφέα.

Ὅς καὶ ἀμειλίκτοιο βαρὺ Κλυμένοιο νόημα
Καὶ τὸν ἀκήλητον θυμὸν ἔθελξε λύρῃ.

*Clymenus* igitur Pluto. quod paucis hactenus fuiſſe notum opinor. quapropter & recte additur, dolere illum, *regni ſui jura fieri minora.* cum Clotho doleat *reneri ſua fila.* nam *reneri* legendum eſſe vidit ad Herodis Attici inſcriptionem Salmaſius. Adi Notas noſtras Epicedio in mortem Druſi. vſ. 444. *Heinſ.*

760. *Noverat artis opem.* ] *Moverat* Zulich. opt. Patav. Læti, & tres alii. bene. niſi *foverat ope* mavis. nam tres ſcripti *voverat.* ſuperiori verſu *exemplo veritus* Urſin. pri. Patav. & Mazar. *extemplo* Zulich. *Idem.*

762. *Propter te fieri, quod vetat, ille facit.* ] *Flecti* Mazar. *fleri* Sarrav. & multi alii. quidam *quod facit ipſe vetat.* duo *facis.* Idem.

763. *Non ergo te, quamvis.* ] IX. Calendas occubuit ad lacum Thraſimenum C. Flaminius Conſul clade inſigni: ob ſpreta auſpicia putarunt illi cæci; ideo hæc Cæſari modo commendat. *Neap.*

764. *Si vetat.* ] *Vetet* meliores. & *ſint* teſtes pro *ſunt.* Heinſ.

769. Pe-

Sint tibi Flaminius Thraſymenaque litora teſtes;
 Per volucres æquos multa monere Deos.
Tempora ſi veteris quæris temeraria damni;
 Quartus ab extremo menſe bis ille dies.
POſtera lux melior. ſuperat Maſiniſſa Syphacem;
 Et cecidit telis Hasdrubal ipſe ſuis.
TEmpora labuntur; tacitiſque ſeneſcimus annis;
 Et fugiunt fræno non remorante dies.
Quam cito venerunt Fortunæ Fortis honores!
 Poſt ſeptem luces Junius actus erit.
Ite, Deam læti Fortem celebrate, Quirites:
 In Tiberis ripâ munera Regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymbâ.
 Nec pudeat potos inde redire domum.
Ferte coronatæ juvenum convivia lintres;
 Multaque per medias vina bibantur aquas.
Plebs colit hanc: quia, qui poſuit, de plebe fuiſſe
 Fertur, & ex humili ſceptra tuliſſe loco.
Convenit & ſervis: ſervâ quia Tullius ortus
 Conſtituit dubiæ templa propinqua Deæ.
ECce ſuburbanâ rediens male ſobrius æde
 Ad ſtellas aliquis talia verba jacit.
Zona latet tua nunc, & cras fortaſſe latebit:

De-

769. *Poſtera lux melior.* ] VIII. Kalendas Syphax ille à Scipione Africano ſecundo prælio dirutus; tertio victus & captus à C. Lælio & Maſiniſsâ Rege: nec multo poſt, Cyrta regni caput, Sophonisba uxor, & regia familia anno Urbis DL. *Neap.*

770. *Haſdrubal ipſe ſuis.* ] Id fuit antea, anno Urbis DXLVI. C. Claudio Nerone & M. Livio Salinatore Coſſ. *Neap.*

773. *Fortunæ Fortis honores.* ] Nam ſunt eodem VIII. Kalendas Julias. De hac celebritate M. Varro lib. V. de L. L. *Neap.*

776. *In Tiberis ripa.* ] *Secundum Tiberim*, ait Varro; nimirum ultra flumen; nam Fortis Fortunæ templum ſitum in Tranſtiberinâ regione; vel ex eo patet, quod Naſo ſubdit vel ponte vel naviculâ illud adeundum. *Neap.*

779. *Vos lintres.* ] Naviculæ coronatæ. *Ferte convivia juvenum.* ] Juvenes ſimul epulantes.

783. *Serva quia Tullius ortus.* ] Ex captiva Ocriſiâ Ocriculanâ. *Neap.*

787. *Zona tua latet.* ] Non videtur eo tempore zona Orionis. *Zona latet tua nunc.* ] Eodem VIII. Kalendas, ſubdit

 & VII.

Dehinc erit, Orion, adſpicienda mihi.
At ſi non eſſet potus; dixiſſet eâdem
Venturum tempus ſolſtitiale die.
LUcifero ſubeunte Lares delubra tulerunt,
Hîc ubi fit doctâ multa corona manu.
Tempus idem Stator ædis habet, quam Romulus olim
Ante Palatini condidit ora jugi.
TOt reſtant de menſe dies, quot nomina Parcis,
Cum data ſunt trabeæ templa, Quirine, tuæ.
TEmpus Iüleis cras eſt natale Kalendis:
Pierides, cœptis addite ſumma meis.
Dicite Piërides, quis vos adjunxerit iſti,

Cui

& VII. etiam latere: VI. ergo heliace oritur. *Neap.*

790. *Tempus ſolſtitiale.* ] Solſtitium æſtivum: quod Poëta oſtendit ſexto cal. Quintiles, Columella octavo calend. *P. Tempus ſolſtitiale die.* ] Non VIII. Kalendas, & eodem die feſto Fortis Fortunæ. nam manifeſto ſolſtitium eodem die Naſo facit, quo exortum Orionis, ut Aëtius, & alii.

791. *Lucifero ſubeunte.* ] V. Kalendas dicata Larum, & Jovis cognomento Statoris ædes. *Neap. Lares tulerunt delubra.* ] Fuêre illis templa conſecrata. De his diximus in ſecundo libro, & in quinto. Sed quinto calend. Quintil. dedicata ſunt illis templa in ea parte urbis, ubi erant Corolariæ.

792. *Ubi fit multa corona.* ] Ubi ſunt coronarum artifices, præſertim Philyra, & Glycera.

793. *Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim.* ] *Statoris habet* Zulich. at quatuor alii *Stator ædis habet.* Lege ex Urſini libro, & uno Patav.

*Tempus idem Stator ædis habet, quam*
*Romulus olim*
*Ante Palatini condidit ora jugi.*

& ſic in ora Sarraviani pro diverſa lectione. ut jam monuit in Obſervationibus doctiſſimus Gronovius. qui videndus lib. IV. cap. XV. *Heinſ. Erit Statoris.* ] Nam erit feſtum Jovis Statoris. Cujus templum Romulus voto dedicavit, bello Sabino, cum Romana acies inclinaſſet.

794. *Ante ora jugi Palatini.* ] Nam inter Palatium & Capitolium conſtitutum eſt templum.

795. *Natale Kalendis.* ] *Camœnis* Scaliger. *Heinſ.*

796. *Templa, Quirine, tuæ.* ] Loquitur de antiquo illo templo, quod ſtatim Romulo poſuerunt in colle Quirinali, poſt relata Julii Proculi: illud poſtea ſex ſupra ſeptuaginta columnis ornavit Cæſar Octavianus, iterumque dedicavit. Vide Dionem lib. 54. *Neap.*

797. *Tempus natale Iuleis.* ] Die craſtina erunt calendæ Juliæ. Sed *natale tempus, Iuleis* dixit, quod hoc menſe natus eſt Julius Cæſar, ex ſacra Iulæa domo. Et cum prius *Quintilis* diceretur, in honorem Julii Cæſaris, *Julius* appellatus eſt, quod hoc menſe, quarto die iduum Julius ipſe procreatus fuerit *P. Cras eſt natale Kalendis.* ] Relinquit vacuum diem unum: & ſumus, inquit, in ultimâ menſis luce; quâ refecta ædes Herculis Muſarum: cras erunt Kalendæ Juliæ. *Neap.*

799. *Addixerit iſti.* ] *Adjunxerit* Sarravii codex & quinque aut ſex alii. Plurimi,

Digitized by Google

Cui dedit invitas victa noverca manus.
Sic ego: ſic Clio, Clari monumenta Philippi
Adſpicis: unde trahit Marcia caſta genus.
Marcia ſacrifico deductum nomen ab Anco;
In qua par facies nobilitate ſuâ.
Par animo quoque forma ſuo reſpondet in illâ:
Et genus, & facies, ingeniumque ſimul.
Nec quod laudamus formam, tam turpe putaris.
Laudamus magnas hac quoque parte Deas.
Nupta fuit quondam matertera Cæſaris illi.
O decus, ô ſacrâ fœmina digna domo!
Sic cecinit Clio: doctæ aſſensêre ſorores.
Annuit Alcides, increpuitque lyram.

rimi, etiam ex melioribus, *adduxerit.* Heinſ.

800. *Noverca victa.*] Juno, quæ victa tandem eſt virtute illius. *Noverca victa.*] Feſſa jubendo.

801. *Clari monumenta Philippi.*] Tacet antiquum templi auctorem, & nominat juniorem. Antiquus fuit Fulvius Nobilior. Habeas ſecundum: is fuit Philippus Auguſti vitricus, qui jam vetuſtate collapſum reſtituit: tale nihil apud antiquos. *Neap.*

802. *Martia.*] Lege *Marcia* & hic & alibi. idque cum Urſini libro & duobus aliis. *Heinſ.* *Marcia caſta.*] Hæc filia fuit Martii Philippi, quam Cato Uticenſis poſt divortium Attiliæ, puellam admodum uxorem duxit. *Paul.* *Marcia caſta genus.*] Hæc illa eadem, quæ ſumme dilexit noſtri conjugem. *Neap.*

803. *Ab Anco ſacrifico.*] *Sacrifico* dixit, quoniam natus eſt ex filia Numæ Pompilii, qui tot ſacrificia & cerimonias inſtituit.

804. *Nobilitate fuit.*] *Sua* meliores magno numero. & mox *reſpondet* pro *reſpondit*. recte. Nam erat etiamnum in vivis Marcia. *Heinſ.*

807. *Laudamus magnas deas.*] Laudare ſolemus Junonem, Pallada, Dianam, Venerem, & cæteras. *Tu turpe putaris.*] *Tam turpe* iidem, *forma* pro *formam* etiam concinne unus Mediceus. *Heinſ.*

809. *Nupta illi.*] Philippo. Ipſe Martius Philippus antequam habuiſſet Actiam matrem Auguſti uxorem, habuit ſororem matris Cæſaris.

812. *Increpuitque lyra.*] *Lyram* Urſini, Sarravii, & tres alii. Ep. Briſeidis,

*Threïciam digitis increpuiſſe lyram.*

quem verſum repetit Amor. l. II. El. XI. In Ibide,

*Terque cruentatas increpuere manus.*

Triſt. I. Eleg. III.

*Increpuit quantis viribus unda latus.*

*increpat ſonitum tuba* apud Virgil. Æn. IX. Propertius libro III.

*Increpat abſumtum nec ſua mater Ityn.*

Calpurnius Ecloga V.

*At ſimul arguta nemus increpuere cicada.*

ſic & *concrepare* ſupra lib. V.

*Rurſus aquam tangit, Temeſaaque concrepat æra.*

Atque hactenus, quæ ad Faſtos Naſonianos obſervavi. Cæterum in Urſini veterrimo codice & literis Longobardicis ſive Saxonicis, quas vocant, exarato, tum etiam in duobus Patavinis melioribus, uno præterea Vaticano, ac Sfortianæ bibliothecæ codice, quem obiter Romæ inſpexi, ſubjungebantur verſus hi quatuor,

*Si novus à Jani ſacris numerabitur annus*

Quin-

*Quintilibus falſo nomine dictus erit.*
*Si facis; ut fuerant, primas à Marte Kalendas,*
*Tempora conſtabunt ordine ducta ſuo.*

Vaticanus hoc initium libri ſeptimi conſtituebat. at amiciſſimus Gronovius noſter monuit me inſpectam ſibi fuiſſe in Norico vetuſtam Naſonis editionem, cui Celtes Protacius, qui primus poſt renatas literas poëſin in Germania inſtauravit, manu ſua adſcripſiſſet, reliquos ſex Faſtorum libros ſervari apud Presbyterum in pago prope Ulmam, principiumque ſeptimi libri in illo codice tale exaratum fuiſſe.

*Tu quoque mutati cauſas & nomine menſis*
*A te qui ſequitur, maxime Caſar, habes.*

Sed ut dicam ingenue, quod res eſt, opinor Celtem Protacium non tam decepiſſe, quam fuiſſe ab aliis, qui viſum ſibi atque inſpectum hunc codicem affirmarent, deceptum. Nam Lactantius in Divinis Inſtitutionibus aliique veterum cum locos complures ex Faſtis Naſonianis proferant in medium, ex libris tamen deperditis nihil prorſus producunt: ut certum ſit, reliquam Faſtorum partem jam ante multa ſæcula intercidiſſe. *Heinſ.*

FINIS FASTORUM.

P. OVI-

# P. OVIDII NASONIS
# TRISTIUM
## LIBER I.
### ARGUMENTUM.

*Per Proſopopœiam exul & infœlix Poëta librum ſuum admonet, ut è Scythia ad urbem profecturus, eo habitu accedat, quo exules utuntur. Mandatque, quid velit reſponderi ſciſcitantibus, quid ipſe agat. Simulque docet; quomodo ſe excuſet, ſi forte, carmina hæc minora videbuntur ejus ingenio. Poſtremo jubet, ut Palatium evitet, unde fulmen emiſſum in ſe fuiſſe commemorat.*

### ELEGIA I.

PArve, (nec invideo) ſine me, Liber, ibis in Urbem:
(Hei mihi!) quo domino non licet ire tuo.
Vade, ſed incultus; qualem decet exſulis eſſe.
Infelix, habitum temporis hujus habe.
Nec te purpureo velent vaccinia fuco:

Non

HOrum librorum exemplaria etſi præſto fuere non pauca, nullum tamen inter illa, quod multum ſenii aut vetuſtatis præ ſe ferret, præter Vaticanum unum & Hamburgenſe. cum Vaticano Politiani ſchedæ ut plurimum conſpirant. quanquam ne illi quidem codices ad ætatem ſexcentorum annorum adſurgant. reliqui recentioris ſunt notæ, qui ſuo loco deſignabuntur. eos inter Combii codex Venetus & unus Palatinus palmam facile ferunt. *Heinſ.*

1. *Parve liber.*] Vel ſolam hanc elegiam, vel certe totum opus de Triſtibus, aut (quod magis placet Ciofano, Pontano & aliis) primum librum intellige.

3. *Quam decet exulis eſſe.*] Exules enim in ſqualore erant.

5. *Nec te purpureo.*] Nec purpureo amictu induaris. *Vaccinia.*] Vaccinia violas eſſe purpurei coloris, Servius ſcribit. Plinius vero ſcribit fruticem eſſe in Gallia purpureum, idoneum ad tingendum. *Purpureo ſucco.*] *Fuco* Polit. Hamburg. Vatic. & alii octo aut novem ex caſtigatioribus. recte. ut ad Claudianum jam monui lib. I. in Rufinum vſ. 208. abſonum enim prorſus iſtud *velare ſucco.* Sequenti hexametro *charta notentur* pro *notetur* venuſte Rottendorphianus liber. in uno Mediceo pro diverſa lectione *ligetur.* Forte pro *linatur.* quale mendum quoque ſuſtulimus è lib. III. Artis Amator. vſ. 232. ubi plura de *linendi* verbo notamus. Horatius Arte poëtica,

*—— ſperamus carmina fingi*
*Poſſe linenda cedro, & lævi ſervanda cupreſſo.*

*illini* quoque *minio* habes apud Plinium lib. XXIII. cap. VII. *Enumerat auctores Verrius, quibus credere ſit neceſſe, Jovis ipſius ſimulacri faciem diebus feſtis minio*

illini

Non eſt conveniens luctibus ille color.
Nec titulus minio, nec cedro charta notetur:
Candida nec nigrâ cornua fronte geras.
Felices ornent hæc inſtrumenta libellos.
Fortunæ memorem te decet eſſe meæ.
Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes:
Hirſutus paſſis ut videare comis.
Neve liturarum pudeat. qui viderit illas,
De lacrymis factas ſentiet eſſe meis.
Vade, Liber, verbiſque meis loca grata ſaluta.
Contingam certe quo licet illa pede.

Si

*illini ſolitum, triumphantiaque corpora. perunctum cedro libellum* dixit Martialis. *Heinſ.*

7. *Nec titulus minio.*] Inſcriptiones & tituli elegantiæ cauſa fiebant rubrica, hoc eſt, minio, aut cinnabari. Belg. *Vermillioen.* P. *Nec cedro charta notetur.*] Cedrus arbor eſt, quæ cariem vetuſtatemque non ſentit. *Mer.* Succo aut oleo cedrino linebantur chartæ & diuturnitatis à carie, & odoris ergo. Plin. lib. 16. cap. 29.

8. *Candida cornua.*] *Cornua* appellat ſuperiorem & inferiorem chartæ partem: *frontem* vero, ipſam paginam. *Mer.* *Candida nec nigra cornua fronte geras.*] Scribebant antiqui in altera tantum paginarum facie, perpetuo ductu, ad extremum uſque folium: in quo firmitudinis gratia cylindrum ſeu bacillum teretem cedrinum, eburneum agglutinabant, pro modo latitudinis membranæ præciſæ, eundemque nominabant umbilicum; quod ſicut umbilicus in medio ventre, ſic ille libro jam circumvoluto medium eſſet. Hujus bacilli capita, ſuperne & inferne eminentia, argento, auro, aut ebore ornatus cauſa præmuniebant; & hæc *cornua* dicebant. Poſtea paginas inſtar ſpiræ convolutas complicabant, indeque *volumen* nominabant, à volvendo. *Pont.* Vide & Paul. Manut. in Epiſt. Fam. 7. lib. 3. qui dicit, extremas partes, extra volumen eminentes, ob cornuum ſimilitudinem, *cornua* vocari: quibus & ornamentum aliquod addi ſolitum. Dicit ergo Ovidius libro ſuo: Ne geras candida cornua, quæ indicia ſunt fortunæ lætioris; ſed atrata. *C.*

9. *Hac inſtrumenta.*] Hæc ornamenta prædicta.

11. *Gemina.*] Utramque chartæ planitiem intelligit, puta exteriorem, & interiorem: quæ ambæ prius pumice radebantur; tum ob elegantiam, tum ne aſperitas calamum offenderet ac retardaret. Sic & Martial. lib. 2. librum ſuum alloquens loquitur: *Cedro nunc licet ambules perunctus, Et frontis gemino decens honore, Pictis luxurieris umbilicis, Et te purpura delicata velet, Et cocco rubeat ſuperbus index.* *Fragili pumice.*] Erant autem pumices in uſu poliendorum librorum gratia. laudatiſſimi ſunt in Melo, Scyro, & Æoliis inſulis. Probatio in candore, & in minimo pondere, & ut quam maxime ſpongioſi atque aridi ſint, ac teri faciles. Unde Ovidius non immerito, *fragilem* appellavit.

12. *Sparſis comis.*] *Paſſis* editiones antiquæ & inter ſcriptos codices multi. probe. nihil frequentius occurrit apud Naſonem. Haſmenſis *comas* pro diverſa lectione. ut uſitato Græciſmo videatur reponendum,

*Hirſutus paſſas ut videare comas.*

mox etiam *ſentiet* meliores. *Heinſ.*

13. *Liturarum.*] Macularum. Ovid. *Quaſcunque aſpicies; lacryma fecere lituras.*

17. Si

Si quis, ut in populo, noſtri non immemor illic,
  Si quis, qui, quid agam, forte requirat, erit;
Vivere me dices: ſalvum tamen eſſe negabis.
  Id quoque, quod vivam, munus habere Dei.
Atque ita te cautus quærenti plura legendum,
  Ne, quæ non opus eſt, forte loquare, dabis.
Protinus admonitus repetet mea crimina lector;
  Et peragat populi publicus ore reus.
Neu cave defendas, quamvis mordebere dictis.
  Cauſſa patrocinio non bona pejor erit.

Inve-

17. *Si quis, ut in populo noſtri non immemor, illo,*
*Si quis, qui, quid agam forte requiret, erit.*

multi *immemor extat.* duo cum primâ editione *illi.* Scribe *illic. requirat* etiam caſtigatiores. pro *Si quis* poſteriori verſu, quæ repetitio inconcinna eſt, ſi quid video, *Civis* rectius reponatur, utcunque membranis omnibus invitis,

*Si quis, ut in populo, noſtri non immemor illic*
*Civis, qui, quid agam, forte requirat, erit.*

ut *in populo.* Pont. lib. IV. Eleg. V.

*Si quis, ut in populo, qui ſitis & unde requiret.*

& lib. Triſt. II.

*Per patriam quæ te tuta & ſecura parente eſt,*
*Cujus, ut in populo, pars ego nuper eram.*

Pont. lib. I. Eleg. VII.

*Cætera ſit ſoſpes cultorum turba tuorum,*
*In quibus, ut populo, pars ego parva fui.*

Horatius lib. I. Sat. VI.

*—— veſtem famuloſque ſequentes,*
*Ut magno in populo, ſi quis vidiſſet.*

Virgilius,

*Ac veluti magno in populo, cum ſæpe coorta eſt*
*Seditio.* Heinſ.

20. *Dei.*] Auguſti Cæſaris.

21. *Teque ita tu tacitus.*] Scripti *Atque ita tu* vel *te.* codex Barberinus præterea, qui inter meliores eſt, *cautus* agnoſcit. de quo mox videbimus. *tacitus* enim dici vix poteſt, quem loquentem inducit. & eadem vox paulo poſt iteratur minus concinne. *Heinſ.* *Atque ita tu tacitus.*] Ut ordo: Atque ita tacitus quærenti plura; te legendum dabis: ne forte loquare ea, quæ non eſt opus loqui. Innuit autem tres de Arte amandi libros.

22. *Ne qua non opus eſt forte loquare dabis.*] *Cave* veteres noſtri. & plerique *quod* pro *qua.* primæ editiones *Ne quod opus non eſt.* Puto,

*Atque ita te cautus quærenti plura legendum,*
*Ne, quod non ſit opus, forte loquare, dato.*

Heinſ.

23. *Mea carmina.*] Meos libros amatorios. Legitur etiam: *Mea crimina:* Scripſiſſe amatoria, & neſcio quid vidiſſe, duo ſunt Naſonis peccata.

24. *Et peragar pluribus reus.*] Et non tantum à Cæſare, ſed etiam ab omnibus condemnabor. *Agere* enim *reum*, eſt reum accuſare; reum facere, inter reos referre. *Publicus.*] Ut qui in Rempub. commiſerim.

26. *Cauſa patrocinio non bona major, erit.*] *Pejor* ſex ſcripti argute. & paulo ante *Neu cave defendas* ſcribendum pro *Tu.* quidam enim veterum *Me.* alii *Te.* Heinſ.

30. *Paud*

Invenies aliquem, qui me ſuſpiret ademtum,
 Carmina nec ſiccis perlegat iſta genis:
Et tacitus ſecum, nequis malus audiat, optet,
 Sit mea lenito Cæſare pœna minor.
Nos quoque, quiſquis erit, ne ſit miſer ille, precamur,
 Placatos miſero qui volet eſſe Deos.
Quæque volet, rata ſint; ablataque Principis ira
 Sedibus in patriis det mihi poſſe mori.
Ut perages mandata, Liber, culpabere forſan;
 Ingeniique minor laude ferêre mei.
Judicis officium eſt, ut res, ita tempora rerum
 Quærere. quæſito tempore tutus eris.
Carmina proveniunt animo deducta ſereno:
 Nubila ſunt ſubitis tempora noſtra malis.
Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt:
 Me mare, me venti, me fera jactat hyems.

Carmi-

30. *Pœna levis.*] *Mitior* quinque veteres. ut lib. III. Eleg. VI.

*Mutatoque minor ſit mea pœna loco.*

Idem.

31. *Ne ſit miſer ipſe.*] *Ille* ſcripti. & *miſero* pro *miſeris* in verſu proximo. *Id.*

33. *Quæque volet; rata ſint.*] Malim *Qua vovet, ô rata ſint.* vel *ah rata ſint. ablata ira* immerito offendit Ciofanum, ut parum Latine dictum. nam *auferre iram* elegans non minus eſt, quam *auferre jurgium* apud Plautum, & apud Virgilium *metum auferre.* Poſſet tamen & *ſublata ira* legi, vel *ſedata.* vel denique *pacata* cum *placata* ſit in nonnullis, quod ſuperiori verſu præceſſerat. mox ſcribendum *Ut perages mandata liber.* dum perages. Vulgati & ſcripti *peragas.* Heinſ. *Ablataque principis ira.*] Verecunde Poëta reditum precatur. Ciofan. legend. cenſet, *placataque.* Met. *Quæque volet rata ſint.*] Quæque optabit ex animi ſui ſententia contingant. Alibi: *Quæ precor ut fiant.* Ciofan.

37. *Ut res.*] Rem hîc appellat negotium in cujus quæſtione quæritur locus, tempus, modus, occaſio. *Ita tempora.*] Tempus hic eſt, opportunitas. *Mer. Judicis officium.*] Digreſſio, qua ſua carmina, quæ nulla animi tranquillitate nulloque ſatis commodo loco ſcripta eſſe ait, excuſant. *Ciof.*

39. *Deducta.*] Translatio à lana, quæ in tenuitatem deducitur.

40. *Nubila ſunt ſubitis tempora noſtra malis.*] Imo *pectora.* quicquid libri veteres diſſentiunt. *nubem animi* dicet infra Eleg. III. familiaris eſt ſupinis librariis hic error. ſic ìnfra Eleg. VIII. vſ. 39. hoc libro *pectora ſerena.* ubi *tempora* hactenus legebatur. *animum ſerenum* dixerat ſuperiori verſu. *Heinſ. Tempora noſtra.*] Triſtia. Sic Cicero multum ſæpe iſtoc vocabulo utitur. Dicit etiam. *Valere temporibus.* Cum nempe ex alterius incommodo ſua quis capit commoda. *In turbido enim minus perſpicuè apparet quid rerum agatur.*

42. *Me fera jactat hyems.*] Erat enim in Scythica regione Poëta, quæ magnis frigoribus vexatur. vel ut Ciofan. vult, per *hyemem.* aſperam tempeſtatem intelligit; quia credit hunc librum in itinere ſcriptum.

45. *Has*

Carminibus metus omnis abeſt: ego perditus enſem
  Hæſurum jugulo jam puto jamque meo.
Hæc quoque, quod facio, judex mirabitur æquus;
  Scriptaque cum veniâ qualiacunque leget.
Da mihi Mæoniden, & tot circumſpice caſus;
  Ingenium tantis excidet omne malis.
Denique ſecurus famæ, Liber, ire memento;
  Nec tibi ſit lecto diſplicuiſſe pudor.
Non ita ſe nobis præbet Fortuna ſecundam,
  Ut tibi ſit ratio laudis habenda tuæ.
Donec eram ſoſpes, tituli tangebar amore;
  Quærendique mihi nominis ardor erat.
Carmina nunc ſi non ſtudiumque, quod obfuit, odi,
  Sit ſatis. ingenio ſic fuga parta meo.
I tamen, i, pro me tu, cui licet, adſpice Romam.
  Dî facerent, poſſem nunc meus eſſe liber.
Nec te, quod venias magnam peregrinus in Urbem,
  Ignotum populo poſſe venire puta.
Ut titulo careas, ipſo noſcêre colore:
  Diſſimulare velis te licet eſſe meum.
Clam tamen intrato; ne te mea carmina lædant.
  Non ſunt, ut quondam plena favoris erant.

Si

45. *Hac quoque qua facio.* ] *Hoc quoque quod facio* vetuſtiores. Lege, *Hac quoque quod facio.* Heinſ. *Judex mirabitur.* ] Æquus rerum æſtimator meliores verſus à me non requiret; imo mirabitur, tali tempore, tam bonos, à me ſcriptos. *Pont.*

47. *Da mihi Maonidem.* ] Fac me Homero parem. *Berſman.* *Et tot circumſpice caſus.* ] Nil mutant libri veteres. Cenſeo nihilominus ſcribendum *circumjice.* quo verbo Tullius ac Livius non ſemel utuntur. *Heinſ.*

53. *Tituli tangebar amore.* ] *Honore* malim cum tribus ſcriptis. *Idem.*

54 *Quarendi nominis.* ] Comparandæ famæ, ſic lib. 5. Eleg. 12. *Nominis & fama quondam fulgore trahebar, Dum tulit antennas aura ſecunda meas.*

57. *I tamen & pro me.* ] *Tu tamen i pro me* Polit. Vat. & tres alii. alter Politiani, *I nunc & pro me.* Scribe, *I tamen, i pro me.* de venuſto hoc loquendi modo vide quæ ad Remedia Amoris noto vſ. 213. ſequenti verſu probe meliores libri magno numero *poſſem nunc meus eſſe liber.* eleganter. quod & in ſuis invenerat Naugerius. Vulgati perperam *poſſes non meus eſſe.* Heinſ.

59. *Quod venias.* ] *Venies* præſtiterit. *Idem.*

61. *Ipſo colore.* ] Nigro & lugubri habitu, & verſibus quibus conſcriptus es. *M.*



Digitized by Google

Si quis erit, qui te, quia ſis meus, eſſe legendum
Non putet, è gremio rejiciatque ſuo;
Inſpice, dic, titulum. non ſum præceptor Amoris.
Quas meruit, pœnas jam dedit illud opus.
Forſitan exſpectes, an in alta palatia miſſum
Scandere te jubeam, Cæſareamque domum.
Ignoſcant auguſta mihi loca, Dîque locorum.
Venit in hoc illâ fulmen ab arce caput.
Eſſe quidem memini mitiſſima ſedibus illis
Numina: ſed timeo, qui nocuêre, Deos.
Terretur minimo pennæ ſtridore columba,
Unguibus, accipiter, ſaucia facta tuis.
Nec procul à ſtabulis audet ſecedere, ſi qua
Excuſſa eſt avidi dentibus agna lupi.
Vitaret cœlum Phaëthon, ſi viveret; & quos
Optarat ſtultè, tangere nollet equos.
Me quoque, quæ ſenſi, fateor Jovis arma timere:-
Me reor infeſto, cum tonat, igne peti.
Quicunque Argolicâ de claſſe Capharea fugit;

Sem-

65. *Quod ſis meus.* ] *Quia ſis* meliores & recte. de quo alibi eſt dictum. Triſt. lib. II. ex antiquis libris,

*Utque tuus gaudet miles, quia vicerit hoſtem.* Heinſ.

67. *Non ſum præceptor amoris.* ] Non tracto artem amandi, ut fratres mei tres. Et 2. de Pont. Eleg. 10. *Naſo parum prudens artem dum tractat amandi, Doctrina pretium triſte magiſter habet.*

69. *An in alta palatia.* ] *Ut in alta* Junianus. placet. ſic lib. III. Artis Amatoriæ:

*Scilicet expectas, ut te in convivia ducam.* Heinſ.

71. *Auguſta.* ] *Auguſtum* ſanctum & religioſum ſignificat Ov. in Faſt. *Sancta vocant auguſta patres, auguſta vocantur Templa ſacerdotum rite dicata manu.* Et loca quoque religioſa, & in quibus augurato quid conſecratur, *auguſta* dicuntur ab auctu, vel ab avium geſtu guſtuve. *Dîque locorum.* ] Apollinem Palatinum, Dianam, Jovem opt. max. Junonem, Minervam, alios deos deaſque. vel potius intellige Auguſtum, qui vivens divinos meruit honores.

73. *Eſſe quidem.* ] Sic lib. 5. Eleg. 2. ad uxorem: *Quid dubitas & adire times? accede, rogaque. Cæſare nil ingens mitius orbis habet.* Tum & aliis locis ejus clementiam laudat. *Pont.*

77. *Si qua.* ] *Si qua* veteres. *ſecedere* etiam Thuaneus liber. duo alii *decedere.* Heinſ.

80. *Tangere nollet.* ] *Jungere* fragmentum Boxhornianum. ut Met. II.

*Jungere equos Titan velocibus imperat Horis.* Idem.

81. *Arma Jovis.* ] Auguſti iram.

83. *Quicunque Argolica de claſſe Capharea fuit, &c.* ] Græci quoque, qui ſemel tempeſtatem evaſerunt, apud montem Capharea, ſemper loca illa devitant. Quibus exemplis colligit, ſe quoque loca, unde fulmine proſtratus eſt, fugere

Semper ab Euboïcis vela retorquet aquis.
Et mea cymba, ſemel vaſtâ percuſſa procellâ,
Illum, quo læſa eſt, horret adire locum.
Ergo, care Liber, timidâ circumſpice mente;
Et ſatis à media ſit tibi plebe legi.
Dum petit infirmis nimium ſublimia pennis
Icarus, Icariis nomina fecit aquis.
Difficile eſt tamen, hîc remis utaris an aurâ,
Dicere. conſilium reſque locuſque dabunt.
Si poteris vacuo tradi; ſi cuncta videbis
Mitia; ſi vires fregerit ira ſuas;
Si quis erit, qui te dubitantem & adire timentem
Tradat, & ante tamen pauca loquatur; adi.

Luce

fugere ſtatuiſſe. Sane Nauplius Palamedis pater, ut filii necem ulciſceretur, elevata facula ſignum dedit ex Caphareo Euboiæ promontorio, Græcis naufragio laborantibus: qui credentes ignes indicare portum tutiſſimum, inter aſperrimos ſcopulos naufragium fecere. *Mer.*

87. *Ergo cave Liber & timida.* ] Redde ſuos numeros Naſoni & ſcribe vel invitis membranis,

*Ergo age, care Liber, timidâ circumſpice mente.*

Nuſquam enim quod ſciam, poſteriorem τῦ *ergo* ſyllabam corripuit. *Ergo age*, uſitata paſſim Naſoni formula. infinita ſunt in promptu exempla. Combianus codex proxime ad verum *Ergo, care liber.* Poſſet & *caute liber* reponi. pro *Ut ſatis* idem Combianus & Boxhornii fragmentum *Non.* Forte pro *Num.* alii octo *An.* videtur *Et ſatis* ſcribendum. *Heinſ.*

88. *A media plebe.* ] A mediocri turba.

90. *Icarias nomine fecit aquas.* ] *Icariis nomina fecit aquis* ſcribendum cum Moreti libro. quod & Gryphianam editionem occupavit. *æquoreas aquas* ſeptem vetuſtiores. unde Politianus *æquoreis nomina fecit aquis.* & ſic Voſſianus pro diverſa lectione. ſed cum in uno Vaticano *ſignat aquas* offenderim, id pro verâ amplecti lectione non dubito. Triſt. lib. III. Eleg. IV.

*Quid fuit, ut tutas agitaret Dædalus alas.*

*Icarus immenſas nomine ſignet aquas.*

quo loco etiam *fecit* in multis veterum. & pro *immenſas* in tribus *æquoreas.* in quatuor *Icarias.* Ep. Paridis,

*Nec qui Myrtoas crimine ſignet aquas.*

Heinſ.

91. *Difficile eſt tamen hic remis utaris an aurâ.* ] *Hinc remis* octo meliores. quidam etiam *in aurâ*, ut Pont. lib. II. Eleg. VI. ex antiquis exemplaribus *remo tamen utor in aurâ.* ſed hic aliud vult Noſter. *an ala* codex Petri Servii, quo me donavit. Scribe,

*Difficile eſt remis tamen hic utaris an ala*
*Dicere.*

*ala* pro *velo.* ſic apud Virgil. *velorum pandimus alas.* & apud Claudianum *ſciſſis velorum debilis alis*, de navi. *Idem.*

94. *Si vires fregerit ſuas.* ] Sic lib. 3. Eleg. 8. *Forſitan hoc olim, quam ſe ſatiaverit ira, Tunc quoque ſollicita mente rogandus erit.*

96. *Et ante tamen pauca loquatur.* ] *Locutus* Berſmanni liber & tres ex noſtris. Scribe, ut parenti meo videbatur, *at*

 *ante*

Luce bonâ, dominoque tuo felicior ipſe
  Pervenias illuc; & mala noſtra leves.
Namque ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
  Solus Achillêo tollere more poteſt.
Tantum ne noceas, dum vis prodeſſe, videto.
  Nam ſpes eſt animi noſtra timore minor.
Quæque quieſcebat, ne mota reſæviat ira,
  Et pœnæ tu ſis altera cauſſa, cave.
Cum tamen in noſtrum fueris penetrale receptus,
  Contigeriſque tuam ſcrinia curva domum;
Adſpicies illic poſitos ex ordine fratres,
  Quos ſtudium cunctos evigilavit idem.
Cætera turba palam titulos oſtendet apertos;
  Et ſua detectâ nomina fronte geret.
Tres procul obſcurâ latitantes parte videbis.
  Hi quoque, quod nemo neſcit, amare docent.
Hos tu vel fugias, vel, ſi ſatis oris habebis,
  Oedipodas facito Telegonoſque voces.

De-

*ante tamen pauca locutus*, *adi.* vel *loquatur* per parentheſin. mox *felicior ipſe* cum melioribus. *Heinſ.*

97. *Luce bona.*] Fœlici die, & fœlicior ipſo tuo domino. nam ſupra dixit: *Hei mihi, quo domino non licet ire tuo.*

100. *More Achilleo.*] Ut fecit Achilles, qui Telephum à ſe haſta percuſſum, eadem ſanavit, & Ovid. in primo de Remedio Amoris: *Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hoſti, Vulneris auxilium Pelias haſta tulit.*

102. *Nam ſpes eſt animi noſtra timore minor.*] *Animo* multi veteres. an *magno timore?* Heinſ. *Spes eſt timore minor.*] *Liceat ſperare timenti.* Lucan.

105. *In noſtrum penetrale.*] In noſtrum cubiculum. *Mer.*

106. *Scrinia parva.*] *Curva* libri meliores magna ex parte. Placebat olim reponi *curta*. de qua voce copioſe egimus ad Faſtos. nunc nil muto. *Heinſ.* *Scrinia curva.*] Arculas. Horat. *Ne me Criſpini ſcrinia lippi Compilaſſe putes.* Berſman.

107. *Fratres.*] Libros.

108. *Quos ſtudium.*] Quos eodem omnes ſtudio, vigilia & cura genui. *Pont.*

109. *Titulos oſtendit apertos.*] *Oſtendet* Vatic. & ſex alii meliores. Idem cum opt. Palat. aliiſque quatuor, *geret*. pro *gerit* ſequenti verſu, duo *gerunt*. unus *gerent*. Heinſ.

113. *Hos tu.*] Malo *Quos*. Sequenti verſu pro *Telegonas*, quod nihili eſt, cum melioribus repone *Telegonos*. Idem. *Vel ſi ſatis oris, &c.*] Os Latinis non raro ſignificat audaciam, impudentiam.

114. *Oedipodas Telegonaſque.*] Similes Oedipo ac Telegoni, ac per hoc parricidas: uterque enim patrem ſuum quamquam neſcientes interfecerunt: ita illi me auctorem ac parentem ſuum in exilium, quod mihi mortis inſtar, & morte etiam acerbius eſt, pepulerunt. *Pont. Ciof.*

115. De-

Deque tribus; moneo, ſi quæ tibi cura parentis,
Ne quemquam, quamvis ipſe docebit, ames.
Sunt quoque mutatæ ter quinque volumina formæ,
Nuper ab exequiis carmina rapta meis:
His mando dicas, inter mutata referri
Fortunæ vultum corpora poſſe meæ.
Namque ea diſſimilis ſubito eſt effecta priori:
Flendaque nunc, aliquo tempore læta fuit.
Plura quidem mandare tibi, ſi quæris, habebam;
Sed vereor tardæ cauſſa fuiſſe moræ.
Quod ſi, quæ ſubeunt, tecum, Liber, omnia ferres;
Sarcina laturo magna futurus eras.
Longa via eſt: propera. nobis habitabitur orbis
Ultimus; à terrâ terra remota meâ.

115. *Deque tribus.* ] De tribus libris de Arte amandi. *Parentis.* ] Patris Ovid. ſi tibi curæ & cordi eſt, & illum offendere vereris. *Si qua eſt tibi cura.* ] *Si qua tibi cura* cum tribus ſcriptis. quod mollius. *Heinſ.*

117. *Sunt quoque mutata.* ] Metamorphoſeon opus intelligit.

118. *Ab exequiis meis.* ] A meo exilio. quo conſternatus Poëta non potuit tanto operi poſtremam manum imponere. Nam illo diſceſſu è patria, quaſi ad rogum viſus eſt efferri.

124. *Tarda cauſa mora.* ] *Tarda via* Polit. Vat. & Rottendorph. paulo ante malim *alio tempore* quam *aliquo*. Heinſ.

125. *Et ſi qua ſubeunt.* ] *Quod ſi* cum uno Medic. & Hafnienſi. mox pro *laturo* opt. Vatic. Polit. Palat. & quatuor alii *latori*. neſcio an ſatis Latine pro Auguſti ſæculo. Sueton. tamen in Caligula *latorem* pro tabellario dixit. *Idem.*

128. *A terrâ terra remota meâ.* ] *Tua eſt* liber Servii. Lege *à terrâ tuâ.* quo tu properas. niſi Tò *patria* excidit. *à patriâ terra remota meâ.* quod verum puto. nam ſuam terram Pontum vocat alibi non ſemel. *Idem.*

# ELEGIA II.

## ARGUMENTUM.

Dî maris & cœli. ] *In exilium proficiſcens Poëta, jubente Auguſto, deprehenſusque in medio mari, fluctibusque pene obrutus, deos precatur, ut ipſi ſaltem ignoſcant, nec cum Cæſa e ipſum funditus perdant. Probatque multis exemplis poſſe eos id facere. Deſcribit deinde tempeſtatem: tum deos precatur, ut ſe incolumem ad Tomitas perducant.*

DI maris & cœli, (quid enim niſi vota ſuperſunt?)
Solvere quaſſatæ parcite membra ratis:

Neve,

1. DI *maris.* ] Deos maris intelligit, Neptunum, Glaucum, Tritones, Palæmona, Phorcum, quos in quinto Æneid. libro eleganter Virg. deſcribit.

2. *Quaſſata rates.* ] Ex Virgil. 4. Æneid.

Neve precor, magni ſubſcribite Cæſaris iræ.
  Sæpe premente Deo fert Deus alter opem.
Mulciber in Trojam, pro Trojâ ſtabat Apollo:
  Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.
Oderat Ænean propior Saturnia Turno.
  Ille tamen Veneris numine tutus erat.
Sæpe ferox cautum petiit Neptunus Ulyſſem:
  Eripuit patruo ſæpe Minerva ſuo.
Et nobis aliquod, quamvis diſtamus ab illis,
  Quid vetat irato numen adeſſe Deo?
Verba miſer fruſtra non proficientia perdo:
  Ipſa graves ſpargunt ora loquentis aquæ.
Terribiliſque Notus jactat mea dicta; preceſque,
  Ad quos mittuntur, non ſinit ire Deos.
Ergo îdem venti, ne cauſſa lædar in unâ,
  Velaque neſcio quo, votaque noſtra ferunt?
Me miſerum, quanti montes volvuntur aquarum!
  Jam jam tacturos ſidera ſumma putes.
Quantæ diducto ſubſidunt æquore valles!
  Jam jam tacturas Tartara nigra putes.
Quocunque adſpicias, nihil eſt niſi pontus & aër,

Flu-

*Quaſſataque rates, & non tractabile cælum.*

5. *Pro Troja ſtabat Apollo.*] Homerus quinto Iliad. oſtendit Apollinem faviſſe Trojanis. Hinc etiam Paridis ſagittam in Achillis etiam corporis partem, quæ vulnerabilis eſſet, direxit. *Pont.*

8. *Veneris numine.*] Alii *munere.* Heinſ.

9. *Sæpe ferox cautum:*] Neptunus iratus quod Ulyſſes prius Palamedem nepotem inſontem perdidiſſet, deinde Polyphemum filium occæcaſſet; decem annos per mare illum inſecutus eſt: cui ſemper affuit Pallas. Quod ideo finxit Homerus, quoniam ille comitem habuit prudentiam, quam poëtico ritu Minervam nuncupavit: qua comite, omnia horrenda ſubiit, omnia adverſa ſuperavit. *Paul.*

10. *Patruo ſuo.*] Neptuno Jovis fratre; cujus erat filia Pallas.

12. *Quis vetat.*] *Quid vetat* cum Thuano & Berſmanni codice. Vide Notas ad Epiſt. Ariadnes. *Heinſ.*

15. *Jactat mea verba.*] *Dicta* cum Polit. & octo aliis. nam Tò *verba* præceſſerat. *Idem.*

19. *Montes volvuntur aquarum.*] Hyperbole. Sic & Maro: *Sequitur cumulo præruptus aqua mons*, & *Fluctuſque ad ſidera tollit.*

21. *Quantæ diducto.*] Virgil. *Hi ſummo in fluctu pendent, his unda dehiſcens, Terram inter fluctus aperit.* *Subſidunt æquore.*] Magis magisque profundæ apparent aquarum valles. *Pont.*

23. *Quocunque aſpicio.*] Buſlidianus & Combii, *aſpicies.* Scribe, *Quocunque aſpicias.* Pont. lib. I. Eleg. IV.

Quo-

Digitized by Google

Fluctibus hic tumidis, nubibus ille minax.
Inter utrumque fremunt immani turbine venti.
Neſcit, cui domino pareat, unda maris.
Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu:
Nunc Zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt:
Nunc gelidus ſiccâ Boreas bacchatur ab Arcto:
Nunc Notus adverſa prælia fronte gerit.
Rector in incerto eſt: nec quid fugiatve petatve,
Invenit. ambiguis ars ſtupet ipſa malis.
Scilicet occidimus, nec ſpes niſi vana ſalutis:
Dumque loquor, vultus obruit unda meos.
Opprimet hanc animam fluctus: fruſtraque precanti
Ore

*Quocunque aſpicias, campi cultore carentes,*
*Vaſtaque, qua nemo vindicet, arva jacent.*

infra Eleg. III.

*Quocunque aſpiceres, luctus gemituſque ſonabant.*

*aër* etiam pro *æther* plerique. & *tumidis* pro *tumidus* ſequenti verſu Polit. Palat. Hamburg. & quatuor alii. *Heinſ.*

25. *Fremunt immani murmure venti.*] *Turbine* duodecim veteres. ut apud Virgilium Æneïd. VI.

——*præcipitemque immani turbine adegit.* Idem.

*Immani turbine.*] Magna ventorum volubilitate, nec ſine fragore, proxima quæque proſternente. Apulejus de Mundo: *Turbo enim dicitur, qui repentinis flabris proſilit, atque univerſa perturbat.*

26. *Neſcit cui domino.*] Cauſa ſubjicitur. Quia cum ſint quatuor venti: Eurus ab ortu luctatur cum Zephyro ab occaſu; & Boreas à ſeptentrione ſpirat adverſus Auſtrum à meridie. Quare in medio relictum pelagus neceſſario extumeſcit, & cui pareat neſcit, id eſt, cujus flatibus obtemperet. *Pont.*

29. *Sicca Arcto.*] Id eſt, *æquoris experte*, ut alibi loquitur. vel revera ſicco. ut *ſiccos Aquilones* dixit lib. III. Eleg. X. Manilius lib. I.

*Alter ab excelſo decurrens limes Olympo*
*Serpentis caudam, ſiccas & dividit Arctos.*

tres tamen antiqui *Scythica Arcto.* H.

30. *Nunc Notus adverſa prælia fronte gerit.*] —— *Venturi prælia venti.* Virgil. Quod Æſchyl. pulcre in Prometh. ——*σκιρτᾷ δ' ἀνέμων* —— *Πνεύματα πάντων εἰς ἄλληλα* —— *Στάσιν ἀντίπνουν ἀποδεικνύμενα.* *Alpini Boreæ, nunc hinc nunc flatibus illinc* —— *inter ſe certant.* Virgil. 4. Æneid. Id quod ex perenni fonte.

*Ὡς δ' ἄνεμοι δύο Πόντον ὀρίνετον ἰχθυόεντα,*
*Βορέης καὶ Ζέφυρος, τώτε*
*Θρήκηθεν ἄητον*
*Ἐλθόντ' ἐξαπίνης*, &c.

Homer. Iliad. I à vſ. 4. *Adverſa fronte.*] Eſt enim Notus Boreæ oppoſitus, ſiquidem à meridie flat.

32. *Ambiguis ars ſtupet ipſa malis.*] Sic Palinur. Æneid. 5. *Heu! quidnam tanti cinxerunt æthera nymbi? Quidve pater, Neptune, paras?*

33. *Nec ſpes eſt ulla ſalutis.*] *Nec ſpes, niſi vana, ſalutis* Combianus liber, multo numeroſius. Legebam aliquando, *nec ſpes ſuper ulla ſaluti eſt.* Heinſ.

Ore necaturas accipiemus aquas.
At pia nil aliud quam me dolet exſule conjux:
Hoc unum noſtri ſcitque gemitque mali.
Neſcit in immenſo jactari corpora ponto:
Neſcit agi ventis: neſcit adeſſe necem.
Dî bene, quod non ſum mecum conſcendere paſſus:
Ne mihi mors miſero bis patienda foret!
At nunc, ut peream, quoniam caret illa periclo,
Dimidiâ certe parte ſuperſtes ero.
Hei mihi, quam celeri micuerunt nubila flammâ!
Quantus ab ætherio perſonat axe fragor!
Nec levius laterum tabulæ feriuntur ab undis,
Quam grave baliſtæ mœnia pulſat onus.
Qui venit hic fluctus, fluctus ſupereminet omnes:
Poſterior nono eſt, undecimoque prior.
Nec letum timeo: genus eſt miſerabile leti.
Demite naufragium; mors mihi munus erit.
Eſt aliquid, fatove ſuo ferrove cadentem

In

36. *Ore necaturas accipiemus aquas.* ] Bona locutio. Sic Virgil. 6. Æneid. ——*gemuit ſub pondere cymba*——*Sutilis, & multam accepit rimoſa paludem.* Et 3. Æneid. *Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo*——*Accipiunt.*

38 *Scitque gemitque.* ] *Fletque* Regius liber. *Heinſ.*

41. *O bene.* ] *Di bene* octo aut novem ex melioribus. ita Statius, Claudianus, Auſonius, alii. quomodo & *Di melius* & *Di meliora.* Idem.

43. *At nunc ut peream.* ] Quamvis naufragio mihi vita adimatur, incolumi mea uxore, vivere quidem mihi videbor. *Ciofan.*

45. *Quam celeri micuerunt.* ] Quam celeriter coruſcavit, quod fit, quum flatus aut vapor longiore nititur tractu. Quum vero in nube luctatur, tonitrua eduntur: quum erumpit ardens, fulmina: Plin.

48. *Grave onus baliſtæ.* ] Gravia pondera & ſaxa, quæ vibrantur baliſtis. Eſt autem *baliſta* tormentum, quo ſaxa majora & graviora mittuntur. Vide Vitruv. lib. 10. cap. 16. Veget. lib. 4. c. 22.

50. *Poſterior nono eſt, undecimoque prior.* ] Fluctum intelligit, quem Poëtæ *decimum* ſive *decumanum* appellant, qui maximus eſſe ſolet. Unde *Decumanam* etiam *portam* in caſtris maximam, & ab hoſte averſam, appellat Livius. Vide & Politian. in Miſcellan. 76.

51. *Non letum timeo.* ] *Nec* ſcripti. *Heinſ.* *Genus eſt miſerabile leti.* ] Grave enim (ut docet Homerus) perire naufragio: quia anima ignea eſt, & extingui videtur in aqua, elemento contrario. Tum quia ſic morientes piſcibus eſca fiunt, nec tumulo mandantur,

53. *Eſt aliquid fatoque ſuo ferroque cadentem.* ] *Cadenti* duo veteres. Forte *cadentis.* Reliqui fere *cadendum*, pro *cadentum.* Mortui enim non ponunt ſe in terra, ſed ponuntur. Lege etiam *fatove ſuo ferrove.* quæ eo ſpectant, ut mortem ſpontaneam à violentâ diſtinguat. Sequenti verſu in plurimis *ſolita*

*hamo*

Digitized by Google

In ſolitâ moriens ponere corpus humo:
Eſt mandata ſuis aliquid ſperare ſepulcra,
Et non æquoreis piſcibus eſſe cibum.
Fingite me dignum tali nece: non ego ſolus
Hic vehor. immeritos cur mea pœna trahit?
Prô Superi, virideſque Dei, quibus æquora curæ!
Utraque jam veſtras ſiſtite turba minas.
Quamque dedit vitam mitiſſima Cæſaris ira,
Hanc ſinite infelix in loca juſſa feram.
Si quam commerui pœnam me pendere vultis;
Culpa mea eſt ipſo judice morte minor.
Mittere me Stygias ſi jam voluiſſet ad undas
Cæſar; in hoc veſtrâ non eguiſſet ope.
Eſt illi noſtri non invidioſa cruoris
Copia: quodque dedit, cum volet, ipſe feret.
Vos modo, quos certe nullo puto crimine læſos,
Con-

*humo* pro *ſolida*. hoc eſt, quod Triſtium lib. III. Eleg. IV. dicit *tactam naſcenti humum*.

*Et cinis in tumulo poſitus jacuiſſet avito,*
*Tactaque naſcenti corpus haberet humus.*

Virgil. Æn. IX:

*Sit qui me raptum pugna pretiove redemtum*
*Mandet humo ſolitâ; aut, ſi qua id fortuna vetabit,*
*Abſenti ferat inferias, decoretque ſepulchro.* Heinſ.

55. *Et mandare ſuis aliqua & ſperare ſepulchrum.*] Scripti fere omnes *aliquid ſperare.* vel, *aliquid & ſperare.* tres *aliquod.* Combianus *aliquo.* Unus Vaticanus *aliqua ſperare ſepulcra.* Scribe,

*Eſt mandata ſuis aliquid ſperare ſepulchra.*

ita & numeri, qui duriores erant, conſtabunt verſui, & ſenſus. *mandata ſepulchra* ut Faſtor. lib. V.

*Diſplicet hæredi mandati cura ſepulchri.*

Idem.

60. *Utraque turba.*] Et cœli & maris dii. *Mer.*

62. *In loca juſſa, &c.*] In Ponticam oram.

63. *Si quoniam merui pœnam, me perdere vultis.*] *Pendere* unus Mediceus pro diverſa lectione. Rottendorphianus *prendere.* præterea prim. editio & duo ſcripti, *ſi quam promerui.* ſex *ſi quoque quam merui.* totidem *quamquam merui.* opt. Vatican. *ſi merui pœnam quanquam.* duo *quia quam merui.* alia veterrima editio *quia commerui.* Scribe,

*Si, quam commerui, pœnam me pendere vultis.*

Triſt. lib. II.

*An ſemel eſt pœnam commeruiſſe parum?*

*pendere pœnam* familiaris locutio Naſoni Faſt. III.

*—— capitis qua pendere pœnas*
*Ex illo jubeat furta reperta loco.*

atque ita paſſim. *Heinſ.*

67. *Cruoris copia.*] Mortis meæ poteſtas, quæ penes Cæſarem eſt, &c. *Ciofan.*

68. *Quodque dedit.*] Vitam quam mihi conceſſit Auguſtus. *Feret.*] Adimet.

69. *Puto crimine læſi.*] *Læſos* concin-

Contenti noſtris, Dî, precor, eſte malis.
Nec tamen, ut cuncti miſerum ſervare velitis,
Quod periit, ſalvum jam caput eſſe poteſt.
Ut mare conſidat, ventiſque ferentibus utar;
Ut mihi parcatis; num minus exſul ero?
Non ego divitias avidus ſine fine parandi
Latum mutandis mercibus æquor aro:
Nec peto, quas quondam petii ſtudioſus, Athenas:
Oppida non Aſiæ, non loca viſa prius.
Non ut, Alexandri claram delatus in urbem,
Delicias videam, Nile jocoſe, tuas.
Quod faciles opto ventos, (quis credere poſſit?)
Sarmatis eſt tellus, quam mea vota petunt.
Obligor, ut tangam lævi fera littora Ponti;
Quodque ſit à patriâ tam fuga tarda, queror.

Neſcio

nius ſeptem ,veteres, & ſequenti verſu pro *jam precor* Combianus & Medonii codex *vos precor*. Servii liber *Dî precor*, etiam bene. *Heinſ.*

73. *Ut mare ſubſidat.* ] *Conſidat* meliores omnes. & mox *num minus* pro *non* repone. de quo ad Epiſtolam Canaces. *Idem.* *Ventis ferentibus.* ] Ventis ſecundis & portantibus me in Ponticam regionem.

76. *Aro.* ] Navigo. Virgil. *Et vaſtum maris æquor arandum.*

78. *Oppida non Aſiæ, non mihi viſa prius.* ] *Non loca viſa prius* cum caſtigationibus. Aſiam enim viderat cum Maximo Pont. lib. II. Eleg. X.

*Te duce magnificas Aſiæ perſpeximus urbes.*

Notavit hanc quoque lectionem ex ſuo codice in Obſervationibus doctiſſimus Gronovius. *Heinſ.* *Oppida non Aſiæ.* ] Meruit enim ſub M. Varrone, & cum eo in Aſiam profectus eſt.

79. *In urbem Alexandri.* ] Alexandriam intelligit, quam in Ægypto conditam de ſuo nomine appellavit. *Mer.* Eam luxui, ludis & jocis, ac vitæ molli & voluptariæ deditam fuiſſe, indicat Quintil. lib. I. ubi nimiam parentum erga liberos indulgentiam accuſat. *N.*

80. *Tuas delicias.* ] Tuos jocos. *Nile jocoſe.* ] Nilum ideo *jocoſum* appellat, quoniam Canopi erat Serapidis templum, quod ab Alexandria 20. ſtadiis diſtabat. eo ingens ex Alexandria turba per foſſam ad ſolennia deſcendebat. Nam die ac nocte naviculis plena erat virorum ac mulierum impudenter canentium ac ſaltantium cum omni diſſolutione, à quorum jocis poëta *Nilum jocoſum* appellavit, quin totam Ægyptum fuiſſe his moribus, indicat Martial. lib. 5. *Nequitias tellus ſcit dare nulla magis.*

81. *Quod facile eſt opto ventos.* ] Lege *faciles ventos* vel ſine aſſenſu veterum librorum. *poſſit* pro *poſſet* ſcripti. Præterea forte ſcribendum, *Quo faciles.* Amor. lib. III. Eleg. II.

*Vis tamen interea faciles arceſſere ventos?*

Heinſ.

82. *Tellus Sarmatis.* ] Sarmatia, regio eſt, cujus pars ſita eſt in Europa, pars vero in Aſia. Illud notandum *Sarmatas* à Romanis, à Græcis *Sauromatas* appellari. Eos nunc Polonos appellamus

84. *Jam fuga tarda.* ] *Tam tarda* cum quin-

Neſcio quo videam poſitos ut in orbe Tomitas,
Exilem facio per mea vota viam.
Seu me diligitis, tantos compeſcite fluctus;
Pronaque ſint noſtræ numina veſtra rati:
Seu magis odiſtis, juſſæ me advertite terræ.
Supplicii pars eſt in regione mei.
Ferte (quid hic facio?) rapidi mea carbaſa venti.
Auſonios fines cur mea vela vident?
Noluit hoc Cæſar: quid, quem fugat ille, tenetis?
Aſpiciat vultus Pontica terra meos.
Et jubet, & merui. nec, quæ damnaverit ille,
Crimina defendi faſve piumve puto.
Si tamen acta Deos nunquam mortalia fallunt;
A culpâ facinus ſcitis abeſſe meâ.
Immo ita; vos ſcitis. ſi me meus abſtulit error,
Stultaque mens nobis, non ſcelerata fuit:

Quam-

quinque ſcriptis. & mox cum plerisque *Exilem viam*, non *Exilii*. *Exilem viam* pro brevi & compendioſâ dixit. *Heinſ.*

85. *Tomitas.*] Tomos urbs fuit in Getico litore: ſic dicta, quoniam illic Medea fratrem trucidavit. *Mer.*

89. *Juſſæ me advertite terræ.*] Sic Virgil. 5. *Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.*

90. *Supplicii pars eſt in regione mori.*] *Hac regione* quinque veteres. Scripſerat puto Ovidius,

*Supplicii pars eſt in regione mei.*

hoc eſt quod libro III. Eleg. X. dicet,

*Ergo tam longe pateat cum maximus orbis,*
*Hac eſt in pœnam terra reperta meam?*

pro *mei*, *meri* à librario aberrante erat factum. hinc natum *mori*. *pœnæ ſuæ tellurem* vocat Triſt. l. III. Eleg. II.

*Et pœna tellus eſt mihi tacta mea.*

non diſſimili modo dixit Triſt. III. Eleg. VIII.

*Sive mei cauſa eſt in regione mali.*

& Pont. III. Eleg. I. ad Ponticam regionem,

——*tu peſſima duro*

*Pars es in exilio: tu mala noſtra gravas.*

Auget exilii pœnam locus, in quem ſum relegatus. *Heinſ.*

91. *Ferte rapidi mea corpora venti.*] Diu eſt quod *carbaſa* conjeci legendum, cum eam mihi poſtea lectionem confirmavit Gottorphianus. Hamburgenſis *cornua.* etiam non male. ut mali cornua intelligat, de quibus Met. XI.

*Cornuaque in ſumma locat arbore.*

Idem.

92. *Auſonios fines.*] Italiæ fines. Vi enim tempeſtatis referebantur in Italiam relicto priori curſu.

99. *Imo ita ſi ſcitis, ſi me mens abſtulit error.*] Plurimi *vos ſcitis.* Poſſet & legi *Diſchis.* Medonianus *malus error.* ſimilis diverſitas lib. II.

*Illa namque die, qua me malus abſtulit error.*

alii enim *meus.* ſed Virgil.

*Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.*

Met. X. ex antiquis libris,

——*retinet malus error amantem.*

Arondel. *meus impulit error.* Heinſ.

101. Quod

Digitized by Google

Quamlibet è minimis, domui ſi favimus illi;
Si ſatis Auguſti publica juſſa mihi;
Hoc Duce ſi dixi felicia ſæcula; proque
Cæſare thura pius Cæſaribusque dedi;
Si fuit hic animus nobis; ita parcite, Divi.
Sin minus; alta cadens obruat unda caput.
Fallor? an incipiunt gravidæ vaneſcere nubes,
Victaque mutati frangitur ira maris?
Non caſus, ſed vos ſub conditione vocati,
Fallere quos non eſt, hanc mihi fertis opem.

101. *Quod licet è minimis.* ] Lege *Quamlibet* cum tribus ſcriptis. & vide quæ notamus ad Epiſtolam VI. vſ. 140. tres alii *Quamlicet*. quinque *Qualicet*. alii aliter. *Idem.*

102. *Si ſatis Auguſti publica juſſa mihi.* ] Locus haud dubie corruptus. *juſſa tuli* quatuor veteres. Gottorph. *juſſa mei.* an *Auguſti Dei?* quomodo *Auguſtos Deos* dixit Pont. III. El. VI. Politiani prior, *viſa mihi.* fragmentum Boxhornii, *cura fuit.* Non me expedio ex hac Charybdi. *Idem.*

103. *Si dixi felicia ſæcula.* ] *Duxi* major veterum pars. nil mutandum. Met. XII.

——— *felicem diximus illâ*
*Conjuge Pirithoum.* idem.

104. *Cæſare thura piis.* ] *Pius* meliores. quidam *prius* vel *Deis* vel *pia*. Idem: *Cæſaribuſque.* ] Tiberium, ejuſque filios Germanicum Druſumque intelligit.

106. *Alta cadens obruat unda caput.* ] Duo *alta maris.* totidem, *alta ruens.* unus *alta meum.* Putabam aliquando *alta nocens obruat unda caput.* niſi quod id paulo longius abit à vulgata lectione. *Heinſ.*

107. *Evaneſcere.* ] *Vaneſcere* meliores. *Idem.*

109. *Non caſu vos, ſed ſub conditione vocati.* ] Nihil turbatius hiſce numeris. Primo *caſus* ſcribendum cum vetuſtis quinque. ut Met. XIV.

——— *quis te caſuſve Deuſve*
*Servat, Achæmenide?*

deinde plurimi, *ſed vos ſub conditione.* longe rectius. fragmentum meum, *ſed ô vos ſub conditione.* Scribe,

*Non caſus, ſed ea vos conditione vocati.*

Idem.

## ELEGIA III.

### ARGUMENTUM.

Quum ſubit illius.] *Miſerabiliter exponit Poëta conſternationem illam, qua affectus eſt, poſteaquam juſſit eum Cæſar in exilium abire: quidque ea nocte etiam egerit, quæ fuit illi in urbe noviſſima, declarat. Miſerabilius deinde uxoris, & domeſticorum lacrymas deſcribit. Demum dicit, ſe cœpiſſe navigare: & in Ionio mari ſæviſſimam tempeſtatem coortam, qua territi etiam nautæ ſalutem deſperaverint.*

CUm ſubit illius triſtiſſima noctis imago,
Quæ mihi ſupremum tempus in Urbe fuit;

Cum

Cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui;
Labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.
Jam prope lux aderat, qua me diſcedere Cæſar
Finibus extremæ juſſerat Auſoniæ.
Nec mens, nec ſpatium fuerant ſatis apta paranti:
Torpuerant longâ pectora noſtra morâ.
Non mihi ſervorum, comitis non cura legendi:
Non aptæ profugo veſtis opiſve fuit.
Non aliter ſtupui, quam qui Jovis ignibus ictus
Vivit; & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.
Ut tamen hanc animo nubem dolor ipſe removit,
Et tandem ſenſus convaluêre mei;
Alloquor extremum mœſtos abiturus amicos,
Qui modo de multis unus & alter erant.
Uxor amans flentem flens acrius ipſa tenebat;
Imbre per indignas uſque cadente genas.
Nata procul Libycis aberat diverſa ſub oris:
Nec poterat fati certior eſſe mei.
Quocunque adſpiceres, luctus gemituſque ſonabant:
Formaque non taciti funeris intus erat.
Fœmina, virque, meo pueri quoque funere mœrent:
Inque domo lacrymas angulus omnis habet.
Si licet exemplis in parvo grandibus uti;
Hæc

3. *Tot mihi chara.* ] Patriam, uxorem, domum, amicos, urbem &c. *Ciofan.*

4. *Tunc quoque.* ] *Nunc quoque* Rottendorph. rectius. *Heinſ.*

7. *Fuerat ſatis apta parandi.* ] *Fuerant* eleganter Barberin. *paranti* liber Petri Servii. *piandi* pro diverſâ lectione Combianus. Richelianus *paratu* pro paratui. quod verum puto. *Heinſ.*

9. *Comites non cura legendi.* ] *Comitis* Barbarin. & pro diverſa lectione Gottorphianus. optime. *comes* pro comites. Dixi Faſt. III. vſ. 565. *Idem.*

13. *Animi nubem dolor ipſe removit.* ] Malim *animo* ut Puteaneus. lib. VIII. Met. ex antiquis membranis,

*Deſtinat hunc Minos thalamo removere pudorem.* Idem.

14. *Et tandem ſenſus convaluere mei.* ] Sic Cæſ. 8. B. G. *Animos conſolatione ſanat.* Et eleganter Sueton. in Auguſt. *Annona convaluit.* *Convaluêre.* ] Cœperunt reſipiſcere. *Mer.* *Et tandem ſenſus convaluêre.* ] Ubi me collegi, animuſque rediit. Seu animum recepi, qui à nebula illa & offuſa caligine emerſit. *Pont.*

16. *Qui modo de multis.* ] Inter eos qui in amicitiæ officio manſerant, Carum, Celſum & Maximum enumerat, El. 5. lib. 3.

19. *Nata.* ] Filia Perilla, quæ virum in Africam ſecuta fuerat.

20. Eg

Hæc facies Trojæ, cum caperetur, erat.
Jamque quieſcebant voces hominumque canumque:
Lunaque nocturnos alta regebat equos.
Hanc ego ſuſpiciens, & ab hac Capitolia cernens,
Quæ noſtro fruſtra juncta fuêre Lari;
Numina vicinis habitantia ſedibus, inquam,
Jamque oculis nunquam templa videnda meis,
Dîque relinquendi, quos Urbs habet alta Quirini;
Eſte ſalutati tempus in omne mihi.
Et quamquam ſerò clypeum poſt vulnera ſumo;
Attamen hanc odiis exonerate fugam;
Cæleſtique viro, quis me deceperit error,
Dicite; pro culpâ ne ſcelus eſſe putet.
Ut, quod vos ſcitis, pœnæ quoque ſentiat auctor.
Placato poſſum non miſer eſſe Deo.
Hac prece adoravi Superos ego: pluribus uxor;
Singultu medios præpediente ſonos.

Illa

29. *Et adhuc Capitolia cernens.*] *Et ab hac* repone cum pleriſque antiquis. hoc eſt, poſtquam hanc aſpexi. ſic frequenter loqui amat Noſter. *Heinſ.*

30. *Quæ noſtro fruſtra.*] Fruſtra, inquit, quia nobis non profuerunt, quum præſentia numinum ea inhabitantium vicinos quoque tueri debuiſſet. Lares credebantur cuſtodire domos, quibus focus erat ſacer: ideo & Larium nomine & focus & univerſa domus vocari cœpta eſt. *P.* Vide & Gyrald. Syntag. 15.

31. *Numina vicinis.*] Jovem Capitolinum, & cæteros deſignat, qui in Capitolio colebantur. Unde Manlius apud Liv. ita inquit: *Jupiter optime maxime, Junoque regina, ac Minerva, cæterique dii, deæque, qui Capitolium, arcemque incolitis.* Valedicit ergo & Diis & loco.

33. *Urbs alta.*] Roma, quæ in ſeptem collibus ſive montibus poſita erat. *Cioſ.*

35. *Clypeum.*] Deorum præſidium, clypeum appellat. Ad tutelam veſtram citius & ante vulnera, ſeu ante damnationem meam confugere me oportebat, ut ab exilio me conſervaretis. *Pont.*

37. *Cæleſti viro.*] Auguſto: qui & vivus & mortuus divinos meruit honores.

39. *Ut quæ ſentitis pœnæ quoque ſentiat auctor.*] *Ut quod vos ſcitis* plerique veteres. & *poſſum* pro *poſſim*. Legendum fortaſſe,

*Ut, quod vos ſcitis, pœna quoque ſi ſciat auctor,*
*Placato poſſim non miſer eſſe Deo.*

ſuperiori Elegia, ubi Deos alloquitur.
—— *Imo ita vos ſcitis.* Idem.

42. *Singultu medios præpediente ſonos.*] Lacrymis verba implentibus. Sic Noſter Tom. 1. p. 724. vſ. 598.

*Ruptaque ſingultu verba dolentis erant.*

Ubi reperies à nobis adnotata. *Medios ſonos.*] Media & imperfecta verba. *Singultu medios.*] 2. Remed. *Ruptaque ſingultu verba loquentis erant.* *Impediente ſonos.*] Barberin. *præpediente.* ut Epiſt. Hypermneſtræ,

*Et ſubitus dextra præpedit oſſa tremor.*

Heinſ.

43. *Illa*

Illa etiam ante Lares paſſis proſtrata capillis
Contigit exſtinctos ore tremente focos:
Multaque in averſos effudit verba Penates,
Pro deplorato non valitura viro.
Jamque moræ ſpatium nox præcipitata negabat,
Verſaque ab axe ſuo Parrhaſis Arctos erat.
Quid facerem? blando patriæ retinebar amore:
Ultima ſed juſſæ nox erat illa fugæ.
Ah quoties aliquo dixi properante, Quid urges?
Vel quo feſtines ire, vel unde, vide.
Ah quoties certam me ſum mentitus habere
Horam, propoſitæ quæ foret apta viæ.
Ter limen tetigi; ter ſum revocatus: & ipſe
Indulgens animo pes mihi tardus erat.

Sæpe,

43. *Illa etiam ante Lares paſſis proſtrata capillis.* ] Pri. Polit. *intracta.* alter cum duobus aliis *abſtracta.* unde Politianus ipſe *atrata.* Certe Hamburg. *attrata.* at pri. Vatic. *attacta.* Barber *projecta.* duo *aſtrata* pro *adſtrata.* ut Met. IX. *adſternuntурque ſepulcro.* alii, *abjecta, abſtructa. attracta*, vel *adſtracta*, vel *aſtracta*, & ſimilia. Idem.

44. *Exſtinctos focos.* ] Quidam ſcripti cum editis nonnullis *exſtructos: aternos* pri. Vatic. & ſex alii. unus Vatican. *externos.* lege *heſternos.* & vide Notas Faſt. vſ. 507. Virgilius lib. VIII.

*Et primum Herculeis ſopitas ignibus aras*
*Excitat, heſternumque larem: parvoſque Penates*
*Latus adit.*

quanquam in nonnullis vetuſtiſſimis libris *externumque larem* illic legitur. quam ſcripturam damnat Servius. & *heſternum Larem* interpretatur, *cui pridie ſacrificaveras.* ſed & *extincti foci* recte ſe habent. nam *ignis extinguebatur* in exilium ituris. Voſſianus *antiquos.* ut l. IV. Faſtorum.

*Detis & in veteres thurea grana focos.*

Idem.

45. *In adverſos effudit verba Penates.* ] Scribe *in averſos.* Horatius libro III. Odyſſ. XXXIII.

*Mollibit averſos Penates*
*Farre pio & ſaliente micâ.* Idem.

*Effudit.* ] Quia nihil profecit, adverſis & averſis penatibus. *Pont.*

47. *Nox pracipitata.* ] Auroræ vicina. Et eſt notatio imminentis diluculi. *Nox pracipitata.* ] Virgil. de more Græc. *Et nox pracipitat.*

48. *Verſaque ab, &c.* ] Auroram deſignat, qua plauſtrum cæleſte in orientem vertitur. *Parrhaſis.* ] Arcadica, ab oppido appellata, fuit enim Calliſto filia Lycaonis regis Arcadiæ.

50. *Ultima ſed juſſa.* ] Diebus ſcilicet elapſis, intra quos urbe & Italia juſſus eram excedere. Qui enim relegabantur, iis dies excedendi à præſidibus dari ſolebat. *Berſm.*

52. *Vel quo feſtinas.* ] *Feſtines* meliores. *Heinſ. Quo, vel unde.* ] Quo, in extremum orbem: *unde*, à patria. In locum teterrimum à jucundiſſimo: & neutra de cauſſa feſtinandum. *Pont.*

55. *Ter limen tetigi.* ] Adeo ſiniſtrum omen putabant veteres limen offendere cum domum ingrederentur, domove egrederentur, ut id, quod tum facturi erant, proſpere ſibi contingere non poſſe crederent. *Ciof.*

64. *Dul-*

Sæpe, Vale dicto, rurſus ſum multa locutus;
Et quaſi diſcedens oſcula ſumma dedi.
Sæpe eadem mandata dedi: meque ipſe fefelli,
Reſpiciens oculis pignora cara meis.
Denique, quid propero? Scythia eſt, quo mittimur, inquam:
Roma relinquenda eſt. utraque juſta mora eſt.
Uxor in æternum vivo mihi viva negatur:
Et domus, & fidæ dulcia membra domûs.
Quoſque ego fraterno dilexi more ſodales.
O mihi Theſeâ pectora juncta fide!
Dum licet, amplectar: nunquam fortaſſe licebit
Amplius. in lucro, quæ datur hora, mihi eſt.
Nec mora; ſermonis verba imperfecta relinquo,
Complectens animo proxima quæque meo.
Dum loquor, & flemus; cælo nitidiſſimus alto
Stella gravis nobis Lucifer ortus erat.
Dividor haud aliter, quam ſi mea membra relinquam:
Et pars abrumpi corpore viſa ſuo eſt.
[Sic Priamus doluit, tunc cum in contraria verſus
Ultores habuit proditionis equus.]
Tum vero exoritur clamor gemituſque meorum;
Et feriunt mœſtæ pectora nuda manus.
Tum verò conjux humeris abeuntis inhærens
Miſcuit hæc lacrymis triſtia dicta ſuis.

Non

64. *Dulcia membra.*] Amicos, domeſticos, ſervos, aut etiam divitias: hæc enim omnia ſunt membra domus.

66. *Theſea fide.*] Amore fido, qualis fuit Theſei in Pirithoum.

70. *Amplectens.*] Meliores *Complectens.* Heinſ.

75. *Sic doluit Priamus, tunc cum in contraria verſus*
*Ultores habuit proditionis equus.*] *ſic doluit Metius*, Combianus & unus Bononienſis, quod Naugerius quoque videtur probaſſe in priori editione, ſecutus illos qui legunt præterea, *in contraria verſos equos.* Si de Priamo intelligamus, malim *in contraria verſa proditionis* legi. ut ad raptum Helenæ alludat. nam *rapto* eſt in uno codice. Sed comparatio parum ad rem facit, quocunque modo legas. Metii autem injecta mentio plane præter rem eſt. Quare certus ſum hoc diſtichon ab illa manu eſſe, quæ ſæpius apparet per hos libros, parum tempeſtiva. habebat autem in mente ſuperiora iſta,
*Hæc facies Trojæ, cum caperetur, erat,*
quiſquis hos verſus confixit. *Idem.*

80. *Miſcuit hæc lacrymis triſtia dicta meis.*]

Non potes avelli. ſimul ah, ſimul ibimus, inquit!
Te ſequar; & conjux exſulis exſul ero.
Et mihi facta via eſt: & me capit ultima tellus.
Accedam profugæ ſarcina parva rati.
Te jubet è patriâ diſcedere Cæſaris ira;
Me pietas. pietas hæc mihi Cæſar erit.
Talia tentabat: ſic & tentaverat ante:
Vixque dedit victas utilitate manus.
Egredior (ſive illud erat ſine funere ferri)
Squallidus immiſſis hirta per ora comis.
Illa dolore mei tenebris narratur obortis
Semianimis mediâ procubuiſſe domo.
Utque reſurrexit, fœdatis pulvere turpi
Crinibus, & gelida membra levavit humo;
Se modo, deſertos modo comploraſſe Penates;
Nomen & erepti ſæpe vocaſſe viri:
Nec gemuiſſe minus, quam ſi natæve meumve
Vidiſſet ſtructos corpus habere rogos:
Et voluiſſe mori; moriendo ponere ſenſus:
Reſpectuque tamen non poſuiſſe mei.
Vivat: & abſentem, quoniam ſic fata tulerunt,

Vi-

*meis.*] *Suis* quinque ſcripti rectius. Vide notas Epiſt. XVII. v. 251. nonnulli etiam *verba*. Idem.

81. *Simul hinc ſimul ibimus ambo.*] *Ibimus inquit* plerique veteres. & *ſimul ah* nonnulli. Scribo præterea, *Num potes avelli?* de quo ad Epiſt. XVI. vſ. 364. Val. Flaccus lib. V.

——— *Minya clamore morantur*
*Avellique negant.* Idem.

83. *Ultima tellus.*] Scythica & Septentrionalis regio. Vel potius, quia eo in loco Ovidius navem conſcendit. *Ciof.*

85. *Te jubet à patriâ.*] *E patria* multi. *Heinſ.*

86. *Me pietas. pietas.*] Summam atque incredibilem movet commiſerationem. quaſi dicat, ego volens abibo, non imperio Cæſaris. *Ciof. Pont.*

90. *Per ora hirta.*] Per faciem barbatam: in luctu enim capillum & barbam non tondebant. *Mer. Tenebris obortis.*] Animi defectio ſignificatur. *Ciof.*

91. *Illa dolore amens.*] Multi *gemens*. in uno *gravis*. in Combiano & tribus aliis *dolore mei*. quod ſequor. proximo verſu pro *media domo* duo *viâ*. Scripſerat puto Ovidius, *Viduâ domo*. nam Tò *mediâ* prorſus otioſum ac ſuperfluum eſt. narrat quæ poſt digreſſum ſuum facta ſunt. *Heinſ.*

95. *Deploraſſe Penates.*] *Comploraſſe* plurimi veterum. quomodo etiam ad Sylvas Statii Gronovius. *Idem.*

100. *Non periiſſe mei.*] Quatuor *voluiſſe*. unus Gallicus *poſuiſſe*: bene. niſi *valuiſſe* malis. *Idem.*

101. *Vivat, & abſentem, quoniam ſic fata tulerunt, Vivat.*] Non placet repetitio τȢ *Vivat*. Nec juvant tamen libri ve-

Vivat, & auxilio ſublevet uſque ſuo.
Tingitur Oceano cuſtos Erymanthidos Urſæ,
Æquoreaſque ſuo ſidere turbat aquas:
Nos tamen Iönium non noſtrâ findimus æquor
Sponte: ſed audaces cogimur eſſe metu.
Me miſerum, quantis increſcunt æquora ventis;
Erutaque ex imis fervet arena vadis!
Monte nec inferior proræ puppique recurvæ
Inſilit, & pictos verberat unda Deos.
Pinea texta ſonant; pulſi ſtridore rudentes:
Aggemit & noſtris ipſa carina malis.
Navita confeſſus gelido pallore timorem
Jam ſequitur victam, non regit arte, ratem.
Utque parum validus non proficientia vector

Cer-

teres. an *Juvet* pro adjutet ſcripſerat Noſter? an

*Di dent auxilio ſublevet uſque ſuo*,

vel, *Di facite auxilio*. vel *date ut auxilio*. Scaliger *Tutet*. Sed non perſuadet. *Idem*.

103. *Tingitur.* ] Hinc exordium faciendum novæ Elegiæ, idque ex fide caſtigatiorum codicum: quod neſcio quomodo typographicæ operæ neglexerunt. monuit quoque in Epiſtolis Tanaquillus Faber. *Idem*.

104. *Turbat aquas.* ] Arcturi enim ortus & occaſus graviſſimas ciet tempeſtates. *Berſm*.

105. *Findimus æquor.* ]

*Infindunt pariter ſulcos, totumque dehiſcit*
*Convolſum remis, roſtriſque tridentibus æquor.*

Quod & Hiſtoricis familiare. Livius 3. 6. *Plurimis remorum ordinibus ſcindentibus vortices.* Etiam de aëre. *Liquidum talaribus aëra findit.* Quod ex Homer. Odyſſ. γ. vſ. 174. —— Πέλαγος μέσον τέμνειν. Et Odyſſ. ε. vſ. 409. —— Καὶ δὴ τόδε λαῖτμα διατμήξας ἐπέρησα. Et Odyſſ. ν. vſ. 88. Ὣς ἡ ῥίμφα θέουσα θαλάσσης κύματ' ἔταμνεν.

107. *Quantis nigreſcunt æquora ventis.* ] *Increſcunt* rectius multi veterum. *Heinſ*.

108. *Erutaque ex imis.* ] Talia ſunt, 1. Æneid. *Evertitque æquora ventis. furit æſtus arenis*, &c.

110. *Pictos deos*, &c. ] In puppi velut quoddam ſacrarium erat, & in eo imagines aut ſtatuæ deorum navis tutelarium. Ab eo, ceu inſigni, naves appellabantur, & ipſum παράσημον πλοίου. Vide Turneb. l. 19. c. 2. *P. Pictos deos.* ] Deos pictos intelligit in ipſa puppi.

111. *Pinea texta.* ] Paris Helenæ. *Texitur & coſtis panda carina ſuis.* Veteres enim dicebant, *texere naves*, & locum in quo naves fabricabantur, textrinum, Græci ναυπήγιον. *Pont*.

114. *Jam ſequitur victus, non regit arte, ratem.* ] *Victam* rectius legas, niſi *ſequitur votis* præferendum putas. ut Faſt. III.

*—— nec jam moderator habenis*
*Utitur, at votis. ——*

& infra El. x.

*Ipſe gubernator tollens ad ſidera palmas*
*Expoſcit votis, immemor artis, opem.*

duo antiqui *fluctus*. tres *ventos*. totidem *gelido pallore* non *gelidum* ſuperiori verſu. *Heinſ*.

115. *Proficientia rector.* ] *Vector* multi

vete-

Cervicis rigidæ fræna remittit equo:
Sic non quo voluit, ſed quo rapit impetus undæ,
Aurigam video vela dediſſe rati.
Quod niſi mutatas emiſerit Æolus auras;
In loca jam nobis non adeunda ferar.
Nam procul, Illyricis lævâ de parte relictis,
Interdicta mihi cernitur Italia.
Deſinat in vetitas quæſo contendere terras,
Et mecum magno pareat aura Deo.
Dum loquor, & cupio pariter timeoque revelli,
Increpuit quantis viribus unda latus!
Parcite, cærulei vos parcite numina ponti;
Infeſtumque mihi ſit ſatis eſſe Jovem.
Vos animam ſævæ feſſam ſubducite morti.
Si modo, qui periit, non periiſſe poteſt.

veteres. Vide Notas Artis lib. III. & vſ. 555. *Idem.*

121. *Nam procul Illyricis.*] Hinc poteſt intelligi, non de mari Thuſco, quod etiam Ionium appellatum diximus, intelligendum eſſe, ut quidam falſo exiſtimarunt: ſed de magno, prope Illyriam, quam Ovidius in Pontum navigans, à læva habuit: ſed mutatis, ea à dextra, à fronte Italia ſita erat, ad quam vi tempeſtatis ferri videbatur. *Illyricis læva de parte relictis.*] Scribendum, *Illyrici relicti. Illyricum* regio. de quo ad Claudianum. Tanaquillus Faber Ep. XXIII. *Illyriis relictis* legit. ſic apud Propertium,

*Dic alias iterum naviget Illyrias.*

Heinſ.

124. *Pareat illa deo.*] Quæ *illa?* plurimi veterum *unda.* Sed probo & ſequor Tò *aura.* quod in decem caſtigationibus offendi. *Idem.*

125. *Timeoque repelli.*] Barberin. & unus Petav. *revelli,* ab Italiâ ſcilicet. *Idem.*

127. *Parcite cærulei vos ſaltem numina ponti.*] Prim. Polit. prim. Vatic. & unus Bononienſis cum Rottendorphiano,

—— *Vos parcite numina ponti.*

Idem.

128. *Jovem.*] Auguſtum.

130. *Si modo qui periit.*] Si modo ego tanquam mortuus, relegatus ad Sarmatas. *Poteſt non periiſſe.*] Si perditus ſervari poteſt.

## ELEGIA IV.

### ARGUMENTUM.

O mihi poſt ullos.] *Amici fidem laudat Poëta, quod etiam in adverſis eum nunquam deſeruerit: quam rem raros admodum ex tam multis fatetur ſibi præſtitiſſe. Simul eum hortatur, ut in priſtino amore perſiſtat, nec Auguſtum timeat.*

O Mihi poſt ullos nunquam memorande ſodales,
O cui præcipuè ſors mea viſa ſua eſt;

Atto

NUmerande ſodales.] *Memorande* veteres plerique. Scribe præter ea, *nuſquam memorande.* Pont. IV. *O mihi non dubios inter memorande ſodales.*



Mar-

Attonitum qui me, (memini) cariſſime, primus
Auſus es alloquio ſuſtinuiſſe tuo;
Qui mihi conſilium vivendi mite dediſti,
Cum foret in miſero pectore mortis amor;
Scis bene, cui dicam, poſitis pro nomine ſignis;
Officium nec te fallit, amice, tuum.
Hæc mihi ſemper erunt imis infixa medullis;
Perpetuuſque animæ debitor hujus ero.
Spiritus & vacuas prius hic tenuandus in auras
Ibit, & in tepido deſeret oſſa rogo;
Quam ſubeant animo meritorum oblivia noſtro:
Et longâ pietas excidat iſta die.
Dî tibi ſunt faciles, & opis nullius egentem
Fortunam præſtent, diſſimilemque meæ.
Si tamen hæc navis vento ferretur amico;
Ignoraretur forſitan iſta fides.
Theſea Pirithoüs non tam ſenſiſſet amicum,
Si non infernas vivus adîſſet aquas.
Ut foret exemplum veri Phocæus amoris,
Fecerunt Furiæ, triſtis Oreſta, tuæ.
Si non Euryalus Rutulos cecidiſſet in hoſtes;
Hyrtacidæ Niſo gloria nulla foret.
Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.
Dum juvat, & vultu ridet Fortuna ſereno;

In-

Martialis, *O mihi poſt nullos, Juli, memorande ſodales.* Heinſ.

5. *Conſilium vivendi mite dediſti.*] *Fuiſti* unus Mediceus. eleganter. Triſt. IV. El. 11.

*Hortator pugnæ conſiliumque fuit.*

Ep. Helen.

*Quæ mihi ſunt comites conſiliumque duæ.*

Idem.

7. *Poſitis pro nomine ſignis.*] Veretur Poëta amici nomen exprimere, propter Auguſtum.

10. *Animi debitor.*] *Animæ* plerique meliores. *Heinſ.*

11. *Spiritus hic vacuas prius extenuandus.*] Prius me vita deficiet: prius moriar. *Berſm.*

20. *Aquas infernas.*] Fingunt enim poëtæ, ad rapiendam Proſerpinam, inferos adiiſſe Theſeum ac Pirithoum.

22. *Tuæ furiæ.*] Furor tuus: quo agitabaris, ob matrem interfectam.

24. *Hyrtacidæ Niſi.*] *Niſo* tres libri. *Heinſ. Hyrtacidæ.*] Hyrtaci filio.

27. *Dum juvat.*] Opt. Vatic. *juvet.* Puto *favet.* Heinſ.

28. *In-*

Digitized by Google

Indelibatas cuncta ſequuntur opes.
At ſimul intonuit; fugiunt: nec noſcitur ulli,
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.
Atque hæc exemplis quondam collecta priorum,
Nunc mihi ſunt propriis cognita vera malis.
Vix duo treſve mihi de tot ſupereſtis amici.
Cætera Fortunæ, non mea, turba fuit.
Quo magis, ô pauci, rebus ſuccurrite lapſis,
Et date naufragio littora tuta meo:
Neve metu falſo nimium trepidate timentes,
Hac offendatur ne pietate Deus.
Sæpe fidem adverſis etiam laudavit in armis;
Inque ſuis amat hanc Cæſar, in hoſte probat.
Cauſſa mea eſt melior, qui non contraria fovi
Arma; ſed hanc merui ſimplicitate fugam.
Invigiles igitur noſtris pro caſibus oro;
Diminui ſi quà numinis ira poteſt.
Scire meos ſi quis caſus deſideret omnes;
Plus, quam quod fieri res ſinit, ille petat.
Tot mala ſum paſſus, quot in æthere ſidera lucent;
Parvaque quot ſiccus corpora pulvis habet.
Multaque credibili tulimus majora: ratamque,
Quam-

28. *Indelibatas.* ] Illæſas. *Mer.* *Indelibatas.* ] Opes integras, nullo adhuc caſu & detrimento imminutas. *Cuncta ſequuntur.* ] Quia felicibus ad voluntatem fluunt omnia. *Pont.*

30. *Agminibus comitum.* Turba clientium ſeu potius aſſentatorum. *Pont.*

35. *Rebus ſuccurrite laſis.* ] Alii *laſſis.* meliores *lapſis.* quod ſequor. quanquam & alterum poteſt admitti. ſic Triſt. v. El. 12.

*Quo ferar, unde petam lapſis ſolatia rebus?*

ubi ſimilis diverſitas in ſcriptis exemplaribus. & Pont. II. El. II.

*Nunc tua pro rebus nitatur gratia lapſis.*

ubi veterrimus Sarravianus *laſſis.* ut & Eleg. III.

*Reſpicis antiquum lapſis in rebus amicum.*

Gratius Cynegetico,

*Te primum Vulcane loci pacemque precamur*

*Incola ſancte tuam, des lapſis ultima rebus*

*Auxilia.*

perperam *ipſis rebus* nunc legitur Neque aliter Virgilius aliique ex optimis ſcriptoribus paſſim. *Heinſ.*

41. *Cauſa mea eſt melior.* ] Conjurationem & conſpirationem contra Auguſtum intelligit. de qua lib. 2. & 3. El. 5. *Mer.*

45. *Deſiderat omnes.* ] *Deſideret* tres meliores. & *petat* pro *petis* proximo verſu. *Heinſ.*



Digitized by Google

Quamvis acciderint, non habitura fidem.
Pars etiam mecum quædam moriatur oportet:
Meque velim poſſit diſſimulante tegi.
Si vox in fragili mihi pectore firmior ære,
Pluraque cum linguis pluribus ora forent;
Non tamen idcirco complecterer omnia verbis:
Materiâ vires exſuperante meas.
Pro duce Neritio docti mala noſtra Poëtæ
Scribite: Neritio nam mala plura tuli.
Ille brevi ſpatio multis erravit in annis
Inter Dulichias Iliacaſque domos.
Nos freta ſideribus notis diſtantia menſos
Sors tulit in Geticos Sarmaticoſque ſinus.
Ille habuit fidamque manum, ſocioſque fideles:
Me profugum comites deſeruêre mei.
Ille ſuam lætus patriam victorque petebat.
A patriâ fugio victus & exſul ego.

Nec

51. *Pars etiam quadam.* ] Ingenium intelligit, quod præ nimio dolore nequit dignum aliquid componere. Vel certe famam deſignat, quam perituram dicit hac exilii nota, vel inter Scythas nihil componendo.

52. *Poſſit tegi.* ] Poſſit celari pars hæc, quæ mecum morietur. *Mer.* Vel velim poſſe ignorari me tacente. Quæ illa fuerint, liberum eſt cuivis noſtrum divinare. *Pont.*

53. *Si vox infragilis, pectus mihi firmius eſſet.* ] *In fragili mihi pectore firmior* Junian. prim. Polit. prim. Vatic. & alii quinque. duo præterea ex noſtris & Berſm. *pectus mihi firmius are.* Scribe,

*Si vox in fragili mihi pectore firmior are.*

Homeri illa reſpexit Iliad. *β.*

Φώνη δ' ἄῤῥηκτ@, χάλκιον δὲ μοὶ ἦτορ ἐνείη.

quod jam alii viderunt. *Heinſ.*

56. *Materia.* ] Malorum copiam, materiam appellat.

57. *Pro duce Neritio.* ] Pro duce Ulyſſe. Eſt autem *Neritus* mons frondoſus in Inſula Ithaca, quam tenuit Ulyſſes.

61. *Nos freta ſideribus totis diſtantia.* ] *Notis* Combianus & unus Bononienſis. *Heinſ.*

62. *Sors tulit in Geticos Sarmaticoſque ſinus.* ] *Detulit in Geticos Cæſaris ira ſinus.* An *Depulit?* prim. Polit. & prim. Vatic. *Detulit Sarmatis ora.* ut infra,

*Sarmatis eſt tellus, quam mea vota petunt.*

Triſt. IV. El. X.

*Juncta pharetratis Sarmatis ora Getis.*

lib. V. Eleg. III.

*Juncta tenet crudis Sarmatis ora Getis.*

ſic & *Sarmatis umbra* Pont. lib. I. El. II. Pont. II. Eleg. VII.

*Frigore perpetuo Sarmatis ora riget.*

unus Vatic. *Fors tulit.* Idem.

63. *Socioſque fideles.* ] Tres, *fidoſque ſodales* tantundem eſt. Ne bis idem dicat, videtur ſcribendum, *certoſque ſodales.* ut apud Martialem,

—*fidis homo certus amicis.*

Idem.

67. Non

Nec mihi Dulichium domus eſt, Ithaceve, Sameve:
Pœna quibus non eſt grandis abeſſe locis.
Sed quæ de ſeptem totum circumſpicit orbem
Montibus, imperii Româ Deûmque locus.
Illi corpus erat durum patienſque laborum:
Invalidæ vires ingenuæque mihi.
Ille erat aſſiduè ſævis agitatus in armis:
Aſſuetus ſtudiis mollibus ipſe fui.
Me Deus oppreſſit, nullo mala noſtra levante:
Bellatrix illi Diva ferebat opem.
Cumque minor Jove ſit tumidis qui regnat in undis;
Illum Neptuni, me Jovis ira premit.
Adde, quod illius pars maxima ficta laborum eſt;
Ponitur in noſtris fabula nulla malis.
Denique quæſitos tetigit tamen ille Penates;
Quæque diu petiit, contigit arva tamen.
At mihi perpetuò patriâ tellure carendum eſt,
Nî fuerit læſi mollior ira Dei.

67. *Non mihi Dulichium.*] Dulichium inſula eſt ex Echinadibus una, quæ poſtea *Dolicha* appellata fuit. Fuitque hæc inſula Ulyſſi ſubdita, ut docet Strab. *Ithaceve.*] Ithaca inſula eſt, quæ ad ſtadia 80. in circuitu patet. Corcyræ inſulæ maximæ adjacet Neritia Ithacæ tellus optatiſſima, & ipſa Ulyſſis patria. *Sameve.*] Samos ſive Same, inſula eſt, quæ olim quatuor continebat urbes, ex quibus una Samus. eadem *Cephalenia* appellatur. *Ithaceve Sameve.*] *Samove* pri. Vatic. reliqui *Samoſve.* utrumque probum. de quo Remed. Amor. vſ. 264. *Heinſ.*

68. *Pœna non eſt grandis.*] Non magna moleſtia eſt. Etenim non urbes ſunt quæ comparari poſſint cum urbe Roma: à qua abeſſe ſummam capio moleſtiam, & vitam ipſam inſtar mortis mihi eſſe duco. Et vide quam venuſte contraria contrariis in univerſa hac ſui & Ulyſſis collatione, referat: quæ plurimum artis & eloquentiæ habent. *Ciofan.*

72. *Invalidæ vires ingeniumque mihi.*] Lege cum pleriſque ſcriptis, *ingenuaque.* ut apud Martialem,

*Vires ingenuæ, ſalubre corpus.*

Idem lib. III. Epiſt. XLVI. hæc duo quoque conjunxit.

*Invalidum eſt nobis ingenuumque latus.*

Idem lib. XII. Epiſt. IV. *ingenuam pigritiam* quoque dixit. *Heinſ.*

78. *Jovis ira.*] Auguſti odium: qui his temporibus eſt illi ſummus Jupiter. *Mer.*

80. *In noſtris, &c.*] Homerus ſapienter finxit, & fabulis rerum veritatem texit: ego cauſam fingendi nullam habeo. *Pont.*



Digitized by Google

## ELEGIA V.

### ARGUMENTUM.

Nec tantum Clario. ] *Uxoris fidem & induſtriam laudat Poëta: quod, quum nonnulli avidiſſime inhiarent ejus opibus, ipſa ingenio, & amicorum præſidio integra omnia ſervaverit. Unde Poëta verecunde tantum pollicetur, eam fore ſuis carminibus immortalem.*

NEc tantum Clario Lyde dilecta poëtæ,
  Nec tantum Coo Battis amata ſuo eſt:
Pectoribus quantum tu noſtris, Uxor, inhæres;
  Digna minus miſero, non meliore viro.
Te mea ſuppoſitâ veluti trabe fulta ruina eſt:
  Siquid adhuc ego ſum, muneris omne tui eſt:
Tu facis, ut ſpolium ne ſim, neu nuder ab illis
  Naufragii tabulas qui petiêre mei.
Utque rapax ſtimulante fame cupiduſque cruoris
  Incuſtoditum captat ovile lupus:
Aut ut edax vultur corpus circumſpicit ecquod
  Sub nullâ poſitum cernere poſſit humo:

Sic

LYde. ] Lyde amica fuit Callimachi, quam ardentiſſime amavit. *Clario poëtæ.* ] Callimacho Apollinis vati. *Clarius* enim Apollo appellatus eſt, à Clario luco. Strabo lib. 14. Ovidius in Met. *Mihi Delphica tellus, & Claros, & Tenedos, Patareaque regia ſervit.*

2. *Suo Coo.* ] Suo Phileni.

4. *Minus miſero.* ] Feliciori marito.

5. *Te mea ſuppoſita eſt.* ] Accipiendum eſt de poſſeſſionibus, in quas involabant homines alienorum cupidi, quarum fructibus in exilio ipſe vivebat. *P. Suppoſitâ veluti trabe fulta ruinâ eſt.* ] Non damno quidem hanc lectionem, quam libri veteres agnoſcunt, veriorem tamen auguror fore ſi *carina* reponas. Intelligit trabes illas quæ ſubductis in littus navibus ſubjiciebantur. Hæ Græcis φάλαγγες vel φαλάγγια. de quibus Pollux & Heſychius: Nonius quoque in *Palanga.* Varro de vita pop. Rom. *Cum Pœnus in fretum obviam veniſſet noſtris, & quoſdam cepiſſet, crudeliſſime pro Palangis carinis ſubjecerat, quod metu debilitaret noſtros.* Iſidorus lib. XIX. cap. 11. Etym. *Pulvinos* videtur appellare. Minucius Octavio. *Et cum ad id loci ventum eſt, ubi ſubducta navicula ſubſtratis roboribus à terrenâ labe ſuſpenſa quieſcebant.* Heinſ.

7. *Ut ſpolium non ſim.* ] *Ut ne ſim* tres veteres. *Idem.*

8. *Naufragii tabulas.* ] Reliquias naufragii mei; reliquum fortunarum mearum. Quas cum Cæſar non ademerit, ipſi tamen adimere nefarie conantur.

9. *Cupiduſque cruoris.* ] *Sitienſque* unus Mediceus. venuſte. vide Notas noſtras ad Claudianum lib. III. de Raptu Proſerpinæ. vſ. 282. *Heinſ.*

11. *Aut ut edax vultur.* ] Vultur ex cadaveribus ſibi eſcam quærit. Interficit autem nihil, nec deſtruit animantium. Vide Ariſt. libro 6. *Aut ut edax vultur.* ] Nam & vulturii nominantur, qui captant bona aliena, & ea per fas & nefas occupare nituntur.

12. *Sub nullâ poſitum cernere poſſit humo.* ]

Sic mea neſcio quis, rebus male fidus acerbis,
In bona venturus, ſi paterêre, fuit.
Hunc tua per fortes virtus ſubmovit amicos,
Nulla quibus reddi gratia digna poteſt.
Ergo quam miſero, tam vero, teſte probaris:
Hic aliquod pondus ſi modo teſtis habet.
Nec probitate tuâ prior eſt aut Hectoris uxor,
Aut comes extincto Laodamia viro.
Tu ſi Mæonium vatem ſortita fuiſſes;
Penelopes eſſet fama ſecunda tuæ.
Sive tibi hoc debes, nullâ pia facta magiſtrâ;
Cumque novâ mores ſunt tibi luce dati:
Fœmina ſeu princeps, omnes tibi culta per annos,
Te docet exemplum conjugis eſſe bonæ:
Aſſimilemque ſui longâ aſſuetudine fecit:
Grandia ſi parvis aſſimilare licet.
Hei mihi, non magnas quod habent mea carmina vires,
Noſtraque ſunt meritis ora minora tuis!
Si quid & in nobis vivi fuit ante vigoris,
Exſtinctum longis occidit omne malis:
Prima locum ſanctas heroïdas inter haberes:
Prima bonis animi conſpicerêre tui.

Quan-

*mo.*] *Sub nuda* Scaliger & editiones nonnullæ, perperam. corpus ſub nulla tellure poſitum, eſt inhumatum corpus. *Sub nulla humo.*] Nondum humatum.

14. *In mea bona.*] In meas fortunas. *Mer.*

23. *Sive tibi hoc debes.*] Seu natura te hoc docuit; ſeu Liviæ exemplo didiciſti *Berſ.* *Nullo pia facta magiſtro.*] *Nulla magiſtrâ* multi ex melioribus. *Heinſ.*

24. *Mores.*] Sanctiſſima inſtituta. *Cum nova luce.*] Cum die natali; cum naſcereris.

25. *Fœmina ſeu princeps.*] Seu Liviam, quam præcipua fide coluiſti, imitata es. Amerbachius ad Martiam, Martii Philippi vitrici Auguſti filiam, contendit referendum.

30. *Noſtra ora.*] Noſtra verba. Aliquem pleno ore laudare verbis multis & grandibus. *Pont.* *Noſtra ora.*] Pro ſermone & fabulis. Phædr. in prol. lib. 1. *Duplex fabellis os eſt.* Qua de re in Tom. 1. Etiam pro fiducia. *Si ſatis oris habes.*

32. *Extinctum longis excidit omne malis.*] Κακοφωνία eſt *extinctum*, *excidit*. etſi minime ignoro *excidere* hac ſignificatione uſitatum eſſe Ovidio. de quo Remed. Amor. vſ. 348. eſt dictum. primus tamen Politiani, pri. Vatic. & ſex alii *occidit*. quod ſequor. *Heinſ.*

33. *Inter.*] Inter claras mulieres.

34. *Bonis tui animi.*] Tua virtute. *Mer.* Eſſes præ omnibus conſpicua, ob bona animi tui, quæ maximam & ſolidam laudem merentur. *Pont.*



Digitized by Google

Quantumcunque tamen præconia noſtra valebunt;
  Carminibus vives tempus in omne meis.

## ELEGIA VI.

### ARGUMENTUM.

Si quis habes noſtri. ] *Amicum admonet Poëta, ut gemma faciem ſuam inſculptam intuens, ejus exilii recordetur, dematque illi coronam ex hedera: ſiquidem hujuſmodi inſignia conveniunt felicibus poëtis. Mandat tamen inſculptæ imaginis loco legatur opus Metamorphoſeon in quindecim libellos digeſtum: quos quamvis ipſe in exilium proficiſcens, in ignem conjecerit, tamen eoſdem pluribus exemplis conſcriptos extare intelligit. Poſtremo ſex verſus mandat conſcribi in prima libelli fronte: quo lector admoneatur, illud opus inemendatum ſubita ejus conſternatione circumferri.*

SIquis habes noſtris ſimiles in imagine vultus:
  Deme meis hederas Bacchica ſerta comis.
Iſta decent lætos felicia ſigna poëtas.
  Temporibus non eſt apta corona meis.
Hæc tibi diſſimulas, ſentis tamen, optime, dici,
  In digito qui me ferſque referſque tuo.
Effigiemque meam fulvo complexus in auro
  Cara relegati, qua potes, ora vides,
Quæ quoties ſpectas, ſubeat tibi dicere forſan,
  Quam procul à nobis Naſo ſodalis abeſt!
Grata tua eſt pietas: ſed carmina major imago
  Sunt mea; quæ mando qualiacunque legas.

Car-

NOſtris ſimiles. ] *Noſtri* ſex meliores. & mox *Bacchia ſerta* pro *Bacchica*. Adi Notas Met. III. 517. *Heinſ. In imagine.* ] In effigie gemmæ inſculpta. Vide Plin. l. 37. Ex hedera enim poëtæ Elegi coronabantur, ſicut ex quercu Heroïci. Propert. *Ennius hirſuta cingat ſua dicta corona, Mi folia ex hedera porrige Bacche tua.* De hedera legito Plin. lib. 16. & Theophraſtum lib. 3.

5. *Hæc tibi diſſimula, ſentis tamen omnia dici.* ] Scripti plerique cum primis editionibus *ſentis tamen optime dici.* & *hoc* pro *hæc*. Lege,

*Hoc tibi diſſimulas, ſentis tamen, optime, dici.* Heinſ.

*Diſſimula.* ] Finge hæc non dici tibi, ne Auguſtum lædas. *Sentis tamen optime.* ] Intelligis tamen optime amice, me tibi hæc dicere.

6. *Qui me ferſque referſque.* ] Qui fers & repræſentas. aut qui fers & extrahis annulum, in quo eſt gemma habens vultus meos inſculptos. Vide Macrob. Saturn. lib. 7. cap. 13. *Ferſque referſque.* ] *Feraſque* ſcribendum videtur. ſic Triſt. III. El. VIII. pro *fertque feretque*, ſcripti fere omnes *fertque refertque*. Pont. IV. Eleg. I. *Auxilium vitæ fertque refertque meæ.* ubi cenſeo reponendum *feretque* quod ſequentia ibi requirunt. *Heinſius.*

8. *Qua potes.* ] Tres itidem ſcripti *qua potes*. Idem.

13. He-

Digitized by Google

Carmina mutatas hominum dicentia formas:
Infelix domini quod fuga rupit opus.
Hæc ego diſcedens, ſicut bene multa meorum,
Ipſe meâ poſui mœſtus in igne manu.
Utque cremaſſe ſuum fertur ſub ſtipite natum
Theſtias, & melior matre fuiſſe ſoror;
Sic ego non meritos mecum peritura libellos
Impoſui rapidis viſcera noſtra rogis.
Vel quod eram Muſas, ut crimina noſtra, peroſus:
Vel quod adhuc creſcens & rude carmen erat.
Quæ quoniam non ſunt penitus ſublata, ſed exſtant;
Pluribus exemplis ſcripta fuiſſe reor.
Nunc precor ut vivant, & non ignava legentem
Otia delectent, admoneantque mei.
Nec tamen illa legi poterunt patienter ab ullo;
Neſciet his ſummam ſi quis abeſſe manum.
Ablatum mediis opus eſt incudibus illud:
Defuit & ſcriptis ultima lima meis.
Et veniam pro laude peto: laudatus abunde,
Non faſtiditus ſi tibi, Lector, ero.
Hos quoque ſex verſus, in primi fronte libelli

Si

13. *Hominum dicentia formas.* ] *Narrantia* tres ſcripti. *Idem.*

15. *Sicut bona multa meorum.* ] Diu eſt quod vidi ſcribendum *bene multa.* quod pri. Vatic. Hamburg. & tres alii confirmant. In Catalectis,

*Triga mihi paucos inter dilecta ſodales,*
*Triga ſodalitii pars bene magna mei.*

atque ita paſſim veteres. *bene* enim pro *valde* ponitur. ut *bona pars* pro magna pars. Trebonian. Inſtitut. l. IV. Tit VI. §. 12. *actiones bene multas* dixit. Similis error apud Propertium commiſſus lib. III. El. XXII. ubi legendum,

*An tibi neſcio qua viſa eſt formoſior? an tu*
*Non bene de nobis crimina ficta jacis?*

Idem.

17. *Sub ſtipite.* ] Sub torre, in quo Meleagri fata erant.

18. *Theſtias.* ] Althea Theſtii filia. Theſtius enim Pleuroniam tenuit: qui Curetum ductor, ſocer quidem fuit Oenei, Altheæ vero pater. *Et melior matre fuiſſe ſoror.* ] Althea meliorem ſe, & fratrum à Meleagro interemptorum amantiorem oſtendit, quam filii. Sic & in 8. Metam. *Pugnat materque ſororque, Et diverſa trahunt unum duo nomina pectus. Incipit eſſe tamen melior germana parente.*

20. *Viſcera noſtra.* ] Noſtros libros: quaſi meos partus. *Rogis.* ] Flammæ omnia rapienti.

27. *Non tamen.* ] *Nec* veteres & *Neſciet.* Heinſ.

29. *Mediis incudibus.* ] Nondum abſoluto opere. *Mer.* Sic & opus aliquod *elimare* dicimur.

33. *In prima fronte libelli.* ] Scribe *primi libelli.* Inepte enim Metamorphoſes *libel-*

Digitized by Google

Si præponendos eſſe putabis, habe.
Orba parente ſuo quicunque volumina tangis;
His ſaltem veſtrâ detur in Urbe locus.
Quoque magis faveas, non ſunt hæc edita ab ipſo,
Sed quaſi de domini funere rapta ſui.
Quicquid in his igitur vitii rude carmen habebit,
Emendaturus, ſi licuiſſet, eram.

*libellus* vocentur, quas ipſe l. 11. *Majus opus* ſit appellaturus. ſic alibi,

*Sex ego Faſtorum ſcripſi totidemque libellos.*

&,

*Qui modo Naſonis fueramus quinque libelli,*
*Tres ſumus.* ——

de Amorum libris. atque ita paſſim alibi. *Heinſ.*

35. *Orba parente ſuo.*] Privata patre, & autore operis, qui in exilium ejectus eſt.

37. *Edita ab illo.*] *Ipſo* meliores. pro *faveas* etiam *foveas* agnoſcunt quatuor.

40. *Emendaturus erat.*] *Eram* ſcripti potiores. *Heinſ.*

## ELEGIA VII.

### ARGUMENTUM.

In caput alta ſuum.] *Queritur Poëta, eum, quocum diu familiariter vixerat, ſubita poëtæ conſternatione, & exilii ruina fidem mutaſſe. Mox tamen illum admonet, ut in fide permaneat, quo officium laudare queat.*

IN caput alta ſuum labentur ab æquore retro
Flumina: converſis Solque recurret equis.
Terra feret ſtellas: cælum findetur aratro:
Unda dabit flammas: & dabit ignis aquas.
Omnia naturæ præpoſtera legibus ibunt:
Parsque ſuum mundi nulla tenebit iter.
Omnia jam fient, fieri quæ poſſe negabam:
Et nihil eſt, de quo non ſit habenda fides.
Hæc ego vaticinor; quia ſum deceptus ab illo,
Laturum miſero quem mihi rebar opem.
Tantane te, fallax, cepêre oblivia noſtri?
Afflictumne fuit tantus adire timor?
Ut neque reſpiceres, nec ſolarêre jacentem;

Du-

IN *ſuum caput.*] Caput dicitur fluminis origo. *Heic mihi magna domus celſis caput urbibus exit.* Virgil. 8. de cæruleo Tibri. Et Noſter Metam. 2. vſ. 254.

*Nilus in extremum fugit perterritus orbem*
*Occuluitque caput, quod adhuc latet.*

*In ſuum caput.*] Inductio eſt, ex iis conſtans quæ fieri nequeunt. *Pont.*

12. *Afflictumque.*] Malo *Adflictumne.* Heinſ.

15. *Ami-*

Dure? nec exſequias proſequerêre meas?
Illud amicitiæ ſanctum ac venerabile nomen
Re tibi pro vili ſub pedibuſque jacet?
Quid fuit, ingenti proſtratum mole ſodalem
Viſere, & alloquii parte levare tui?
Inque meos ſi non lacrymam dimittere caſus,
Pauca tamen ficto verba dolore queri?
Idque, quod ignoti faciunt, valedicere ſaltem;
Et vocem populi publicaque ora ſequi?
Denique lugubres vultus, numquamque videndos
Cernere ſupremo, dum licuitque, die?
Dicendumque ſemel toto non amplius ævo
Accipere, & parili reddere voce, Vale?
At fecêre alii nullo mihi fœdere juncti;
Et lacrymas animi ſigna dedêre ſui.
Quid, niſi convictu cauſſiſque valentibus eſſem,
Temporis & longi vinctus amore tibi?
Quid; niſi tot luſus & tot mea ſeria noſſes,
Tot noſſem luſus ſeriaque ipſe tua?
Quid, ſi duntaxat Romæ mihi cognitus eſſes,
Adſcitus toties in genus omne loci?
Cunctane in æquoreos abierunt irrita ventos?
Cunctane Lethæis merſa feruntur aquis?
Non ego te placidâ genitum reor urbe Quirini;

Urbe,

15. *Amicitiæ ſanctum & venerabile nomen.* ] *Quondam venerabile* quidam veteres. & *numen* liber Petri Servii. ut Pont. lib. II. El. III.

*Illud amicitiæ quondam venerabile numen*
*Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet.*

ſic & ibi veterrimus Codex Sarravianus. *Idem.*

17. *Ingenti mole proſtratum.* ] Ærumnis oppreſſum. Calamitatis ſuæ magnitudinem vocat ingentem molem, à qua velut ruina magna oppreſſus ſit.

19. *Lacrymas dimittere.* ] *Lacrymam* meliores. ut paſſim alibi Noſter. & mox *queri* pro *loqui* Gottorphianus. *Heinſ.*

22. *Et vocem populi.* ] Supremum ſalve & vale conclamare. *Berſm.*

30. *Junctus amore.* ] Bene opt. Palat. & unus Mediceus *vinctus amore.* nam *fœdere juncti* paulo ante præceſſerat. Vide Notas Faſt. IV. vſ. 224. *Heinſ.*

34. *Adſcitus toties in genus omne joci.* ] Lege *loci.* cum multis veterum. de jocis & ſeriis jam ante egerat. *Idem.*

35. *In æquoreos ventos.* ] *In Æolios* Rottendorphianus pro diverſa lectione. *Idem.*

37. *Placidâ urbe Quirini.* ] Romam deſignat, in qua homines non ſævos, ſed mites naſci ſolitos innuit.

41. *Si-*

Urbe, meo quæ jam non adeunda pede eſt.
Sed ſcopulis, Ponti quos hæc habet ora ſiniſtri:
Inque feris Scythiæ Sarmaticiſque jugis.
Et tua ſunt ſilicis circum præcordia venæ;
Et rigidum ferri ſemina pectus habent.
Quæque tibi quondam tenero ducenda palato
Plena dedit nutrix ubera, tigris erat.
At mala noſtra minus, quam nunc, aliena putaſſes;
Duritiæque mihi non agerêre reus.
Sed quoniam accedit fatalibus hoc quoque damnis,
Ut careant numeris tempora prima ſuis;
Effice, peccati ne ſim memor hujus; & illo
Officium laudem, quo queror, ore tuum.

41. *Silicis vena.* ] *Et ſtant marmoreo membra peruſta gelu.* Et Noſter in Met. 9. *Nec rigidos ſilices, ſolidumve in pectore ferrum.* vſ. 615. Σαρκὶ σιδηρείῃ οἷα κολοσσός. Theocr. Idyll. 22. De Amyco.

42. *Semina pectus habet.* ] *Habent* unus Gallicanus. ſic *pectora ſomnus, terror, mœror habet*, & ſimilia paſſim apud Noſtrum. Adi Notas ad Epiſt. XII. vſ. 170. *Heinſ.*

45. *Aut mala noſtra minus quam non aliena putares.* ] *At mala* & *putaſſes* meliores. Deinde *quam nunc* unus Vaticanus. vere. quomodo etiam doctiſſimus Tanaquillus Faber vidit ſcribendum Epiſtola XXIII. Combianus pro diverſâ lectione, *quia nunc*. Senſus eſt. At ſaltem mala noſtra minus à te aliena putaſſes, quam nunc putas. *Idem.*

48. *Ut tempora prima.* ] Ut ſuperiora tempora, quibus amicitia noſtra erat arctiſſima. *Careant ſuis numeris.* ] Careant ſuo ordine: ut mihi in amore non reſpondeas, ut antea.

## ELEGIA VIII.

### ARGUMENTUM.

Detur inoffenſæ. ] *Queritur poëta vulgum ſequi fortunam, & ſecundis tantum rebus adeſſe amico, at in adverſis eum deſtituere: quod quidem re ſibi cognitum fuiſſe docet. Siquidem antequam relegaretur ab Auguſto, multos habuit amicos: ac poſtquam ſubita ruina corruit, neminem invenit, in cujus præſidio acquieſceret, quum multis per Cæſaris modeſtiam id præſtare licuiſſet: quandoquidem ab eo hoſtilis erga amicum amor etiam probetur.*

DEtur inoffenſæ metam tibi tangere vitæ,
Qui legis hoc nobis non inimicus opus.
Atque utinam pro te poſſint mea vota valere,
Quæ pro me duros non tetigêre Deos!

Do-

DEtur *inoffenſa vita tibi tangere metam.* ] Concinnius quatuor antiqui *metam tibi tangere vitæ.* & mox *poſſint* pro *poſſent* meliores. *Heinſ.*

4. *Duros deos.* ] Deos mihi difficiles, Cæſarem inclementem.

10. Nul-

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.
Aſpicis, ut veniant ad candida tecta columbæ;
Accipiat nullas ſordida turris aves.
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam:
Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.
Utque comes radios per Solis euntibus umbra,
Cum latet hic preſſus nubibus, illa fugit;
Mobile ſic ſequitur Fortunæ lumina vulgus:
Quæ ſimul inductâ nube teguntur, abit.
Hæc precor ut ſemper poſſint tibi falſa videri:
Sunt tamen eventu vera fatenda meo.
Dum ſtetimus, turbæ quantum ſatis eſſet, habebat
Nota quidem, ſed non ambitioſa, domus.
At ſimul impulſa eſt; omnes timuêre ruinam:
Cautaque communi terga dedêre fugæ.
Sæva nec admiror metuunt ſi fulmina, quorum
Ignibus afflari proxima quæque ſolent.
Sed tamen in duris remanentem rebus amicum
Quamlibet inviſo Cæſar in hoſte probat.
Nec ſolet iraſci (neque enim moderatior alter)
Cum quis in adverſis, ſi quid amavit, amat.
De comite Argolici poſtquam cognovit Oreſtæ,

Nar-

10. *Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.*] *Currit* exemplar vetus Berſinanni. Ego *viſit* reponendum cenſeo. Adi Notas Amor. lib. II. El. II. vſ. 21. *Heinſ.*

13. *Fortunæ lumina.*] Auram & felicitatem fortunæ.

16. *Eventu vera fatenda meo.*] Malim *mihi*. Heinſ.

20. *Cauta terga.*] Ipſi cauti & ſibi conſulentes: vel certe cauta turba, hoc eſt, turba ſibi cavens, ne quid Auguſtus in eos mea cauſa gravius moliretur. *Mer.*

24. *Quolibet inviſo.*] *Quamlibet* ſex veteres probe. Dixi Notis ad Epiſt. VI. vſ. 140. *Heinſ.*

27. *De comite Argolico poſtquam cognovit Oreſtem.*] *Oreſte* plurimi veteres. Scribe *Argolici Oreſtæ*. Nam Pylades Phocêus non Argolicus. Amor. lib. II. Eleg. VI.

*Quod fuit Argolico juvenis Phocêus Oreſtæ.*

vide Notas ad Epiſt. VIII. vſ. 9. *Idem.*
*De comite Argolico.*] Pacuvius tragœdiam ſcripſit, in qua continebatur quomodo Oreſtes cupiens à ſe furias removere ex morte matris conceptas, oraculum conſuluit, cui reſpondit, ut ad templum Dianæ in Tauricam regionem proficiſceretur. quo quum perveniſſet, comite & duce itineris Pylade, Thoas rex de more eum mactare volebat. Cæterum ignorabat uter eſſet Oreſtes. Pylades Oreſtem ſe eſſe reſpondit, ut pro illo

Digitized by Google

Narratur Pyladen ipſe probaſſe Thoas.
Quæ fuit Actoridæ cum magno ſemper Achille,
Laudari ſolita eſt Hectoris ore fides.
Quod pius ad manes Theſeus comes iſſet amico,
Tartareum dicunt indoluiſſe Deum.
Euryali Niſique fide tibi, Turne, relatâ,
Credibile eſt lacrymis immaduiſſe genas.
Eſt etiam miſeris pietas, & in hoſte probatur.
Hei mihi, quam paucos hæc mea dicta movent!
Hic ſtatus, hæc rerum nunc eſt fortuna mearum,
Debeat ut lacrymis nullus adeſſe modus.

At

illo necaretur. Oreſtes autem ita ut erat, Oreſtem ſe eſſe perſeverabat. quorum fidem ita Thoas probavit, ut Oreſti ignoſceret. Rem aliter & plenius refert Ovid. lib. 3. de Ponto ea elegia quam ad Cottam ſcribit. *De comite Argolico.* ] Pylade. De eô qui ſimulabat ſe eſſe Pyladem, ut Oreſtes potius quam ipſe ſervaretur.

29. *Quæ fuit Actoridæ.* ] Patroclo, Actoris filio. Amor Patrocli & Achillis notus eſt Homeri carmine.

30. *Hectoris ore.* ] Ore inimici. Summam ac ſolidam eſſe laudem, cum quis ab hoſte laudatur, docet Ariſtot. lib. I. Rhetor. *Ciof.*

31. *Theſeus comes iret amico.* ] *Iſſet* multi veteres. unus Mediceus & Barberinus pro diverſá lectione *comitavit amicum.* Puto *comitaret.* Pont. libro II. Eleg. III.

*Pirithoum Theſeus Stygias comitavit ad undas.*

Met. XIII. ex optimis exemplaribus,

*Ille tamen vivit, quia non comitavit Ulyſſen.*

Pont. I. El. X.

*Funera non potui comitare.*

lib. II. Eleg. II.

*Quem pia vobiſcum proles comitavit euntem.*

Triſt. V. Eleg. IV. ex veteri libro,

*Teque Menœtiaden, te qui comitavit Oreſten,*

*Te vocat Ægiden Euryalumque ſuum.*

atque ita paſſim Noſter. Propertius l. II. Eleg. VII.

*Quod mea ſi teneræ comitarent caſtra puellæ,*
*Non mihi ſat magnus Caſtoris iret equus.*

Ita ſcribo verſus mendoſiſſimos, à Scaligero aliiſque fruſtra tentatos. Nam codices vetuſti magna ex parte,

*Quod ſi vera mea comitarent caſtra puella.*

turbato ordine litterarum. *teneræ puellæ* perpetuum epitheton Noſtro plurimis locis. Paſſeratius aliique conjecturam Scaligeri de *Romanis puellis* approbarunt. male. *Heinſ.*

34. *Cyaneas inſtabiles.* ] Redibis ad Tom. I. p. 160. vſ. 121. Symplegad.

35. *Eſt etiam miſeris pietas.* ] *In miſeris* veteres nonnulli. Puto ſcribendum,

*Iſta etiam in miſeris pietas vel ab hoſte probatur.*

aut —— *miſero pietas vel in hoſte probatur.* Hoc videtur velle Noſter. *Eſt etiam miſeriſque fides*, Arondel. *Heinſ.*

37. *Nunc eſt fortuna mearum.* ] Duo veteres *non eſt.* & tum ſequenti verſu legendum *ullus* pro *nullus.* quomodo Patavinus unus. Met. XIII.

*Non hæc eſt Fortuna domus.* ——

Idem.

39. At

Digitized by Google

At mea ſunt, proprio quamvis mœſtiſſima caſu,
Pectora pro ſenſu facta ſerena tuo.
Hoc eventurum jam tum, cariſſime, vidi,
Ferret adhuc iſtam cum minor aura ratem.
Sive aliquod morum, ſeu vitæ labe carentis
Eſt pretium; nemo pluris habendus erit.
Sive per ingenuas aliquis caput extulit artes;
Quælibet eloquio fit bona cauſſa tuo.
His ego commotus, dixi tibi protinus ipſi;
Scena manet dotes grandis, amice, tuas.

Hæc

39. *At mea ſint proprio quamvis mœſtiſſima caſu*
*Tempora, profectu facta ſerena tuo.*] Nihil hic ſani eſt. pri. Vatic. & quinque alii, *At mea ſunt.* deinde veteres plerique cum primis editionibus, *Pectora pro ſenſu.* Lege,

*At mea ſunt, proprio quamvis mœſtiſſima caſu,*
*Pectora pro ſenſu facta ſerena tuo.*

aliquid diximus de hoc loco ſupra El. I. vſ. 40. Excerpta Voſſii tamen, *pro ſenſu. proventu* Combianus pro diverſa lectione. Sed puto *poſt ſenſus tuos*, ea ſignificatione, qua lib. IV. El. VI.

*Menſque mali ſenſum noſtra recentis habet.*

Et Ponticis, ut quidem ſcribendum,

*Felicem Nioben, quamvis tot funera vidit,*
*Quæ poſuit ſenſum ſaxea facta mali.*

Epiſtola Paridis, *ſentis mea vulnera, ſentis.* Idem. *Ut mea ſint proprio.*] Sunt qui hanc elegiam cum ſuperiore conjungant, ſunt qui etiam ſeparent: mihi omnino videtur disjungenda. Amico enim gratulatur, quod ſtudio & doctrina magnam ſit laudem conſecutus: quod ita fore olim ſe nulla divinandi peritia, ſed ratione & conjecturis cognoviſſe dicit. Simul oſtendit eum ſibi rectius conſuluiſſe, quod gravioribus diſciplinis operam dederit. At contra dolet ſibi ſtudia poëtica & laſciviorem Muſam nocuiſſe. *At* habet. ut ſit ſenſus horum verſuum, cum ſuperioribus collatione quadam junctis, hoc modo: Hic quidem mearum rerum ſtatus eſt, ut eas lacrymis proſequi ſatis non poſſim: ſed tamen ut illæ ſe habent, & quamvis mœſtiſſimus ipſe ſim, tamen poſteaquam de tuis ſucceſſibus, tuoque profectu (hoc enim verbum magis probo, quam quod quidam legunt, *Pro ſenſu*) aliquantum exhilaratus fui, &c. *Micyl.*

41. *Hoc tibi venturum.*] *Hoc eventurum* prim. Polit. pri. Vatic. unus Mediceus & Rottendorph. bene. alii *ego venturum* vel *mibi venturum.* Pont. III. Eleg. IV.

*Di quorum monitu ſumus eventura locuti.*

Epicedio Druſi, *Eventura precor.* mox *minor aura* pro *minus* meliores. *Heinſ.* *Hoc tibi venturum.*] Pro, eventurum. Id intelligit quod ſenſum nominavit.

42. *Iſtam ratem.*] Te ipſum & ingenium.

44. *Nemo pluris emendus erat.*] *Habendus erat* prim. Vatic. & pri. Palat. *habendus erit* alter Polit. Rottendorph. & duo alii. probe. Sic Cicero Philippica VI. *Pluris hic habetur, quam alibi.* pro æſtimatur. Juvenalis Satyra X. ex antiquis codicibus,

*Viſne ſalutari ſicut Sejanus, haberi*
*Tantundem.*

ubi in vulgatis eſt *habere.* Heinſ.

48. *Scena manet dotes.*] Dotes iſtæ aliquando magno theatro ſpectabuntur. *Berſm.*



Digitized by Google

Hæc mihi non ovium fibræ tonitruſve ſiniſtri,
Linguave ſervatæ pennave dixit avis.
Augurium ratio eſt, & conjectura futuri:
Hac divinavi, notitiamque tuli.
Quæ quoniam rata ſunt; totâ mihi mente tibique
Gratulor, ingenium non latuiſſe tuum.
At noſtrum tenebris utinam latuiſſet in imis!
Expediit ſtudio lumen abeſſe meo.
Utque tibi proſunt artes, facunde, ſeveræ;
Diſſimiles illis ſic nocuêre mihi.
Vita tamen tibi nota mea eſt: ſcis artibus illis
Auctoris mores abſtinuiſſe ſui.
Scis vetus hoc juveni luſum mihi carmen: & iſtos,
Ut non laudandos, ſic tamen eſſe jocos.
Ergo ut defendi nullo mea poſſe colore,
Sic excuſari crimina poſſe puto.
Qua potes, excuſa: nec amici deſere cauſſam.

Quo

49. *Hoc mihi.* ] *Hac* meliores. *Heinſ. Hoc mihi non ovium fibra.* ] Non divinavi hæc tanquam haruſpex ex animalium extis: inde extiſpices, extiſpicium. *Tonitruſve ſiniſtri.* ] Divinabant etiam per fulgura, quæ obſervabant. Læva (auctore Plinio) proſpera exiſtimabantur: quoniam læva parte mundi ortus eſt: tum quæ nobis ſiniſtra ſunt, ea ſuperis dextra demitti creduntur. Vide Plutarch. Quæſt. Rom. 78. *Pont.*

50. *Linguave.* ] Per linguam avis, intellige oſcines, id eſt, aves quæ voce augurium faciunt. Per *pennam* autem deſignat *prapetes*, quæ volatu dabant auguria. *M.*

53. *Qua quoniam vera eſt.* ] Pri. Polit. prim. Vatic. prim. Pal. & Rottendorph. *rata eſt.* in Vatic. pro *eſt* erat emendatum *ſunt.* verè. alter Palatinus *rata ſint.* ſupra Elegia prima, *Quaque vovet, rata ſint.* Epiſt. Paridis,

*Qua rata ſint, nec te fruſtra promiſerit opto.*

Met. IX. *rata ſint ſua viſa precatur.* ſic & paſſim alibi. *Heinſ.*

56. *Studiis meis.* ] *Studio meo* ſcripti. *Idem. Lumen.* ] Famam & gloriam.

57. *Artes ſevera.* ] Vel philoſophiam dicit, vel ingenuas diſciplinas & ſtudia eloquentiæ.

58. *Diſſimiles illis.* ] Quia noſtræ artes non ſunt ſeveræ.

59. *Scis artibus illis.* ] Libris de Arte amandi. Eodem modo excuſat ſe lib. 2. ad Auguſtum: *Crede mihi diſtant mores à carmine noſtro. Vita verecunda eſt, Muſa jocoſa mea eſt.* Sic & Catullus: *Nam caſtum eſſe decet pium poëtam Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt.*

65. *Qua potes excuſa.* ] Multi veteres *Quam potes.* de quo Remed. Amor. vſ. 325. dixi; malim etiam *amicam cauſam* quam *amici.* ſic *amicum nomen* Art. Am. I. vſ 585. ubi plura. & *amica lima* Pont. II. El. IV. ſic *ungues amici* Juvenal. Sat. V. ex antiquis codicibus;

*—— cuſtos affixus ibidem,*
*Qui numeret gemmas ungueſque obſervet amicos.*

ubi *acutos* nunc legitur. *feſſos opibus ſolatur amicis* apud Maronem Aceſtes, Æneid.

Quo bene cœpiſti, ſic pede ſemper eas.

neid. v. & ibidem ex vetuſtiſſimo codice Mediceo,

*Emicat Euryalus, & munere victor amico*

*Prima tenet*

& *dictis ſolatur amicis* eodem libro. *Heinſius.*

## ELEGIA IX.

### ARGUMENTUM.

Eſt mihi, ſitque precor.] *Laudat navem Ovidius quam in ſinu Corinthiaco accepit: & quum altera navis diu eundem curſum tenuiſſet, quem navis poëta: quumque poſtea ex Samothracia ſolverent, utriuſque navigationem & loca deſcribit. Optat deinde, & incolumis Tomum navis eum perferat. quod ſi contigerit, Minervæ ſe agnam immolaturum pollicetur. Poſtremo Caſtorem & Pollucem precatur, ut utrique navi adſint.*

EST mihi, ſitque, precor, flavæ tutela Minervæ
 Navis; & à pictâ caſſide nomen habet.
Sive opus eſt velis; minimam bene currit ad auram:
 Sive opus eſt remo; remige carpit iter.
Nec comites volucri contenta eſt vincere curſu:
 Occupat egreſſas quamlibet ante rates.
Et patitur fluctus, fertque aſſilientia longe
 Æquora, nec ſævis icta fatiſcit aquis.

Illa

MInervæ.] Minervæ ſimulacrum navis inſigne & tutela. Solebant enim in navibus dii pingi, ut Minerva, Apollo,& alii, in quorum tutela eſſe navem volebant. Non eſſe idem παράσημον & tutelam navis, & in hac Ovidiana navi, tutelare numen fuiſſe Minervam, ex conſuetudine puppi impoſitam? galeam autem Minervæ,inſigne ſeu παράσημον navis. *Tutela Minervæ.*] Continet hæc Elegia breve quoddam Hodoiporicum, ſive Itinerarium poëtæ, non quidem totius profectionis ejus à Roma in Pontum, ſed quantum ejus ab Helleſponto ad locum exilii reliquum fuit. Orditur autem à laude navis ejus. Ac Merula in ea opinione eſt, ut putet de duabus intelligendum eſſe, ego de una, eaque ſola navi, qua Poëta è portu Corinthi in Thraciam uſque delatus fuerit, quæ deinde per anguſtias Helleſponti in Propontidem, indeque rurſus per Boſphorum Thracium in Pontum, atque ita ſiniſtro mari Tomon abierit. Verſus autem de duabus navibus ſupra citatos, metaphorice accipio, ut puppis altera, pro curſu, ſerie, itinere terreſtri ponatur, eo ſcilicet de quo ipſe infra dicit,

*Nam mihi Biſtonios placuit pede carpere campos, &c.*

Nam & alibi de diverſis profectionis ſuæ viis meminit.

1. *Et à picta caſſide nomen habet.*] A galea quam illa armata gerit, *galeata* appellatur Minerva. Verbum *Habet*, non ad Minervam, ſed ad nomen navis referendum videtur: ut intelligamus ipſam navem à picta galea, κορυθαίολον, aut ſimili aliquo cognomine appellatam fuiſſe.

8. *Nec ſævis victa madeſcit aquis.*] *Icta fatiſcit* duo veteres. quod & in Erfurtano Zinzerlingus invenerat. multi alii *icta madeſcit.* minus bene. Valerius Flaccus de Halcyonum nido lib. 1.

Illa Corinthiacis primum mihi cognita Cenchris
Fida manet trepidæ duxque comeſque fugæ.
Perque tot eventus, & iniquis concita ventis
Æquora, palladio numine tuta fugit.
Nunc quoque tuta precor vaſti ſecet oſtia Ponti;
Quaſque petit, Getici littoris intret aquas.
Quæ ſimul Æoliæ mare me deduxit in Helles,
Et longum tenui limite fecit iter;
Fleximus in lævum curſus: & ab Hectoris urbe
Venimus ad portus, Imbria terra, tuos.

Inde

*Icta fatiſcit aquis donec domus, hauſtaque fluctu eſt.*

dubito tamen an non & illic *Victa* ſit legendum. Certe apud Maronem lib. I.

*Jam validam Ilionei navem, jam fortis Aletha*
*Vicit hyems.*

Tibullus libro I. El. VI.

*Heu canimus fruſtra: nec verbis victa fatiſcit*
*Janua.*

ſic codices duo vetuſti, non *pateſcit*. Virgil. Æn. I.

*—— laxis laterum compagibus omnes*
*Accipiunt inimicum imbrem, rimiſque fatiſcunt.*

Idem Æn. X.

*—— ſaxis ſolida æra fatiſcunt.*

Heinſ.

9. *Primum mihi cognita terris Cenchris.*] Nam Peloponneſus (autore Plin. l. 4. c. 4.) jacet inter duo maria, Ægeum & Ionium, platani folio ſimilis propter anguloſos receſſus. Anguſtia, unde procedit, Iſthmos appellatur. In eo loco erumpunt è diverſo quæ dicta ſunt maria: Corinthiacus hinc: illinc Saronicus appellatur ſinus. Lecheæ hinc, Cenchreæ illinc, anguſtiarum termini longo & ancipiti navium ambitu. Sed tamen & *Terris*, non uſque adeo incommode legetur pro *Oris* ſcilicet acceptum. In *Cenchris* autem etiam figura Synizeſis admittenda eſt: ut *Cenchreis* triſyllabum, pro diſſyllabo in ſcanſione veniat. *Mer.*

12. *Palladio numine tuta fuit.*] Imo *fugit* cum melioribus. *Heinſ.*

13. *Oſtia ponti ſecet.*] *Oſtia*, ſunt aditus fluminum in mare. *P.*

15. *In mare.*] In Helleſpontum. Nam mare alia aliis cognomina accepit. Ubi enim primum ſe coarctat, *Helleſpontum* vocamus. Ubi ſe expandit, *Propontis* dicitur. Ubi iterum ſe preſſit, *Thracius Boſporus.* Ubi iterum ſe effundit, *pontus Euxinus*. Qua paludi committitur, *Cimmerius Boſporus*.

17. *Fleximus in lævum curſus.*] Ex Helleſponto in Propontidis ſiniſtram partem navigationem fleximus. *Ab Hectoris urbe.*] Id eſt, Ilio, quæ ex Ægeo Helleſpontum ingredientis erat à dextra, ut ſit ſenſus: Quum primum in Ægeo adhuc navigans habui Ilium à fronte, flexi iter in lævam partem, ubi erant *loca illa*, quæ ſtatim ſubjungit. Cæterum illud auſim affirmare, aut carmina aliqua deeſſe, aut hanc navigationis deſcriptionem falſam eſſe. *Mer.* Micyllus dubitat num idem locus de Lemno potius accipiendus ſit, cujus regem aliquando fuiſſe Actorem Hyginus dicit. Ut ſit ſenſus: Poſtquam ad Helleſpontum venimus, in lævam fleximus curſum: & ab Actoris urbe, id eſt, inſula Lemno, in Imbrum (hanc enim per imbriam terram accipio) proxime navigavimus, inde in Samothraciam, &c. *Mic.*

18. *Imbria terra.*] Terram Imbriam eam dicit, quam Selimbriam Plinius, Ptolemæus, cæterique appellant: illa enim, & Pirinthus in Propontidis litore

Inde levi vento Zerynthia littora nactis
Threïciam tetigit feſſa carina Samon.
Saltus ab hac terrâ brevis eſt Tempyra petenti.
Hac dominum tenus eſt illa ſecuta ſuum.
Nam mihi Biſtonios placuit pede carpere campos:
Helleſpontiacas illa reliquit aquas.
Dardaniamque petit auctoris nomen habentem;
Et

re fuere. Niſi malis intelligere, illum non ingreſſum fuiſſe Helleſpontum, ſed Ægeum ei vicinum appellaſſe Helleſpontum, ut diximus.

19. *Zerinthia litora nacta.* ] *Nacti* pri. Vatic. *nactis* Junianus. hoc eſt, poſtquam nacti ſumus. Unus *vecta.* Combianus pro diverſa lectione *natat.* Heinſ. *Zerinthia.* ] Id eſt, ipſius Thraciæ: Nam in Thracia Zerinthum fuiſſe, ſcribit Lycophron, ſacram Hecatæ. Fuit & Zerinthus in Samothrace inſula, unde fortaſſe regioni nomen dedit Ovidius.

20. *Threiciam Samon.* ] Samothraciam inſulam in mari Ægeo circa Thraciam.

21. *Saltus ab hac contra.* ] *Ab hac terra* plerique veterum. quod amplector. niſi quod *ab hac ora* rectius ſcribetur. pro *Temyra* veteres plerique *Epira* vel *Empyra.* Combianus pro diverſa lectione *Tempyra.* quomodo & duo alii. recte. Livius lib. XXXVIII. cap. XLI. *Inde Æniorum fines, præter Apollinis, Zerinthium quem vocant incolæ, templum ſuperant. Aliæ anguſtiæ circa Tempyra excipiunt. (hoc loco nomen eſt) non minus confragoſa.* Faceſſat ergo Ortelius, qui cum Merula *Stentora* emendandum cenſet. Arondel. *Temeira.* Heinſ. *Saltus brevis.* ] Trajectus non longus. *Mer.*

23. *Nam mihi Biſtonios.* ] E Samothracia digreſſuræ erant duæ naves. quarum altera quæ Ovidium vehebat ſiniſtrum Propontidis curſum, altera vero dextrum tenuit. *Biſtonios campos.* ] Threicium littus. *Pede.* ] Velo: pars pro toto. *Mer. Nam mihi Biſtonios placuit pede carpere campos.* ] Hunc locum Merula, cum ſententiæ ſuæ de duabus navibus de qua à principio meminimus, repugnare videret: *pedem* pro fune; quo vela navium reguntur: *campos* autem pro æquore ſive mari expoſuit. At ſi alteram expoſitionem recipias, de una navi, eaque ſola quæ Poëtæ fuit, qua in hoc loco relicta, in terram egreſſus ille, reliquum iter, aut partem ſaltem, per Thraciam itinere terreſtri fecerit: ſua ac propria ſignificatio verbis manet, neque verſus ipſe quicquam difficultatis habet.

24. *Helleſpontiacas illa reliquit aquas.* ] Non parum difficultatis etiam hic verſus habet, præſertim in verbo *Reliquit.* Nam quo modo dicamus navem, quæ Dardaniam petebat, in ipſis faucibus Helleſponti ſitam, Helleſpontum reliquiſſe? Aut igitur dicamus, deeſſe loco huic aliquid, vel pro verbo *Reliquit*, relegit, aut ſimile aliquid reponendum eſſe, ut ſit ſententia: Ego quidem per campos Biſtonios proficiſci deinceps conſtitui: illa autem (navis ſcilicet) Helleſponti relegit ſive repetivit aquas, transeundo ſcilicet dextrum latus, & petendo Dardaniam in ipſis faucibus ſitam, &c. Aut certe Helleſponti nomen ita accipiendum, ut eam tantum maris partem ſignificet, quæ citra fauces eſt. Et ſic recte intelligitur reliquiſſe Helleſpontum navis, quæ eo jam ſuperato, ipſas fauces ingreſſa fuit. *Micyll. Illa reliquit aquas.* ] Medonianus *relegit.* Puto *peregit.* aut quid ſimile. nam quomodo reliquit Helleſpontum, quæ Dardanium & Lampſacum & Abydum in ipſis Helleſponti faucibus ſitas aditura ſit? *Heinſ.*

25. *Dardaniamque petit.* ] Dardania urbs fuit in litore Helleſponti ſita. Nam poſt Abydum promontorium eſt Dar-

Et te ruricolâ Lampſace tuta Deo.
Quaque per anguſtas vectæ male virginis undas
Seſton Abydenâ ſeparat urbe fretum.
Hincque Propontiacis hærentem Cyzicon oris;
Cyzicon Hæmoniæ nobile gentis opus:
Quaque tenent Ponti Byzantia littora fauces.
Hic locus eſt gemini janua vaſta maris.

Hæc

danium, & civitas Dardanus, 70. ſtad. ab Abydo diſtans. *Petit* autem pro petivit ultimam producit, ut verba omnia ſyncopam habentia. *Nomen auctoris.*] Nomen Dardani Jovis filii qui eam condidit.

26. *Et te ruricolâ Lampſace.*] Lampſacum etiam pervenit ab urbe Dardania. Fuit autem Lampſacus urbs inſignis ad mare ſita, quæ portum optimum habuit: prius *Pitiuſa* vocabatur. Per deum autem *ruricolam* Priapum intellige: qui vir fuit ex Lampſaco urbe Helleſponti: de qua pulſus, propter obſcœnitatem. Vocat autem *deum ruricolam*, quoniam in hortis colitur.

27. *Per anguſtas undas.*] Vaſtum enim mare præjacens Aſiæ & ab Europa porrecto Cherſoneſi littore expulſum anguſto meatu irrumpit in terras ſeptem ſtadiorum intervallo Europam diſcludens Aſiæ. haſque anguſtias Helleſpontum vocant. *Virginis male vecta.*] Helles, quæ hauſta fluctibus periit.

28. *Seſton Abydena.*] In Europa enim Seſton urbem, in Aſia Abydon fuiſſe, ſcribit Plinius. In medio vero utriuſque urbis Helleſpontus fuit.

29. *Hincque Propontiacis hærentem Cyzicon oris.*] Puto ſcribendum *Propontiacis ſurgentem Cyzicon.* nam in edito colle ſita erat. Val. Flaccus lib. II.

*Nec procul ad tenuis ſurgit confinia ponti*
*Urbs placidis demiſſa jugis. rex divitis agri*
*Cyzicus.*

Sed & Apollonius Rhodius in ejus deſcriptione,

Ἔστι δέ τις αἰπεῖα Προποντίδος ἔνδοθι νῆσος
Τυτθὸν ἀπὸ Φρυγίης πολυληίου ἠπείροιο
Εἰς ἅλα κεκλιμένη, ὅσσον τ' ἐπιμύρεται ἰσθμὸς
Χέρσῳ ἐπιπρηνὴς καταειμένος· ἐν δέ οἱ ἀκταὶ
Ἀμφίδυμοι. κεῖνται δ' ὑπὲρ ὕδατος Αἰσήποιο.

Recte autem addit *Hæmoniæ gentis opus.* nam ab Æneo Theſſalo Cyzici patre extructam fuiſſe nos docet Scholiaſtes Apollonii. Poſſet & *vergentem* legi in Naſone. Nam declivem Valerius deſcribit. *Heinſ.*

30. *Cyzicon Æmoniæ nobile.*] Cyzicon oppidum fuit ad Propontidem: quod (ut Florus ſcribit) fuit nobile arce, mœnibus, portu, turribuſque marmoreis: Aſiaticæ plagæ littora luſtravit. *Mer.* In hac urbe fuit religioſum magnæ matris delubrum. *Ciof. Gentis.*] Gentis Theſſalæ, propter Cyzicum Theſſalum, & Minyarum unum, ut diximus. Minyæ enim familia fuit, quæ olim Orchomenon in Bœotia tenuit. Poſtea in Theſſaliam migravit ad Iolcum. Unde Argonautæ oriundi ſunt. *Mer. Cyzicon Æmoniæ.*] Cyzicum, Æmoniæ gentis, hoc eſt, Theſſalorum opus, vocat, non quod Cyzicus ipſe ex Minyis ſive Theſſalis unus fuerit, ſed quod pater Cyzici Æneus Theſſalus natione fuit.

31. *Quaque tenent Ponti Byzantia littora fauces.*] A Cyzico ſe deinde veniſſe dicit ad Thracium Boſphorum, in cujus littore ſiniſtro in Pontum Euxinum navigantibus erat Byzantium, urbs cum natura loci muniti ſſima, tum ad fertilitatem omnium rerum opportuniſſima.

32. *Gemini maris.*] Propontidis & maris

Hæc precor evincat, propulſaque flantibus Auſtris
Tranſeat inſtabiles ſtrenua Cyaneas:
Thyniacoſque ſinus, & ab his per Apollinis urbem
Alta ſub Anchiali mœnia tendat iter
Inde Meſembriacos portus, & Odeſſon, & arces
Præteread dictas nomine, Bacche, tuo:
Et quos Alcathoi memorant à mœnibus ortos
Sedibus his profugum conſtituiſſe Larem.
A quibus adveniat Miletida ſoſpes ad urbem,

Offenſi

maris Euxini: inter quæ maria ſunt fauces, quæ Thracius Boſphorus appellantur.

33. *Propulſaque fortibus Auſtris.*] *Flatibus Auſtri* veteres magna ex parte. Medonianus *flatibus Auſtris.* Scribe *flantibus Auſtris.* ut apud Statium Theb. XI.

*—— ceu circumflantibus Auſtris*
*Alternus procumbit ager.*

ſi quis *flatibus Auſtri* malit, ecce paria Met. VII.

*Lethiferis calidi ſpirarunt flatibus Auſtri.*

Ita enim codices nonnulli antiqui. l. XI.

*Auſter & ingenti jactatam flamine ſolvit.*

Cicero Cornificio lib. XII. Epiſt. *Auſter adverſus maximo flatu me ad tribules tuos Rhegium retulit.* Heinſ.

34. *Inſtabiles Cyaneas.*] In Ponto duæ ſunt, mille & quingentis paſſibus ab Europa, quatuordecim millibus ab oſtio, Cyaneæ, ab aliis *Symplegades*, id eſt concurrentes appellatæ: traditæque fabulis inter ſe concurriſſe, quoniam parvo diſcretæ intervallo, ex adverſo intrantibus geminæ cernebantur. *Cyaneas inſtabiles.*] Redibis ad Tom. I. p. 160. vſ. 121. Symplegad.

36. *Alta ſub Anchiali mœnia ſindat iter.*] *Tendat iter* ſex meliores. pro *Alta* primæ editiones. prim. Polit. pri. Vatic. pri. Pal. & tres alii, *Vecta.* ſeptem *Apta.* quinque *Acta.* unus *antra.* alius *arcta.* Latet mendum. Forte *Lecta.* ut *legere littus.* Heinſ. *Sub Anchiali mœnia.*] Anchiala, ſeu Anchialia, ſeu Anchialos, caſtellum fuit ab Apolloniatis conditum, quæ & *Pollonia* dicebatur. Fuit autem in ora Getici littoris.

37. *Inde Meſembriacos portus.*] Ab Anchialo, inquit, navis mea in portum Meſembriacum perveniat. Meſembria enim, Megarenſium fuit colonia: quam antea *Menebram* vocabant. *Et Odeſſon.*] Ita appellant eam urbem Mileſiorum coloniam.

38. *Dictas nomine Bacche tuo.*] Dionyſiopolim dicit, quæ urbs fuit in eadem ora.

39. *Et quos Alcathoi.*] Calatim urbem videretur deſignare Poëta, quæ in littore Getico ſita, antea vocabatur *Acervetis. Alcathoi mœnibus.*] Septem *Alcathoës.* de qua dictum Art. Amat. alii *Alcathois.* Heinſ.

40. *Profugos conſtituiſſe larem.*] *Lares* plurimi veterum. Sed lego *profugum larem.* Met. IV.

*Hac Tyron, hac profugos poſuiſtis ſede penates.* Idem.

41. *Ad urbem Miletida.*] Ad urbem Iſtropolim à Mileſiis conditam. Ea autem à ſacro Iſtri oſtio occurrebat ad ſtadia quingenta. Inde dextrorſum habenti littus fuit Tomos oppidulum alterum, ad 250. ſtadia: de quo hic magis placet intelligas, quam de Iſtropoli. Nam ejus exilii locus fuit Tomos, non Iſtropolis. *Mer. Miletida.*] Tomi enim Mileſiorum colonia. Ex hoc carmine conjicio, Ovidium hanc ſuam & à ſe tam laudatam navem rurſus conſcendiſſe. Quorſum enim optaret, ut ſoſpes Tomos con-



Digitized by Google

Offenſi quo me compulit ira Dei.
Hanc ſi contigerit, meritæ cadet agna Minervæ.
Non facit ad noſtras hoſtia major opes.
Vos quoque Tyndaridæ, quos hæc colit inſula, fratres,
Mite precor duplici numen adeſte viæ.
Altera namque parat Symplegades ire per arctas,
Scindere Biſtonias altera puppis aquas.
Vos facite, ut ventos, loca cum diverſa petamus,
Illa ſuos habeat, nec minus iſta ſuos.

tingeret. *Pont. Miletida urbem.* ] Malo *Mileſida.* nam à Mileto Mileſius deducitur. *Heinſ.*

42. *Contulit ira.* ] *Compulit* ex quinque ſcriptis. & ſequenti verſu *contigerit* pro *contigerint.* probe complures. quidam *Hoc* vel *Hic.* Lege, *Hanc ſi contigerit.* Idem.

43. *Cadet agna Minerva.* ] In 4. Metamorph. Vaccam Minervæ ſolitam mactari ait. Sed jam cum in exilium proficiſceretur, eam pecuniæ vim, qua vaccam emere poſſet non habebat: ideo agnam offert, utpote cujus beneficio ſalvus eo pervenerit. *Cioſan.*

45. *Vos quoque Tyndaridæ.* ] Caſtor & Pollux numina nautica. *Mer.*

47. *Symplegadas ire per altas.* ] Uterque Politiani, prim. Vatican. multique alii *per arctas*, optime. Priſcianus Periegeſi, *hic ſunt Symplegades arctæ.* & poſtea,

*E regione jacet locus hic Symplegades arctæ.*

Seneca Hercule Furente,

*—— qua pontum Scythen*
*Symplegas arctat.*

Statius Theb. v. *ora ſunt Cyaneis arctata vadis.* Sequenti verſu *Biſtonidas aquas* pro *Biſtonias* primus Vaticanus. ſic l. II. El. IX.

*Biſtonis ingenio terra ſuperba tuo eſt.*

Adi Notas Art. Amat. lib. I. vſ. 172. mox malim *loca cum diverſa petamur,* quam *petamus.* Heinſ. *Symplegadas ire per arctas.* ] Redibis ad Tom. I. p. 160. vſ. 121.

# ELEGIA X.

## ARGUMENTUM.

Littera quæcunque eſt. ] *Excuſat ſe Ovidius, ſi quid forte in ejus carmine incultum fuerit & minus elegans: culpamque hujus rei omnem rejicit in tempeſtatem & fluctus, quibus obſtrepentibus ſe hæc ſcripſiſſe narrat.*

LIttera quæcunque eſt toto tibi lecta libello,
Eſt mihi ſollicitæ tempore facta viæ.
Aut hanc me, gelidi tremerem cum menſe Decembris,

Scri-

3. *Aut hac me, gelido tremerem cum menſe Decembri.* ] *Hanc* meliores. *Decembris* etiam pri. Vatic. Barberin. & Rottendorph. Lege *gelidi Decembris.* ſic lib. II. bene codex vetus,

*Talia luduntur fumoſi menſe Decembris.*

ubi *fumoſo Decembri* nunc circumfertur, *Heinſ.*

4. *Adria.* ]

Scribentem mediis Hadria vidit aquis:
Aut, poſtquam bimarem curſu ſuperavimus Iſthmon;
Alteraque eſt noſtræ ſumta carina fugæ.
Quod facerem verſus inter fera murmura ponti,
Cycladas Ægeas obſtupuiſſe puto.
Ipſe ego nunc miror, tantis animique mariſque
Fluctibus ingenium non cecidiſſe meum.
Seu ſtupor huic ſtudio, ſive huic inſania nomen;
Omnis ab hac curâ mens relevata mea eſt.
Sæpe ego nimboſis dubius jactabar ab Hædis:
Sæpe minax Steropes ſidere pontus erat.
Fuſcabatque diem cuſtos Erymanthidos Urſæ;
Aut Hyadas ſævis auxerat Auſter aquis:

Sæpe

4. *Adria.*] Mare Adriaticum, ita appellatum ab Adria urbe Illyrico mari proxima. Vide Plinium cap. 16. lib. 3.

5. *Iſthmum bimarem.*] Peloponneſi Iſthmum, qui alluitur mari Ægeo & Ionio. *Iſthmus* autem dicitur eà terræ anguſtia, quæ inter duo maria iter porrigit ad Cherroneſum, ut diximus.

6. *Noſtra fuga.*] Mihi in exilium proficiſcenti. *Cioſan.*

8. *Cycladas Ægeas obſtupuiſſe puto.*] Cyclades inſulæ ſunt in mari Ægæo: quas duodecim tantum fuiſſe ſcribit Strabo. Dictæ autem ſunt, quod circa Delum *in cyclon*, id eſt, in orbem ſitæ ſunt: ut Plinius ſcribit. *Mer.*

10. *Ingenium non cecidiſſe.*] Ingenio nihil perniciofius mœroribus & angoribus, quibus illius vis omnis exeditur. *Pont.*

13. *Ab hœdis nimboſis.*] Ab hœdis nimbum & tempeſtatem inducentibus. hi autem in ortu & occaſu tempeſtatem, pluviamque faciunt.

14. *Sæpe minax Steropes.*] Pleiades intelligit. Fuit autem Sterope una ex ſeptem Pleiadibus, quæ fuere filiæ Pleiones & Atlantis. Hæ *Vergiliæ* à noſtris appellantur, quod in vere oriuntur.

15. *Cuſtos Erymanthidos urſæ.*] Arctophylaca intelligit, in cujus Zona eſt ſtella Arcturus, cujus ortus & occàſus tempeſtates graviſſimas facit.

16. *Aut Hyadas feris hauſerat Auſter aquis.*] *Auxerat* libri nonnulli. ſed fruſtra. Videtur enim ad nomen Auſtri alludere. Statius de tempeſtate Theb. IX.

*—— cum Pliadas haurit,*
*Aut nigrum trepidis impingit Oriona nautis.*

In Catalectis Pithœi,

*At Notus è medio ſolis dat flamina curſu,*
*Auſtrum rite vocant, quia nubila flatibus haurit.*

pro *feris aquis* plerique veteres, meliores certe, *ſævis.* Scribi aliquando placebat,

*Aut hyadas pluviis hauſerat Auſter aquis.*

ſive *auxerat.* Sic Arte Amat.

*Et tepidus pluvias concitat Auſter aquas.*

hinc *pluviæ Hyades* Senecæ Medea,

*—— nondum pluvias*
*Hyadas poterat vitare ratis.*

Ita optimus Mediceus. quomodo viri docti conjecerant. nam Hyades ἀπὸ τοῦ ὕειν dictæ. Noſter in Faſtis,

*Navita quas. Hyadas Grajus ab imbre vocat.*

Sed & *ſæva aqua* pro procelloſis. hinc *nimboſa Hyas* Claudiano, *Hyas inſerena*

 dicta

Sæpe maris pars intus erat; tamen ipſe trementi
Carmina ducebam qualiacunque manu.
Nunc quoque contenti ſtridunt Aquilone rudentes;
Inque modum tumuli concava ſurgit aqua.
Ipſe gubernator tollens ad ſidera palmas
Expoſcit votis immemor artis opem.
Quocunque adſpicio, nihil eſt, niſi mortis imago:
Quam dubiâ timeo mente, timenſque precor.
Attigero portum, portu terrebor ab ipſo.
Plus habet infeſta terra timoris aquâ.
Nam ſimul inſidiis hominum pelagique laboro;
Et faciunt geminos enſis & unda metus.
Ille meo vereor ne ſperet ſanguine prædam:
Hæc titulum noſtræ mortis habere velit.
Barbara pars læva eſt, avidæ ſubſtrata rapinæ,
Quam cruor & cædes bellaque ſemper habent.

Cum-

dicta Statio. ſic præcedenti elegia de nave, *nec ſævis victa ſatiſcit aquis.* ſic & *ſævi venti, turbines, procella ſæva* ac *tempeſtates* apud Poëtas paſſim. Putabam aliquando *paverat auſter.* Rutilius ſub finem lib. I. de Oceano, ubi & Hyadum mentio,

*Sive alio refluus noſtro colliditur orbe,*
*Sive coruſca ſuis ſidera paſcit aquis.*

Heinſ. *Aut Hyadas ſævis hauſerat auſter aquis.*] Tauri caput conſperſum eſt ſtellis frequentibus, quas ſtellas Græci Hyadas vocitare conſueverunt *à pluendo.* Vide Gellium lib. 13. cap. 9. *Mer. Hauſerat aquis.*] Pro exhauſerat, & quaſi evacuaverat aquis, ὑπερβολικῶς. Aut certe κατὰ ὑπαλλαγὴν, ut ſit dictum, pro, Hyades hauſerant, hoc eſt, attraxerant, & concitarant auſtrum & pluvias. *Micyl.*

19. *Contenti ſtrident Aquilone rudentes.*] *Stridunt* meliores ἀρχαϊκῶς. Faſt. VI.

*Cauſa quod horrenda ſtridere voce ſolent:*

*diſtenti* etiam *rudentes* eſt in Barberiniano. & mox tres codices *cumuli* pro *tumuli.* Heinſ.

23. *Quocunque aſpexi.*] *Aſpicio* nonnulli. Forte *aſpicias.* ut ſupra Notis ad Eleg. II. vſ. 23. *Idem.*

31. *Barbara pars læva eſt.*] Deſignat Thraciæ littus, quod Ponto alluitur: quod ſcribit Strabo deſertum eſſe, petroſum, importuoſum. *Mer. Avidæ ſubſtractæ rapinæ.*] Alii leg. *Avidæ ſubmiſſa, &c.* Dedita & quaſi mancipata. *Berſman. Barbara pars læva eſt.*] Intelligamus, hanc Elegiam ſtatim poſt ſuperiorem ſcriptam, cum ex Samothracia ipſam Thraciam veheretur Poëta: Barbaroſque dici eos, qui in ora Thraciæ ad lævam habitarint. Aut certe, ut ponamus, per Thraciam parte ſaltem aliqua feciſſe pedibus iter Poëtam, poſteaque ad navem reverſum: atque ita tamen Elegiam hanc ſcripſiſſe. *Micyl. Avidæ ſubſtructa rapinæ.*] Uterque Palatinus multique alii, *ſubſtrata.* pri. Vatic. atque ſeptem præterea *ſubtracta.* totidem *ſubjecta*, ut forte ſit ſcribendum *avidæque objecta rapinæ* vel *inſtructa.* Heinſ.

36. *Si*

Cumque ſit hibernis agitatum fluctibus æquor;
  Pectora ſunt ipſo turbidiora mari.
Quo magis his debes ignoſcere, candide lector,
  Si ſpe ſunt, ut ſunt, inferiora tuâ.
Non hæc in nôſtris, ut quondam, ſcribimus hortis:
  Nec conſuete meum lectule corpus habes.
Jactor in indomito brumali luce profundo:
  Ipſaque cæruleis charta feritur aquis.
Improba pugnat hyems, indignaturque, quod auſim
  Scribere, ſe rigidas incutiente minas.
Vincat hyems hominem. ſed eodem tempore quæſo
  Ipſe modum ſtatuam carminis; illa ſui.

36. *Si ſpe ſint, ut ſint.*] *Si ſpe ſunt, ut ſunt*, meliores. & mox *ſcripſimus* pro *ſcribimus*. Puto,

*Si ſpe ſunt, ut erunt, inferiora tua.*

infra,

*Si qua meis fuerint, ut erunt, vitioſa libellis.* Idem.

38. *Nec conſuete meum lectule corpus babes.*] Antiqui meditationi, aut ſcriptioni operam daturi, iu lectulis ſuis lucubratoriis ſe componebant. *Pont.*

44. *Modum carminis.*] Finem ſcribendi. *Illa ſui.*] Illa hyems ſtatuat modum ſui, id eſt, deſinat ſævire.

# P. OVIDII NASONIS
# TRISTIUM
## LIBER II.
### ELEGIA I.
#### ARGUMENTUM.

Quid mihi vobiſcum eſt.] *Precatur Auguſtam Ovidius, ut ſi non reditum velit, mitius tamen, ac tutius exilium concedat. Dicitque ſe tentare, ſi forte carmina quæ illi antea nocuere, nunc poſſint ſalutem reddere: quemadmodum Achillis haſta, quæ Telephum & vulneravit & ſanavit. Longo igitur & artificioſo carmine conatur Cæſarem placare, oſtendens ſe multa de eo ſcripſiſſe. Enumeratque poëtas alios quamplurimos, qui nunquam ulla clade affecti ſunt, quamvis mordacia aut turpia poëmata ediderint.*

QUid mihi vobiſcum eſt, infelix cura, libelli,
  Ingenio perii qui miſer ipſe meo?
Cur modo damnatas repeto mea crimina Muſas?

An

An ſemel eſt pœnam commeruiſſe parum?
Carmina fecerunt, ut me cognoſcere vellent
Omine non fauſto fœmina virque, mea.
Carmina fecerunt, ut me moreſque notaret
Jam demum viſâ Cæſar ab Arte meos.
Deme mihi ſtudium; vitæ quoque crimina demes.
Acceptum refero verſibus, eſſe nocens.
Hoc pretium curæ vigilatorumque laborum
Cepimus. ingenio pœna reperta meo.
Si ſaperem, doctas odiſſem jure ſorores,
Numina cultori pernicioſa ſuo.
At nunc (tanta meo comes eſt inſania morbo)
Saxa malum refero rurſus ad iſta pedem.
Scilicet & victus repetit gladiator arenam;
Et redit in tumidas naufraga puppis aquas.
Forſitan, ut quondam Teuthrantia regna tenenti,
Sic mihi res eadem vulnus opemque feret:

Muſa-

5. *Cognoſcere vellet.* ] *Vellent* meliores. niſi quod in Hamburgenſi *Velles.* quinque alii *poſſent.* Proximo verſu pro *meo* reponendum *mea.* Videlicet carmina. atque ita Puteaneus codex. Paravinus *mea.* Diſtichon hoc, ne quid diſſimulem, genuinæ notæ non eſſe habeo perſuaſum. *Heinſ.*

8. *Jampridem inviſa.* ] *Jampridem viſa* multi veteres. quatuor meliores *Jam demum viſa.* quod ſequor. *Idem.*

11. *Hoc pretium vitæ.* ] *Curæ* rectius unus Bononienſis, Arondelianus, & tres alii pro diverſa lectione; nam *vitæ* præceſſerat paulo ante. neque aliter Bersmanni liber. Infra,

*Hoc pretium curæ dulce recentis erat.*

Atque ita jam in notis ſuis meus parens. *Idem. Hoc pretium vitæ.* ] Hoc præmium vitæ anteactæ: quod ſcilicet pœnam ingenio reperi. *Mer.*

14. *Cultori ſuo.* ] Mihi Ovidio, qui eas colui ac ſectatus ſum. *Ciofan.*

16. *Saxa memor refero rurſus ad iſta pedem.* ] *Malum pedem* meliores magno numero. alii non pauci *meum. pes malus* pro læſo pede. Art. Am. III. quamquam diverſo ſenſu,

*Pes malus in nivea ſemper celetur aluta.*

Pro *iſta* duo veteres *acta.* Lege *Saxa iſta.* deſignat ſtudium poëticum. pro *refero* malim etiam *referor.* ut ſit Græciſmus. præterea unus Vaticanus pro diverſa lectione,

*Læſum ſaxa pedem rurſus ad iſta fero.*

ut fortaſſis ſit ſcribendum,

*Saxa malum referor læſus ad iſta pedem.*

Heinſ.

17. *Scilicet ut victus.* ] Rectius *&* cum uno Bononienſi. & tum diſtinctio mutanda. *Idem.*

19. *Teuthrantia regna.* ] Myſiæ regna, quæ tenuit rex Teuthrantus: qui virili ſtirpe carens, Argiopen filiam Telepho deſpondit, eumque reliquit regni ſucceſſorem.

20. *Feret.* ] *Ferat* duo veteres & *leniat.* Heinſ.

21. Mu-

Digitized by Google

Muſaque, quam movit, motam quoque leniet iram:
  Exorant magnos carmina ſæpe Deos.
Ipſe quoque Auſonias Cæſar matreſque nuruſque
  Carmina turrigeræ dicere juſſit Opi.
Juſſerat & Phœbo dici; quo tempore ludos
  Fecit, quos ætas adſpicit una ſemel.
His precor exemplis tua nunc, mitiſſime Cæſar,
  Fiat ab ingenio mollior ira meo.
Illa quidem juſta eſt, nec me meruiſſe negabo.
  Non adeo noſtro fugit ab ore pudor.
Sed, niſi peccaſſem, quid tu concedere poſſes?
  Materiam veniæ ſors tibi noſtra dedit.
Si, quoties homines peccant, ſua fulmina mittat
  Jupiter; exiguo tempore inermis erit.
Hic ubi detonuit ſtrepituque exterruit orbem,
  Purum diſcuſſis aëra reddit aquis.

Jure

21. *Muſaque qua movit.* ] *Quam* meliores. *Idem.*

24. *Carmina turrigera.* ] De ope Saturni conjuge intelligas, de qua ita ſcribit Macrob. Opem Saturni conjugem crediderunt, & ideo eodem menſe Saturnalia & Opalia celebrari conſueverunt, quod Saturnus, ejuſque uxor tam frugum, quam fructuum repertores eſſe credantur. Itaque omni jam fœtu agrorum coacto, ab hominibus hos deos coli, quaſi vitæ cultioris auctores, & Terram *Opem*, cujus ope humanæ vitæ alimenta quæruntur. Huic deæ ſedentes vota concipiunt, terramque de induſtria tangunt, demonſtrantes ipſam matrem terram eſſe mortalibus appetendam. *Opi turrigera.* ] Opi coronam turritam gerenti. Ea enim eſt terra, ut diximus: cui ſuperpoſitæ ſunt civitates, quas inſignitas turribus conſtat, ut etiam Servius ſcribit. *Mer.*

25. *Juſſerat & Phœbo dici.* ] Seculares ludos deſignat, qui fiebant poſt centum annos: Horat. in carmine, quod de Secularibus ludis cantatum eſt, id tempus hoc modo deſignavit: *Certus undenos decies per annos Orbis & cantus, referatque ludos Ter die clara, totidemque grata Nocte frequentes.* Quibus verſibus patet, Seculares ludos centeſimo decimo anno *fieri* ſolitos. Ludi autem celebrabantur omnibus theatris omnium generum, & ſacrificia templis omnibus fiebant noctu pariter, atque interdiu. Primus autem Valerius Publicola conſul poſt reges exactos, Seculares ludos inſtituit. *Mer.* *Juſſerat & Phœbo dici.* ] Canebatur carmen ſæculare Apollini & Dianæ tanquam diis ἀλεξικάκοις & ἀποτροπαίοις, malorum depulſoribus. *Pont.* *Quo tempore ludos Fecit.* ] Ludos ſæculares intelligit, qui Dione teſte l. 54. anno V. C. DCCXXXVI. quinto celebrati ſunt. Alludit autem hoc loco Poëta ad præconis conſuetudinem, qui convocato ad horum ludorum ſpectacula populo, ita dicebat: Hos ludos qui facturi ſunt, nemo veſtrum vidit, nec viſurus eſt.

28. *Ab ingenio meo.* ] Erga me virum ingenioſum. *Ciofan.*

35. *Nunc ubi.* ] *Hic ubi* plerique. *Heinſ.*

40. Utere

Jure igitur genitorque Deûm rectorque vocatur:
Jure capax mundus nil Jove majus habet.
Tu quoque, cum Patriæ rector dicare Paterque;
Utere more Dei nomen habentis idem.
Idque facis: nec te quiſquam moderatius unquam
Imperii potuit fræna tenere ſui.
Tu veniam parti ſuperatæ ſæpe dediſti,
Non conceſſurus quam tibi victor erat.
Divitiis etiam multos & honoribus auctos
Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.
Quæque dies bellum, belli tibi ſuſtulit iram:
Parſque ſimul templis utraque dona tulit.
Utque tuus gaudet miles, quod vicerit hoſtem;
Sic, victum cur ſe gaudeat, hoſtis habet.
Cauſſa mea eſt melior: qui nec contraria dicor
Arma, nec hoſtiles eſſe ſecutus opes.
Per mare, per terras, per tertia numina juro,
Per te præſentem conſpicuumque Deum;
Hunc animum faviſſe tibi, Vir maxime: meque,
Qua ſolâ potui, mente fuiſſe tuum.
Optavi peteres cœleſtia ſidera tarde;
Parſque fuit turbæ parva precantis idem.
Et pia thura dedi pro te: cumque omnibus unus
Ipſe quoque adjuvi publica vota meis.
Quid referam libros, illos quoque, crimina noſtra,
Mille locis plenos nominis eſſe tui?

Inſpice

40. *Utere more dei.*] More Jovis poſt tonitrua ſerenitatem inducentis; ex quo latenter reditum precatur. *Nomen habentis idem.*] Perperam in multis, *numen.* Faſt. 1. ad Auguſtum,

*Quod tu per terras, hoc in æthere Jupiter alto,*
*Nomen habes: hominum tu Pater, ille deûm.* Heinſ.

43. *Tu veniam parti ſuperatæ ſæpe dediſti.*] Nam Tranquillus ita ſcribit in Auguſto: *Clementiæ civilitatiſque ejus multa & magna documenta ſunt, ne enumerem quot, & quos diverſarum partium venia & incolumitate donatos, principem etiam in civitate locum tenere paſſus ſit.*

46. *Vidi qui tulerant in caput arma tuum.*] Conſule Sueton. in vita Aug.

49. *Quod vicerit hoſtem.*] Rectius alii *quia.* Vide Notas Triſt. lib. 1. El. 1. vſ. 65. *Heinſ.*

50. *Sic cur ſe victum.*] Sic hoſtis tuus cognoſcit ſe victum juſta de cauſa. *Mer.*

53. *Per tertia numina.*] Per aquas. Potius cælum intellige. *Cioſ.*

62. *Plenos nominis eſſe tui.*] Duo veteres

Digitized by Google

Inſpice majus opus, quod adhuc ſine fine reliqui,
In non credendos corpora verſa modos;
Invenies veſtri præconia nominis illic:
Invenies animi pignora multa mei.
Non tua carminibus major ſit gloria, nec quo,
Ut major fiat, creſcere poſſit, habet.
Fama Jovis ſupereſt. tamen hunc ſua facta referri,
Et ſe materiam carminis eſſe, juvat:
Cumque Gigantêi memorantur prælia belli;
Credibile eſt lætum laudibus eſſe ſuis.
Te celebrant alii quanto decet ore, tuaſque
Ingenio laudes uberiore canunt.
Sed tamen, ut fuſo taurorum ſanguine centum,
Sic capitur minimo thuris honore Deus.
Ah ferus, & nobis nimium crudeliter hoſtis,
Delicias legit qui tibi cunque meas!
[Carmina ne noſtris ſic te venerantia libris
Judicio poſſint candidiore legi.]
Eſſe ſed irato quis te mihi poſſet amicus?

Vix

teres *numinis*. Cum *veſtri præconia nominis* paulo poſt iterum ſequatur. vel *tanti nominis*, ut Gottorphianus. *Heinſius*.

63. *Inſpice majus opus.* ] Aſpice Metamorphoſin.

65. *Invenies veſtri*, *&c.* ] Laudat in Metamorphoſi, & in calce potiſſimum, Julium Cæſarem, & Auguſtum.

69. *Fama Jovis ſupereſt.* ] Nihili hæc ſunt. Puto ſcribendum eſſe *Fama Jovi par eſt*. Cum Jove enim Cæſarem confert non raro: ut paulo ante jam partim vidimus. Simile mendum Gratii codices inſedit, ubi legendum *Vix oneri par illa ſuo* pro *ſuper*. apud Statium de Melampo,

*Seque oneri negat eſſe parem.*

Val. Flaccus lib. 1. de Hyla,

—— *Velit ille quidem. ſed dextera nondum*
*Par oneri, clavaque capax.*

Heinſ.

72. *Credibile eſt lætum.* ] *Alacrem* Combianus. *Idem*.

73. *Te celebrant alii.* ] Maronem inprimis deſignat. *Mer.*

78. *Delicias meas.* ] Vel libros Amorum, vel certe amatoria præcepta intellige.

79. *Carmina ne noſtris ſic te venerantia libris.* ] Plurimi veterum *quo te venerantia*, vel *qua*, vel *quoque*. Sed meliores *quæ*. Nonnulli etiam pro *ne*, *nunc* agnoſcunt, & ſequenti verſu *Indicio* pro *Judicio*. & *poſſunt* pro *poſſint*. Sed quo te vertas, omnia ſubobſcura ſunt. Quare & hoc diſtichon inter ſpuria numeretur. *Heinſ.*

81. *Eſſe ſed irato.* ] Oſtendit latenter multos, & eum potiſſimum, qui legit ejus delicias Cæſari, fuiſſe ſibi iratum, propterea quod ſciebat eum eſſe Auguſto infeſtum. Vel certe dicit ſe omnibus fuiſſe inviſum, poſteaquam ejus carmen damnavit Auguſtus.

86. *Ipſa*

Vix tunc ipſe mihi non inimicus eram.
Cum cœpit quaſſata domus ſubſidere; partes
In proclinatas omne recumbit onus:
Cunctaque Fortunâ rimam faciente dehiſcunt.
Ipſa ſuo quondam pondere tecta ruunt.
Ergo hominum quæſitum odium mihi carmine: quaque
Debuit, eſt vultus turba ſecuta tuos.
At (memini) vitamque meam moreſque probabas
Illo, quem dederas, prætereuntis equo.
[Quod ſi non prodeſt, & honeſti gratia nulla
Redditur, at nullum crimen adeptus eram.]
Nec male commiſſa eſt nobis fortuna reorum,

Liſque

86. *Ipſa ſuo quadam pondere tracta ruunt.* ] *Quondam* meliores. de quo vide notas ad Epiſt. XVII. vſ. 71. deinde *tecta* ſex libri. quod ſequor. Et ſi hoc diſtichon etiam ſit ex ſuſpectis, quod verſibus duobus ſuperioribus jam ſit complexus ea, quæ hoc continentur. *Heinſ.*

89. *At memini vitamque meam.* ] *Mei* in pleriſque ſcriptis. Vulgata lectio defendi poteſt ex illis quæ notamus ad Epiſt. V. vſ. 45. *Idem.*

90. *Prætereuntis equo.* ] Probaſſe mores ipſius argumento eſſe ait, quod ab eo, ut Cenſore, equo donatus ſit. Loquitur autem de equo tranſvectionis. Dionyſius lib. 6. ſcribit, in honorem apparitionis Caſtorum, ejuſque victoriæ, quæ ad lacum Regillum parta eſt, equis ſedentes transvehi, incipientes à templo Martis extramurano perrexiſſe per forum, juxta ædem Caſtoris. Fiebat autem hæc tranſvectio idib. Quintilibus, quo die apud lacum Regillum proſpere pugnatum eſt, Caſtore & Polluce auxiliantibus. In tranſvectione autem equites vehebantur coronati olivarum ramis indutique trabeis punicei coloris, ſecum geſtantes ornamenta, præmiaque omnia fortitudinis, quæcumque in præliis ob rem bene geſtam, à ductoribus ſuis accepêre.

91. *Quod ſi non prodeſt.* ] Hic denuo graſſatus eſt interpolator neiſco quis. Certe verſus hic cum ſequenti ſemibarbarus eſt. Pro *gloria* quatuor ſcripti *gratia.* quod præſtat. Pro *crimen adeptus,* quod Latinum vix eſt, forte *adortus* eſt ſcribendum, ut apud Virgilium,

—— *Simulato numine Bacchi*
*Majus adorta nefas.*

ubi tamen *adorſa* in nonnullis ſcriptis. Sed meliores pro vulgata ſtant. Pont. lib. II. El. II.

*Eſt mea culpa gravis, ſed quæ me perdere ſolum*
*Auſa ſit, & nullum majus adorta nefas.*

Ita libri veteres. ſic *maris æquor adorti* Val. Flacco lib. I. & *tantum æquor adorti* lib. IV. Sed ne ſic quidem hoc diſtichon genuinum eſſe auſim aſſeverare. *Heinſ.*

93. *Nec male commiſſa eſt.* ] His duobus verſibus deſignat ſe Poëta centumvirum fuiſſe. In eo enim judicio cauſæ teſtamentariæ, & hæreditariæ, criminaleſque etiam audiebantur. Centumviri autem à numero virorum dicebantur. Nam quum Romæ eſſent quinque & triginta tribus, terni ex ſingulis tribubus eligebantur ad judicandum: & licet quinque ſupra centum fuerint, tamen

ut

Digitized by Google

Liſque decem decies inſpicienda viris.
Res quoque privatas ſtatui ſine crimine judex:
Deque mea faſſa eſt pars quoque victa fide.
Me miſerum! potui, ſi non extrema nocerent,
Judicio tutus non ſemel eſſe tuo.
Ultima me perdunt: imoque ſub æquore mergit
Incolumem toties una procella ratem.
Nec mihi pars nocuit de gurgite parva: ſed omnes
Preſſere hoc fluctus, Oceanuſque caput.
Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi?
Inſcius Actæon vidit ſine veſte Dianam:
Præda fuit canibus non minus ille ſuis.
Scilicet in Superis etiam fortuna luenda eſt;
Nec veniam læſo nomine caſus habet.
Illâ namque die, quâ me malus abſtulit error,
Parva quidem periit, ſed ſine labe, domus.
Sic quoque parva tamen, patrio dicatur ut ævo
Clara, nec ullius nobilitate minor:

Et

ut facilius nominarentur, centumviri ſunt dicti. Eorum vero judicium *centumviralis haſta* nominabatur: quod poſita in foro haſta, centumviri judicabant. *Fortuna reorum.*] Sors eorum, qui centumvirali judicio ſubjiciebantur.

94. *Uſque decem decies.*] Tò *Uſque* frivolum & otioſum hoc loco. duo Veteres *Utque.* unus *Vixque.* Scribe omnino,

*Liſque decem decies inſpicienda viris.*

*Centum viros litibus judicandis* deſignat. ne dubita de hac reſtitutione. *Heinſ.*

95. *Res quoque privatas ſtatui.*] Hic Ovidius videtur oſtendere, ſe ex quarta decuria judicem, hoc eſt, triumvirum electum, judicaſſe de levioribus ſummis. per centumvirale judicium docet, ſe judicia publica: per privatas vero cauſas, privata etiam judicia triumvirum exercuiſſe.

99. *Ultima me perdunt.*] *Produnt* unus Gallicus. ſic infra hoc ipſo libro Combianus,

*Prodiderint cum me duo crimina.*

Heinſ.

103. *Cur aliquid vidi.*] De cauſa relegationis Ovidii multi multa ſcripſere; in quibus non deeſt, qui credat eum vidiſſe ejus inceſtum cum filia Julia. Et crebrius & gravius hanc noxam deplorat, quam illam alteram, cui ſtultitiæ nomen imponit. *Pont.*

104. *Cur imprudenti cognita culpa mihi eſt.*] *Cognita cauſa* veteres octo. ut cognitor in cauſa aliqua fuiſſe videatur, & hoc etiam nomine offenderit Auguſtum. Faſt. v.

*Non ſatis eſt liquido cognita cauſa mihi.*

Heinſ.

106. *Non minus.*] Puto *num minus.* de quo vide Notas ad Epiſt. XI. vſ. 19. & *ipſe* pro *ille* multi veteres. *Idem.*

109. *Illo noſtra die.*] *Namque die* multi. & rectius. nonnulli etiam *meus error.* Idem.



113. Notan-

Et neque divitiis, nec paupertate notanda:
Unde ſit in neutrum conſpiciendus eques.
Sit quoque noſtra domus vel cenſu parva, vel ortu;
Ingenio certè non latet illa meo.
Quo videar quamvis nimium juveniliter uſus;
Grande tamen toto nomen ab orbe fero.
Turbaque doctorum Naſonem novit, & audet
Non faſtiditis annumerare viris.
Corruit hæc igitur Muſis accepta, ſub uno,
Sed non exiguo, crimine lapſa domus.
Atque ea ſic lapſa eſt, ut ſurgere, ſi modo læſi
Ematuruerit Cæſaris ira, queat.
Cujus in eventu pœnæ clementia tanta eſt,
Ut fuerit noſtro lenior illa metu.
Vita data eſt, citraque necem tua conſtitit ira,
O Princeps parce viribus uſe tuis.
Inſuper accedunt, te non adimente, paternæ
(Tanquam vita parum muneris eſſet) opes.
Nec mea decreto damnaſti facta Senatûs:
Nec mea ſelecto judice juſſa fuga eſt.
Triſtibus invectus verbis (ita Principe dignum)
Ultus es offenſas, ut decet, ipſe tuas.

Adde,

113. *Notanda eſt.*] Tò *eſt* puto delendum cum multis veterum. deinde pro *ſit* quidam *fit.* Idem.

114. *Unde ſit in neutrum conſpiciendus eques.*] Auctor vitæ Pomponii Attici: *Supellex modica non multa, ut in neutram partem conſpici poſſet.* Idem.

115. *Vel cenſu.*] Vel fortunis. Equeſtris cenſus erat, quadringenta ſeſtertia, hoc eſt, decem millia Philippeorum.

122. *Sed non exiguo.*] *Sed tamen* pri. Pal. & duo alii. Lege, *Nec tamen.* Heinſ.

124. *Ematuruerit.*] Matura facta fuerit, & lenita. Et Columella lib. 7. *Et quum maturuit ſuppuratio, reſcinditur ferro.* Vide Gell. lib. 10. cap. 11.

126. *Ut fuerit noſtro lenior ira metu.*] *Lenior illa* meliores. recte. nam Tò *ira* præceſſerat, & proximo verſu denuo iteratur. Leidenſis etiam *Veneris ut noſtro.* venuſte. Vide Notas ad lib. v. Faſt. vſ. 648. *Heinſ.*

127. *Citraque necem.*] Citra animadverſionem in vitam & fortunas. *Berſm.*

130. *Tanquam vita parum muneris eſſet.*] Laudat Cæſaris clementiam, cui vita Ovidio conceſſa parvum beneficium videbatur, niſi etiam illi fortunas ſuas conceſſiſſet.

132. *Selecto.*] Fuerunt enim quatuor decuriæ judicum primo, pluribus diſcretæ nominibus. Namque aliæ tribunorum æris, aliæ judicum. Quidam nongenti, quidam ſelecti vocabantur. Plin. lib. 33.

133. *Ita principe dignum.*] *Dignum eſt* plerique, Buſlidianus *à principe dignum.* Puto *ac principe dignis.* Heinſ.

135. Quam-

Adde, quod edictum, quamvis immane minaxque,
Attamen in pœnæ nomine lene fuit.
Quippe relegatus, non exul dicor in illo:
Parcaque fortunæ ſunt data verba meæ.
Nulla quidem ſano gravior mentiſque potenti
Pœna eſt, quam tanto diſplicuiſſe viro.
Sed ſolet interdum fieri placabile numen:
Nube ſolet pulſa candidus ire dies.
Vidi ego pampineis oneratam vitibus ulmum,
Quæ fuerat ſævi fulmine tacta Jovis.
Ipſe licet ſperare vetes; ſperabimus æquè.
Hoc unum fieri te prohibente poteſt.
Spes mihi magna ſubit, cum te, mitiſſime Princeps;
Spes mihi, reſpicio cum mea fata, cadit.

Ac

135. *Quamvis immite minaxque.*] *Immane* prim. Polit. & opt. Palat. bene. *Idem.*

137. *Quippe relegatus.*] Relegare eſt, in inſulam aliquem, vel in alium locum mittere. Differtque exilium (ut Juriſconſultis placet) à relegatione, quod *exilium* eſt perpetuum, *relegatio* fit ad tempus.

138. *Parcaque fortuna ſunt ibi verba mea.*] *Paucaque* quinque veteres. *Parvaque* pri. Vatic. & duo alii. pro *ibi* plerique *tibi.* quinque *ſunt data.* ut Pont. II. Eleg. VII.

*Verbaque fortuna vix puto poſſe dari.*

Pont. II. El. I.

*Tandem aliquid pulſa curarum nube ſerenum*

*Vidi, fortuna verba dedique mea.*

lib. V. Eleg. VII.

*Experior curis & dare verba meis.*

Sex *ſunt tua verba.* Heinſ.

139. *Mentiſque potenti.*] Compoti mentis. Cujus mens de poteſtate ſua non exiit. Uti contra impotens dicitur qui temperare affectibus non poteſt. Quique animi commotiones in poteſtate non habet ſua. Cic. ad Famil. 4. ep. 9. *Ferociores impotentioreſque.* Cato, de præda militibus dividenda: non longè à principio: *Domi victa libertas noſtra impotentia muliebri.* ſic, *Juno impotens. Aquilo impotens* qui ſine more furit. Horat. 3. od. ultim. *Impotentia quadam animi à temperantia & moderatione plurimum diſſidens.* Cic. Tuſculanar. Epiſt. lib. 4. Et lib. 5. *Diſtrahuntur in contrarias partes impotentium cupiditates.* πολλὰ δ' ἀτάσθαλ' ἔρεξα, βίῃ καὶ κράτει εἴκων. Homer. Odyſſ. Σ. vſ. 138. *Sano gravior mentique potenti.*] *Sano* liber Strozzæ. Scribe *Sano mentiſque potenti.* Seneca Thyeſte,

——— *ferus ille & acer*

*Nec potens mentis truculentus Atreus.*

Heinſ.

145. *Sperabimus: atque Hoc unum fieri.*] Lego, *Sperabimus æque.* nihilominus ſperabimus præter morem Ovidii in ultimo verſu nova periodus incipit. Poſſet etiam legi *ſperabimus uſque.* Paulo ante *ſævi Jovis* caſtigatiores, non *ſævo fulmine.* Idem.

147. *Mitiſſime Cæſar.*] *Princeps* meliores, & ſequenti verſu *fata* pro *facta* cum Juniano ac Voſſiano. alibi,

*Cum video quam ſint mea fata tenacia, frangor.* Idem.

 155. Qui

Ac veluti ventis agitantibus æquora non eſt
  Æqualis rabies, continuuſque furor;
Sed modo ſubſidunt, intermiſſique ſileſcunt,
  Vimque putes illos depoſuiſſe ſuam;
Sic abeunt redeuntque mei variantque timores:
  Et ſpem placandi dantque negantque tui.
Per Superos igitur, qui dent tibi longa, dabuntque,
  Tempora, Romanum ſi modo nomen amant;
Per Patriam, quæ te tuta & ſecura Parente eſt;
  Cujus, ut in populo, pars ego nuper eram;
Sic tibi, quem ſemper factis animoque mereris,
  Reddatur gratæ debitus Urbis amor.
Livia ſic tecum ſociales compleat annos,
  Quæ, niſi te, nullo conjuge digna fuit.
Quæ ſi non eſſet, cælebs te vita deceret:
  Nullaque, cui poſſes eſſe maritus, erat.
Soſpite ſic te ſit natus quoque ſoſpes; & olim
  Imperium regat hoc cum ſeniore ſenex:
Utque tui faciunt ſidus juvenile nepotes,
  Per tua perque ſui facta parentis eant.

Sic

155. *Qui dent tibi longa dabuntque Tempora.* ] Scribe, *qui dent tibi.* quod augurantis & voventis eſt. Confirmat unus Vaticanus, Statius Sylvar. IV.

*At tu, ſi longi curſum dabit Atropos avi,*
*Detque precor.*

Noſter Ponticis,

*Di tibi dent annos: à te nam cætera ſumes.*
Idem.

158. *Cujus & in populo.* ] *Ut in populo* multi veterum. vere. quod & in ſuis Zinzerlingus invenerat. Adi Notas l. I. El. I. vſ. 17. *Idem.*

161. *Livia ſic tecum.* ] Liviam Druſillam dicit, quam Auguſtus repudiata Scribonia duxit uxorem. Eam à matrimonio Tiberii Neronis, & quidem prægnantem abduxit, dilexitque & probavit unice, ac perſeveranter, ut ſcribit Tranquillus. *Impleat annos.* ] Meliores *compleat.* Triſt. IV.

*Et jam compleras genitor ſua fata.*
Heinſ.

165. *Soſpite ſic te ſit natus quoque ſoſpes.* ] Alii aliter. Voſſianus *Soſpite ſic tecum ſit natus ſoſpes.* quod arridet. *Id.*

166. *Imperium regat hoc.* ] Malim *Hoc regat imperium.* & mox cum Juniano *Utque tui faciunt.* non *Ut faciuntque tui.* Voſſianus etiam bene,

*Utque tui ſidus faciunt juvenile nepotes.*
Idem.

167. *Efficiantque tui.* ] Ordo eſt: Et tui nepotes, *Cajus* ſcilicet, qui in Lycia periit: & *Lucius*, qui Maſſiliæ, ut alibi diximus. Appoſitive, ſidus juvenile, efficiant, ut natus Tiberius eat in tua & parentis tui nomina: hoc eſt, te & patrem Julium imitetur. *Mer.*

168. *Per tua perque tui facta parentis eant.* ] Imo *ſui parentis* cum tribus ſcriptis.

Sic aſſueta tuis ſemper Victoria caſtris
  Nunc quoque ſe præſtet, notaque ſigna petat:
Auſoniumque Ducem ſolitis circumvolet alis:
  Ponat & in nitidâ laurea ſerta comâ.
Per quem bella geris, cujus nunc corpore pugnas;
  Auſpicium cui das grande, Deoſque tuos.
Dimidioque tui præſens es, & aſpicis Urbem:
  Dimidio procul es, ſævaque bella geris.
Hic tibi ſic redeat ſuperato victor ab hoſte;
  Inque coronatis fulgeat altus equis;
Parce, precor: fulmenque tuum fera tela reconde,
  Heu nimium miſero cognita tela mihi!
Parce, Pater Patriæ: nec nominis immemor hujus
  Olim placandi ſpem mihi tolle tui.
Nec precor, ut redeam: quamvis majora petitis
  Credibile eſt magnos ſæpe dediſſe Deos.
Mitius exſilium ſi das, propiuſque roganti;

Pars

ptis. Germanicum & Druſum filios Tiberii intelligit, qui de Cajo & Lucio interpretantur jamdudum mortuis, toto cœlo aberrant. *Heinſ.* *Per tua facta, &c.*] Inſiſtant avi & parentis tui veſtigiis, imitando illorum facta. *Berſm.*

169. *Sic aſſueta tuis ſemper victoria caſtris.*] Victoria dea fuit, quam Apulejus lib. 2. Metamorph. *Palmarem deam* appellat.

170. *Nunc quoque ſe præſtet.*] Scribe *Huic quoque*. Tiberio nimirum blanditur, ut ex ſequentibus ſatis apparet. *Heinſ.*

171. *Auſoniumque ducem.*] Tiberium deſignat, qui nuntiata Illyrici defectione, tranſiit ad curam novi belli, quod graviſſimum omnium bellorum poſt Punica, per quindecim legiones, paremque auxiliorum copiam triennio geſſit: quo temporis ſpatio domuit totum Illyricum: quas ob res triumphus ei decretus eſt, quem diſtulit, mœſta civitate clade Variana. Nihilominus urbem prætextatus, & laurea coronatus intravit. Potes etiam intelligere (quod magis placet) Germanicam expeditionem, quam Druſus Tiberii frater, & Auguſti privignus ſuſcepit Auguſti auſpiciis, ut Florus ſcribit. *Mer.*

174. *Deoſque tuos.*] Apollinem, Julium Cæſarem, & cæteros deos, Auguſti familiares. Vel ἐκπαραλλήλου dictum, ut idem ſignificet, auſpicium & deos tuos. *Mer.*

175. *Dimidioque tui.*] Propter egregium amorem, quo ducem ſuum hunc Auguſtus diligebat, vocat ejus dimidium: ut Horat. *Virgilium, dimidium animæ ſuæ.* *Præſens & reſpicis urbem.*] *Et reſpicis* quinque. *præſens es & aſpicis* ſex. duo *præſentem reſpicis urbem.* unus *præſens hanc reſpicis.* Heinſ.

182. *Olim placandi ſpem, &c.*] Senſus eſt; nec immemor hujus nominis, nec tolle ſpem mihi olim tui placandi. ut particula negandi bis repetatur. *olim.* aliquando *Ciofan.*

183. *Non precor ut redeam.*] *Nec* meliores. *Heinſ.*



187. *Ulti-*

Pars erit è pœnâ magna levata meâ.
Ultima perpetior medios projectus in hoſtes:
Nec quiſquam patriâ longius exſul abeſt.
Solus ad egreſſus miſſus ſeptemplicis Iſtri,
Parrhaſiæ gelido virginis axe premor.
Jazyges, & Colchi, Meterêaque turba, Getæque,
Danubii mediis vix prohibentur aquis.
Cumque alii cauſſa tibi ſint graviore fugati,
Ulterior nulli, quam mihi, terra data eſt.
Longius hac nihil eſt, niſi tantum frigus & hoſtis;
Et maris adſtricto quæ coït unda gelu.
Hactenus Euxini pars eſt Romana ſiniſtri:

Pro-

187. *Ultima perpetior.*] Vitam extrema per omnia duco. *Medios ejectus in hoſtes.*] *Projectus* ſex veteres. lib. III. Eleg. IV.

*Fidam projecto neve negate manum.*

Triſt. V. Eleg. I.

*Sic ego Sarmaticas longe projectus in oras.*

& ſæpe alibi duo *ire actus pro exactus*. Heinſ.

189. *Solus ad ingreſſus.*] Imo *egreſſus*, quod plerique veteres agnoſcunt. malim tamen *egreſſum*. ut κακοφωνία vitetur. *Heinſ. Septemplicis Iſtri.*] Iſtri ortus eſt in Germania, qui per innumeras lapſus gentes, Danubii nomine, immenſo aquarum auctu, & unde primum Illyricum alluit, *Iſter* appellatur, ſexaginta amnibus receptis, medio ferme numero eorum navigabili, in Pontum vaſtis ſex fluminibus evolvitur, quorum nomina Plinius oſtendit lib. 4. ſed plenius Herodot. *Ad egreſſus.*] Ad oſtia per quæ Danubius in mare ſe exonerat.

190. *Parrhaſiæ virginis.*] Calliſtûs ex Arcadia: quæ in urſam mutata à Jove, in Septentrione locata fuit: ſic dicta à Parrhaſia urbe Arcadiæ.

191. *Jazyges.*] Jazyges populi fuere Scytharum, quos Plinius ſcribit campos & plana tenuiſſe. *Colchi.*] Colchi (auctore Dionyſio) fuere ad extremum Ponti, Caucaſo monte adhærentes, olim ex Ægypto profecti: *Colchos* accipere etiam eos licet, qui Medeam fugientem perſecuti, cum illam apprehendere non potuiſſent, circa Tomos, & inſulas Brigeidas conſederunt. *Metereaque turba.*] Aut urbem Meteream eam intellige, quam Ptolem. ſupra Thyram fluvium ponit, penes Daciam, & *Metoniſum* appellat. Aut certe *Neurea*, ut Neuros intelligas apud quos oritur Boryſthenes, ut eſt auctor Plinius. *Getæque.*] Getas Strabo eos appellatos dicit, qui ad Pontum in orientem vergebant: *Dacos* vero, qui in oppoſitum verſus Germaniam & ad Iſtri fontes, quos olim *Davos* vocatos fuiſſe arbitratur.

196. *Aſtricto gelu.*] Cimmerius Boſporus, qui Aſiam ab Europa ſeparat, ita glaciatur, ut mare illud pedibus plerumque pervium ſit, ut Plinius docet: quam glaciem dicit Poëta eſſe paulo ultra terras ad quas relegatus eſt. Vel certè intellige Ponti partem, quam brumali rigore durari diximus ſupra.

197. *Hactenus, &c.*] Uſque ad Danubium: quem dicit eſſe terminum Romani Imperii. Vicinæ Baſternæ & Sauromatæ hoſtes occupant. *Euxini ſiniſtri.*] Pontici maris, qui eſt à ſiniſtra navigantibus ad Cimmerium Boſporum. *Eſt pars Romana.*] Eſt ditionis Romanæ.

198. Ba-

Proxima Baſternæ Sauromatæque tenent.
Hæc eſt Auſonio ſub jure noviſſima, vixque
Hæret in imperii margine terra tui.
Unde precor ſupplex ut nos in tuta releges:
Ne ſit cum patriâ pax quoque ademta mihi.
Ne timeam gentes, quas non bene ſubmovet Iſter:
Neve tuus poſſim civis ab hoſte capi.
Fas prohibet Latio quenquam de ſanguine natum
Cæſaribus ſalvis barbara vincla pati.
Perdiderint cum me duo crimina, carmen & error;
Alterius facti culpa ſilenda mihi.
Nam non ſum tanti, ut renovem tua vulnera, Cæſar;
Quem nimio plus eſt indoluiſſe ſimul.
Altera pars ſupereſt: qua turpi crimine tactus
Arguor obſcœni doctor adulterii.
Fas ergo eſt aliquâ cœleſtia pectora falli;
Et ſunt notitiâ multa minora tuâ?
Utque Deos, cœlumque ſimul ſublime tuenti
Non vacat exiguis rebus adeſſe Jovi;
A te pendentem ſic dum circumſpicis orbem,
Effugiunt curas inferiora tuas.
Scilicet imperii, Princeps, ſtatione relictâ

Impa-

198. *Baſterna.* ] Baſternæ populi fuere ad Oceanum ſeptentrionalem verſi. Eos Ptolemæus ſcribit fuiſſe in Sarmatia Europæ. Hos Tacitus *Peucinos* nominat, dubitatque Sarmatiſne an Germanis adſcribat. *Tenent proxima.* ] Tenent loca Iſtro vicina.

200. *Haſit.* ] *Hæret* meliores. *Heinſius.*

202. *Pax quoque ademta.* ] *Demta* duo veteres. quod mollius. *Idem.*

203. *Non bene ſummovet.* ] Non bene arcet. *Mer.*

207. *Perdiderint cum me.* ] *Prodiderint* Combianus. de quo dixi ſupra vſ. 99. *Heinſ.*

209. *Nam tanti non ſum, renovem ut tua vulnera, Cæſar.* ] Duri præter morem Ovidianum numeri. Tò *ut* à multis abeſt veterum. quidam etiam *non ſum tanti.* & *ut renovem.* Forte ſcribendum,

*Nam tua non tanti eſt renovari vulnera, Cæſar.*

vel *renoventur.* Idem.

211. *Turpi crimine lectus.* ] *Carmine factus* meliores magno numero. Malo, *turpi crimine tactus.* hinc taxare & taxatores ſcenici dicti, quod alter alterum maledictis tangat. vide Feſtum in *Taxat.* *turpi crimine laſus* in Arondeliano. *Idem.*

217. *Ex te pendentem.* ] *A te* ſex. totidem *In te.* nonnulli *De te.* Forte *E te* Heinſ.

218. *Inferiora.* ] Ut fuere mea carmina de Arte amatoria.

 223. *Ad-*

Imparibus legeres carmina facta modis?
Non ea te moles Romani nominis urget,
Inque tuis humeris tam leve fertur onus;
Luſibus ut poſſis advertere numen ineptis;
Excutiaſque oculis otia noſtra tuis.
Nunc tibi Pannonia eſt, nunc Illyris ora domanda:
Rhætica nunc præbent Thraciaque arma metum:
Nunc petit Armenius pacem: nunc porrigit arcus
Parthus eques, timidâ captaque ſigna manu.
Nunc te prole tuâ juvenem Germania ſentit;
Bellaque pro magno Cæſare Cæſar obit.

De-

223. *Advertere numen.*] *Lumen* ſex veteres. ſed nil neceſſe Seneca Thyeſte,

*Alpheus ſtadio notus Olympico*
*Advertat placidum numen.*

Heinſ. *Ineptis luſibus.*] Inepto carmine.

225. *Nunc tibi Pannonia eſt.*] Natio ingens circa Iſtrum. Hi *Paeones* à Græcis, à Romanis *Pannonii* appellati fuere: & ab illis inter Illyrios numerabantur. Vide Florum: *Nunc Illyris ora domanda.*] Poſt finem bellorum civilium Aug. (ut Flor. docet) reliqua bella geſſit adverſum exteras gentes, qua diſtricto circa mala ſua imperio diverſis orbis oris emicabant. nova quippe pax, necdum aſſuetæ frenis ſervitutis tumidæ gentium inflatæque cervices ab impoſito nuper jugo reſiliebant.

226. *Rhætica nunc præbent.*] Rhæti ad Italiam uſque pertinent, quæ ſupra Veronam & Comum eſt. *Thraciaque arma.*] Thraces quoque cum cæteris deſciverant: qui & ſignis militaribus, & diſciplina, armis etiam Romanis aſſueti fuerant. Pauſanias etiam ſcribit, nullam nationem, præter Galliam Thracia majorem eſſe.

227. *Parthus nunc porrigit arcus.*] Auguſtus (Auctore Juſtino) finito Hiſpano bello, in Syriam ad componendum orientis ſtatum pervenit: metumque Phraarti injunxit, ne bellum Parthiæ vellet inferre. Itaque tota Parthia captivi ex Craſſiano ſive Antonii exercitu recollecti, ſignaque cum his militaria Auguſto remiſſa. Sed & filii nepoteſque Phraartis obſides Auguſto dati: pluſque Cæſar magnitudine nominis ſui fecit, quam armis alius Imperator facere potuiſſet.

230. *Bellaque pro magno Cæſare Cæſar habet.*] *Obit* pri. Vatic. & optimus Palatinus. Livius lib. IV. *Quia duo Conſules obire tot ſimul bella nequirent.* Virgilius,

*Et lituo pugnas inſignis obibat & haſta.*

Val. Flaccus lib. III. *duras obit horrida pugnas. obire prælia* etiam occurrit apud Lucretium. decem alii *bella agit.* quod Gronovio lib. II. cap. III. Obſervationum merito probabatur. Ait. Am. lib. I,

*Bellaque non puero tractat agenda puer.*

Gratius,

*Quod niſi & acceſſus & agendi tempora belli*
*Noveris.*

ſic Græcis ἄγειν τὸν πόλεμον. *degere bellum* Lucretius, *bellum ducere* Virgilius dixerunt. quomodo *ducere, degere, agere vitam* Latinis ſcriptoribus in uſu. niſi quod *cernere bellum* nonnulli in Lucretio reponendum eſſe cenſent, me non renitente. poſſet & *ducere bellum* legi. ut *degere* primo ſcriptum fuerit. *Heinſ.*

*Bellaque*

Denique, ut in tanto, quantum non exſtitit unquam,
Corpore, pars nulla eſt quæ labet imperii;
Urbs quoque te & legum laſſat tutela tuarum,
Et morum, ſimiles quos cupis eſſe tuis.
Nec tibi contingunt, quæ gentibus otia præſtas;
Bellaque cum multis irrequieta geris.
Mirer in hoc igitur tantarum pondere rerum
Nunquam te noſtros evoluiſſe jocos?
At ſi (quod mallem) vacuus fortaſſe fuiſſes,
Nullum legiſſes crimen in Arte meâ.
Illa quidem, fateor frontis non eſſe ſeveræ
Scripta, nec à tanto Principe digna legi:
Non tamen idcirco legum contraria juſſis
Sunt ea; Romanas erudiuntque nurus.
Neve quibus ſcribam poſſis dubitare; libellus
Quattuor hos verſus è tribus unus habet:
Eſte procul, vittæ tenues, inſigne pudoris;
Quæque tegis medios inſtita longa pedes:
Nil, niſi legitimum, conceſſaque furta, canemus;
Inque meo nullum carmine crimen erit.
Ecquid ab hac omnes rigidè ſubmovimus Arte,
Quas ſtola contingi vittaque ſumta vetat?
At matrona poteſt alienis artibus uti;

Quo-

*Bellaque pro magno Cæſare.* ] Senſus eſt: Druſus bella gerit pro Auguſto. Appellat autem Druſum, Auguſti privignum Cæſarem: ut etiam Germanicum in Faſtis. Alii hoc loco non Druſum, ſed Druſi filium ex Antonia Cæſaris nepte, quem auguſtus octo legionibus apud Rhenum impoſuerat, adſcribique per adoptionem à Tiberio juſſerat: ut Tacitus auctor eſt lib. I.

234. *Et morum.* ] Auguſtus impetratis à ſenatu decem adjutoribus, unumquemque equitum rationem vitæ reddere coëgit. *Mer.*

237. *Miror in hoc igitur.* ] *Mirer* ſeptem aut octo meliores, & ſequenti verſu *Nunquam* pro *Unquam* iidem. recte. ſi interrogationis notam addas. *Heinſ.*

239. *At ſi quod mallem vacuus fortaſſe fuiſſes.* ] Quatuor *vacuus tibi forte.* alii multi, etiam ex melioribus, *vacuum fortaſſe fuiſſet.* nil muta. *Idem.*

247. *Vitta tenues, inſigne pudoris.* ] Virgines deſignat & innuptas per *vittas.* Vide Turneb. lib. 23. cap. 5. & lib. 29. c. 4.

251. *Omnes rigidas ſubmovimus.* ] *Rigide* cum Juniano & Vaticano fragmento. alius *rigida.* Pont. III. Eleg. III.

*An ſit ab his omnis rigide ſubmota libellis,*
*Quam lex furtivos arcet habere viros?*

Heinſ.

 254. Quod-

Quoque trahat, quamvis non doceatur, habet.
Nil igitur matrona legat: quia carmine ab omni
Ad delinquendum doctior eſſe poteſt.
Quodcunque attigerit, ſi qua eſt ſtudioſa ſiniſtri,
Ad vitium mores inſtruet inde ſuos.
Sumſerit Annales; (nihil eſt hirſutius illis)
Facta ſit unde parens Ilia nempe leget.
Sumſerit, Æneadum genitrix ubi prima; requiret,
Æneadum genitrix unde ſit alma Venus.
Perſequar inferius, (modo ſi licet ordine ferri)
Poſſe nocere animis carminis omne genus.
[Non tamen idcirco crimen liber omnis habebit.
Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.]
Igne quid utilius? ſi quis tamen urere tecta
Comparat, audaces inſtruit igne manus.
Eripit interdum, modo dat medicina ſalutem:
Quæque juvans monſtrat, quæque ſit herba nocens.
Et latro, & cautus præcingitur enſe viator:
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem.
Diſcitur innocuas ut agat facundia cauſſas:

Pro-

254. *Quodque trahat, quamvis non doceatur, habet.*] *Trahatur quoque* pri. Politiani, qui verſum mendoſum eſſe opinabatur. pri. Vatic. opt. Palat. aliique nonnulli. *Quoque trahat.* duo *Quaque.* alius *Quique.* Heinſ.

257. *Eſt ſtudioſa ſiniſtri.*] Studet res in ſiniſtram & contrariam partem accipere, proclivis ad deteriora.

259. *Sumpſerit annales,*] Si ſumpſerit libros geſta pop. Rom. continentes. *Nihil eſt hirſutius illis.*] Nihil eſt illis ſeverius; nam rerum geſtarum memoriam continent; non voluptuoſa, & laſciva. *Hirſuti* autem ſeveri videntur. *M.* Et non ſolum ſine ullis ornamentis conſcripti ſunt Annales Romani ab iis quos recenſui, ſed etiam horridulo ac priſco illo genere ſermonis. *Pont.* *Nihil eſt hirſutius illis.*] Alii *iſtis.* prim. Vaticanus *nihil eſt ipriſimus illis.* Forte legendum,

*Sumſerit Annales (nihil eſt hirſutius) Enni.*

à pluribus enim annales ſcripti. recte autem *hirſutius.* hoc eſt rigidius, ſeverius. *Heinſ.*

260. *Facta ſit unde parens Ilia.*] Quomodo Ilia ſeu Rhea Sylvia, gravida à Marte geminos peperit.

262. *Æneadum genitrix.*] Romanorum mater. *Unde ſit.*] Unde ducat originem: eo ſcilicet alludens, quod & Æneas ex adulterio Veneris & Anchiſæ natus fuerit.

265. *Non tamen idcirco.*] Diſtichon ſuſpectum. vſ. 243. ſimile carminis initium. *Heinſ.*

267. *Urere tecta Comparat.*] Alii *Apparat* vel *Ceperit.* Idem.

270. *Quaque juvet monſtrat.*] *Juvans* prior Politiani. quod placet, ut τῷ nocens opponatur. *Idem.*

277. Qui-

Digitized by Google

Protegit hæc ſontes immeritoſque premit.
Sic igitur carmen, rectâ ſi mente legatur,
Conſtabit nulli poſſe nocere meum.
At quiddam vitii quicunque hinc concipit, errat:
Et nimium ſcriptis abrogat ille meis.
Ut tamen hoc fatear: ludi quoque ſemina præbent
Nequitiæ. tolli tota theatra jube:
Peccandi cauſſam quæ multis ſæpe dederunt,
Martia cum durum ſternit arena ſolum.
Tollatur Circus; non tuta licentia Circi:
Hic ſedet ignoto juncta puella viro.
Cum quædam ſpatientur in hac, ut amator eadem
Conveniat, quare porticus ulla patet?
Quis locus eſt templis auguſtior? hoc quoque vitet,
In culpam ſi qua eſt ingenioſa ſuam.
Cum ſteterit Jovis æde; Jovis ſuccurret in æde,
Quam multas matres fecerit ille Deus.
Proxima adoranti Junonia templa ſubibit,
Pellicibus multis hanc doluiſſe Deam.
Pallade conſpectâ, natum de crimine virgo

Suſtu-

277. *Quicunque concipit hoc vitium.*] Quicumque exiſtimat hoc, quod carmen poſſit etiam nocere. *Et tandem vitium.*] Scripti plurimi, *At quoddam vitium.* pri. Polit. & multi alii, *At quædam vitia.* prim. Varic. & Palat. *Et quaſdam vitiat.* Putean. *At quondam vitia.* Barberin.

*Aut quicquid vitii quique hinc conceperit.*

Medonianus, *At quidam vitium.* Lego, *At quiddam vitii.* nam in Arondeliano, *At quoddam vitii.* Heinſ.

278. *Et nimium ſcriptis arrogat ille meis.*] *Abrogat* ſcribe cum multis veterum. quo verbo Livius aliique optimi Latinitatis auctores utuntur. Nonnulli etiam *derogat.* Idem.

281. *Quam multis.*] *Qua* Richelianus, ut ad theatra referatur. In nonnullis *multi.* Idem.

282. *Sternit durum ſolum.*] Hoc dicit, quia ludi gladiatorii exhibebantur in foro arena conſtrato.

283. *Tollatur Circus.*] Idem apertius in primo de Arte amandi ita oſtendit:
*Ne te nobilium fugiat certamen equorum:*
*Multa capax populi commoda Circus habet.*

285. *Amator eodem conveniat.*] *Eadem* plerique. *Heinſ.*

289. *Quam ſteterit Jovis æde.*] Quum venerit in ædem Jovis Capitolini.

291. *Junonis templa.*] *Junonia* lege ex primis editionibus & Gryphiana. Vide Notas lib. 1. Faſt. vſ. 55. proximo verſu pro *indoluiſſe Deam* plerique *hanc doluiſſe.* & mox *quærat* pro *quærit.* Heinſius.

293. *Natum de crimine.*] Natum de lite Erichthonio nomen impoſitum ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ χθονός, id eſt, ex certamine atque humo. Auctor Lactantius

Fabu-

Suſtulerit quare quæret Erichthonium.
Venerit in magni templum tua munera Martis;
Stat Venus Ultori juncta viro ante fores.
Iſidis æde ſedens cur hanc Saturnia quæret
Egerit Iönio Boſporioque mari.
In Venere Anchiſes, in Lunâ Latmius heros,
In Cerere Iäſion, qui referatur, erit.
Omnia perverſas poſſunt corrumpere mentes.
Stant tamen illa ſuis omnia tuta locis.
At procul ab ſcriptâ ſolis meretricibus Arte
Submovet ingenuas pagina prima nurus.
Quæcunque irrumpit, quo non ſinit ire ſacerdos;

Proti-

Fabulam refert Servius & Ovidius libro Metamor. ſecundo.

295. *Venerit in magni templum.* ] Martis ultoris deſignat, quod Auguſtus bello Philippenſi pro ultione paterna ſuſceptum voverat; in quo voluit de bellis triumphiſque conſuli ſenatum: ſanxitque, ut provincias cum imperio petituri ex eo deducerentur, quique victores rediiſſent, eo inſignia triumphorum inferrent. *Mer.* *Tua numina.* ] Quem tu præcipue colis. *Pont.* *Stat Venus ultori.* ] Quaſi dicat, ſuccurrit adulterium Martis cum Venere. Intelligit autem ædem Veneris genitricis junctam Martis templo. *In templum magni tua numina Martis.* ] *In magni templum tua munera Martis.* rectius multi veteres. vide Notas Faſt. VI. vſ. 92. *Heinſ.*

298. *Egerit Ionio Boſporioque mari.* ]

*Hoc quondam monſtro horribiles exercuit iras*
*Inachia Juno peſtem meditata Juvenca.*
Virg. 3 Georg.

Οἶςρον καλᾶσιν αὐτὸν οἱ Νείλȣ πέλας. Æſchyl. Supplic. φοινήεντι μύωπι βοῶν ἐλατῆρι τυπεῖσα. Coluth. Theban.--- Ἴναχις Ἰὼ —— φοιταλέη δὲ πόδεσσιν ἐφ' ἁλμυρὰ βαῖνε κέλευθα. Moſch. Idyll. 2. v. 44.

299. *In Venerem Anchiſes.* ] Lege *in Venere*, & mox *in Luna* & *in Cerere*, quomodo fere primus Vaticanus. ſic loqui amat Noſter. *Iaſion* etiam pro *Iaſius* plerique. utrumque rectum eſt, Met. IX.

*—— queritur caneſcere mitis*
*Iaſiona Ceres.* Heinſ.

*In Luna Latmius heros.* ] Endymionem deſignat, à Latmio monte Cariæ cognominatum.

300. *In Cerere Iaſius, &c.* ] Fuit Iaſius, de quo hic Poëta intelligit, filius Jovis & Electræ, fraterque Dardani & Armoniæ Cadmi uxoris, qui ſumpta uxore Cybele, Corybantum genuit, à quo Corybantes appellati ſunt. Ex Iaſio autem & Cerere Plutonem natum fabulæ tradunt. Quin in gratiam Iaſii conſtat frumenti copiam à Cerere dono datam in nuptiis Armoniæ. auctor Diodorus.

303. *Et procul à ſcripta.* ] *At procul ab ſcripta* meliores. pro *ingenuas manus* quatuor veteres *nurus*. Heinſ. *A ſcripta arte ſolis meretricibus.* ] Ab Arte amandi, quam ſolis meretricibus ſcripſimus. rejectis virginibus & matronis.

305. *Quacunque erumpis.* ] *Irrumpis* & *quo* pro *qua* recte multi vetuſtiores. *irrumpere* dicebantur qui adyta non initiati ſubibant. ſic lib. VI. Faſt. de Metello Veſtam ex incendio auferente,

*Dixit & irrupit. factum dea rapta probavit;*

Triſt.

Protinus hoc vetiti criminis acta rea eſt.
Nec tamen eſt facinus molles evolvere verſus:
Multa licet caſtæ non facienda legant.
Sæpe ſupercilii nudas matrona ſeveri
Et Veneris ſtantes ad genus omne videt.
Corpora Veſtales oculi meretricia cernunt:
Nec domino pœnæ res ea cauſſa fuit.
At cur in noſtrâ nimia eſt laſcivia Muſa?
Curve meus cuiquam ſuadet amare liber?
Nil niſi peccatum manifeſtaque culpa fatendum eſt:
Pœnitet ingenii judiciique mei.
Cur non Argolicis potius quæ concidit armis
Vexata eſt iterum carmine Troja meo?
Cur tacui Thebas, & mutua vulnera fratrum?

Triſt. v. Eleg. I.
*Qua tamen irrumpunt, quoque vetantur, eunt.*
Pont. I. Eleg. VIII.
*Nec tamen irrumpo, quo non licet ire.*
ſequenti verſu pro *hac* quatuor *hoc.* id eſt, hoc ipſo, quod Grutero & Bersmanno arridebat. *Heinſius.* *Quacumque erumpit.*] Arguit à ſimili ream eſſe illam, quæ prohibita & rejecta inſpexit ejus præcepta: quemadmodum ea quæ prohibente ſacerdote erupit, quo non licet.

309. *Nudas.*] Scilicet meretrices: quæ nudæ Floralia magna licentia celebrabant. Fuit autem Flora mulier, quæ quum magnas opes quæſtu meretricio quæſiviſſet, populum Romanum ſcripſit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore natalis ejus dies celebraretur editione ludorum, quæ Floralia dixerunt: quod quia ſenatui flagitioſum videbatur, ut ſcribit Lactantius, ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur: deamque eſſe finxerunt, quæ floribus præeſſet, quam prius Chlorim appellatam fuiſſe ſcribit Ovidius in Faſtis: eamque Zephyro nuptam, quaſi dotis loco id accepiſſe muneris à marito, ut haberet florum omnium poteſtatem.

312. *Nec domino pœna res ea cauſa fuit.*] De Lenone interpretantur. ſed cur Lenoni potius ob id pœna decernatur, quam Ædilibus, qui Floralia exhibebant? Quare aut verſum hunc adulteratum eſſe cenſeo, aut ſcribendum,
*Nec damno ſcena res ea viſa fuit.*
In Combiano pro diverſa lectione *Roſcia cauſſa.* Certe Roſcius comœdus librum ediderat, in quo cauſam hiſtrioniæ agebat, eamque comparabat cum eloquentiæ ſtudio. Meminit hujus ſcripti Macrobius Saturnal. lib. II. cap. XIV. Sed abruptus nimis fit tranſitus à Veſtalibus ad Roſcium. *Heinſ.*

315. *Manifeſtaque culpa fatenda eſt.*] *Fatendum eſt* veteres multi. *Idem.*

318. *Vexata eſt iterum.*] Troja iterum dicitur vexari carmine, quum ejus caſus & ruina quaſi vera clades deſcribitur.

319. *Et mutua vulnera fratrum.*] Per mutua vulnera fratrum, Eteoclis & Polynicis mortem intellige, qui mutuo ictu cecidêre, ut Diodorus ſcribit, & Statius cecinit. ex quo Thebanum bellum deſignat.

320. *Sub*

Digitized by Google

Et ſeptem portas ſub duce quamque ſuo?
Nec mihi materiam bellatrix Roma negabat:
Et pius eſt patriæ facta referre labor.
Denique, cum meritis impleveris omnia, Cæſar,
Pars mihi de multis una canenda fuit.
Utque trahunt oculos radiantia lumina Solis;
Traxiſſent animum ſic tua facta meum.
Arguor immerito. tenuis mihi campus aratur:
Illud erat magnæ fertilitatis opus.
Non ideo debet pelago ſe credere, ſi qua
Audet in exiguo ludere cymba lacu.
Forſitan & dubitem, numeris levioribus aptus
Sim ſatis; in parvos ſufficiamque modos.
At ſi me jubeas domitos Jovis igne Gigantas
Dicere; conantem debilitabit onus.
Divitis ingenii eſt immania Cæſaris acta
Condere; materiâ ne ſuperetur opus.
Et tamen auſus eram: ſed detrectare videbar,
Quodque nefas, damno viribus eſſe tuis.
Ad leve rurſus opus juvenilia carmina veni;
Et falſo movi pectus amore meum.
Non equidem vellem: ſed me mea fata trahebant,
Inque meas pœnas ingenioſus eram.



320. *Sub duce quamque ſuo.*] Septem enim reges contra Eteoclem pro Polynice conſpirarunt; ſcilicet Adraſtus Argivorum rex, Amphiaraus, Hippomedon, Capaneus, Tydeus, Parthenopæus, & Polynices, pro quo bellum geſtum eſt Adraſti ductu & auſpiciis. In oppugnatione autem Thebarum horum ducum unuſquiſque portam ſibi oppugnandam ſumpſerat.

321. *Non mihi.*] *Nec* meliores. *Heinſ.*

328. *Illud opus.*] Vel bellum Thebanum & reliqua, vel Auguſti geſta. *Mer.* *Magna fertilitatis.*] Ingenii fertilis, uberis ingenii. *Berſm.*

331. *Forſan & hoc dubitem.*] Alii *Forſitan hoc* pri. Vatic. & tres alii *Forſitan hac*. Lege *Forſitan & dubitem*. Heinſ.

337. *Sed detrectare videbar.*] Septem aut octo veteres *delirare*. pri. Polit. & Hamburg. & Putean. *derecitare*. an pro *depretiare?* quo verbo Paulus uſus l. 22. D. ad legem Aquiliam. Gloſſæ ineditæ, *Depretiati* ἐλαττωθέντες. Sed neſcio an id ſæculi Ovidiani ſit verbum. Uſus & eo Tertullianus non ſemel. duo alii *detrectare verebar*. unus *dedecorare*. alius *decertare*. Idem.

340. *Et falſo movi pectus amore meum.*] *Paren ſovi*. Idem.

Hei mihi, quod didici! quod me docuêre parentes,
Litteraque eſt oculos ulla morata meos!
Hæc tibi me inviſum laſcivia fecit, ob Artes,
Quas ratus es vetitos ſollicitaſſe toros.
Sed neque me nuptæ didicerunt furta magiſtro:
Quodque parum novit, nemo docere poteſt.
Sic ego delicias, & mollia carmina feci,
Strinxerit ut nomen fabula nulla meum.
Nec quiſquam eſt adeo mediâ de plebe maritus,
Ut dubius vitio ſit pater ille meo.
Crede mihi; mores diſtant à carmine noſtro.
Vita verecunda eſt, Muſa jocoſa mihi.
Magnaque pars operum mendax & ficta meorum
Plus ſibi permiſit compoſitore ſuo.
Nec liber indicium eſt animi, ſed honeſta voluptas,
Plurima mulcendis auribus apta ferens.
Accius eſſet atrox; conviva Terentius eſſet;
Eſſent pugnaces, qui fera bella canunt.
Denique compoſui teneros non ſolus amores:
Compoſito pœnas ſolus amore dedi.
Quid niſi cum multo Venerem confundere vino
Præcepit Lyrici Teïa Muſa ſenis?
Lesbia quid docuit Sappho, niſi amare puellas?

Tuta

343. *Hei mihi, cur didici? quid me.*] *Quod didici, quod me docuere* meliores. *Id.*

350. *Strinxerit meum nomen.*] Læſerit meam famam.

354. *Muſa jocoſa mea.*] Alii *mea eſt.* *mihi* rectius vetus. ſuperiori etiam verſu legatur concinnius, *diſtant mores à carmine noſtri.* Heinſ.

355. *Magnaque pars mendax operum eſt & ficta meorum.*] *Magnaque pars operum mendax & ficta meorum Plus ſibi permiſit.* cum melioribus. *Idem.*

356. *Compoſitore ſuo.*] Me Ovidio qui ea compoſui.

358. *Auribus apta refert.*] Pri. Polit. & tres alii *feret.* prim. Vatican. & duo præterea *feres.* quatuor *ferens.* quod ſequor. ſuperiori etiam verſu pro *voluntas* repoſui *voluptas* cum pri. Vatic. & duobus aliis. *Heinſ.*

359. *Eſſet atrox.*] Eſſet crudelis, propterea, quod tragœdias ſcripſit.

364. *Teïa Muſa.*] Anacreontis Muſas is enim Teon patriam habuit, ut eſt auctor Strabo.

365. *Lesbia quid docuit Sappho, niſi amare puellas?*] Sappho Lesbia prima plectrum reperit, libros lyricos compoſuit, epigrammata, jambos, & elegias: Hujus autem poëmata laſciva erant. Et Horat. *Vivuntque commiſſi calores fidibus puellæ.*

367. Nec

Digitized by Google

Tuta tamen Sappho, tutus & ille fuit.
Nec tibi, Battiade, nocuit, quod ſæpe legenti
Delicias verſu faſſus es ipſe tuas.
Fabula jucundi nulla eſt ſine amore Menandri:
Et ſolet hic pueris virginibuſque legi.
Ilias ipſa quid eſt, niſi turpis adultera, de qua
Inter amatorem pugna virumque fuit?
Quid prius eſt illi flammâ Chryſeïdos? utque
Fecerit iratos rapta puella duces?
Aut quid Odyſſêa eſt, niſi fœmina, propter amorem,
Dum vir abeſt, multis una petita procis?
Quid niſi Mæonides Venerem Martemque ligatos
Narrat in obſcœno corpora prenſa toro?
Unde niſi indicio magni ſciremus Homeri,
Hoſpitis igne duas incaluiſſe Deas?
Omne genus ſcripti gravitate Tragœdia vincit:
Hæc quoque materiam ſemper amoris habet.
Nam quid in Hippolyto, niſi cæcæ flamma novercæ?
Nobilis eſt Canace fratris amore ſui.

Quid

367. *Nec tibi Battiade nocuit.* ] Battiades Callimachus appellatur, à Batto generis ſui auctore. qui Cyrenem condidit, ut Strabo, Herodotus, & Juſtinus ſcribunt. Compoſuit autem Poëmata omni genere carminum: Lyden puellam amavit, de qua etiam elegias ſcripſit.

370. *Et ſolet hic.* ] Malo *hac.* fabula videlicet. *Heinſ.*

371. *Ilias ipſa quid eſt aliud niſi adultera.* ] *Niſi turpis adultera* cum primis editionibus, Epiſt. Laodamiæ,

*Quid petitur tanto niſi turpis adultera bello?* Idem.

373. *Quid prius eſt illic flamma Chryſeidos, aut qui.* ] Lege *utque* cum melioribus. *illi* etiam pro *illic* in iiſdem. *Id.* *Quid prius eſt illi flamma, &c.* ] Quid in principio ſtatim Iliados deſcribitur? certe Agamemnonis amor in Chryſeïda.

374. *Rapta puella.* ] Briſeis Achilli erepta ab Agamemnone: Cujus rei cauſa ortæ ſunt inter eos inimicitiæ.

376. *Petita viris.* ] Imo *procis.* quod priſcæ editiones & multi ex ſcriptis agnoſcunt. vide Notas ad 11. Epiſt. Sabini. *Heinſ.*

377. *Venerem Martemque ligatos.* ] Athenæus lib. 1. c. 12. item lib. 12. in principio, ſatis honeſte hanc fabulam interpretatur; cantorem, inquiens, apud Homer. Odyſſ. θ. Phæacas dehortari voluiſſe à malis moribus, quibus laborabant. Quod & ipſe auctor fabulæ videtur ſignificare egregio hoc epiphonemate:

Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα.

Adi & Plutarch. de Poëtis audiendis. *Quid niſi Mæonides.* ] Aut legendum eſt, *Quid non Mæonides.* aut *Quis niſi.* quod poſterius quinque ſcripti agnoſcunt. *Heinſ.*

380. *Duas deas.* ] Calypſo & Circen.

384. *Nobilis eſt Canace.* ] Canace ex

fratre

Quid, non Tantalides agitante Cupidine currus
Piſæam Phrygiis vexit eburnus equis?
Tingeret ut ferrum natorum ſanguine mater,
Concitus à læſo fecit amore dolor.
Fecit amor ſubitas volucres cum pellice regem,
Quæque ſuum luget nunc quoque mater Ityn.
Si non Aëropen frater ſceleratus amaſſet;
Averſos Solis non legeremus equos.
Impia nec tragicos tetigiſſet Scylla cothurnos,
Ni patrium crinem deſecuiſſet amor.
Qui legis Electran, & egentem mentis Oreſten,
Ægyſthi crimen Tyndaridoſque legis.
Nam quid de tetrico referam domitore Chimæræ,
Quem leto fallax hoſpita pæne dedit?

Quid

fratre Macareo filium peperit: quo ſcelere comperto, ſeipſam juſſu patris interfecit. Macareus vero in templum Apollinis Delphici confugit.

385. *Quid, non Tantalides.*] In Peloponneſi civitate Mars ex Ægina Aſopi filia genuit Oenomaum: bic unicam filiam Hippodamiam habuit. finem vitæ ab oraculo ſciſcitanti, reſponſum eſt, tunc fatis illum conceſſurum, quum filia Hippodamia nupſiſſet. Vide Fab. apud Ovid. Servium & alios.

386. *Piſæam.*] Hippodamiam ex Piſa civitate Arcadiæ. *Phrygiis equis.*] Pſilla & Harpina, quos equos Pelops è Phrygia veniens ſecum duxit. *Eburnus.*] Eburnus Pelops vocatur à poëtis, quoniam Tantalus ejus pater volens deorum tentare divinitatem, eis invitatis filium ſuum epulandum appoſuit; à quo omnes dii abſtinuerunt, excepta Cerere, quæ brachium ejus conſumpſit. Poſtea dii petente Tantalo, quum voluiſſent ejus filium revocare ab inferis, Ceres ei eburneum brachium reſtituit. Quod ideo fingitur, quia Ceres ipſa eſt terra, quæ corpora univerſa conſumit, oſſa tantum reſervans.

388. *A læſo amore.*] Ab amore Medeæ ab Jaſone violato.

389. *Fecit amor ſubitas volucres.*] Terei tragœdiam intelligit. Nota eſt fabula Ovid. Metamorph.

390. *Quæque ſuum luget.*] Prognen deſignat, Terei regis Daulidis uxorem, quæ Itym filium occidit, & patri epulandum appoſuit propter ſororem Philomelam violatam: poſtea mutata fuit in luſciniam.

391. *Si non Aëropen.*] Atrei tragœdiam intelligit. notum eſt autem Aëropen, Atrei uxorem, cum Thyeſte concubuiſſe, quod ægre ferens Atreus, liberos ei epulandos appoſuit: quæ ſol, ne pollueretur, aufugit. Illud notandum, Græcos Atrei uxorem non *Europen*, ſed *Aëropen*, nominare.

392. *Averſos ſolis.*] Quaſi refugientes atrocitatem illius ſpectaculi. *Berſm.*

396. *Tyndaridoſque.*] Et Clytæmneſtræ filiæ Tyndari ex Leda, uxoriſque Agamemnonis, quæ cum Ægiſtho Thyeſtis filio, dum bello Trojano maritus interfuit, adulterium commiſit.

397. *Nam quid de tetrico.*] Bellerophontes filius fuit Glauci, vir munere deûm eximii tum roboris, tum decoris. Vide Fab. apud Apollodor. lib. II. & Ovid. Metamorph. lib. IX Vide Homer. Il. 6.



Digitized by Google

Quid loquar Hermionem? quid te, Schœneïa virgo;
Teque, Mycenæo Phœbas amata duci?
Quid Danaën Danaëſque nurum, matremque Lyæi?
Hæmonaque, & noctes quæ coïere duas?
Quid generum Peliæ? quid Theſea? quidve Pelaſgûm
Ilia-

399. *Quid loquar Hermionem?*] Hermionem Menelai, vel (ut alii malunt) Theſei & Helenæ filiam fuiſſe conſtat, quæ Oreſti Agamemnonis filio deſponſata fuit. *Quid te Schœneia virgo.*] Atalantam intelligit Schœnei regis Scyri inſulæ filiam, cujus fabulam habes apud Ovid Metamorph. lib. 10.

400. *Teque Mycenæo.*] Caſſandram deſignat, Priami regis filiam, quam poſt Trojæ excidium Agamemnon Mycenas captivam duxit, captus ejus amore.

401. *Quid Danaen Danaique nurus.*] Filiæ Danai in Tragœdiis notæ, nullæ notæ Danai nurus. Quare repone cum primis editionibus & ſcriptorum multis. *Danaëſque nurum.* Andromeda Perſei uxor, & proinde *Danaës nurus.* Heinſ *Danaëſque nurum.*] Andromedem deſignat. *Matremque Lyæi.*] Scribit Diodor. Junonem zelo & ira motam, ſumpta unius ex Semeles ancillis forma, ad ulciſcendum injuriam, ſuaſiſſe illi, à Jove petere, ut ea majeſtate honoreque concumberet, quibus cum Junone conſueſſet. Cui cum Jupiter annuiſſet, cum tonitru ac fulmine ad Semelen deſcendit: quæ inſolita re territa expirans, abortum fecit: quem Jupiter abſconditum in femur quum tenuiſſet, partus tempore editum, in Nyſam Arabiæ urbem tulit: ubi à nymphis educatus infans, à patre locoque appellatus Dionyſius eſt. Fabulam etiam refert Ovidius lib 3. Metamorph.

402. *Hæmonaque & noctes quæ coiere duas.*] Quidam codices *Alcmenam & noctes* quæ lectio perperam ſuos approbatores invenit. Politianus ex veſtigiis antiqui codicis, in quo *Hermonam*, refingit *Harmoniam.* fruſtra. Vulgata ſcriptura bene ſe habet, cujus argumenti extat etiamnum Sophoclis Antigone. Propertius,

*Quid non Antigones tumulo Bœotius Hæmon*
*Corruit ipſe ſuo ſaucius enſe latus?*

Noſter in Ibide,

*Nec tibi, ſi quid amas, felicius Hæmone cedat.*

Præterea legendum, *noctes cui coiere duas.* Alcmenæ & Jovis amores innuit, quamquam alii tres noctes coiiſſe contendant, unde Hercules Lycophroni τριέσπερος λέων dicitur. *Heinſ. Hæmona.*] Antigone contempto edicto, ne quis Polynicen mortuum ſepeliret, eum, quoniam frater erat, humavit. Deprehenſa, juſſu Creontis regis jugulatur ex lege ad tumulum Polynicis. Hæmon, qui eam impatienter amabat, perfoſſo pectore gladio, ibidem ſibi mortem conſcivit. Eum ſequuta eſt mater Eurydice doloris impatiens. *M.* Ego Poëtam de utraque fabula dicere voluiſſe puto, Hæmonis ſcil. & Alcmenes. niſi quod contra vulgarem traditionem, duas noctes pro tribus in unam coiiſſe dicit. quod tamen & ipſum certo aliquo auctore feciſſe videtur. *Micyl. Hæmona.*]

*Quid? non Antigones tumulo Bœotius Hæmon*
*Corruit, ipſe ſuo ſaucius enſe latus.*
*Et ſua cum miſera commiſcuit oſſa puella,*
*Qua ſine Thebanam noluit ire domum.*

Propert. lib. 2. eleg. 8. Fabulam invenies apud Sophocl. 4.

403. *Quid generum Peliæ.*] Per *generum Peliæ,* Admetum accipe, qui Alceſten Peliæ filiam majorem natu, deſpondente Jaſone, poſt Peliam Medeæ fraude peremptum, duxit uxorem. Deſignat autem hic Ovidius Alceſtidis tragœdiam quam Euripides ſcripſit. *Quid Theſea.*]
Tra-

Digitized by Google

Iliacam tetigit qui rate primus humum?
Huc Iöle, Pyrrhique parens; Huc Herculis uxor,
Huc accedat Hylas, Iliadeſque puer.
Tempore deficiar, tragicos ſi perſequar ignes;
Vixque meus capiat nomina nuda liber.
Eſt & in obſcœnos deflexa Tragœdia riſus,
Multaque præteriti verba pudoris habet.
Nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem,
Infregiſſe ſuis fortia facta modis.
Junxit Ariſtides Mileſia crimina ſecum:
Pulſus Ariſtides nec tamen urbe ſuâ.

Nec

Tragœdiam de Theſeo intellige, qui natus eſt ex Æthra Pitthei filia, ac Neptuno, in Trœzene nutritus penes Pittheum maternum avum: ac ſigna ab Ægeo ſub ſaxo poſita recognoſcens, Athenas venit. Is ut Herculis virtutes imitaretur, ad ea certamina animum adjecit, quæ laudem & gloriam ſibi eſſent allatura, *Quidve Pelaſgum Iliacam.*] Proteſilaum. *Pelaſgum* autem vocat, quia Theſſalus fuit. Pelaſgi autem Theſſaliam à principio tenuêre.

404. *Qui rate primus humum.*] *Pede* nonnulli. *Heinſ.*

405. *Pyrrhique parens.*] Deidamia Pyrrhi mater, Lycomedis Scyrorum regis filia, apud quem Thetis Achillem ſub muliebri habitu celavit: quoniam à Proteo acceperat, illum periturum eſſe in bello Trojano. *Huc Herculis uxor.*] Megaram dicit, quam Creon rex Thebarum, cognita Herculis virtute, illi uxorem dedit urbiſque ei veluti filio curam permiſit.

406. *Huc accedat Hylas.*] Hylas puer fuit, comes Herculis, quem amiſit in Ionia juxta Myſiam, & quum compertum, extinctum eſſe in fonte, inſtituta ſunt ſacra, in quibus ejus nomen clamabatur in fontibus. *Iliacuſque puer.*] Et Ganymedes Trojanus, filius Trois regis, & frater Ili & Aſſaraci.

408. *Vixque meus capiet.*] *Capiat* rectius duo veteres. *Heinſ.*

409. *In obſcænos riſus.*] Tractantur etiam plerunque in tragœdiis res obſcœnæ, quibus rident ſpectatores. *Mer.*

410. *Multaque præteriti verba pudoris habet.*] Multa habet in quibus pudor eſt præteritus, à quibus abeſt verecundia. ut mox infra loco in vulgatis mendoſo,

——*apud quos*
*Rebus abeſt omnis nominibuſque pudor.*

Simili modo locutus eſt Noſter Amor. lib. III. Eleg. I. vſ. 22.

*Dum tua præterito furta pudore refers.*

Quare non poſſum accedere Tanaquillo Fabro in Epiſtolis reponenti, *prætexti pudoris*. Nec felicius illi conjectura ſucceſſit in altero Naſonis loco l. I. Artis Amatoriæ. ubi pro *Præteritum tulerit, reddideritque nihil*, reponi vult, *Nam pretium tulerit, reddideritque nihil.* cum vulgata ſcriptura nihil ſit acutius ac elegantius. *Heinſ. Præteriti pudoris.*] Violati, neglecti pudoris, impudica verba. *Pont.*

413. *Junxit Ariſtides.*] Ariſtides libros quoſdam edidit, qui *Mileſii* appellabantur, de luxuria & deliciis compoſiti. Fuere autem Mileſii deliciis luxuque notabiles. *Junxit ſecum.*] Ingenio ſuo accommodavit. *Mileſia.*] Delicias & laſciviam Mileſiorum. Fuêre enim perquam impudici.

414 *Ariſtides.*] Mileſius poëta fuit, qui Mileſiaca poëmata, & de rebus impu-



Digitized by Google

Nec quid deſcripſit corrumpi ſemina matrum,
  Eubius impuræ conditor hiſtoriæ.
Nec qui compoſuit nuper Sybaritida, fugit:
  Nec quæ concubitus non tacuêre ſuos.
Suntque ea doctorum monumentis miſta virorum,
  Muneribuſque Ducum publica facta patent.
Neve peregrinis tantum defendar ab armis;
  Et Romanus habet multa jocoſa liber.
Utque ſuo Martem cecinit gravis Ennius ore;
  Ennius ingenio maximus, arte rudis;
Explicat ut cauſſas rapidi Lucretius ignis,

Ca-

pudicis ſcripſit, cujus Plutarch. in Craſſo, Lucianus in Amoribus meminerunt. & annotavit de eodem Aug. Politianus Miſcellan. 16. *Mucyll.*

417. *Nec qui compoſuit nuper Sybaritida fugit.* ] Puto legendum *turpem Sybaritida.* Hemitheon cynædus Sybarita turpiſſimum librum ſcripſit de re Venerea apud Lucianum πρὸς ἀπαίδευτον. Idem in Pſeudologiſta Miſthonis Sybaritæ meminit turpiſſimi ſcriptoris. hinc *Sybaritici libelli* apud Martialem lib. XII. Ep. XCVI. *Heinſ. Nec qui compoſuit.* ] De Sybaritidis Politianus annotavit Miſcell. 15. *Sybaritida.* ] Opus Hemitheonis plenum Sybaritanæ laſciviæ. Fuit autem *Sybaris* oppidum Calabriæ, inter Crathim & Sybarim fluvios.

418. *Et qui concubitus non tacuere ſuos.* ] Malim *quæ.* ut Philœnis & Elephantis intelligantur, quarum fœdiſſima ſcripta paſſim circumferebantur. ſic certe codex Hamburgenſis, & tres alii. hinc in Priapeis,

*Quo tot figuras, quot Philænis invenit,*
*Non admovente, prurioſa diſcedit.*

Ita verſus mendoſiſſimi ex veſtigiis librorum veterum ſunt reſtituendi. nam codex vetuſtus Frederici Ubaldini, *quo tot figuras non admovetis.* Philœnis Leucadia, cujus verſus ſpurciſſimi περὶ ποικίλων σχημάτων ἀφροδισίων à Polycrate Sophiſta Athenienſi dicebantur eſſe conſcripti. Teſte Æſchrione in Philœnidis Epicedio apud Athenæum lib. VIII. Huic adjungitur à Xenophonte lib II. Α'πομνημονευμάτων Nico Samia & Calliſtrate Lesbia verſibus itidem obſcœnis infames. citat locum Xenophontis Athenæus lib. V. Quibus omnibus antiquiorem Aſtyanaſſam laudat Heſychius & Suidas Helenæ ancillam. mentio etiam eſt Cyrenes apud antiquos, quam δωδεκαμήχανον dicebant. *Heinſ.*

421. *Ab armis peregrinis* ] Ab externorum ſcriptorum voluminibus.

423. *Utque ſuo Martem.* ] Quemadmodum, inquit, ſunt poëtæ, qui gravia ſcripſere, ut Ennius & Lucretius: ſic quidam laſciva opera edidere, ut Catullus, & alii. *Martem.* ] Prælium & Annales, verſu heroico.

424. *Ennius ingenio maximus.* ] Quoniam poëta ille uſus eſt inventione, & ſententiis egregiis, ſed verbis non multum ornatis.

425. *Explicat ut cauſas rapidi.* ] Hic locus bifariam accipi videtur poſſe. Vel ut ſimpliciter ignem accipiamus materialem, & quo quotidie utimur; vel ut ad fulmen, & ejus cauſas referamus, propter epitheton *Rapidi.* Ac de fulminis cauſis, & unde idem generetur, libro ſexto Lucretius agit. *Mycil.*

426. *Cam-*

Caſurumque triplex vaticinatur opus;
Sic ſua laſcivo cantata eſt ſæpe Catullo
Fœmina, cui falſum Lesbia nomen erat.
Nec contentus eâ, multos vulgavit amores,
In quibus ipſe ſuum faſſus adulterium eſt.
Par fuit exigui ſimiliſque licentia Calvi,
Detexit variis qui ſua furta modis.
Quid referam Ticidæ, quid Memmî carmen, apud quos
Rebus abeſt omnis nominibuſque pudor?
Cinna quoque his comes eſt, Cinnaque procacior Anſer:
Et leve Cornifici, parque Catonis opus.
Et quorum libris modo diſſimulata Perillæ

No-

426. *Canſarumque triplex.* ] *Caſurumque* recte unus Bononienſis. neque aliter Berſmannus. Egimus de hoc loco in Elegia de morte Druſi vſ. 362. *Heinſ.* *Caſurumque triplex vaticinatur opus.* ] Ut carmen hoc intelligatur, Senecam vide in epiſtola poſtrema octavi libri Epiſtolar. ad Lucilium. Diſputat autem eo loco Lucretius, mundum eſſe interiturum: contra eos, qui æternum fore ſenſerunt. Hoc Ovidius vaticinari vocat, veluti prædictionem quandam ejus quod futurum eſſet, facere. *Micyl.*

431. *Par fuit exigui Calvi.* ] Calvus orator diu cum Cicerone iniquiſſimam litem de principatu eloquentiæ habuit, violentus accuſator fuit. Carmina quoque ejus, quamvis jocoſa fuerint, plena tamen fuere ingentis animi. Eum exiguum appellat Ovidius, propterea quod fuit parvæ ſtaturæ.

432. *Sua facta.* ] *Furta* ex tribus ſcriptis. lib. II. Artis,

*Flecte igitur, & monitu datege furta meo.*
Heinſ.

433. *Quid referam Ticida.* ] Ticida poëta ſcripſit elegias de Perilla quam amavit. *Quid Memmi carmen?* ] C. Memmii poëtæ pariter & oratoris meminit Plinius in Epiſtolis, & Tranquillus ſcribens illum objeciſſe C. Cæſari, ſteriſſe ad cyathum & vinum Nicomedi regi. *Mer.*

434. *Rebus adeſt nomen nominibuſque pudor.* ] Nihili hæc ſunt. quare aſſentior Bernardo Rottendorphio viro doctiſſimo, ac de ſtudiis meis egregie merito. qui emendat,

*Rebus abeſt omnis nominibuſque pudor.*
Nihil certius eâ conjecturâ. *Heinſ.*

435. *Cinna quoque his comes eſt.* ] Q. Helvius Cinna poëta fuit, qui ſcripſit Smyrnam, quam decem annis elimavit, ut Servius docet. *Cinnaque procacior Anſer.* ] Anſer poëta fuit Antonii, qui ejus laudes ſcripſit.

436. *Et leve Cornifici* ] Cornificius poëta à militibus deſtitutus interiit, quos ſæpe fugientes galeatos lepores appellarat: hujus ſoror Cornificia inſignia condidit epigrammata. Leve autem opus appellat propter amatoria, quæ in eis continebantur. *Parque Catonis opus.* ] Valerius Cato fuit Birſenni cujuſdam libertus ex Galliæ, qui grammaticen docuit: viſuſque eſt peridoneus præceptor maxime ad poëticam tendentibus. Is ſcripſit præter grammatices libellos etiam poëmata: ex quibus præcipue probata fuit Lydia & Diana: quæ hic Ovidius intelligit.

437. *Et quorum libris nomine nunc legitur dicta.* ] Neque enim de Ticida Ovidius hic nunc intelligit, ſed & illis, qui ſuo ac vero nomine Metellam quæ hactenus ſub Perillæ nomine ſive à Ticida,

Ee 3 ſive

Nomine, nunc legitur dicta, Metelle, tuo.
Is quoque, Phaſiacas Argo qui duxit in undas,
Non potuit Veneris furta tacere ſuæ.
Nec minus Hortenſî, nec ſunt minus improba Servî
Carmina. quis dubitet nomina tanta ſequi?
Vertit Ariſtiden Siſenna: nec obfuit illi
Hiſtoriæ turpes inſeruiſſe jocos.
Nec fuit opprobrio celebraſſe Lycorida Gallo,
Sed linguam nimio non tenuiſſe mero.
Credere juranti durum putat eſſe Tibullus;

Sic

ſive ab alio celata fuerat, celebrarunt, quorum tamen nomina ipſe hic reticet, ſive metri neceſſitate coactus, ſive etiam honoris gratia. *Micyl.*

438. *Nomine nunc legitur dicta, Metelle, tuo.* ] Scribe, *dicta Metella ſuo.* Ticida enim Metellam appellarat Perillam. quod ex Apulejo diſcimus. nunc alios neſcio quos memorat, qui eam ſuo & vero nomine decantarint. Forte hoc diſtichon ſuperiori præponendum. *Heinſ.*

439. *Is quoque Phaſiacas Argon qui duxit in undas, Non potuit.* ] Varronem Attacinum intelligit, qui Leucadiam amavit. Varro etiam ſcripſit Argonautica, Apollonium imitatus: vel potius in Latinum vertit.

441. *Nec minus Hortensi.* ] Hortenſius & Servius Sulpicius, quamvis fuerint optimi oratores, manſuetioribus tamen Muſis operam dedere: Sulpicii etiam meminit Auſonius, cujus poëma prurire dixit propter carminis laſciviam. *Junxit Ariſtides Mileſia crimina ſecum.* ] Mileſiacorum Ariſtidæ ſcripti ſpurciſſimi præter Plutarchum in Craſſo meminit in Parthicis Appianus; Etiam Arrianus in Epictetum lib. IV. cap. IX. (etſi diſſimulato operis nomine) & Harpocration in Δωμιςής. hæc Mileſiaca una cum ſeria hiſtoria, quæ paſſim ab antiquis laudatur, Ariſtides videtur ediſſe. viri docti legunt *Finxit* vel *Panxit Mileſia crimina chartis.* quibus conjecturis non poſſum ſubſcribere. ſunt enim audaciſſimæ. *Heinſ.*

443. *Vertit Ariſtidem Siſenna.* ] *Ariſtiden* meliores. Scribe etiam *Siſena.* ita enim in antiquis numis id nomen exaratum occurrit. *Idem.* *Vertit Ariſtiden Siſenna.* ] L. Siſennam inter oratores enumerat Cicero. Doctus vir erat & ſtudiis optimis deditus, gnarus reipublicæ, non ſine facetiis: Tranſtulit è Græco in Latinum Ariſtidæ libros Mileſios: de quibus antea diximus.

445. *Nec fuit opprobrio.* ] Cornelius Gallus res tenens Romanas, Ægypti procurator, exhauſit civitatem Thebarum, plurimis interceptis: reverſoſque quum furti accuſaretur, metu nobilitatis acriter indignatæ, cui negotium cognoſcendum dederat imperator, ſtricto incubuit ferro, ut docet Ammianus Marcellinus. Servius ſcribit illum Forojulienſem fuiſſe, tranſtuliſſeque in Latinum Euphorionem: & de Citheride Volumnii liberta, & à ſe amata, quam Lycorida appellavit, ſcripſiſſe libros quatuor.

447. *Credere juranti.* ] Quod hic dicit Ovidius, facit Tibullus in elegia ſexta. Dicit enim amicam Deliam ſibi negare cum nullo alio ſe rem habere: quod ille fatetur eſſe incredibile. ita enim inquit: *Illa quidem tam multa negat. ſed credere durum eſt: Sic etiam de me pernegat uſque viro.*

448. *Hos*

Sic etiam de ſe quod neget illa viro.
Fallere cuſtodem demum docuiſſe fatetur;
Seque ſuâ miſerum nunc ait arte premi.
Sæpe velut gemmam dominæ ſignumve probaret;
Per cauſſam meminit ſe tetigiſſe manum.
Utque refert, digitis ſæpe eſt nutuque locutus,
Et tacitam menſæ duxit in orbe notam.
Et quibus è ſuccis abeat de corpore livor,
Impreſſo fieri qui ſolet ore, docet.
Denique ab incauto nimium petit ille marito,
Se quoque uti ſervet; peccet ut illa minus.
Scit cui latretur, cum ſolus obambulat ipſe:
Cur toties clauſas excreet ante fores.
Multaque dat talis furti præcepta: docetque
Qua nuptæ poſſint fallere ab arte viros.
Nec fuit hoc illi fraudi; legiturque Tibullus,

Et

448. *Hoc etiam de ſe.* ] *Hinc* duo veteres. Combianus & tres alii *Hic.* unus *Hac.* Scribe *Sic.* Tibulli illa reſpexit Eleg. VI. lib. I.

*Illa quidem tam multa negat, ſed credere durum eſt:*
*Sic etiam de me pernegat uſque viro.*

Heinſ.

449. *Fallere cuſtodem.* ] Malim *cuſtodes.* Idem Tibull.

*Ipſe miſer docui, quo poſſet ludere pacto*
*Cuſtodes. eheu nunc premor arte mea.*

Idem. *Fallere cuſtodem.* ] Id etiam de ſe ita profitetur Tibullus: *Ipſe miſer docui, quo poſſet ludere pacto Cuſtodes: heu heu nunc premor arte mea.*

451. *Sæpe velut gemmam.* ] Id ita eſſe Tibullus cecinit: *Sæpe velut gemmas ejus ſignumque probarem, Per cauſam memini me tetigiſſe manum.*

453 *Digitis ſæpe eſt nutuque locutus.* ] Tibullus: *Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem Ne trahat, & menſa ducat in orbe notas.*

455. *Et quibus è ſuccis.* ] *Fu is* unus Mediceus. Scribe, *Et quibus is ſuccis.* Tibull.

*Tunc ſuccos herbaſque dedi, queis livor abiret,*
*Quem facit impreſſo mutua dente Venus.* Heinſ.

*Et quibus è ſuccis.* ] Tibullus: *Tunc ſuccos herbaſque dedi, queis livor abiret, Quem facit impreſſo mutua dente Venus.*

457. *Denique ab incauto.* ] Tibullus: *At tu fallacis conjunx incaute puellæ, Me quoque ſervato, peccet ut ipſa nihil. Petit illa marito.* ] Imo *ille* cum uno Vaticano. idem eodem loco Tibullus,

*At tu fallacis conjux incaute puellæ,*
*Me quoque ſervato, peccet ut illa nihil.*

Heinſ.

459. *Scis cui latretur.* ] Tibullus: *Ille ego ſum, nec me jam dicere vera pudebit. Inſtabat tota cui tua nocte canis.* & alibi: *Et ſimulat tranſire domum, mox deinde recurrit Solus, & ante ipſas excreat uſque fores. Ipſe.* ] Ipſe Tibullus, ut ex verſibus ſupra citatis. *Cum ſolus obambulet.* ] *obambulat* rectius multi. & *cur excreet* non *cui.* quomodo Scaliger etiam ad Tibullum. *Heinſ.*



464. Et

Et placet, & jam te Principe notus erat.
Invenies eadem blandi præcepta Propertî:
Diſtrictus minimâ nec tamen ille notâ eſt.
His ego ſucceſſi, quoniam præſtantia candor
Nomina vivorum diſſimulare jubet.
Non timui, fateor, ne, qua tot iêre carinæ,
Naufraga ſervatis omnibus una foret.
Sunt aliis ſcriptæ, quibus alea luditur, artes.
Hæc eſt ad noſtros non leve crimen avos.
Quid valeant tali; quo poſſis plurima jactu
Fingere; damnoſos effugiaſve canes.
Teſſera quot numeros habeat: diſtante vocato
Mittere quo deceat, quo dare miſſa modo.
Diſcolor ut recto graſſetur limite miles,

Cum

464. *Et jam te principe notus erat.* ] Arondelianus pro diverſa lectione *motus*. Puto *natus erat.* quod verum. Natus enim Tibullus eodem anno, quo Noſter; cæſis Mutinenſi bello Hirtio & Panſa conſulibus. qui annus ab urbe condita ſeptingenteſimus decimus; Triumviratu luctuoſus ac funeſtus. Innuit igitur natum Tibullum poſt cæſos jam conſules, quorum in locum ſe ac Pedium cognatum Cæſar fecit ſubrogari, idque Senatu invito, jam tum ad imperium non occulte aſpirans, ut ex Suetonio ſatis apparet. Auctor Dialogi de Oratoribus, *Nam ut de Cicerone ipſo loquar, Hirtio nempe & Panſa Coſſ. ut Tiro libertus ejus ſcripſit*, VII *eid. Decembr. occiſus eſt, quo anno Divus Auguſtus in locum Panſa & Hirtii ſe & Q. Pedium Coſſ. ſuffecit.* quo & Noſter reſpexit, cum Auguſtum jam tum civitatis Principem innuit fuiſſe. *Idem.*

472. *Ad veſtros avos.* ] *Noſtros* repone cum præſtantioribus ſcriptis. *Idem*

473. *Quod valeant tali.* ] Deſcripſere alii poëtæ talorum ludum. Vide Turneb. lib. 27. cap. 3. *Quo jactu.* ] Quo puncto. *Venus* enim in talis victoriam afferebat, ut *Canis* jacturam. *Senio* vero interdum lucroſus, unde à Perſio dexter appellatur: interdum damnoſus, ut deſignat Tranquillus in Auguſto.

474. *Figere.* ] *Fingere* plerique veteres. *Heinſ. Figere.* ] Talos Græci ἀστραγάλους vocant, ipſumque ludum ἀστραγαλίζειν, & ἀστρίζειν. Sunt autem unius tali ſuperficies, ſive facies quatuor: quarum prima, quæ & unitatem ſignificat. κύων, hoc eſt, *Canis*, & χῖος item, dicebatur. Illa autem quæ huic oppoſita atque adverſa erat, ἑξίτης, hoc eſt, Senio, & κῶος item. reliquæ duæ numeris notabantur, ternario puta, & quaternario. nam binarius & quinarius numerus in talis non erant: auctor Pollux lib. 9. *Micyll.*

475. *Teſſera quot habeat numeros, &c.* ] Locus hic obſcurior eſt, & ubi facilius ſit aliorum expoſitiones refellere, quam certum aliquam afferre: propterea quod multo alia ratio ludendi veterum fuit, atque nunc eſt. Primum enim quem *numerum diſtantem* dicemus? niſi eum forte accipiamus, qui ex tribus reliquis diſſimilis ac differens ſit. *Micyl. Quot habeat numeros.* ] *Quot numeros habeat* cum ſcriptis, ne peccetur in leges metri. *Heinſ.*

477. *Diſcolor miles.* ] Calculus tuus diverſi coloris. Nam calculi ſeu latrones

Cum medius gemino calculus hoſte perit.
Ut mage velle ſequi ſciat, & revocare priorem;
Ne tutò fugiens incomitatus eat.
Parva ſed & ternis inſtructa tabella lapillis;
In qua viciſſe eſt, continuaſſe ſuos.
Quique alii luſus (neque enim nunc perſequar omnes)
Perdere rem caram tempora noſtra ſolent.
Ecce canit formas alius jactusque pilarum.
Hic artem nandi præcipit, ille trochi.
Compoſita eſt aliis fucandi cura coloris:
Hic epulis leges hoſpitioque dedit.
Alter humum, de qua fingantur pocula, monſtrat:
Quæ-

nes olim fiebant ex vitro, & in duas partes diverſi coloris diviſi, alii appellantur milites, alii hoſtes, *Graſſetur.* ] Inſidietur hoſti, dum miles deprehenſus obſidetur. *Recto limite.* ] Recta & aperta via, ne videatur graſſari.

478. *Quum medius gemino calculus hoſte perit.* ] Falluntur qui eundem ludum eſſe putant eum de quo hic dicitur, & qui noſtra ætate Scachiæ, & veteris imitatione, latrunculorum vocatur. id quod ex ipſis verbis poëtæ intelligitur, cum inquit, *Cum medius gemino calculus hoſte perit.* & rurſum, *Nec tuto fugiens incomitatus eat.* Micyll.

479. *Ut mage velle ſequi.* ] Locus mendoſus. Libri meliores, *Ut mage velle ſequens*, vel *male.* Combianus *maga.* Heinſ. *Velle ſequi.* ] Velle hoſtem inſequi. *Et revocare priorem.* ] Et revocare præcedentem calculum, ne forte per imprudentiam longius elapſus, ab hoſtibus capiatur.

480. *Nec tuto.* ] *Ne* rectius quidam. *Heinſ.*

481. *Parva ſedet ternis.* ] *Sed internis* prim. Pal. & pri. Vatican. nil muta. ſic apud Juvenalem Sat. prima,

*——ſportula primo*
*Limine parva ſedet.*

& Satyra 11.

*—— ingens Cœna ſedet.*

ſic & alii ſcriptores ex melioribus amant loqui. *Idem.*

485. *Ecce canit formas.* ] Docuere alii etiam formas & genera pilarum, quæ quatuor fuere. Erat pila trigonalis omnium minima, dura, pilo plena. Dicta à Trigone, qui locus erat in thermis, triquetra, id eſt, triangulari figura, quam Græci τρίγωνον vocant, hæc reddebatur tam dextra, quam ſiniſtra manu. Erat præterea pila *Paganica*, à pagis, id eſt, villis dicta, quod pagani ea uterentur; ea laxior erat, & pluma plena. Erat & tertium pilæ genus, quod ex pelle fiebat, & ſpiritu inflabatur, pugno reddi ſolitum, non palma, ut reliquæ pilæ. Erat præterea quartum pilæ genus, quod *Harpaſtum* appellabatur, ſive *Phannida.* Fiebat è panno, aliquando ex pelle, lana, tomentove implebatur. laborioſum erat hoc ludi genus. Vide Mercurial. in arte Gymnaſt. lib. 2. cap. 5. *Mer. Formas, jactuſque pilarum, &c.* ] De pilis, & earum vario luſu, Pollucem vide l. 9. *Micyll.*

487. *Fuſcandi cura coloris.* ] *Fucandi* ex tribus. *Heinſ.*

488. *Hic epulis leges.* ] Inter quos etiam Apicius.

489. *De qua fingantur pocula.* ] Apud Romanos olim eo pervenit luxuria, ut fictilia vaſa eſſent in maximo pretio. Samia maxime laudabantur in eſculentis. Imo eo pervenit luxuria, ut etiam ficti-



Digitized by Google

Quæque docet liquido teſta ſit apta mero.
Talia fumoſi luduntur menſe Decembris;
Quæ damno nulli compoſuiſſe fuit.
His ego deceptus non triſtia carmina feci;
Sed triſtis noſtros pœna ſecuta jocos.
Denique nec video de tot ſcribentibus unum,
Quem ſua perdiderit Muſa: repertus ego.
Quid ſi ſcripſiſſem mimos obſcœna jocantes,
Qui ſemper vetiti crimen amoris habent?
In quibus aſſidue cultus procedit adulter;
Verbaque dat ſtulto callida nupta viro.
Nubilis hos virgo, matronaque, virque, puerque
Spectat: & è magnâ parte Senatus adeſt.
Nec ſatis inceſtis temerari vocibus aures:
Aſſueſcunt oculi multa pudenda pati.
Cumque fefellit amans aliquâ novitate maritum,
Plauditur; & magno palma favore datur.
Quoque minus prodeſt, pœna eſt lucroſa poëtæ:

Tan-

fictilia pluris conſtarent quam Murrbina.

491. *Talia luduntur.* ] Talia vaſa celebrantur à poëtis Saturnalibus Decembri menſe. *Fumoſo Decembri.* ] Id eſt, Saturnalibus, quæ celebrabantur Decembri menſe. *Fumoſum* propter ignem, qui eo menſe maxime fieri ſolet ad frigus diſſolvendum. *Mer.* *Talia luduntur.* ] Talia intellige carmina, ſive poëmata, ut ſit dictum: Talia per luſum componuntur eo menſe, quando Saturnalia aguntur, quibus diebus ſumma rerum licentia eſt. *Micyll.* *Fumoſo menſe Decembri.* ] Duo *Decembris.* Lege *fumoſi Decembris* cum Barberiniano. ut monui lib. II. Eleg. X. vſ. 3. *Heinſ.*

492. *Quæ jam non ulli compoſuiſſe nocet.* ] *Damno fuit* ex melioribus. *Idem.*

495. *Denique non video tot de.* ] *Nec video de tot* meliores. unus etiam Bononienſis *prodiderit* proximo verſu. *Idem.*

497. *Quid ſi ſcripſiſſem mimos.* ] Mimi erant poëmata ſine reverentia laſciviam imitantia, quæ à mimographis, id eſt, ſcriptoribus mimorum ludis ad comœdiæ formam compoſita in ſcenis agebantur.

498. *Juncti crimen amoris habent.* ] *Vetiti amoris* multi veterum. hoc eſt adulterii. ſic *vetiti Hymenæi*, & ſimilia. poteſt tamen & alterum ferri. ut Triſt. IV. Eleg. I.

*Cum mecum juncti criminis acta rea eſt.* doctiſſimus Tanaquillus Faber Epiſt. III. *ficti amoris* conjiciebat. *Heinſ.*

499. *Cultus procedit adulter.* ] Lege *cantus*; vel *multus adulter* ſequenti etiam verſu pro *ſtulto viro* malim *tuſe.* quod tamen timide affirmo. *Idem.*

501. *Nubilis hac virgo.* ] *Hos* ex tribus ſcriptis. hoc eſt mimos. & mox *è magna parte* pro *ex* totidem. *Idem.*

507. *Quodque minus prodeſt pœna eſt lucroſa poëta.* ] *Quoque* quatuor. duo *Quaque. plena* etiam pro *pœna* Junianus. & pro *minus* unus Mediceus *mimus.* Scribo,

Quæ

Tantaque non parvo crimina Prætor emit.
Inſpice ludorum ſumtus, Auguſte, tuorum:
Emta tibi magno talia multa leges.
Hæc tu ſpectaſti, ſpectandaque ſæpe dediſti.
Majeſtas adeò comis ubique tua eſt.
Luminibuſque tuis, totus quibus utimur orbis,
Scenica vidiſti lentus adulteria.
Scribere ſi fas eſt imitantes turpia mimos;
Materiæ minor eſt debita pœna meæ.
An genus hoc ſcripti faciunt ſua pulpita tutum;
Quodque libet, mimis ſcena licere dedit?
Et mea ſunt populo ſaltata poëmata ſæpe:
Sæpe oculos etiam detinuêre tuos.
Scilicet in domibus veſtris ut priſca virorum
Artifici fulgent corpora picta manu;

Sic

*Quæ mimis prodeſt, ſcena eſt lucroſa poëta.*

vel,

*Nec minus & prodeſt, ſcena, & lucroſa poëta eſt.*

*Nec minus* ſubintellige, quam ipſis mimis. Tanaquillus Faber Epiſtola xxxviii.

*Quæque mihi pœna eſt, fraus eſt lucroſa poëta.*

quæ longius abeunt à veteri ſcriptura. *Idem.*

508. *Prætor emit.*] Prætores enim, ſeu Ædiles ludos faciebant, & à poëtis fabulas emebant, quas ludorum die recitari jubebant. unde legimus Andriam Terentii actam ludis Megalenſibus. Aliam ludis funebribus.

513. *Totus quibus utitur orbis.*] *Utimur* Gottorphianus. vide Notas Met. v. vſ. 342. *Heinſ.*

514. *Scenica ſpectaſti lætus adulteria.*] Rectius omnino *lentus* ſex meliores. vide Notas Epiſt. xix. vſ. 81. apud Horatium lib. 1. Epiſt. 1. *lentus ſpectator ſpectatori ſedulo* opponitur,

*Exanimat lentus ſpectator, ſedulus inflat.*

Silius lib. xii. de Hannibale Romam obſidente,

*Nunc aditus luſtrat, clauſas nunc cuſpide pulſat*
*Infeſta portas, fruiturque timore paventum.*
*Nunc lentus celſis aſtans in collibus intrat*
*Urbem oculis.*

ita vetuſti codices. Tibullus libro iv. Eleg. xi.

*Nam mihi quid proſit morbos evincere, ſi tu*
*Noſtra potes lento pectore ferre mala.*

ubi *læto* ante Scaligerum mala legebatur. initio ejuſdem epigrammatis ſcribendum in Tibullo,

*Eſtne tibi, Cerinthe, tua pia cura puellæ,*
*Dum mea nunc vexat corpora feſſa calor.*

ubi *placituræ puellæ, Qui mea nunc vexat.* perperam legitur. Eſtne tibi de me cura, inquit, dum febricito? *Idem.*

517. *Sua pulpita.*] Quæ erant ante ſcenam, ubi ludicra exercebantur. Vide Philandrum in Vitruvium libro 5. cap. 6.

518. *Quodque licet mimis.*] *Libet* recte multi veteres. *Heinſ.*

523. Sic

Sic quæ concubitus varios Veneriſque figuras
Exprimat, eſt aliquo parva tabella loco.
Utque ſedet vultu faſſus Telamonius iram,
Inque oculis facinus barbara mater habet:
Sic madidos ſiccat digitis Venus uda capillos:
Et modo maternis tecta videtur aquis.
Bella ſonant alii telis inſtructa cruentis:
Parſque tui generis, pars tua facta canunt.
Invida me ſpatio Natura coërcuit arcto,
Ingenio vires exiguaſque dedit.
Et tamen ille tuæ felix Æneïdos auctor,
Contulit in Tyrios arma virumque toros:
Nec legitur pars ulla magis de corpore toto,
Quam non legitimo fœdere junctus amor.
Phyllidis hic idem teneroſque Amaryllidis ignes
Bucolicis juvenis luſerat ante modis.
Nos quoque jam pridem ſcripto peccavimus uno.
Supplicium patitur non nova culpa novum.
Carminaque edideram, cum te delicta notantem

Præ-

523. *Sic quæ concubitus, &c.*] Obſcure hic deſignat Ovidius, quod Tranquillus apertius denotat in Tiberio his verbis: *Cubicula plurifariam diſpoſita tabellis ac ſigillis laſcivisſimarum picturarum ac figurarum adornavit, &c.*

525. *Utque ſedet vultu.*] Ajacem & Medeam Timomachi innuit, maximo pretio ab Auguſto redemtos. de quibus Plinius lib. XXXV. Medea Timomachi laudatur Auſonio, & Plutarcho, etiam in Anthologia Græca. *Heinſ. Utque ſedet vultu*] Tabulas Ajacis & Medeæ intelligit, à Cæſare ante ædem Veneris Genitricis dicatas, ut eſt auctor Plinius.

527. *Sic madidos digitis.*] Venerem deſignat ab Apelle pictam, de qua ita Plinius ſcribit: Venerem exeuntem è mari Divus Auguſtus dicavit in delubro patris Cæſaris, quæ *Anadyomene* vocatur. Conſenuit hæc tabula carie, aliamque pro ea Nero in principatu ſuo ſubſtituit Dorothei manu. Apelles inchoaverat illam Venerem Cois, ſuperaturus etiam illam priorem. Invidit mors peracta parte: nec qui ſuccederet operi ad præſcripta lineamenta, inventus eſt.

530. *Pars tua facta canit.*] *Canunt* rectius quidam. *Heinſ. Tui generis.*] Lucii, Caji, Tiberii, Druſi, Germanici, & aliorum.

535. *Nec legitur pars ulla magis.*] Quartum Æneïdos dicit: qui propter carminis laſciviam & affectus plurimum delectat, & magis, quam cæteri, legitur. *De corpore toto.*] De toto opere.

537. *Teneraque Amaryllidis ignes.*] *Teneroſque* libri meliores. & *Amaryllidos.* Heinſ.

539. *Scripto peccavimus iſto.*] *Uno* tres veteres. Bucolica enim Ovidius non ſcripſit. *Idem.*

542. Irro-

Præterii toties jure quietus eques.
Ergo, quæ juveni mihi non nocitura putavi
Scripta parum prudens, nunc nocuêre ſeni?
Sera redundavit veteris vindicta libelli;
Diſtat & à meriti tempore pœna ſui.
Ne tamen omne meum credas opus eſſe remiſſum;
Sæpe dedi noſtræ grandia vela rati.
Sex ego Faſtorum ſcripſi totidemque libellos;
Cumque ſuo finem menſe volumen habet.
Idque tuo nuper ſcriptum ſub nomine, Cæſar,
Et tibi ſacratum ſors mea rupit opus.
Et dedimus tragicis ſcriptum regale cothurnis:
Quæque gravis debet verba cothurnus habet.
Dictaque ſunt nobis, quamvis manus ultima cœpto
Defuit, in facies corpora verſa novas.
Atque utinam revoces animum pauliſper ab irâ,
Et vacuo jubeas hinc tibi pauca legi!
Pauca, quibus primâ ſurgens ab origine mundi,
In tua deduxi tempora, Cæſar, opus:
Aſpicias, quantum dederis mihi pectoris ipſe;
Quoque favore animi teque tuoſque canam.
Non ego mordaci deſtrinxi carmine quemquam;
Nec meus ullius crimina verſus habet.
Candidus à ſalibus ſuffuſis felle refugi:

Nulla

542. *Irrequietus eques.*] *Ille quietus* emendatum Lipſio de Militiâ Romanâ lib. 1. cap. v. ſed repone *jure quietus* ex tribus antiquis. Multi alii *inrequietus.* proxime verum. *Idem.*

546. *Diſtat & à meriti tempore pœna ſui.*] In multis *admiſſi ſui.* Idem.

547. *Eſſe remiſſum.*] Eſſe abjectum, humile, & laſcivum, vel *remiſſum*, idem quod ſolutum.

551. *Idque tuo nuper.*] Ovidius relegatus in Pontum, Faſtorum libros, pleriſque additis ac mutatis, Germanico Druſi privigni Auguſti filio inſcripſit, ut ejus precibus ab Auguſto reditum impetraret: quum eos antea Auguſto dicaſſet, ut ex hoc carmine percipi poteſt.

553. *Et dedimus tragicis, &c.*] Tragœdiam Medeam dicit, oſtendere videtur, quantumvis ille præſtare potuerit, ſi ingenio ſuo temperare, quam indulgere maluiſſet.

561. *Aſpiceres quantum dederis.*] *Aſpicies* multi. Unus *Aſpicias.* recte. *Heinſ.*

565. *Candidus à ſalibus ſuffuſis felle refugi.*] Locus hic non videtur ſanus. *ſuffuſos* multi. *à nimio ſuffuſos felle* tres veteres. Hamburgenſis *à mimo ſuffuſos felle.*

ſed

Nulla venenato littera miſta joco eſt.
Inter tot populi, tot ſcripti millia noſtri,
Quem mea Calliope læſerit, unus ego.
Non igitur noſtris ullum gaudere Quiritem
Auguror, at multos indoluiſſe, malis.
Nec mihi credibile eſt quenquam inſultaſſe jacenti;
Gratia candori ſi qua relata meo eſt.
His precor, atque aliis poſſint tua numina flecti,
O Pater, ô Patriæ cura ſaluſque tuæ.
Non ut in Auſoniam redeam, niſi forſitan olim,
Cum longo pœnæ tempore victus eris.
Tutius exſilium pauloque quietius oro:
Ut par delicto ſit mea pœna ſuo.

ſed apud Auſonium Carm. IV. in Rhetoras habet *Salibus modeſtus felle nullo perlitis.* ita enim ex veteri libro ſcribendum. ſequenti verſu pro *littera miſta*, quidam vetuſti *vincta*, vel *juncta*. Forte *tincta*. Idem.

566. *Venenato joco.* ] Mordaci joco.

567. *Tot ſcripti millia noſtri.* ] Tanaquillus Faber epiſtola XXXVIII. volebat corrigi,

—— *tot ſcriptis, millia, noſtris.*

Heinſ.

568. *Unus ero.* ] *Unus ego* quinque veteres. ſic ante,

*Quem ſua perdiderit Muſa, repertus ego.*

Totus locus non inconcinne ſic conſtituetur,

*Inter enim populi tot ſcriptis millia noſtris*
*Quem mea Calliope læſerit, unus ego.*

inter populi enim tot millia, quem læſerit ſcriptis noſtris mea Calliope, unus ego ſum. *Idem.*

571. *Quenquam inſultare jacenti.* ] *Inſultaſſe* meliores. *Idem.* *Inſultare jacenti.* ] Οὐχ' ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι. Homer. Odyſſ. χ. vſ. 412.

576. *Eris victus.* Eris placatus.

P. OVI-

Digitized by Google

# P. OVIDII NASONIS
# TRISTIUM
## LIBER III.

### ARGUMENTUM.

Miſſus in hanc venio.] *Librum Romam mittit Poëta incultum quidem, & ſordidum: induciique illum errare per varia urbis loca, precarique Auguſtum, ut patri exuli & poëta det veniam. Sed cum nuſquam recipi ſe videat, rogat manus plebejas, ut eum illa ſaltem accipiant, ut habeat ubi poſſit divertere.*

### ELEGIA I.

MIſſus in hanc venio timidi liber exſulis urbem.
Da placidam feſſo, lector amice, manum:
Neve reformida, ne ſim tibi forte pudori.
Nullus in hac chartâ verſus amare docet.
Nec domini fortuna mei eſt, ut debeat illam
Infelix ullis diſſimulare jocis.
Id quoque, quod viridi quondam male luſit in ævo,
Heu nimium ſerò damnat & odit opus.
Inſpice quid portem: nihil hic niſi triſte videbis;
Carmine temporibus conveniente ſuis.
Clauda quod alterno ſubſidunt carmina verſu,
Vel pedis hoc ratio, vel via longa facit.
Quod neque ſum cedro flavus, nec pumice lævis;
Erubui domino cultior eſſe meo.
Littera ſuffuſas quod habet maculoſa lituras;
Læſit opus lacrymis ipſe poëta ſuum.
Si qua videbuntur caſu non dicta Latinè;
In qua ſcribebat, barbara terra fuit.

Di-

VEnio *timide liber exulis.*] Alii *timidus.* malim *timidi exulis.* ſic infra, *res timida eſt omnis miſer.* Heinſ.

11. *Clauda quod, &c.*] Feſtive elegiacum, quo utitur, *claudicare* ait; & culpam vel in pedem, qui deſit: vel in longitudinem perambulati itineris confert. *Pont.*

18. *In qua ſcribebat.*] *Scribebam* Strozæ. Lege *ſcribebar.* atque ita Zulichemianus. *Heinſ.*

23. Quod

Dicite, lectores, ſi non grave qua ſit eundum;
  Quaſque petam ſedes hoſpes in Urbe liber.
Hæc ubi ſum linguâ furtim titubante locutus;
  Qui mihi monſtraret vix fuit unus iter.
Dî tibi dent, noſtro quod non tribuêre parenti,
  Molliter in patriâ vivere poſſe tuâ.
Duc age: namque ſequor. quamvis terraque marique
  Longinquo referam laſſus ab orbe pedem.
Paruit; & ducens, Hæc ſunt Fora Cæſaris, inquit:
  Hæc eſt à Sacris quæ via nomen habet.
Hîc locus eſt Veſtæ; qui Pallada ſervat & ignem:
  Hîc fuit antiqui regia parva Numæ.
Inde petens dextram, Porta eſt, ait, iſta Palatî:
  Hic Stator: hoc primum condita Roma loco eſt.

Sin-

23. *Quod non tribuere poëta.* ] *Parenti* ſtres pro diverſa lectione. ſic infra hac ipſa Elegia,

*——noſtro placata parenti*
*Iſdem ſub dominis aſpiciare domus.*

& mox,

*Quærebam fratres: exceptis ſcilicet illis,*
*Quos ſuus optaret non genuiſſe parens.*

Ita ſcripti. hinc & libros ſuos paſſim *natorum* nomine donat. ſupra l. I. El. I. ad librum,

*——ſi qua eſt tibi cura parentis.*

Pont. IV. Eleg. V.

*Quilque parens ego veſter agam.*

ſic & Amatoriæ Artis libros OEdipodas & Telegonos, hoc eſt parricidas, appellat ſupra lib. I. El. I. *Idem.*

25. *Duc age: namque ſequar.* ] Unus *ſequor.* Putó *jamque ſequor.* ut apud Comicos, *I præ: ſequor. Idem.*

26. *Ab orbe longinquo.* ] E Scythia.

28. *Hac eſt à ſacris.* ] Vitam ſacram deſignat, foro Auguſti, qui in Capitolio habitabat, vicinam: dictam, quod per eam ab arce, id eſt, à Capitolio, ad augures ſacra ferebantur. vel quod in ea fœdus ictum ſit inter Romulum & Tacitum.

29. *Hic locus eſt Veſtæ.* ] Veſtæ templum rotundum, in quo ſervabatur Palladium, cum igne perpetuo, qui à Virginibus Veſtalibus ſervabatur. Et hoc multi putant à Romulo prius erectum. Dionyſius tamen lib. 2. ſcribit, id à Numa ædificatum in foro exiſtente in medio Capitolii & Palatii loco, idque anno urbis quadrageſimo, ut in Faſtis docet Ovidius. Atrium autem Veſtæ fuit Numæ regia, vel potius pars regiæ.

30. *Hac fuit.* ] *Hic* ſcripti. *Heinſ.*

31. *Porta eſt, ait, iſta Palati.* ] Ea porta prius *Saturnia*, dein *Pandana* appellata fuit, affirmant Varro & Solinus.

32. *Hic Sator.* ] Scribe *Stator.* Jovis Statoris ædem intelligit. ita Combii codex. neque aliter Politianus in ora ſui exemplaris, & Gronovius Obſervat. lib IV. cap. XV. *Heinſ. Hoc primum condita Roma loco eſt.* ] Nam Pelaſgi Arcades ex urbe Pallantio exeuntes, duce profectionis Evandro, in uno ex ſeptem collibus ſedes poſuere, qui in medio ferme eſt Romæ, *Pallanteum* vocantes eum locum, à patria ſua in Arcadia. *Hoc primum condita Roma loco.* ]

*Arcades hi ſoris, genus à Pallante profectum,*
*Qui regem Evandrum comites, qui ſigna ſecuti,*

Dele-

Singula dum miror; video fulgentibus armis
Conſpicuos poſtes, tectaque digna Deo.
Et, Jovis hæc, dixi domus eſt. quod ut eſſe putarem,
Augurium menti querna corona dabat.
Cujus ut accepi dominum, Non fallimur, inquam:
Et magni verum eſt hanc Jovis eſſe domum.
Cur tamen appoſitâ velatur janua lauro;
Cingit & auguſtas arbor opaca fores?
Num quia perpetuos meruit domus iſta triumphos?
An quia Leucadio ſemper amata Deo?
Ipſane quod feſta eſt, an quod facit omnia feſta?
Quam tribuit terris, Pacis an iſta nota eſt?
Utque viret ſemper laurus, nec fronde caducâ
Carpitur; æternum ſic habet illa decus?

Cau-

*Delegere locum, & poſuere in montibus urbem,*
*Pallantis proavi de nomine Pallanteum.*
Virg. 8.
non longè à principio. ubi veram Pallantei originem & cauſam vides.

33. *Video fulgentibus armis, &c.*] Hic ædes Auguſti in Palatio factas laudat Ovidius, quas etiam in ſeptimo Maro deſcribit, eaſque in Laurolavinio vult fuiſſe; ut Servius docet. *Mer. Fulgentibus armis.*] Solebant enim poſtes, portas, & veſtibula ædium, atria quoque ſpoliis & armis, quæ hoſtibus ademiſſent, exornare, clypeis, galeis, &c. Nec aut conſumpta refici, aut facta redintegrari mos erat. Præterea ædibus abalienatis non licebat ea emptori refigere. *Pont.*

35. *Jovis eſt.*] Eſt Auguſti.

37. *Cujus ut accepi dominum.*] *Numen* opt. Pal. *Heinſ.*

39. *Oppoſitâ lauro.*] *Appoſitâ lauro* plerique veteres. recte. ut monui ad Epiſt. VII. vſ. 100. Sequenti verſu *Auguſtas fores* agnoſcunt etiam multi ex antiquis non *comas*. & hoc probe. neque aliter ex ſuis Naugerius & Ciofanus. pro *arbor opaca* tres *querna corona*, ut Faſt. lib. 1. ad Germanicum,

*Protegat & veſtras querna corona fores.*
Idem. *Velatur janua lauro.*] Laurus ante Cæſaris januam erat: de qua ita Plinius lib. 15. cap. ult. *Laurus triumphis proprie dicatur, vel gratiſſima domibus janitrix Cæſarum, Pontificumque, quæ ſola & domos exornat, & ante limina excubat.*

41. *An quia.*] *Num* meliores. *Heinſ.*

42. *Leucadio deo*] Deo Apollini. Amat Apollo laurum propter Daphnen in eam commutatam. Auguſtus enim in ore ſinus Ambracii, Actium cum nobili templo Apollinis condidit, haud longè à Leucate promontorio, à quo deus *Leucadius* dictus eſt: ſeu à Leucadia peninſula, quæ olim *Neritos* appellata, haud longe dicitur ſita, auctore Plinio.

43. *Ipſane quod feſta eſt.*] Feſtam laurum appellat, quoniam Romanis ea lætitiæ victoriarumque nuntia fuit: facitque omnia feſta & læta, omniumque mentes laurus exhilarat. deponebaturque etiam in gremio Jovis optimi maximi, quoties lætitiam victoria novam attuliſſet. *Pacis an iſta nota eſt.*] Paciferam laurum fuiſſe, docet Plinius his verbis: *Ipſa pacifera, ut quam prætendi etiam inter armatos hoſtes, quietis ſit indicium.*



47. *Cau-*

Cauſa ſuperpoſitæ ſcripto teſtata coronæ
  Servatos cives indicat hujus ope.
Adjice ſervatis unum, Pater optime, civem;
  Qui procul extremo pulſus in orbe jacet.
In quo pœnarum, quas ſe meruiſſe fatetur,
  Non facinus cauſam, ſed ſuus error habet.
Me miſerum, vereorque locum, venerorque potentem,
  Et quatitur trepido littera noſtra metu.
Aſpicis exſangui chartam pallere colore?
  Aſpicis alternos intremuiſſe pedes?
Quandocunque, precor, noſtro placata parenti
  Iſdem ſub dominis aſpiciare domus.
Inde tenore pari gradibus ſublimia celſis
  Ducor ad intonſi candida templa Dei.

Signa

47. *Cauſaque ſuppoſita.* ] Superior pars januæ, frondibus lauri ornabatur, cui ſubjecta erat corona querna, quæ ei dabatur, qui civem ſervaſſet, & *civica* dicebatur. Hinc civicæ coronæ militum, virtutis inſigne clariſſimum. Illud notandum, civicam coronam ilignam primo fuiſſe. poſtea magis placuit ex eſculo Jovi ſacra. Leges autem ejus, qui civica corona donabatur, legito apud Plin. libro decimoſexto, cap. 4. *Scripto teſtata.*] Perperam *teſtante* plurimi ex ſcriptis. Pont. IV. Eleg. VI.

*Vincitur Ægypſos, teſtataque tempus in omne*
*Sunt tua, Veſtalis, carmine facta meo.*

ſic & *comitata* paſſive paſſim apud Noſtrum. *Heinſ.*

50. *Pulſus in orbe latet.* ] *Jacet* cum primo Politiani & ſex aliis. infra El. III.

*Quid mihi nunc animi dira regione jacenti?* &,
*Laſſus in extremis jaceo populiſque locisque.*

Pont. lib. I. Eleg. III.

*Orbis in extremi jaceo deſertus arenis.*

Eleg. VII.

*Ecquis in extremo poſitus jacet orbe tuorum?*

lib. I. Eleg. VIII.

*Deque tot expulſis ſum miles in exſule ſolus:*
*Tuta (nec invideo) cetera turba jacet.*

ita vere codices antiqui. & lib. II. Pont. Eleg. IX. initio, & lib. III. Eleg. I.

*Ut minus infecta jaceam tellure labora.*

atque ita paſſim Noſter. *Idem.*

53. *Vereorque locum, vereorque potentem.* ] *Parentem* unus Vatic. alius *parentes.* an *penates?* unus etiam *venerorque potentem.* Idem.

54. *Trepido metu.* ] *Rapido* plerique. unus *pavido.* Idem.

59. *Inde timore pari.* ] *Tenore* maxima ſcriptorum pars. Pont. libro I. Eleg. XI.

*Et peragit ſoliti vena tenoris iter.*

Epiſtola Didus,

*—— vitaque noviſſima noſtra*
*Proſequitur fati, qui fuit ante, tenor.*

*tenor vitæ* epiſtola Helenæ,

*Dumque tenor vitæ ſit ſine labe meæ.*

Idem. *Pari tenore.* ] Pari ordine, quo per Urbem hactenus inceſſi.

60. *Intonſi dei.* ] Apollinis Capitolini. *Mer. Candida* ] Propter marmor, quo tecta & ornata erant: vel propter elegantiorem ſtructuram. *Pont.*

61. *Ubi*

Digitized by Google

Signa peregrinis ubi ſunt alterna columnis
Belides, & ſtricto barbarus enſe pater:
Quæque viri docto veteres cepêre novique
Pectore, lecturis inſpicienda patent.
Quærebam fratres, exceptis ſcilicet illis,
Quos ſuus optaret non genuiſſe parens.
Quærentem fruſtra cuſtos me ſedibus illis
Præpoſitus ſancto juſſit abire loco.
Altera templa peto vicino juncta theatro:
Hæc quoque erant pedibus non adeunda meis.
Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis,
Atria Libertas tangere paſſa ſua eſt.
In genus auctoris miſeri fortuna redundat;

Et

61. *Ubi ſunt.*] Maſim *ubi ſtant.* niſi ſequenti verſu cum priſcis editionibus & ſcriptis nonnullis reponis pro *barbarus, ſtat ferus.* ut lib. 1. Art. Am.

*Quaque parare necem miſeris patruelibus auſa*
*Belides, & ſtricto ſtat ferus enſe pater.*

Heinſ.

62. *Stricto barbarus enſe pater.*]

*potuitne ultricia Grajis*
*Virginibus dare tela pater lætuſque dolorum*
*Sanguine ſecuros juvenum perfundere ſomnos.*

Statius lib. 5. Thebaid. Hinc Æſchyl. in Prometh.

*Τοιάδ᾽ ἐπ᾽ ἐχθροὺς τοὺς ἐμοὺς ἔλθοι κύπρις.*

*—— Pater —— Collaudat ipſe, foribus excubans, nefas,*
*Et luſtrat enſes.*

63. *Quæque viri docto.*] Bibliothecam intelligit, quam Auguſtus ædificavit in parte domus Palatinæ. *Veteres fecere novique Pectore.*] *Cepere* antiqui fere omnes. Avienus Prognoſticis, *cape ſollers ſingula mente.* hinc *capax animus.* & *concipere mente.* quod paſſim apud ſcriptores occurrit. Veram lectionem jam vidit ſagaciſſimus Gronovius Obſervat. l. 11. cap. 111. qui illic conſulatur. *Heinſ.*

65. *Quærebam fratres.*] Quærebam in eadem bibliotheca cæteros libros ab Ovidio compoſitos; tanquam fratres meos ab ipſo genitos.

66. *Non genuiſſe pater.*] *Parens* in melioribus ſcriptis & priſcis editionibus. malim etiam *optarit.* nam *optarat* eſt in quibuſdam. *Heinſ.*

67. *Cuſtos è ſedibus illis.*] *De ſedibus* nonnullis. Scribe *me ſedibus.* Idem.

68. *Sancto loco.*] Quia quaſi quoddam templum ſapientiæ, quia nihil ſanctius ac venerabilius. *Pont.*

69. *Altera templa peto.*] Sunt qui hic de templo Magnæ matris intelligant. Plerique de templo Veſtæ: Magis placet, propter ſequens carmen, Libertatis atrium intelligas, quod ab Aſinio Pollione erectum eſt. *Vicino theatro.*] Theatro Marcelli, aut Cornelii Balbi, propinquo. *Mer.* *Altera templa peto.*] Quid ſi de templo, ſive æde Herculis Muſarum intelligamus, quem *Muſagetem* Græco nomine vocarunt? cujus auctor extitit Martius Philippus, ut Sueton. tradit. Berſman. vult eſſe Veneris Victricis templum vicinum Pompeji theatro. Vel, ut alii, Marcelli. *Micyl.*

73. *In genus auctoris miſeri.*] In libros filios infœlicis Ovidii.

 74. Et

Digitized by Google

Et patimur nati, quam tulit ipſe, fugam.
Forſitan & nobis olim minus aſper, & illi
Evictus longo tempore Cæſar erit.
Dî, precor, atque adeo, (neque enim mihi turba roganda eſt)
Cæſar, ades voto, maxime Dive, meo.
Interea, ſtatio quoniam mihi publica clauſa eſt;
Privato liceat delituiſſe loco.
Vos quoque, ſi fas eſt, confuſa pudore repulſæ
Sumite plebeiæ carmina noſtra manus.

74. *Et patimur fugam.* ] Et nos libri Ovidii fugamur.

75. *Et illi.* ] Et Ovidio.

77. *Neque enim mihi turba roganda eſt.* ] Malim *roganda es.* Deos enim alloquitur. *Heinſ.*

## ELEGIA II.

### ARGUMENTUM.

Ergo erat in fatis. ] *In hac elegia, quam plerique perperam jungunt cum ſuperiore, queritur Poëta quod fata eum in Scythiam compulerint: nec ſacerdoti ſuo opem tulerint aut Apollo, aut Pierides. Deinde dicit, ſe in Scythia in aſſiduo fletu & mœrore degere. Poſtremo deos precatur, ut tandem ei mori liceat.*

ERgo erat in fatis Scythiam quoque viſere noſtris,
Quæque Lycaonio terra ſub axe jacet?
Nec vos, Pierides, nec ſtirps Latoïa, veſtro

Do-

2. SUb axe Lycaonio. ] Sub Septentrionali plaga, ſic appellata à Calliſto Lycaonis filia, quæ in majorem urſam mutata, *Lycaonia* à poëtis nominatur.

3. *Nec ſtirps Latonia.* ] *Latoïa* quatuor veteres. Junianus *Latoïca* Met. VIII.

*In quibus auratam proles Latoïa fertur*
*Depoſuiſſe lyram.*

Ita meliores ſcripti. & poſtea,

*Ipſa ſuis licet hunc Latoïa protegat armis.*

lib. XI.

*Laomedonteis Latoïus adſtitit arvis.*

lib. VII.

*Inde Calaurea Latoïdos aſpicit arva.*

Triſt. V. Eleg I.

*Cum faceret Nioben orbam Latoïa proles.*

ut ſcribendum eſſe cenſeo. hinc & *Latous* pro *Latonius* paſſim apud poëtas Apollo. codices tamen vetuſtiſſimi libro VII. & VIII. *Letoïdos* & *proles Letoïa.* ſic apud Græcos λητοῖος, λατοῖος, Æolice. in verſibus Varronis λατὼ pro λητώ. apud Auſonium Epitaph. heroum XXVII. in veterrimo codice Voſſiano *Laſi numina Laëtoidum.* apud Horatium libro I. Od XXXI.

*Frui paratis & valido mihi,*
*Letoë, dones.*

ita antiquiſſimæ membranæ in bibliotheca Academiæ Leidenſis. *Heinſ. Stirps Latonia* ] Apollo Latonæ & Jovis filius; Muſarum dux & præſes, μουσηγέτης. Poëtarum deus.

4. *Sa-*

Docta ſacerdoti turba tuliſtis opem?
Nec mihi, quod luſi vero ſine crimine, prodeſt;
Quodque magis vitâ Muſa jocoſa mea eſt;
Plurima ſed pelago terrâque pericula paſſum
Uſtus ab aſſiduo frigore Pontus habet.
Quique fugax rerum, ſecuraque in otia natus,
Mollis & impatiens ante laboris eram;
Ultima nunc patior. nec me mare portubus orbum
Perdere, diverſæ nec potuêre viæ.
Suffecitque malis animus. nam corpus ab illo
Accepit vires; vixque ferenda tulit.
Dum tamen & terris dubius jactabar & undis;
Fallebat curas ægraque corda labor.
Ut via finita eſt, & opus requievit eundi;
Et pœnæ tellus eſt mihi tacta meæ;
Nil niſi flere libet. nec noſtro parcior imber
Lumine, de vernâ quàm nive manat aqua.
Roma domuſque ſubit, deſideriumque locorum,
Quidquid & amiſſâ reſtat in Urbe mei.
Hei mihi, quod noſtri toties pulſata ſepulcri
Janua, ſed nullo tempore aperta fuit!
Cur ego tot gladios fugi, totieſque minata
Obruit infelix nulla procella caput?
Dî, quos experior nimium conſtanter iniquos,

Par-

4. *Sacerdoti.*] Ovidio. Sunt enim poëtæ Apollinis & Muſarum ſacerdotes.

8. *Pontus.*] Pontus Euxinus, cui adjacet Tomitana ora. *Mer.*

9. *Quique fugax rerum.*] Qui forum & lites vitabam. *Pont.*

12 *Diverſa via.*] Maris & terræ, in quibus utriſque dura paſſus eſt citra mortem. *Idem.*

14. *Suffecitque malis.*] Hoc eſt, induruit. *Mer.*

15. *Ventis dubius jactabar & undis.*] *Terris dubius* veteres plerique. ſic lib. IV. Eleg. VIII.

*Non ita Dis viſum, qui me terraque*
*marique*
*Actum Sarmaticis expoſuere locis.*
Heinſ.

18. *Et tellus mea pœna.*] Et terra me exilii Deſignat autem Tomon.

19. *Nil niſi flere libet.*] *Vacat* Hafnienſis. Met. X.

*—— tum denique flere vacavit.*
Heinſ.

20. *De verna aqua.*] De nive, quæ liqueſcit vere, & fit aqua.

23. *Janua noſtri ſepulchri.*] Sæpius ſe mortem evaſiſſe dicit.

26. *Quam deus unus habet.*] *Quos* plerique veteres. & recte. *Heinſ.*

 .28. *Deus*

Participes iræ quos Deus unus habet;
Exſtimulate, precor, ceſſantia fata; meique
Interitûs clauſas eſſe vetate fores.

21. *Deus unus.* ] Auguſtus. *Mer.* *Participes iræ.* ] Eleg. 2. lib. 1. oravit Deos, ne magni Cæſaris iræ ſubſcriberent, quos hic dicit participes iræ unius Dei, Auguſti ſcil. cum quo in caput Naſonis conſpiraſſe cenſendi ſunt. *Pont.*

## ELEGIA III.

### ARGUMENTUM.

Hæc mea ſi conjux miraris epiſtola.] *Ad uxorem ſcribens ex Scythia Poëta, ſe excuſat, quod aliena manu ſcriptam miſerit epiſtolam: quod aliter non potuiſſe fieri oſtendit, ob adverſam valetudinem, qua conflictabatur: ſimulque incommoda commemorat. Sed præter cætera illud fatetur eſſe maximum, quod careat ipſius uxoris aſpectu. Mandat, ut ejus oſſa Romam deferantur in parva urna, & ſignentur epitaphio à ſe compoſito.*

HÆc mea, ſi caſu miraris, epiſtola quare
Alterius digitis ſcripta ſit: æger eram.
Æger in extremis ignoti partibus orbis;
[Incertuſque meæ pæne ſalutis eram.]
Quid mihi nunc animi dirâ regione jacenti
Inter Sauromatas eſſe Getaſque putes?
Nec cælum patior, nec aquis aſſuevimus iſtis:
Terraque neſcio quo non placet ipſa modo.
Non domus apta ſatis: non hîc cibus utilis ægro:
Nullus, Apollineâ qui levet arte malum.]
Non qui ſoletur, non qui labentia tarde
Tempora narrando fallat, amicus adeſt.
Laſſus in extremis jaceo populiſque lociſque:
Et ſubit affecto nunc mihi, quicquid abeſt.

Omnia

HÆc mea ſi caſu. ] *Si conjux* ſcripti quidam & priſcæ editiones. *Heinſ.*

3. *Ignoti orbis.* ] Scythiæ, ad quam perquampauci accedunt: & ideo *ignotum orbem appellat.* Mer.

4. *Incertuſque mea pene ſalutis eram.* ] Verſus ſuſpectus. *Heinſ.*

5. *Quem mihi nunc animum.* ] Scribe cum Leidenſi codice, *Quid mihi nunc animi*, & vide quæ notamus ad l. 1. Metam. vſ. 359. *putes* etiam pro *putas* multi veteres. *Idem.*

8. *Terraque neſcio quo.* ] Quia inculta, ſterilis, inamœna. *Pont.*

14. *Et ſubit affectus nunc mihi quicquid abeſt.* ] *Affecto* ſcribendum cum uno codice. idque jam vidit politiſſimus Nangerius. *adfectus*, graviter ægrotans. Suetonius Tiberio, *Affectum reperit, ſed tamen adhuc ſpirantem.* Feſtus, *Adfecta ſa-*

Digitized by Google

Omnia cum ſubeant; vincis tamen omnia, conjux:
Et plus in noſtro pectore parte tenes.
Te loquor abſentem: te vox mea nominat unam:
Nulla venit ſine te nox mihi, nulla dies.
Quin etiam ſic me dicunt aliena locutum,
Ut foret amenti nomen in ore tuum.
Si jam deficiat ſuppreſſo lingua palato,
Vix inſtillato reſtituenda mero;
Nuntiet huc aliquis dominam veniſſe; reſurgam:
Speſque tui nobis cauſſa vigoris erit.
Ergo ego ſum vitæ dubius: tu forſitan illic
Jucundum noſtri neſcia tempus agis?
Non agis, adfirmo: liquet, ô cariſſima, nobis,
Tempus agi ſine me non niſi triſte tibi.
Si tamen implevit mea ſors, quos debuit, annos;
Et mihi videndi tam cito finis adeſt;
Quantum erat, ô magni, perituro parcere, Divi;
Ut ſaltem patriâ contumularer humo!
Vel pœna in mortis tempus dilata fuiſſet,
Vel præcepiſſet mors properata fugam.

In-

*fœmina vel in bonam partem dicitur, velut honorata; vel in malam, quaſi in extremum periculum adducta.* ſic recte caſtigavit Paſſeratius. nam libri nonnulli veteres *adfecta.* vulgati *adſectata.* Heinſ.

16. *Et plus in noſtro pectore parte tenes.*] Berſmannus ex ſuo codice reponit *pectore cara tenes.* quomodo & ſex noſtri. Plures alii *partis habes.* Nil muta. Triſt. v. Eleg. XI.

*Barbarus & tecti plus quoque parte tenet.*

Cydippe,

*Omnia cum faciam, cum dem pia thura Dianæ,*
*Illa tamen juſtâ plus tibi parte favet.*

Lucretius lib. II.

*Plus ut parte feras emergant exſiliantque.*

Virgilius initio Georgic.

*Scorpius & cæli juſta plus parte relinquit.*

Idem. *Et plus in noſtro.*] Plus quam partem tenes, ſeu potiſſimam partem in pectore meo tenes. *Pont,*

21. *Si jam deficiam ſuppreſſaque lingua palato.*] Locus corruptus. nec juvant libri veteres. Scribe,

*Si jam deficiat ſuppreſſo lingua palato.*

vel *Si me deficiat.* regit enim id verbum Ovidio ſemper quartum caſum. Locus huic geminus Pont. I. Eleg. III.

*Et jam deficiens, ſic ad tua verba revixi,*
*Ut ſolet infuſo vena redire mero.*

Superiori verſu pro *amentis ore* primus Vatic. *amanti.* Lege *amenti ore* Heinſ.

22. *Inſtillato mero.*] Vino leviter infuſo: vinum enim reficit vires.

23. *Dominam.*] Te uxorem. *Reſurgam.*] Convaleſcam.

25. *Tu forſitan iſtic.*] *Illic* meliores. *Heinſ.*

27. *Liquet hoc cariſſima nobis.*] *O cariſſima* cum tribus libris. Vide Notas ad Epiſt. primam vſ. 101. *Idem.*

34. *Vel præcepiſſet mors properata fugam.*] Primæ editiones plurimique ſcri-

Integer hanc potui nuper bene reddere lucem:
  Exſul ut occiderem, nunc mihi vita data eſt.
Tam procul ignotis igitur moriemur in oris;
  Et fient ipſo triſtia fata loco?
Nec mea conſueto langueſcent corpora lecto?
  Depoſitum nec me qui fleat, ullus erit?
Nec dominæ lacrymis in noſtra cadentibus ora
  Accedent animæ tempora parva meæ?
Nec mandata dabo? nec cum clamore ſupremo
  Labentes oculos condet amica manus?
Sed ſine funeribus caput hoc, ſine honore ſepulcri
  Indeploratum barbara terra teget?
Ecquid, ut audieris, totâ turbabere mente;
  Et feries pavidâ pectora fida manu?
Ecquid, in has fruſtra tendens tua brachia partes,
  Clamabis miſeri nomen inane viri?

Parce

pti, *præceſſiſſet*. Si quid mutem, refingam *prævenisſet* aut *prævertiſſet*. *dilata fuiſſes* Hamburgenſis etiam. magis poëtice. Triſt. v. Eleg. iv.

*Sæpe etiam mærens tempus reminiſcitur illud,*
*Quod non præventum morte fuiſſe dolet.*

Idem.

35. *Integer.* ] Incolumis, nondum mulctatus exilio. *Berſm.* *Reddere vitam.* ] *Lucem* recte primus Vaticanus & Leidenſis. *Heinſ.*

43. *Nec cum clamore ſupremo.* ] Solebant cadavera ablui calida aqua, & per intervalla conclamari: Servabantur enim ſeptem diebus, & calida abluebantur aqua, & poſt ultimam conclamationem comburebantur.

44. *Languentes oculos claudet amica manus.* ] Primæ editiones & plurimi ex ſcriptis *Labentes oculos condet*. recte *Labentes oculi*, quos *fugientes* vocat Epicedio Tibulli. vide quæ noto ad Eleg. v. lib. iii. Amorum. Propertius,

*Quamvis labentes premeret mihi ſomnus ocellos.*

Idem libro i. Eleg. iii.

*Dum me jucundis lapſam ſopor impulit alis.*

ubi male *laſſam* Lipſius Ant. Lect. l. iv. cap. xi. reponit. & l. ii. Eleg. xv.

*Illa meos ſomno lapſos patefecit ocellos.*

male illic *laſſos* nunc extat. nam niſi jam lapſos non poterat Cynthia patefacere. *oculi morte cadentes* Statio lib. iii. Sylvarum ad Claudiam uxorem. *Condere oculos* pro *claudere* etiam familiare Noſtro eſt. idem Propertius l. iv. El. ult.

*Te Lepide, & te Paule meum poſt fata levamen,*
*Condita ſunt veſtra lumina noſtra manu.*

ita enim malo, quam *veſtro ſinu* quod nunc legitur. *Heinſ.*

46. *Indeploratum.* ] Non defletum, ἄκλαυστον. *Indeploratum barbara terra teget.* ] Ἄκλαυστος, ἄταφος. Sic Plaut. inſepultum defodere. Hinc defleti dicebantur, quibus plenus mortis honos redditus. Lucan, 8. Τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων. *Membratoro deſleta reponunt.* Virgil. 6. Ubi hunc ritum plene deſcribit.

47. *Ecquid ubi audieris.* ] *Ut audieris* rectius multi. *Heinſ.*

52. *Lux*

Parce tamen lacerare genas; nec ſcinde capillos.
Non tibi nunc primum, lux mea, raptus ero.
Cum patriam amiſi, tum me periiſſe putato:
Et prior & gravior mors fuit illa mihi.
Nunc, ſi forte potes, ſed non potes, optima conjux,
Finitis gaude tot mihi morte malis.
Quam potes, extenua forti mala corde ferendo;
Ad quæ jampridem non rude pectus habes.
Atque utinam pereant animæ cum corpore noſtræ,
Effugiatque avidos pars mihi nulla rogos!
Nam ſi morte carens vacuam volat altus in auram
Spiritus, & Samii ſunt rata dicta ſenis;
Inter Sarmaticas Romana vagabitur umbras!
Perque feros manes hoſpita ſemper erit.
Oſſa tamen facito parvâ referantur in urnâ.
Sic ego non etiam mortuus exſul ero.
Nec vetat hoc quiſquam. fratrem Thebana peremtum
Suppoſuit tumulo Rege vetante ſoror.

At-

52. *Lux mea.* ] Ne quis putet, in meretriciis tantum blandimentis frequentari illa, lux, vita, deſiderium, anima, &c. etiam in conjugalibus, &c. uſurpantur: & juſtius utique in his quam in illis. *P. Raptus ero.* ] Malim *ego*. Heinſ.

53. *Tunc me periiſſe putato.* ] Ejecto è patria mors eſt civilis.

57. *Quod potes.* ] *Quam potes* multi. Nonnulli etiam *Qua.* Vide Notas Remed. Amor. vſ. 325. *Heinſ.*

58. *Ad mala jam pridem.* ] *Ad qua* multi veteres recte. nec pauciores *Ut qua.* Quid ſi reponatur?

*Quorum jampridem non rude pectus habes.* ſic *juvenci rudes operum* Faſt. I. & *draco ſomni rudis* Met. VII. ex antiquis libris. *Idem.*

59. *Atque utinam pereant anima.* ] Utinam, inquit, ex Epicureorum ſententia, cum corporibus animæ interirent. Nam ita averſabatur Barbaros illos, ut ne poſt mortem quidem, ſola anima inter illorum animas eſſe velit; & potius in nihilum recidere cupiat.

60. *Pars mea nulla.* ] *Pars mihi* quinque ſcripti. rectius. & *vacuam auram* mox pro *vacuas auras* plerique. *Heinſ.*

61. *Nam ſi morte carens.* ] Hoc Pythagoras apud Ovidium in Metamorphoſ. apertius docet: *O genus attonitum gelida formidine mortis, Quid Styga, quid tenebras, & numina vana timetis? Materiam vatum, falſique pericula mundi? Corpora ſive rogus flamma, ſeu tabe vetuſtas Abſtulerit, mala poſſe pati non ulla putetis. Morte carent anima.*

67. *Non vetat hoc quiſquam.* ] *Nec* ſex antiqui. Puto *Nec vetet hoc.* Heinſ. *Non vetat hoc quiſquam.* ] Nemo ſepulturæ officium negat. *Fratrem Thebana peremptum Suppoſuit, &c.* ] Antigonem deſignat, Oedipodis Thebarum regis filiam, quæ fratrem Eteoclem ſepelivit: quamvis Creontes rex Thebarum eos qui in bello Thebano perierant inſepultos jacere voluiſſet, ut elegantiſſime cecinit Papinius in ultimo Thebaidos.



69. *Et*

Atque ea cum foliis & amomi pulvere miſce:
Inque ſuburbano condita pone ſolo.
Quoſque legat verſus oculo properante viator,
Grandibus in tumuli marmore cæde notis.
Hîc ego qui jaceo tenerorum luſor amorum,
Ingenio perii Naſo poëta meo.
At tibi qui tranſis, ne ſit grave, quiſquis amaſti,
Dicere, Naſonis molliter oſſa cubent.
Hoc ſatis in titulo eſt. etenim majora libelli,
Et diuturna magis ſunt monumenta mei.
Quos ego confido, quamvis nocuêre, daturos
Nomen, & auctori tempora longa ſuo.
Tu tamen exſtincto feralia munera ferto;
Deque tuis lacrymis humida ſerta dato.
Quamvis in cinerem corpus mutaverit ignis;
Sentiet officium mœſta favilla pium.
Scribere plura libet: ſed vox mihi feſſa loquendo
Dictandi vires ſiccaque lingua negat.
Accipe ſupremo dictum mihi forſitan ore,
Quod, tibi qui mittit, non habet ipſe, Vale.

69. *Et amomi pulvere, &c.*] Amomum eſt genus herbæ odoratiſſimæ: Armenicum, cæteris præſtat, fulvi coloris, habenſque lignum ſubrufum, abunde odoratum. In conſervandis enim cadaveribus amomum adhiberi ſolet, ut docet in Ponto, Eleg. 10. *Ciof.*

70. *Condita pone loco.*] *Solo* primæ editiones & ſcripti plerique. *Heinſ.*

75. *Quiſquis amaſti.*] *Quicquis* opt. Vatic. alii tres *quicquid.* Medonianus *quisquid.* Puto *ſi quid amaſti.* pro *ſi amaſti.* ſic Faſt. III. vſ. 87. *ſi quid vacas*, pro *ſi vacas.* Epiſt. VI. *ſi quid adeſt.* pro *ſi adeſt* ex membranis. *Idem.*

76. *Molliter oſſa cubent.*] In cippis inſcribebantur hæ litteræ S. T. T. L. ſit tibi terra levis.

77. *Hoc ſatis in tumulo eſt.*] *In titulo eſt* prim. Polit. & decem alii. recte, niſi quod malim *in titulos.* titulum ſepulchralem innuit. *Heinſ.*

81. *Feralia munera.*] Inferias dicit. Quomodo autem inferiæ mortuis fierent, & quomodo in his uterentur coronis, docet Ovidius l. 2. Faſtorum. *M.*

82. *Deque tuis lacrymis.*] Magis Ovidianum erit, ſi legas *Deque ſuis lacrymis.* Vide Notas ad Epiſt. XX. vſ. 76. *Deque tuis lacrymis ſerta.*] De floribus quibus tumuli conſpergerentur, & coronis ſive ſertis quibus ornarentur. Plin. l. 21. c. 3.

ELE-

# ELEGIA IV.

## ARGUMENTUM.

**O mihi chare quidem.** ] *Amicum chariſſimum, quem propter Auguſtum non audet nominare, poëta admonet, ut magna atria & potentes fugiat: qui quamvis poſſint plurimum prodeſſe, non proſunt: ſed potius nocent. Laudat deinde amici fidem, quam ſibi in adverſis nunquam defuiſſe cognovit: ſimulque enumerat exilii ſui incommoda, rogat poſtremo, ut quam poſſit illi opem ferat.*

O Mihi care quidem ſemper, ſed tempore duro
Cognite, res poſtquam procubuêre meæ;
Uſibus edocto ſi quidquam credis amico;
Vive tibi, & longè nomina magna fuge.
Vive tibi, quantumque potes præluſtria vita.
Sævum præluſtri fulmen ab arce venit.
[Nam quamquam ſoli poſſunt prodeſſe potentes;
Non proſit potius ſi quis obeſſe poteſt.]
Effugit hibernas demiſſa antenna procellas,
Lataque plus parvis vela timoris habent.
Aſpicis, ut ſummâ cortex levis innatet undâ,
Cum grave nexa ſimul retia mergat onus.
Hæc ego ſi monitor monitus prius ipſe fuiſſem,
In qua debueram forſitan Urbe forem.
Dum tecum vixi, dum me levis aura ferebat,
Hæc mea per placidas cymba cucurrit aquas.
Qui cadit in plano (vix hoc tamen evenit ipſum)
Sic cadit, ut tactâ ſurgere poſſit humo:

At

5. *Vive tibi.* ] Tecum habita. *Mer.* *Vive tibi.* ] Platoni eſt τὰ ἑαυτῦ πράττειν. Vide Stephan. Schediaſm. lib. 1. c. 11. Jubetur autem ſua mediocritate eſſe contentus. *Berſm.* *Præluſtria.* ] Præclara atria. *Plus timoris.* ] Majorem formidinem.

7. *Nam quanquam ſoli.* ] Diſtichon hoc nugatoris alicujus eſt, non Naſonis. Superiori verſu pro *præluſtri arce* veteres majori ex parte *igne.* nil muta. lib. 1. Eleg. 1.

*Venit in hoc illa fulmen ab arce caput.* Heinſ.

11. *Aſpicis, ut ſumma.* ] Levis cortex ſolet in ſumma aqua natare, nec mergi: at retia magno plumbi pondere mergi ſolent. Per *corticem* autem levem, & homines tenues: per *plumbum* vero, potentes deſignat: qui ut plumbum graviore caſu clientes præcipites trahunt quo volunt.

14. *In qua debebam.* ] *Debueram* rectius tres veteres. *Heinſ.*

15. *Dum tecum vixi.* ] Scribe, *Dum mecum vixi*, ſic ſupra *Vive tibi.* Pari modo *ſecum habitare* & ſimilia occurrunt apud antiquos. *Idem.*

19. *At*

At miſer Elpenor tecto delapſus ab alto
Occurrit Regi debilis umbra ſuo.
Quid fuit, ut tutas agitaret Dædalus alas;
Icarus immenſas nomine ſignet aquas?
Nempe quod hic altè, demiſſius ille volabat.
Nam pennas ambo nonne habuêre ſuas?
Crede mihi; bene qui latuit, bene vixit: & infra
Fortunam debet quiſque manere ſuam.
Non foret Eumedes orbus, ſi filius ejus
Stultus Achilleos non adamaſſet equos.
Nec natum in flammâ vidiſſet, in arbore natas,

Ce-

19. *At miſer Elpenor.* ] Elpenor apud Circen ebrius, dum ſociorum ſtrepitus abeuntium audit, & abire properat, pronus è longis lapſus ſcalis, collum fregit. *Miſer Elpenor.* ] Homer. Odyſſ. λ.

*Hic, nimius quondam vini, jam pocula damnat:*
*Quique ſit oſtendit ſobrietatis honos.*

Et Odyſſ. κ.

*Mentis inops, victuſque mero, non utilis armis*
*Elpenor pretium triſte bibentis habet.*

20. *Flebilis umbra.* ] *Debilis* meliores magno numero. quod & ad Statium deprehendit acutiſſimus Gronovius. Alluditur ad lapſum Elpenoris. *Heinſ.*

22. *Icarus immenſas nomine ſignet aquas.* ] Diximus de hoc loco ſupra lib. I. Eleg. I. vſ. 90. Superiori verſu lege *agitarit* pro *agitaret.* ut τῷ *ſignet* melius id reſpondeat. *Idem.*

24. *Non habuere.* ] Puto *nonne habuere.* quicquid membranæ obnituntur. *Idem.*

25. *Bene qui latuit, bene vixit.* ] Quicunque humili fortuna contentus latuit, tutus vixit. *Meo.* λάθε βιώσας. Horat. *Nec vixit male, qui natus morienſque fefellit.* Berſm. *Intra fortunam.* ] Præfero *Infra Fortunam* ex quatuor ſcriptis. nec aliter lego apud Propertium libro III. Eleg. VIII.

*Mæcenas eques Hetruſco de ſanguine regum*
*Infra Fortunam qui cupis eſſe tuam.*

Seneca Medea Act. III.

*Fortuna ſemper omnis infra me ſtetit.*

ita optimus Mediceus. Noſter infra L. V. El. VIII.

*Non adeo cecidi, quamvis dejectus, ut infra*
*Te quoque ſim, inferius quo nihil eſſe poteſt.* Heinſ.

27. *Non foret Eumedes.* ] Male *Eumenides* & *Emerides* & ſimilia ſcripti. Δόλων Εὐμήδεος υἱὸς Homero Il. K. *Idem.* *Non foret Eumedes orbus.* ] Dolonem deſignat, Eumedis filium. Virgil. in 12. Æneid. Hic (ut lib. 10. Iliad. ſcribit Hom.) miſſus ſpeculator ad Græcorum caſtra, pactus pro remuneratione Achillis equos, in Diomedem & Ulyſſem incidit, qui ſpeculatum quoque ibant ad Trojanos, illi promiſſa impunitate, Trojanorum conſilia ab eo didicere. inter cætera facti certiores de adventu Rheſi, Dolonem interficiunt: Thracum caſtra aggrediuntur; equi inde abducti ſunt.

29. *Nec natum flamma.* ] Phaëtonta intelligit, de quo diximus ſupra. Dictus eſt autem *Phaëton* à luce ardoris ſui, ut ſcribit Serv. φαυνός enim lucidum ſignificat. Ab irato enim Jove fulmine ictus, in Padum cecidit, qui ab eo *Eridanus* Græce dicitur. *In arbore natas.* ] Heliades accipe, quæ in populos mutatæ ſunt, ut notum eſt ex ſecundo Ovidii Metam.

30. Ce-

Digitized by Google

Cepiſſet genitor ſi Phaëtonta Merops.
Tu quoque formida nimium ſublimia ſemper;
Propoſitique memor contrahe vela tui.
Nam pede inoffenſo ſpatium decurrere vitæ
Dignus es: & fato candidiore frui.
Quæ pro te ut voveam miti pietate mereris;
Hæſurâque mihi tempus in omne fide.
Vidi ego te tali vultu mea fata gementem,
Qualem credibile eſt ore fuiſſe meo.
Noſtra tuas vidi lacrymas ſuper ora cadentes;
Tempore quas uno, fidaque verba, bibi.
Nunc quoque ſubmotum ſtudio defendis amicum;
Et mala vix ullâ parte levanda levas.
Vive ſine invidiâ; molleſque inglorius annos
Exige: amicitias & tibi junge pares.
Naſoniſque tui, quod adhuc non exulat unum,
Nomen ama. Scythicus cætera Pontus habet.
Proxima ſideribus tellus Erymanthidos Urſæ

Me

30. *Cepiſſet genitor ſi Phaëtonta Merops.*] Eleganter dictum: Merops Phaëthontem non cepit, quia phaëton ad majora aſpirabat, non contentus hoc patre, ſeque Solis filium volebat credi. Cave igitur quicquam in hoc loco mutes cum iis, qui *Flexiſſet* reponunt. *Heinſius. Genitor Merops.*] Clymenes maritus, & Phaëtontis pater putativus. *M.*

32. *Propoſitique precor.*] *Memor* rectius editiones nonnullæ & ſcripti quatuor apud me. *Heinſ. Propoſitique memor, &c.*] Non ſignificat mutationem conſilii, ut Merula exponit, ſed moderationem. ut ſit ſenſus: Moderata propone tibi, ac tempera cupiditatibus tuis, ne, dum altiora conaris, in periculum incidas. *Micyll*

37. *Vidi ego te tali vultu.*] Aut *luctu* eſt legendum, aut ſcribendum verſu proximo,

*Qualia credibile eſt ora fuiſſe mihi.*

ſed priori conjecturæ accedo. *Heinſ.*

41. *Semotum amicum.*] Plurimi veteres & editiones priſcæ *ſubmotum.* quod efficacius. Pont. III. Eleg IV.

*Nec mea verba legis, qui ſum ſubmotus ad Iſtrum.*

Triſt. IV. Eleg. II.

*Hac ego ſubmotus, qua poſſum, mente videbo.*

Eleg. IX.

*Ut Scythicis habitem longe ſubmotus in oris.* Idem.

44. *Amicitias & tibi junge pares.*] Sic & Curtius: *Nam & firmiſſima inter pares eſt amicitia.*

45. *Quod adhuc non exulat.*] Cujus fama adhuc non potuit exulare; propter claritatem & memoriam.

46. *Scythicus pontus.*] Mare Euxinum, quod Scythiam alluit.

47. *Proxima.*] Quidam codices novam hic elegiam ordiuntur. non male. *Heinſ. Urſæ Erymanthidos.*] Urſæ Arcadicæ, ab Erymantho monte in finibus Arcadiæ; per quem, urſam majorem ſignificat.

49. Boo

Me tenet; adſtricto terra peruſta gelu.
Boſporos & Tanaïs ſuperant, Scythicæque paludes;
Vixque ſatis noti nomina pauca loci.
Ulterius nihil eſt, niſi non habitabile frigus.
Heu quam vicina eſt ultima terra mihi!
At longe patria eſt, longe cariſſima conjux;
Quidquid & hæc nobis poſt duo dulce fuit.
Sic tamen hæc abſunt; ut quæ contingere non eſt
Corpore, ſint animo cuncta videnda meo.
Ante oculos Urbiſque domus & forma locorum eſt;
Succeduntque ſuis ſingula facta locis.
Conjugis ante oculos, ſicut præſentis, imago eſt.
Illa meos caſus ingravat, illa levat.
Ingravat hoc, quod abeſt; levat hoc, quod præſtat amorem:
Impoſitumque ſibi firma tuetur onus.
Vos quoque pectoribus noſtris hæretis, amici;
Dicere quos cupio nomine quemque ſuo.

Sed

49. *Boſporus.* ] *Boſporos* prim. Vatic. Combil, & tres alii. *Scythiaque paludes* etiam plurimi ſcripti cum priſcis editionibus. Vide Notas ad Ep Hypſip. *Heinſ.* *Boſporus.* ] Cimmerium Boſporum accipe, non Thracium. Committitur autem paludi, quam *Mæotidem* appellamus. *Cimmerius* autem appellatur, à Cimmerio oppido Scythiæ. *Et Tanaïs.* ] Tanaïs à ſeptentrione, ad meridiem vergens, in mediam fere Mæotida defluit, & Europam ab Aſia dividit, ut Curt. docet. *Mer.*

50. *Vixque ſatis noti nomina pauca loci.* ] Scribo *ſoli.* & *nomina rauca.* hoc eſt nomina ingrati & barbari ſoni. ſic infra Pont.

*Et raucum Getico murmur in ore fuit.*

hoc eſt diſſonum. poteſt tamen & ferri Tò *loci*, ut locos parum notos rauca nomina per appoſitionem appellet. infra Eleg. x.

*Sauromatæ cingunt fera gens Beſſique Getaque,*
*Quam non ingenio nomina digna meo!*

Heinſ.

57. *Ante oculos errat domus, urbs & forma locorum.* ] Numeri duriores ſatis arguunt verſum eſſe mendoſum. *errat* in multis veterum. unus *aderat.* alius *hæret.* Medonianus, *Ante oculos urbs ac hæret fortuna locorum.* Hamburgenſis inter vetuſtiores,

*Ante oculos domus urbis erat & forma locorum.*

Puto ſcribendum,

*Ante oculos urbiſque domus & forma locorum eſt.*

ſequentia confirmant,

*Conjugis ante oculos, tanquam præſentis, imago eſt.*

ait domos urbis & locorum formam oculis ſuis obverſari. vide Notas Pont. II. Eleg. IV. vſ. 7. *Stare* & *eſſe ante oculos* uſitatum Noſtro. Pont. II. Eleg. x.

*Ante tuos oculos, ut modo viſus, ero.*

Idem.

61. *Levat hac.* ] *Hoc* cum ſcriptis potioribus. *Idem.*

64. *Dicere quos cupio.* ] Malo *cupiam.* Idem.

67. Gra-

Sed timor officium cautus compeſcit; & ipſos
In noſtro poni carmine nolle puto.
Ante volebatis; gratique erat inſtar honoris,
Verſibus in noſtris nomina veſtra legi.
Quod quoniam eſt anceps, intra mea pectora quemque
Alloquar: & nulli cauſſa timoris ero.
Nec meus indicio latitantes verſus amicos
Protrahet. occultè ſi quis amavit, amet.
[Scite tamen, quamvis longâ regione remotus
Abſim, vos animo ſemper adeſſe meo.]
Et, quam quiſque poteſt, aliquâ mala noſtra levate:
Fidam projecto neve negate manum.
Proſpera ſic vobis maneat Fortuna: nec unquam
Contacti ſimili ſorte rogetis opem.

67. *Gratique erat inſtar amoris.*] *Honoris* bene unus Vaticanus. ut jam monui Faſt. II. vſ. 633. *Idem.*

73. *Scite tamen.*] Etiam hoc diſtichon importune hic videtur inculcatum. *Idem.*

75. *Et qua quiſque poteſt.*] *Quam poteſt.* pro quantum plerique veteres. dixi Remed. Amor. vſ. 325. Deinde pro *oro*, optimus Vaticanus cum alio & Rottendorph. *aliqua.* neque aliter optimus Palatinus. ſic Virgilius, *Et ſi non aliqua nocuiſſes.* Pont. II. Eleg. VII.

*Adjuvat in duris aliqua præſentia rebus.*

ſic ex veſtigiis veterrimi libri lego. & Pont. II. Eleg. VIII.

*Præſentes aliqua proſit habere deos.*

ubi ſimiliter in vulgatis peccatur. I. III. Eleg. IV. ubi perperam *aliqua ope.* nonnulli ſcripti,

*Et regum vultus certiſſima pignora mentis,*
*Juviſſent aliqua forſitan illud opus.*

& eadem Elegia, ut ſcribendum puto,

*Et gaudere aliqua res mihi viſa nova eſt.*

Idem.

76. *Manum.*] Auxilium. *Mer.* *Fidam projecto.*] Projectus hic eſt neglectus, contemptus: quo numero ſunt exules. *Pont.*

78. *Rogetis idem.*] *Opem* rectius Combii, Hamburgenſis, & alii nonnulli. ſic Pont. de Pompejo,

*Submiſſâ fugiens voce rogavit opem.*

Heinſ.

## ELEGIA V.

### ARGUMENTUM.

Uſus amicitiæ tecum.] *Amici fidem perſpectam & cognitam, in adverſis præcipue rebus, laudat Ovidius, quam dicit nunquam abituram ex ejus animo. Demum fatetur ſe ali exigua ſpe, ut aliquando Auguſtus mitior fiat, & magis placidum tribuat exilium.*

USus amicitiæ tecum mihi parvus, ut illam
Non ægrè poſſes diſſimulare, fuit:

Ni

USus amicitiæ.] Conſuetudo, ipſa amicitia.

2. *Non ægre poſſis.*] *Poſſes* ſcripti. *Heinſ.*

4. *Novo*

Digitized by Google

Ni me complexus vinclis propioribus eſſes;
Nave meâ vento forſan eunte ſuo.
Ut cecidi, cunctique metu fugêre ruinæ,
Verſaque amicitiæ terga dedêre meæ;
Auſus es igne Jovis percuſſum tangere corpus,
Et deploratæ limen adire domûs.
Idque recens præſtas, nec longo cognitus uſu,
Quod veterum miſero vix duo treſve mihi.
Vidi ego confuſos vultus, viſoſque notavi;
Oſque madens fletu, pallidiuſque meo:
Et lacrymas cernens in ſingula verba cadentes,
Ore meo lacrymas, auribus illa bibi:
Brachiaque accepi mœſto pendentia collo,
Et ſingultatis oſcula miſta ſonis.
Sum quoque, Care, tuis defenſus viribus abſens:
Scis Carum veri nominis eſſe loco.
Multaque præterea manifeſti ſigna favoris
Pectoribus teneo non abitura meis.
Dî tibi poſſe tuos tribuant defendere ſemper,
Quos in materiâ proſperiore juves.
Si tamen interea, quid in his ego perditus oris,
(Quod te credibile eſt quærere) quæris, agam?
Spe trahor exiguâ (quam tu mihi demere noli)
Triſtia leniri numina poſſe Dei.

Seu

4. *Nave mea vento forſan eunte ſuo.*] Hoc eſt, quia tum fortaſſis navis mea ſuo, id eſt, ſecundo vento ferebatur, eaque fortuna mea eſſet, ut à te impenſius amarer: *Micyll.*

5. *Cunctique meam fugere ruinam.*] *Metu fugere* primæ editiones, pri. Vatic. aliique multi. quod Ciofano arridebat. Scribe *metu fugere ruinæ*. ut optimus Palatinus & Naugeriani codices agnoſcunt. *Heinſ.*

11. *Viſoſque notavi.*] An *videre* & *notare* non eſt unum idemque hoc loco. veteres fere omnes, *viſuſque* cum primo Politian. *viſuque notavi*. Idem.

15. *Brachiaque excepi.*] *Accepi* veteres. *Idem.*

18. *Scis Charum veri nominis.*] Quia *Charum* illum appellaverat, oſtendit in eſtus vi verbi verum amoris nomen deſignari: χάρις enim *gratiam* ſignificat & *amorem*. M. *Scis charum veri nominis.*] Hoc eſt, Intelligis te interea chari nomine, loco proprii nominis appellari, quando proprium tuum quod eſt, periculi cauſa ponere aperte non licet Quod propterea à poëta additum videtur, ne quid ipſe in nomine erraſſe videretur. *M.*

26. *Poſſe Dei.*] Malim *Deo*. nam alter Polit. *Duci*. Heinſ.

27. *Sive*

Seu temere expecto, ſive id contingere fas eſt;
Tu mihi, quod cupio, fas (precor) eſſe proba.
Quæque tibi linguæ eſt facundia, confer in illud,
Ut doceas votum poſſe valere meum.
Quo quis enim major, magis eſt placabilis iræ;
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni:
Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.
At lupus, & turpes inſtant morientibus urſi;
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.
Majus apud Trojam forti quid habemus Achille?
Dardanii lacrymas non tulit ille ſenis.
Quæ ducis Emathii fuerit clementia, Poros
Præclarique docent funeris exequiæ.
Neve hominum referam flexas ad mitius iras;

Ju-

27. *Sive hoc contingere fas eſt.* ] *Sive id* veteres. *Idem.*

29. *Quæque tibi eſt linguæ facundia.* ] Quidam Tò *eſt* non agnoſcunt. Scribe *tibi linguæ eſt.* atque ita Medonianus. *Idem.*

31. *Quo quiſque eſt major, magis eſt placabilis iræ.* ] *Quo quis enim major* venuſte optimus Vaticanus & tres alii ex melioribus. pro *iræ* Gottorph. *ira.* lego, *magis hoc placabilis ira eſt.* vel *magis huic.* Vide Notas Metam. VIII. vſ. 399. iræ magis placabilis, pro placabilioris. *Idem.*

38. *Dardanii ſenis.* ] Priami petentis ab Achille Hectoris cadaver. *Dardanii lacrymas non tulit ille ſenis.* ] Sed pretio redemtus Hector. Quod Virg. ſalſe tangit.

*Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.*

Ad quod alludit Plaut. Mercat. 2. 4. *Achillem orabo, aurum mihi det, Hector qui expenſus fuit.*

39. *Quæ ducis Emathii.* ] Alexandrum Macedonem dicit. *Macedonia* enim ante *Emathia* cognominata eſt. Nam Porum, cum & ipſum gravi prælio ſuperatum, captivum abduxiſſet, poſtea non ſolum dimiſit, ſed & ampliore regno donavit. *Micyll.* *Pharos.* ] Leidenſis *Porus.* quod Naugerio probatum & Fabricio & Berſmanno. Unus Gallicus *foros.* hoc eſt, *Poros.* recte. pro *Præclarique* duo *Pompeique.* unus *Dardaniique.* codex Petri Servii *Pharique.* Locus manifeſte corruptus. Quænam enim hæ ſint exequiæ non exprimit; nec Pori ſunt, qui Alexandro ſupervixit. Scribe,

*Dariique docent funeris exequiæ.*

Primam enim & ſecundam in hoc nomine ſyllabam produxit etiam in Ibide Noſter,

*Utque necatorum Darii fraude ſecundi.*

& Claudianus epiſtola ad Hadrianum,

*Darium famulis manibus doluiſſe peremptum*
*Fertur & ingenti ſolatus fata ſepulchro.*
*Tradita captivo ſpatioſior India Poro.*

vides Porum & Darium etiam hic conjungi. Darius Græcis Δαρεῖος. *Dareus* in veterrimis Curtii libris. *Heinſ.*

40. *Præclarique docent funeris exequiæ.* ] Darii regis, cui funus fecit magnificentiſſ.

41. *Flexas ad mitius iras.* ] *Ad amicius* quidam. *Heinſ.*

Junonis gener eſt, qui prius hoſtis erat.
Denique non poſſum nullam ſperare ſalutem,
Cum pœnæ non ſit cauſa cruenta meæ.
Non mihi quærenti peſſundare cuncta, petitum
Cæſareum caput eſt, quod caput orbis erat.
Non aliquid dixi, violentaque lingua locuta eſt;
Lapſaque ſunt nimio verba profana mero.
Inſcia quod crimen viderunt lumina, plector:
Peccatumque oculos eſt habuiſſe meum.
Non equidem totam poſſim defendere culpam:
Sed partem noſtri criminis error habet.
Spes igitur ſupereſt, facturum ut molliat ipſe,
Mutati pœnam conditione loci.
Hunc utinam nitidi Solis prænuntius ortum
Afferat admiſſo Lucifer albus equo.

42. *Junonis gener eſt.* ] Herculem dicit, qui Heben Junonis filiam uxorem duxit, ut Seneca in Octav. *Deus Alcides poſſidet Heben, Nec Junonis jam timet iras, Cujus gener eſt, qui fuit hoſtis.*

50. *Eſt habuiſſe meos.* ] *Meum* alii. quod Naugerius & Ciofanus ſequuntur. quatuor *mihi*. Heinſ.

53. *Spes igitur ſupereſt facturum ut molliat ipſe.* ] Pro *facturum ut molliat*, Hafnienſis, *ut noſtram molliat*. Combianus pro diverſa lectione; *futurum*. ut & quidam alii. prim. Palat. *faturum*. Scribe,

*Spes igitur ſupereſt, ut molliat ipſe, futurum*

*Mutati pœnam conditione loci.*

Vulgata ſcriptura parum Latina eſt, niſi reponas *facturum ut molliat ipſum*. Idem.

55. *Hic utinam nitidi ſolis prænuncius ortus.* ] Carmen mendoſum. *Hæc utinam* quatuor ſcripti. unus *Nos*. Barberin. & Hafnienſis. *Hunc*. Scribe,

*Hunc utinam nitidi Solis prænuncius ortum*

*Afferat admiſſo Lucifer albus equo.*

*ortum* pro die oriente poſuit, aut Solis exortu. Appoſite Seneca Oedipo,

*Jam matutinos prædicit Lucifer ortus.*

Vide infra notas lib. IV. Eleg. 11. vſ. 73. *Idem. Hoc.* ] Ut pœna mutetur.

56. *Admiſſo equo.* ] Celeri equo. Elegantiſſime enim equi *admitti* dicuntur. cum impelluntur: ita curtius & alia. *Ciof.*

## ELEGIA VI.

### ARGUMENTUM.

Fœdus amicitiæ. ] *Hac etiam elegia amici fidem laudat Ovidius, quam etiam ſi velit, minime diſſimulare poſſe oſtendit: cujus conſilio ſi uſus fuiſſet, fatetur ſe incolumem ſemper eſſe potuiſſe. Demum illum precatur, ut ei Auguſtum mitiorem reddat, quo is ſibi exilii locum mutet: quandoquidem nulli ſceleri ſe obnoxium eſſe ſciat.*

FOedus amicitiæ nec vis, cariſſime, noſtræ,
Nec, ſi forte velis, diſſimulare potes.

Do-

2. *Non vis.* ] *Nec vis* meliores. *Heinſ.*

5. *Te-*

Donec enim licuit, nec te mihi carior alter,
Nec tibi me totâ junctior Urbe fuit.
Iſque erat uſque adeò populo teſtatus, ut eſſet
Pæne magis quam tu, quamque ego, notus amor.
Quique erat in caris animi tibi candor amicis,
Cognitus eſt illi, quem colis ipſe, viro.
Nil ita celabas, ut non ego conſcius eſſem;
Pectoribuſque dabas multa tegenda meis.
Cuique ego narrabam ſecreti quidquid habebam,
Excepto quod me perdidit, unus eras.
Id quoque ſi ſciſſes, ſalvo fruerêre ſodali;
Conſilioque forem ſoſpes, amice, tuo.
[Sed mea me in pœnam nimirum fata trahebant:
Omne bonæ claudunt utilitatis iter.]
Sive malum potui tamen hoc vitare cavendo;
Seu ratio fatum vincere nulla valet;
Tu tamen, ô nobis uſu junctiſſime longo,
Pars deſiderii maxima pæne mei,
Sis memor: &, ſi quas fecit tibi gratia vires,
Illas pro nobis experiare rogo.
Numinis ut læſi fiat manſuetior ira;

Mu-

5. *Teſtatus populo.* ] Probatus populo.

7. *Quique eſt in caris animi tibi candor amicis.* ] *Quique erat* tres veteres. unus *Qui fuit.* Sed lege *raris amicis.* Sequenti verſu pro *iſti* meliores *ipſi.* & pro *ipſe* tres optimi *iſte.* Puto *ipſi Deo.* hoc eſt Auguſto. Sed ſubeſt etiamnum aliquid mendi his verſibus. *Idem.*

8. *Quam colis ipſe.* ] Quem ſuſpicis & veneraris. Fortaſſe Auguſtum deſignat. Vel certe, amas. & amicum aliquem denotat ſuppreſſo nomine.

9. *Nil ita celabas* ] Notatio intimæ familiaritatis ab effectis. *Berſm.* *Ut non ego conſcius eſſem.* ] Scribe, *cui non ego conſcius.* Cum tertio enim caſu frequenter jungit hanc vocem Noſter. Metam. VI. 588. *Heinſ.*

10. *Pectoribuſque dabas multa tegenda meis.* ] Tanaquillus Faber in epiſtolis reponit ex conjectura, *cuncta tegenda.* jam enim ſuperiori verſu dixerat Noſter, nihil ſibi celatum fuiſſe ab hoc amico. *Idem.*

11. *Cuique ego narrabam.* ] Lege *narrarem.* Idem.

16. *Omne bonæ & claudunt.* ] Tò *&* abeſt à pleriſque ſcriptis Hoc etiam diſtichon male feriati neſcio cujus interpolatoris eſt. Sequentibus etiam verſibus orioſa illa repetitio τὸ *tamen* ſuſpecta eſt. *Item.*

18. *Seu ratio fatum.* ] Ex Stoicorum ſententia, Fatum eſſe inevitabile dicit. De vi autem, & fati neceſſitate, vide Gell. lib. 6.

21. *Et ſi quas fecit tibi gratia vires.* ] Si quid vales gratia apud Cæſarem. *Mer.* *Vires.* ] Auctoritatem cum poteſtate juvandi amicos. *Berſm.*

Gg 2 26. Prin-

Mutatoque minor ſit mea pœna loco.
Idque ita, ſi nullum ſcelus eſt in pectore noſtro;
Principiumque mei criminis error habet.
Nec leve, nec tutum eſt, quo ſint mea, dicere, caſu
Lumina funeſti conſcia facta mali.
Menſque reformidat, veluti ſua vulnera, tempus
Illud: & admonitu fit novus ipſe dolor.
[Et quæcunque adeo poſſunt afferre pudorem,
Illa tegi cæcâ condita nocte decet.]
Nil igitur referam, niſi me peccaſſe; ſed illo
Præmia peccato nulla petita mihi:
Stultitiamque meum crimen debere vocari;
Nomina ſi facto reddere vera velis.
Quæ ſi non ita ſunt; alium, quo longius abſim,
Quære, ſuburbana hic ſit mihi terra, locum.

26. *Principiumque mei.*] Puto *Præcipuumque*. Heinſ.

27. *Nec breve, nec tutum eſt.*] *Leve* Gottorphianus. bene. Tò *eſt* etiam omittunt plerique. At Pont. libro 1. Eleg. VI.

*Nec leve, nec tutum peccati quæ ſit origo*
*Scribere* ——

ſic & ibi veteres nonnulli. *Idem.*

29. *Tempus illud.*] Quo Auguſtum læſi.

30. *Fit novus ipſe dolor.*] *Pudor* prim. Varic. pri. Pal. & tres alii ex melioribus. Quod ſi admittamus, ſequens diſtichon erit delendum, quod non uno nomine eſt ſuſpectum. In quo *poſſunt* pro *poſſint* veteres plerique. & *cæcâ nube* pro *nocte* octo antiqui aut novem. *Heinſ.*

36. *Nomina ſi factis.*] *Facto* plerique. *fatis* Arondelianus. *Idem.* *Nomina ſi facto.*] Si velis nomina rebus reſpondere.

37. *Quæ ſi non ita ſunt.*] Pont. 1. El. III. pari modo.

*Ut tamen hæc ita ſint, munus tua grande voluntas*
*Ad me pervenit.*

proximo verſu cum melioribus *ſuburbana hæc* pro *hic*. Heinſ.

38. *Suburbana hæc ſit mihi terra*] Sit mihi quaſi ſuburbium. Vel non modo, inquit, ad longius proficiſcar exilium, ſed etiam volo ut ſuburbana alicujus urbis Scythiæ magis periculoſa & hoſtibus expoſita, quam Tomos, ad majus ſupplicium, ſi non loquor vera, ſint mihi exilium. *Alium locum.*] Quin tu me alio deportandum cures, cauſſam non dico. *Pont.*

# ELEGIA VII.

## ARGUMENTUM.

Vade ſalutatum.] *Ad filiam Perillam ſcribens Ovidius, primo fatetur ſe Muſis vacare, quamvis illæ ſibi nocuerint: eamque hortatur, ut idem faciat, quo ſibi immortalitatem comparet. nam ea forma elegantia, inquit, quæ in ipſa erat, ſenectute & tempore vitiabitur. At ingenii dotes ſemper permanebunt.*

VAde ſalutatum ſubitò perarata Perillam
Littera, ſermonis fida miniſtra mei.

Aut

Aut illam invenies dulci cum matre ſedentem,
Aut inter libros Pïeridaſque ſuas.
Quidquid aget, cum te ſcierit veniſſe, relinquet:
Nec mora; quid venias, quidve, requiret, agam.
Vivere me dices; ſed ſic, ut vivere nolim:
Nec mala tam longâ noſtra levata morâ.
Et tamen ad Muſas, quamvis nocuêre, reverti;
Aptaque in alternos cogere verba pedes.
Tu quoque, dic, ſtudiis communibus ecquid inhæres,
Doctaque non patrio carmina more canis?
Nam tibi cum fatis mores Natura pudicos,
Et raras dotes ingeniumque dedit.
Hoc ego Pegaſidas deduxi primus ad undas,
Ne male fœcundæ vena periret aquæ.
Primus id aſpexi teneris in virginis annis:
Utque patet, venæ duxque comeſque fui.
Ergo, ſi remanent ignes tibi pectoris ìdem,
Sola tuum vates Lesbia vincet opus.
Sed vereor, ne te mea nunc Fortuna retardet;

Poſt-

9. AD *Muſas reverti.* ] Cicero libros ſuos vocat veteres amiculos.

11. *Studiis communibus* ] Studiis poëticis: quæ mihi tecum communia ſunt. *Ecquid inhæres.* ] Num quid das operam? *Ecquid inhæres.* ] *Ut quid* duo veteres. & *num* pro *non* ſequenti verſu unus Vaticanus quod & Ciofanus notarat. Sed recte *more non patrio.* quia res inſolens apud Romanos poëtria. *Heinſ.*

12. *Non patrio.* ] Pro, externo ac Græco more, propter illud quod infra ſequitur, *Sola tuum vates Lesbia vincet opus.* Ut intelligamus, lyrica illam ſcripſiſſe, Sapphus exemplo, quod genus carminis Latinis hactenus inuſitatum & ſeu peregrinum fuerat. Id quod & Horatius teſtatur, quum dicit, *carmina non prius audita.* Micyll.

14. *Et raras dotes.* ] *Caras* prim. Vat. Rottendorph. & Gottorph. *claras* Richelianus. puto, *Clarias dotes.* Superiori verſu *cum fatis* ſcripti omnes & primæ editiones, non *cum facie.* utrumque rectum. *Natura cum fatis dedit.* pro Natura & fata dederunt. de facie ejus & formâ poſt ager. *Heinſ.*

15. *Hoc.* ] Scilicet tuum ingenium. *Ad undas Pegaſidas* ] Ad fontem Muſarum, quem equus alatus Pegaſus, pede fodiens effecit. Fabulam refert Hyginus. Ovid. l. 4 Metam. Deſignat autem Ovidius ſe primum filiam docuiſſe artem poëticam.

18. *Utque pater natæ.* ] *Pater nemo* pri. Politian *pater Veneris* alter ejuſdem, & Hamburgenſis, & unus Mediceus. duo *venis.* Junianus *juveni.* alius *veni.* duo *nati* quatuor *venæ* totidem, *Utque patet vena.* latet ulcus. *Heinſ.*

19. *Iidem ignes.* ] Iidem calores Apollinei: ardores ingenii.

20. *Sola vates Lesbia.* ] Sola vates Sappho ex Lesbo inſula. *Vincet opus.* ] *Vincat* bene Leidenſis. *Heinſ.*



23. *Dum*

Digitized by Google

Poſtque meos caſus ſit tibi pectus iners.
Dum licuit, tua ſæpe mihi, tibi noſtra legebam:
Sæpe tui judex; ſæpe magiſter eram.
Aut ego præbebam factis modo verſibus aures,
Aut ubi ceſſaras, cauſſa ruboris eram.
Forſitan exemplo, quia me læsêre libelli,
Tu quoque ſis pœnæ fata ſecuta meæ.
Pone, Perilla, metum. tantummodo fœmina non ſit
Devia, nec ſcriptis diſcat amare tuis.
Ergo deſidiæ remove, doctiſſima, cauſſas:
Inque bonas artes & tua ſacra redi.
Iſta decens facies longis vitiabitur annis:
Rugaque in antiquâ fronte ſenilis erit.
Injicietque manum formæ damnoſa ſenectus.
Quæ ſtrepitum paſſu non faciente venit.
Cumque aliquis dicet, Fuit hæc formoſa; dolebis:
Et ſpeculum mendax eſſe querêre tuum.
Sunt tibi opes modicæ, cum ſis digniſſima magnis.
Finge ſed immenſis cenſibus eſſe pares.
Nempe dat id cuicunque libet Fortuna, rapitque:
Irus & eſt ſubitò, qui modo Crœſus erat.

Sin-

23. *Dum licuit, tua ſape mihi.* ] Puto *tua ſape tibi.* nam de recitante Perilla proximo hexametro habes mox etiam *Saepe tuis judex*, hoc eſt verſibus, opinor ſcribendum, *Idem.*

27. *Quia me laſere libelli.* ] Malim *quo*: vel *extemplo.* Idem.

28. *Facta ruina mea.* ] *Facta ſecuta* ſex ſeptemve ex melioribus. duo *fata ſecuta.* codex Servii *pars bona facta.* Muretus conjiciebat *facta remiſſa.* nam ſequitur,

*Ergo deſidia remove doctiſſima cauſas.*

quod probo. atque ita in Epiſtolis Tanaquillus Faber *Idem.*

30. *Fœmina nulla Neve vir à ſcriptis.* ] Quidam *fœmina non ſit Devia nec.* quod ſecutus eſt eruditiſſimus Gronovius Obſervat, lib. II cap. III. alii ſcripti *fœmina nulla Devia ne* vel *de ſcriptis.* duo *Nec juvenis ſcriptis.* Idem.

32. *Et tua ſacra redi.* ] An *caſtra?* ut Ep. Herus,

*In tua caſtra redi, ſocii deſertor amoris.*

Idem.

34. *In antiqua fronte.* ] In fronte jam ſenio confecta.

35. *Injiciet manus forma.* ] Formam ſibi vindicabit, & turpem reddet.

36. *Damnoſa ſenectus.* ] Senectus quæ juvenes damno afficit. *Paſſu non faciente ſtrepitum.* ] Id eſt, gradu qui non ſentitur. Obrepit enim non intellecta ſenectus.

39. *Sunt & opes medica.* ] *Sunt tibi opes* plerique. *Heinſ.*

42. *Irus & eſt ſubito, qui modo Craſus erat.* ] *Coſſus* pri. Polit. multi alii *Craſſus.* alii aliter. nil muta. Propertius,

*Lydus Dulichio quid diſtat Craſus ab Iro?*

Su-

Singula quid referam? nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingeniique bonis.
En ego, cum patriâ caream, vobiſque, domoque;
Raptaque ſint, adimi quæ potuêre, mihi;
Ingenio tamen ipſe meo comitorque fruorque:
Cæſar in hoc potuit juris habere nihil.
Quilibet hanc ſævo vitam mihi finiat enſe;
Me tamen exſtincto fama ſuperſtes erit.
Dumque ſuis victrix omnem de montibus orbem
Proſpiciet domitum Martia Roma, legar.
Tu quoque, quam ſtudii maneat felicior uſus,
Effuge venturos, qua potes, uſque rogos.

Superiori verſu pro *Nempe dat & quodcunque* unus Mediceus, *cuicunque*. Scribe, *Nempe dat has cuicunque libet*. opes nimirum. pro *&* nonnulli *id*. Poſſet & legi,

*Nempe dat ut quodcunque libet Fortuna, rapitque.*

ita & rapit, etiam rapit, ſed hoc durius. *Idem*.

43. *Singula ne referam.*] *Quid referam* nonnulli. ut lib. I. Amor. El. V.

*Singula quid narrem? nil non laudabile vidi.*

Idem.

45. *En ego.*] Tollit interdum ſpiritus poëta, & ſe ita ſperata æternitate ſua in medio miſeriarum ſuarum conſolatur. *Pont.*

49. *Qui licet.*] Invidioſum hoc Cæſari. Repone igitur *Quilibet* cum membranis pleriſque & antiquis editionibus. *Heinſ.*

51. *Dumque ſuis victrix ſeptem de montibus orbem.*] *Omnem de montibus orbem* Vatic. Polit. & Palat. meliores, cum quinque aliis. bene. duo *totum*. Idem.

53. *Quam ſtudii maneat felicior uſus.*] Quæ habeas feliciorem fortunam ex ſtudiis poëticis, quam ego habui.

54. *Qua potes.*] *Quam* octo veteres. Vide Notas ad Remed. Amor. vſ. 325. *Heinſ.*

# ELEGIA VIII.

## ARGUMENTUM.

Nunc ego Triptolemi.] *Deſiderio cum patria, tum ſuorum ita teneri Poëta ſcribit, ut cupiat celeri aliquo curſu eo ſe conferre: quam rem ſibi Auguſtum ſolum præſtare poſſe oſtendit. Narratque exilii ſui incommoda, Optatque ut tandem Cæſar iræ modum ſtatuat, & mitius præbeat exilium.*

NUnc ego Triptolemi cuperem conſcendere currrus,
Mi-

T*Riptolemi currus.*] Currum intelligit, quem à Cerere accepit Triptolemus, fabulam refert Lactantius. Ovid. in Met. & in quarto Faſtorum. *Mer.* *Conſcendere currus.*] *Conſiſtere curru* pri. Pal. pri. Vatic. & unus Mediceus. etiam probe. Sequenti verſu pro *ignotam humum* Richelianus *ignaram*. Heinſ.

Miſit in ignotam qui rude ſemen humum:
Nunc ego Medeæ vellem frænare dracones,
Quos habuit fugiens arce, Corinthe, tuâ:
Nunc ego jactandas optarem ſumere pennas,
Sive tuas, Perſeu; Dædale, ſive tuas:
Ut tenerâ noſtris cedente volatibus aurâ
Aſpicerem patriæ dulce repente ſolum:
Deſertæque domûs vultum, memoreſque ſodales,
Caraque præcipue conjugis ora mihi.
Stulte, quid ô fruſtra votis puerilibus optas,
Quæ non ulla tulit, fertque, feretque, dies?
Si ſemel optandum eſt; Auguſtum numen adora:
Et quem læſiſti, rite precare, Deum.
Ille tibi pennaſque poteſt curruſque volucres
Tradere. det reditum; protinus ales eris.
Si precer hæc, (neque enim poſſim majora precari)
Ne mea ſint timeo vota modeſta parum.

Forſi-

2. *In ignotam humum.*] Ignotam ſemini, quia nunquam expertum erat terram. *Pont.*

3. *Dracones Medeæ.*] Medea poſt Peliæ necem, fraude interempti, junctis currui draconibus aufugit, dicente Ovidio in Metamorph. *Quæ niſi pennatis ſerpentibus iſſet in auras, Non exempta foret pœna.*

8. *Patriæ dulce repente ſolum.*] *Patria tecta relicta mea* Voſſianus pro diverſâ lectione. *Heinſ.*

9 *Deſertæque domûs vultus.*] Lege *vultum* ut κακοφωνία vitetur. *Idem.*

10. *Conjugis ora mea.*] *Mihi* Buſlidianus. recte. *Idem.*

11 *Stulte, quid hæc fruſtra.*] *Quid hoc* multi veteres. Lege, *quid ô.* & vide Notas ad Epiſtolam primam. ſequenti verſu opt. Vatic. & Rottendorph. *tulit*, pro *mihi*.

*Quæ non ulla tulit fertque feretque dies.*

Idem.

13. *Auguſti numen adora.*] *Auguſtum numen* cum Hafnienſi & Medoniano. ſic Pont. IV, El. VI.

*Certus eras pro me Fabiæ laus, Maxime gentis*
*Numen ad Auguſtum ſupplice voce loqui.*

& lib. III. El. I.

*E quibus ante omnes Auguſtum numen adora.*

eadem Elegia *Auguſta domus.* ubi perperam *Auguſti* in vulgatis. Faſt. I.

*Et tuus Auguſto nomine dictus avus.*

& lib. V.

*Spectas & Auguſto prætextum nomine templum.*

*Caput Auguſtum* ſub finem Metamorphoſeon. *Auguſtæ aures* Pont. I. El. III. *Pax Auguſta* Pont. II. Eleg. V. *Auguſtus Deus* Pont. III. El. VI. *Auguſtum forum* Faſt. V. Pont. IV. El. V & XV. *Idem.*

14. *Et quem ſenſiſti.*] *Læſiſti* ex quinque ſcriptis. hinc *læſi principis ira* Triſt. IV. Eleg. X. & lib. I. Eleg. IV.

*Ni fuerit læſi mollior ira Dei.*

de Auguſto. *Idem.*

17. *Poſſum.*] *Poſſim* unus Italicus. Mox pro *timeo* malim *timeat.* Idem.

19. *Cum*

Forſitan hoc olim, cum ſe ſatiaverit ira,
Tum quoque ſollicitâ mente rogandus erit.
Quod minus interea eſt, inſtar mihi muneris ampli,
Ex his me jubeat quolibet ire locis.
Nec cælum, nec aquæ faciunt, nec terra, nec auræ;
Et mihi perpetuus corpora languor habet.
Seu vitiant artus ægræ contagia mentis;
Sive mei cauſſa eſt in regione mali:
Ut tetigi Pontum, vexant inſomnia; vixque
Oſſa tegit macies; nec juvat ora cibus.
Quique per autumnum percuſſis frigore primo
Eſt color in foliis, quæ nova læſit hyems;
Is mea membra tenet. nec viribus allevor ullis;
Et nunquam queruli cauſſa doloris abeſt.
Nec melius valeo, quam corpore, mente; ſed ægra eſt
Utraque pars æquè, binaque damna fero.
Hæret, & ante oculos veluti ſpectabile corpus
Adſtat Fortunæ forma legenda meæ.
Cumque locum, moreſque hominum, cultuſque, ſonumque,

Cer-

19. *Cum jam ſatiaverit iram.*] *Cum ſe ſatiaverit ira* Junianus. eleganter. Epiſtola Acontii,

*Cum bene ſe quantumque volet ſatiaverit ira.* Idem.

21. *Quod minus eſt.*] Quæ res eſt minoris momenti, quam reditum concedere. *Mer.* Vel: interea quod eſt minus, licet mihi magni ſit muneris loco, oro, ut jubeat me ex hoc loco, quovis gentium migrare. *Berſm.*

23. *Nec aqua faciunt.*] Nec aquæ, aut alia elementa in Scythia mihi proſunt.

24. *Hei mihi perpetuus.*] *Et mihi* pri. Vatic. & prim. Palat. bene. pro *corpora* unus Gallicanus *pectora.* Art. Am. II.

*Aëre non certo corpora languor habet.*

Vide Notas ad Epiſt. XII. 170. *Heinſ.*

30. *Nova hyems.*] Pro principio & prima parte hyemis. Sic eſt ver novum, adultum & ſeneſcens. *Pont.*

31. *Mea membra tenet.*] Tanquam capta occupat, & in ſua poteſtate habet. *B.*

32. *Cauſa doloris.*] *Laboris* pri. Polit. & tres alii. *Heinſ.*

35. *Veluti ſpectabile corpus.*] Tanquam ſi eſſet corpus conſpicuum, & dignum ſpectatu. *Mer.*

36. *Adſtans Fortuna forma videnda mea.*] *Legenda* uterque Polit. pri. Vatic. plurimique alii ex melioribus. Hamburg. *lugenda.* Petri Servii liber *luenda.* an *tuenda?* pro *videnda* tres alii *verenda.* quod arriſit Gronovio in Obſervationibus l. II. cap. III. præterea *Adſtat* meliores. Ergo Tò *legenda* contra optimas membranas non auſim damnare. Videtur enim ad edictum Cæſaris alludere, quo proſcriptus erat, quod chartæ conſignatum ſecum avexiſſe Noſtrum eſt veriſimile. *Heinſ.* *Forma mea fortuna.*] Qualitas & deformitas illa meæ conditionis.

37. *Cumque locos.*] *Locum* ſcripti. *Heinſ.*



40. Quod

Cernimus; & quid ſim, quid fuerimque ſubit;
Tantus amor necis eſt, querar ut de Cæſaris irâ.
Quod non offenſas vindicet enſe ſuas.
At quoniam ſemel eſt odio civiliter uſus,
Mutato levior ſit fuga noſtra loco.

40. *Quod non offenſas, &c.* ] Quod non ferro me interficiendo, ulciſcatur injurias.

41. *Civiliter.* ] Me legibus puniendo, non vi & armis: ſed ut civem tractari decuit.

## ELEGIA IX.

### ARGUMENTUM.

Hic quoque ſunt urbes Grajæ. ] *Urbes Græcas Geticam oram incoluiſſe docet, ab iiſque etiam Tomitana urbi nomen fuiſſe impoſitum oſtendit.*

HIc quoque ſunt igitur Grajæ (quis crederet?) urbes,
Inter inhumanæ nomina barbariæ.
Huc quoque Mileto miſſi venêre coloni,
Inque Getis Grajas conſtituêre domos.
Sed vetus huic nomen, poſitâque antiquius urbe,
Conſtat ab Abſyrti cæde fuiſſe, loco.
Nam rate, quæ curâ pugnacis facta Minervæ,
Per non tentatas prima cucurrit aquas;
Impia deſertum fugiens Medea parentem,
Dicitur his remos applicuiſſe vadis.
Quem procul ut vidit tumulo ſpeculator ab alto;
Ho-

HIc quoque.] Hic etiam in Getica ora, ſunt urbes Grajæ, non lingua & moribus, ſed origine.

3. *Huc quoque Mileto.*] Mileſii Tomon quoque tenuere, quemadmodum etiam Iſtropolim, aut quemadmodum aliæ quoque Græciæ coloniæ litus Geticum tenuêre. Fuit autem Miletus urbs quondam Ioniæ totius, belli paciſque artibus princeps, à Mileto appellata.

5. *Sed vetus huic nomen, &c.* ] Hic aperte ſignificat, *Tomon* locum à cæde Abſyrti nominatum: ubi poſtea urbem condidêre Mileſii, ſervato prioris nomine loci.

7. *Qua cura pugnacis.* ] Quæ Argo navis facta cura & tutela Palladis armatæ, quam pictam habuit. Aut ingenioſe, curioſe, & perite factam intellige. Hyginus etiam docet, eam Argo à celeritate Græce appellatam; vel ab Argo ejus inventore.

8. *Per non tentatas.*] Primam navem eam fuiſſe ait, in quam Argonautæ conſcenderunt. *Ciof.*

11. *Quem.* ] Patrem Medeæ. *Mer.* Æëtes rex fuga filiæ cognita, claſſe celeriter inſtructa, eam ut fugientem retraheret, velis remiſque inſecutus eſt. *P.* *Ab alto tumulo.*] Ab alto colle Getici littoris. *Speculator.* ] Aliquis ex Argonau-

Digitized by Google

Hoſpes, ait, noſco Colchide vela, venit.
Dum trepidant Minyæ, dum ſolvitur aggere funis,
Dum ſequitur celeres anchora tracta manus;
Conſcia percuſſit meritorum pectora Colchis,
Auſâ atque auſurâ multa nefanda manu.
Et, quamquam ſupereſt ingens audacia menti,
Pallor in attonito virginis ore ſedet.
Ergo ubi proſpexit venientia vela; Tenemur,
Et pater eſt aliquâ fraude morandus, ait.
Dum quid agat quærit, dum verſat in omnia vultus;
Ad fratrem caſu lumina flexa tulit.
Cujus ut oblata eſt præſentia; Vincimus, inquit.
Hic mihi morte ſuâ cauſſa ſalutis erit.
Protinus ignari nec quidquam tale timentis
Innocuum rigido perforat enſe latus.
Atque ita divellit, divulſaque membra per agros
Diſſipat in multis invenienda locis.
Neu pater ignoret, ſcopulo proponit in alto
Pallenteſque manus, ſanguineumque caput.
Ut genitor luctuque novo tardetur, & artus

Dum

nautis. vel ex indigenis Scythis, qui collem aſcenderat, proſpecturus an eos, qui rapto aureo vellere aufugerant, ex Colchide aliqui inſequerentur.

12. *Hoſpes ait noſco Colchide vela venit.*] *Vela dari* plerique veteres cum priſcis editionibus. *Colchida* etiam plurimi. opt. Vatic. *Cholchidus.* duo *vela dedit.* pri. Polit. *vela velit.* Zulichemianus *vela ſequi.* Sed fruſtra. Scribo,

*Hoſtis, ait, noſco, Colchidi, vela, venit.*

Ait Colchidi, hoſtis venit, noſco vela. Hæc eſt conſtructio. Apposite autem perplexa utitur oratione ſpeculator. quod proprium eſt conſternatorum & trepidantium. Vide Notas lib. II. Faſt. vſ. 370. *Heinſ.*

13. *Dum trepidant.*] Minyæ Argonautæ ſic appellati fuere, à regiuncula Theſſaliæ,

18. *Pallor in attonita Virginis ore fuit.*] *Ore ſedet* tres ſcripti. quod amplector. Met. II.

*Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto.*

neque aliter ex Pirkeimeriano ſive Arondeliano Gronovius Obſervat. l. II. cap. III. qui adeatur. Vide & quæ noto Remed. Amor. vſ. 268. ſcribe præterea *attonito virginis ore* cum Gottorphiano: vulgati *attonita.* Heinſ.

20. *Et pater eſt aliqua fraude morandus.*] *Tenendus* pri. Polit. & pro diverſa lectione Gottorphianus. Scribe,

——— *Tenemur,*
*Aut pater eſt aliquâ fraude tenendus, ait.*

Si quis Tò *morandus* malit, nil repugno. *Idem.*

23. *Vicimus, inquit.*] Meliores magnâ copiâ, *Vicimus.* de quo alibi. *Idem.*

23. *Triſte*

Dum legit exſtinctos, triſte moretur iter.
Inde Tomis dictus locus hic; quia fertur in illo
Membra ſoror fratris conſecuiſſe ſui.

32. *Triſte retardet iter.*] *Moretur.* Vatic. Pal. Polit. meliores; & duo alii. Putabam aliquando *juſta morentur iter.* Ep. Herûs,

*Quaque tuum miror cauſa moretur iter.* *retardandi* verbo tamen uſus eſt ſupra El. VII. *Idem.*

33. *Inde Tomos dictus locus hic.*] *Tomus* pri. Vatic. & quinque alii. pri. Polit. & ſex alii ex melioribus *Tomus.* recte. Nam & Straboni l. VII. Τόμις eſt. etſi legiſſe in eo videatur Stephanus Τομεὺς, qui eandem de Abſyrto hiſtoriam recenſet. Τόμις etiam Conſtantino Porphyriogenetæ lib. II. Themat. II. atque ita apud Noſtrum quidam veteres Pont. lib. IV. Eleg. XIV.

*Tam mihi grata Tomis.*

Hinc *Tomita* & *Tomitanus* derivantur. Scaliger *Tomi* emendabat: quomodo Apollinaris Sidonius,

*Et te carmina per libidinoſa*
*Notum Naſo tener Tomoſque miſſum.*

Ptolemæo quoque Τομοί. *Tomos* Plinio. *Idem.* *Inde Tomos dictus.*] A diſſectione, ſeu dilaceratione: à τέμνω ſeco.

34. *Conſecuiſſe ſui.*] *Subſecuiſſe* quinque. unus *deſecuiſſe.* Leidenſis *præſecuiſſe.* nil muta. *Heinſ.*

## ELEGIA X.

### ARGUMENTUM.

Si quis adhuc iſtic.] *Exilii ſui incommoda deſcribit Poëta, ſed inter cetera tantam vim frigoris eſſe aſſerit, ut flumina, & maria, atque in his etiam piſces congelentur: & eo tempore Scythæ hoſtes, qui equitatu & ſagittis plurimum pollent, Iſtrum tranſeant atque ea loca depopulentur, ac homines captivos ducant.*

SI quis adhuc iſtic meminit Naſonis ademti,
Et ſupereſt ſine me nomen in Urbe meum;
Suppoſitum ſtellis nunquam tangentibus æquor
Me ſciat in media vivere barbarie.
Sauromatæ cingunt fera gens, Beſſique, Getæque:
Quam non ingenio nomina digna meo!
Dum tamen aura tepet; medio defendimur Iſtro.

Ille

3. *Nunquam tangentibus æquor.*] Septentrionem deſignat. Ideo autem revera non cadit, quia quum ſuper nos ſit polus Arcticus, ſemper à nobis videtur. Sic Maro: *Arctos Oceani metuentes æquore tingi.*

4. *Barbaria.*] *Barbarie* Hamburgenſis. ſic infra lib. IV. El. I. vſ. 22. veteres codices. *Heinſ.*

5. *Sauromatæ cingunt fera gens.*] Plinius ſcribit Pontico littori varias gentes appoſitas, alias Getas, Dacos à Romanis dictos: alias Sarmatas, à Græcis Sauromatas. *Beſſique.*] Beſſi populi fuere Thraciæ finitimi.

7. *Medio Iſtro.*] Medio inter Tomitanam urbem, & Sauromata, caret enim navigiis quibus trajiciant.

8. *Li-*

Ille ſuis liquidus bella repellit aquis.
At cum triſtis hyems ſquallentia protulit ora,
Terraque marmoreo candida facta gelu eſt:
[Dum patet & Boreas & nix injecta ſub Arcto;
Tum liquet has gentes axe tremente premi.]
Nix jacet: & jactam nec Sol pluviæve reſolvunt:
Indurat Boreas, perpetuamque facit.
Ergo, ubi delicuit nondum prior, altera venit:
Et ſolet in multis bima manere locis.
Tantaque commoti vis eſt Aquilonis, ut altas
Æquet humo turres, tectaque rapta ferat.
Pellibus, & ſutis arcent male frigora braccis;
Oraque de toto corpore ſola patent.
Sæpe ſonant moti glacie pendente capilli,
Et nitet inducto candida barba gelu:
Udaque conſiſtunt formam ſervantia teſtæ
Vina: nec hauſta meri, ſed data fruſta bibunt.
Quid loquar, ut vincti concreſcant frigore rivi,

De-

8. *Liquidus.* ] Non gelu aſtrictus. *Bella.* ] Quia hoſtes non poſſunt aquam tranare.

11. *Dum patet & Boreas & nix injecta ſub Arcto.* ] *Nix habitare* multi veteres. & *nox* duo. nam de nive mox ſequitur. etiam de Borea, ſeu Aquilone. Piget diverſas lectiones corradere. mihi enim totum diſtichon pro adulterino eſt. Proximo tamen verſu pro *patet* repono *liquet* ex quinque ſcriptis. eſt enim odioſa repetitio. *Heinſ.*

12. *Axe tremente.* ] Axe nutante nimio vento.

16. *Bima.* ] Nix duorum annorum.

19. *Pellibus & ſutis arcent mala frigora braccis.* ] Scribe *arcent male.* quicquid libri veteres diſſentiunt. neque hic tantum, ſed & lib. V. Eleg. VII.

*Pellibus & laxis arcent male frigora braccis.*

Vide Notas Faſtor. lib. II. vſ. 170. *Heinſ.*

20. *Oraque de toto.* ] Facies tantum non occultatur. *Berſm.*

22. *Candida barba.* ] Cana ſeu candida facta gelu, & quaſi argenteis ramentis aſperſa. *Pont.*

23. *Nudaque conſiſtunt Vina.* ] Lege *Udaque.* quod Combianus liber confirmat. Virgil. Georg. III.

—— *caeduntque ſecuribus humida vina.*

Heinſ. *Udaque conſiſtunt formam ſervantia teſta Vina.* ] Vina quoque nimio frigore gelata, vaſe fracto, formam ejus retinent.

25. *Ut cincti concreſcant frigore rivi.* ] *Juncti* quinque veteres. repone *vincti.* quomodo in Rottendorphiano poſtea inveni. Pont. lib. II. El. II.

*Terraque pacis inops, undaque vincta gelu.*

ubi perperam Cioſanus *junctaque* ex ſuis codicibus. Pont. III. El. I.

*In glacie freta vincta tenes.*

quæ & illic vera eſt ſcriptura. in Priapeis Epigr. LXIII.

*Rigetque cruda barba vincta cryſtallo.*

Sic ſcribe. vulgati *dura juncta cryſtallo.*

No-

Digitized by Google

Deque lacu fragiles effodiantur aquæ?
Ipſe, papyrifero qui non anguſtior amne
Miſcetur vaſto multa per ora freto,
Cæruleos ventis latices durantibus Iſter
Congelat, & tectis in mare ſerpit aquis.
Quaque rates ierant, pedibus nunc itur: & undas
Frigore concretas ungula pulſat equi.
Perque novos pontes ſubter labentibus undis
Ducunt Sarmatici barbara plauſtra boves.
Vix equidem credar: ſed cum ſint præmia falſi
Nulla, ratam teſtis debet habere fidem.
Vidimus ingentem glacie conſiſtere Pontum,
Lubricaque immotas teſta premebat aquas.
Nec vidiſſe ſat eſt. durum calcavimus æquor:
Undaque non udo ſub pede ſumma fuit.
Si tibi tale fretum quondam, Leandre, fuiſſet;
Non foret anguſtæ mors tua crimen aquæ.
Tum neque ſe pandi poſſunt delphines in auras
Tollere: conantes dura coërcet hyems.
Et quamvis Boreas jactatis inſonet alis,
Fluctus in obſeſſo gurgite nullus erit.
Incluſæque gelu ſtabunt, ut marmore puppes:

Nec

Noſter ſupra Eleg. 11.
*Vinctus ab aſſiduo frigore Pontus habet.* ubi *Uſtus* nunc legitur non male. *Heinſ.*

27. *Papyriſero amne.*] Nilo papyrum ferente.

28. *Multa per ora.*] Septem enim oſtiis Pontum influit.

29. *Cæruleos latices.*] Aquas fluentes & cæruleas. *Ventis durantibus.*] Ventis aſtringentibus & congelantibus.

30. *Tectis in mare ſerpit aquis.*] *Strictis* unus. Richelianus pro diverſâ lectione *tacitis.* quod & Bononienſis unus adſtruit. monui Met. XV. vſ. 275. *repit aquis* præterea Arondelianus. *Heinſius. Tectis aquis.*] Coopertis ipſa glacie. *In mare.*] In Pontum Euxinum.

33. *Per novos pontes.*] Novos appellat glaciem, ſub qua currit Iſter in Pontum, *Subter labentibus.*] *Subtus* Zulich. *Heinſ.*

40. *Summa fuit.*] *Fluit* Buſlidianus & Voſſii alter. *Idem.*

42. *Anguſta aqua.*] Helleſpontum deſignat, cujus anguſtiæ in latitudinem ſunt ſtadiorum ſeptem.

42. *In auras.*] Nam delphini (autore Plinio) tanta vi exiliunt, ut plerumque vela navium tranſvolent vento.

43. *Jactatis alis.*] Venti enim à poëtis finguntur eſſe alati. *Jactatis alis.*] Hinc auſter ales. Virgil. 8. *Treis imbris torti radios, treis nubis aquoſæ Addiderant, rutili treis ignis, & alitis auſtri.*

47. *Ut marmore.*] Plerique veteres *in.* Puto *ſeu marmore.* Verſu proximo pro *findere remus*, *ſtringere* duo veteres non male. totidem *fingere.* quatuor *pendere.* forte pro *tundere. fodere* Combianus. *H.*

50. *Sed*

Nec poterit rigidas findere remus aquas.
Vidimus in glacie piſces hærere ligatos:
Et pars ex illis tum quoque viva fuit.
Sive igitur nimii Boreæ vis ſæva marinas,
Sive redundatas flumine cogit aquas;
Protinus, æquato ſiccis Aquilonibus Iſtro,
Invehitur celeri barbarus hoſtis equo:
Hoſtis equo pollens longéque volante ſagittâ
Vicinam late depopulatur humum.
Diffugiunt alii; nulliſque tuentibus agros,
Incuſtoditæ diripiuntur opes.
Ruris opes parvæ pecus, & ſtridentia plauſtra;
Et quas divitias incola pauper habet.
Pars agitur vinctis poſt tergum capta lacertis;
Reſpiciens fruſtra rura Laremque ſuum.
Pars cadit hamatis miſerè confixa ſagittis:
Nam volucri ferro tinctile virus ineſt.
Quæ nequeunt ſecum ferre aut abducere, perdunt:
Et cremat inſontes hoſtica flamma caſas.
Tum quoque, cum pax eſt, trepidant formidine belli:
Nec quiſquam preſſo vomere ſulcat humum.
Aut videt, aut metuit locus hic, quem non videt, hoſtem.
Ceſſat iners rigido terra relicta ſitu.
Non hic pampineâ dulcis latet uva ſub umbrâ;
Nec cumulant altos fervida muſta lacus.
Poma negat regio: nec haberet Acontius, in quo
Scriberet hîc dominæ verba legenda ſuæ.

Aſpi-

50. *Sed pars ex illis.*] Lege, *Et pars. Id.*

55. *Hoſtis equo pollens.*] Sauromatas arbitror deſignare Ovidium. Plinius enim lib. 8. ſcribit, Scythas equitatus & equorum gloria ſtrepere.

61. *Pars agitur vinctis.*] Pars capta vincitur & in ſervitutem abripitur. *P.*

71. *Non hic.*] Thraciæ regio, quæ Iſtro pelagoque contingitur, nec cœlo læta eſt, nec ſolo: eorumque quæ feruntur, maligne admodum patiens. *Pampineâ umbra.*] *Vlmo* unus Mediceus. venuſte. Calpurnius,

*Inter pampineas ponetur vitibus ulmos.* Heinſ.

73. *Nec haberet Acontius.*] Cydippes & Acontii fabula nota eſt Ovidii epiſtolâ.

75. *Aſpi-*

Digitized by Google

Aſpicere eſt nudos ſine fronde ſine arbore campos.
  Heu loca felici non adeunda viro!
Ergo, tam latè pateat cum maximus orbis,
  Hæc eſt in pœnam terra reperta meam?

75. *Aſpiceres nudos.* ] Duo *Aſpicio.* unus *Aſpicies.* pro *Aſpicias.* Vide Notas lib. 1. Eleg. 1. prim. Vatican. cum alio, *Aſpiceret.* ut ad Acontium referatur. Sed verius puto refingendum, *Aſpicere eſt.* Heinſ.

78. *In pœnas meas.* ] *In pœnam meam* plerique. *Idem.*

## ELEGIA XI.

### ARGUMENTUM.

Si quis es, inſultes. ] *Crudeliſſimum quendam ſuppreſſo nomine accuſat Ovidius, quod quum in Scythica regione, orbatus omni re chara, in maximis degat incommodis, ille non his contentus, ei tamen inſultet: additque, magnum illi eſſe dedecus, oppugnare hominem proſtratum & jacentem. Monet poſtremo, ut memor humanæ ſortis, nolit amplius commemorare poëtæ crimina, ſed ea ſinat cicatricem obducere, cum præſertim nulla ejus fortuna poſſit fieri miſerior.*

SI quis es, inſultes qui caſibus improbe noſtris,
  Meque reum demto fine cruentus agas;
Natus es è ſcopulis, nutritus lacte ferino;
  Et dicam ſilices pectus habere tuum.
Quis gradus ulterior, quo ſe tua porrigat ira,
  Reſtat? quidve meis cernis abeſſe malis?
Barbara me tellus, & inhoſpita littora Ponti,
  Cumque ſuo Boreâ Mœnalis urſa videt.
Nulla mihi cum gente ferâ commercia linguæ:
  Omnia ſolliciti ſunt loca plena metûs.
Utque fugax avidis cervus deprenſus ab urſis,
  Cinctave montanis ut pavet agna lupis;
Sic ego belligeris à gentibus undique ſeptus
  Terreor, hoſte meum pæne premente latus.

Utque

SI quis es.] *Quiſquis es* puto ſcripſerat Noſter. *Heinſ.*

3. *Nutritus lacte ferino.* ] *Eductus* quinque. prim. Vatic. pri. Polit. & ſex alii *&* *paſtus.* Scribe, *es paſtus.* Idem.

4 *Quis gradus ulterior reſtat.* ] Quod aliud malum ſupereſt, quod iratus mihi cupias accidere?

6. *Cernis abeſſe malis.* ] Malim *credis.* Heinſ.

8. *Mænalis Urſa.* ] *Parrhaſides* duo veteres. ſic Faſt. IV. *Parrhaſides ſtella.* & Met. II. *Parrhaſis erubuit* de hac ipſa. *Idem.* *Urſa Mænalis.* ] Urſa Arcadia. Calliſto enim, quæ poſtea in urſam mutata dicitur, fuit ex Arcadia.

19. *Vala*

Digitized by Google

Utque ſit exiguum pœnæ, quod conjuge carâ,
Quod patriâ careo, pignoribuſque meis;
Ut mala nulla feram, niſi nudam Cæſaris iram;
Nuda parum nobis Cæſaris ira mali eſt?
Et tamen eſt aliquis, qui vulnera cruda retractet;
Solvat & in mores ora diſerta meos.
In cauſsâ facili cuivis licet eſſe diſerto:
Et minimæ vires frangere quaſſa valent.
Subruere eſt arces & ſtantia mœnia virtus:
Quamlibet ignavi præcipitata premunt.
Non ſum ego quod fueram. quid inanem proteris umbram?
Quid cinerem ſaxis buſtaque noſtra petis?
Hector erat tunc cum bello certabat; at idem
Vinctus ad Hæmonios non erat Hector equos.
Me quoque, quem noras olim, non eſſe memento.
Ex illo ſuperant hæc ſimulacra viro.



19. *Vulnera cruda retractat.*] Vulnus quod nondum coïvit renovat.

21. *In cauſa facili.*] In cauſa non difficili ad probandum.

25. *Proteris.*] Conculcas, pedibus teris. *Inanem umbram.*] Umbram ſine corpore, id eſt, me ſine ullis viribus.

26. *Non ſum qui fueram.*] *Non ſum ego quod fueram* cum pri. Vatic. & uno Mediceo. Uterque Politiani & quidam alii *Non ſum quod fueram.* nonnulli etiam, *Non ſum ego qui fueram.* bene. Propert. lib. I. Eleg. XII.

*Non ſum ego qui fueram. mutat via longa puellas.* Heinſ.

27. *Hector erat tunc cum bello certabat.*] Quo pacto cæſo Hectori inſultarint Græci invenies Iliad. χ.

Ὧδε δέ τις εἴπεσκεν ἰδὼν ἐς πλησίον ἄλλον,
Ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ μαλακώτερος ἀμφαφάασθαι
Ἕκτωρ, ἢ ὅτε νῆας ἐνέπρησεν πυρὶ κηλέῳ.

*Ne ſtrato illudas ignobile vulgus Achivûm:*
*Egregiè functum ſit violare pudor.*
*Non ita ſpirantem quiſquam tetigiſſet in armis.*
*Nunc impunè licet corpus inane premas.*

Οὐ γὰρ ἐσθλὰ κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ' ἀνδράσιν.

Servius tradit, moris fuiſſe antiquitus ut interemtos hoſtium duces omnis percuteret exercitus.

28. *Et idem Tractus ab Hæmonio non erat Hector equo*] *At idem* cum pri. Vatic. deinde *vinctus ad Hæmonios equos* cum prim. Polit. eodem Vaticano, & Rottendorphii codice, optimoque Mediceo. quo alludunt multi alii, in quibus *Vectus ab Hæmonio equo.* Heinſ.

30. *Hæc ſimulacra.*] Hoc corpus ſine viribus, & hanc fictam imaginem. Simulacra enim proprie ſunt mortuorum imagines, quæ ex deſiderio mortuorum ortæ ſunt: ut qui jam defecerant, vivere viderentur. His autem verbis Poëta ſe



Digitized by Google

Quid ſimulacra, ferox, dictis inceſſis amaris?
Parce, precor, manes ſollicitare meos.
Omnia vera puta mea crimina. nil ſit in illis,
Quod magis errorem, quam ſcelus, eſſe putes.
Pendimus en profugi (ſatia tua pectora) pœnas,
Exſilioque graves, exſiliique loco.
Carnifici Fortuna poteſt mea flenda videri:
Te tamen eſt uno judice mœſta parum.
Sævior es triſti Buſiride: ſævior illo,
Qui falſum lento torruit igne bovem.
Quique bovem Siculo fertur donaſſe tyranno,
Et dictis artes conciliaſſe ſuas.
Munere in hoc, Rex, eſt uſus, ſed imagine major:
Nec ſola eſt operis forma probanda mei.
Aſpicis à dextrâ latus hoc adapertile tauri?
Huc tibi, quem perdes, conjiciendus erit.
Protinus incluſum lentis carbonibus ure.
Mugiet, & veri vox erit illa bovis.
Pro quibus inventis, ut munus munere penſes,
Da, precor, ingenio præmia digna meo.
Dixerat. at Phalaris, Pœnæ mirande repertor,
Ipſe tuum præſens imbue, dixit, opus.

Nec

quaſi mortuum eſſe deſignat, necquicquam præter ſimulacrum reſtare ſignificat.

32. *Sollicitare.*] Inquietare. *Meos manes.*] Animam quæ à meo corpore diſceſſit.

37. *Carnifici.*] Crudeliſſimo homini.

38. *Merſa parum.*] *Mæſta* malo cum Barberiniano & Gottorpienſi. tres *menſa.* unus *verſa.* Zulichemianus *preſſa.* Heinſ.

40. *Qui falſum lento torruit igne bovem.*] Phalarim deſignat, Agrigentinorum tyrannum. de quo Paulus Oroſius.

41. *Quique bovem Siculo fertur.*] Perillum dicit. Eum crudelem fuiſſe Plin. aſſerit: & Propert. *Nonne fuit ſatius triſti ſervire tyranno, Et gemere in tauro ſæve Perille tuo?* Mer.

42. *Et dictis artes conciliaſſe.*] Et verbis ornaſſe munus atque artificium ſuum, illudque feciſſe acceptius. *Pont. Et dictis artes conciliaſſe ſuas.*]

Ἡ χάρις οὐ μακρῶν λόγων δεῖται.

Neſtor apud Eurip. Troad. Formula conciliandi in Plaut. Truc. 2. 7. vſ. 27.

*Juſſit orare, ut hæc grata haberes tibi.*

43. *Munere in hoc uſus rerum eſt, ſed imagine.*] Hæc ſunt Perilli verba ad Phalaridem regem.

52. *Ipſe tuum præſens imbue, dixit, opus.*] Unus Mediceus melioris notæ, *indue.* ſed nihil temere mutandum eſt. Pro *præſens*, quæ vox eſt nihili, Gottorpianus *primus* pro diverſa lectione. Scribe *princeps imbue opus.* cujus Tò *primus* interpretamentum eſt. De voce *princeps* vide quæ

Nec mora; monſtratis crudeliter ignibus uſtus
Exhibuit querulos ore tremente ſonos.
Quid mihi cum Siculis inter Scythiamque Getaſque?
Ad te, quiſquis is es, noſtra querela redit.
Utque ſitim noſtro poſſis explere cruore;
Quantaque vis, avido gaudia corde feras;
Tot mala ſum fugiens tellure, tot æquore paſſus,
Te quoque ut auditis poſſe dolere putem.
Crede mihi, ſi ſit nobis collatus Ulyſſes,
Neptuni minor eſt, quam Jovis ira fuit.
Ergo quicunque es, reſcindere vulnera noli;

De-

quæ noto Faſt. II. vſ. 714. *Heinſ.* *Imbue.* ] Incipe. Imbuere enim (autore Servio) eſt proprie inchoare & initiare. *Mer.* Vel tu primus experire. Nolo hinc diſcedas impunitus. *Pont.*

54. *Exhibuit geminos ore gemente ſonos.*] Nugæ ſunt de geminis ſonis. diu eſt quod *querulos ſonos* reponendos hic vidi. idque quinque veteres confirmant. Triſt. v. El. I.

*Ipſe Perilleo Phalaris permiſit in ære*
*Edere mugitus, & bovis ore queri.*

pro *Exhibuit* tres ſcripti cum Hamburgenſi *Emiſit.* Prætérea pri. Polit. *ore fremente.* multi alii *tremente.* ſed Propert. *Et gemere in tauro, ſæve Perille, tuo.* Silius libro XIV. de Perillo,

*Ille ubi torreret ſubjectis corpora flammis*
*Mutabat gemitus mugitibus, actaque veras*
*Credere erat ſtabulis armenta effundere voces.* Heinſ.

55. *Quid mihi cum.* ] Quid crudelitatem Phalaridis & Perilli Siculi refero. *Inter Scythiaſque Getaſque.* ] *Scythiroſque* plerique. alii *Scythicaſque* vel *Scythaſque.* Sed verum eſt, quod melioris notæ Vatic. Polit. Combian. & Mediceus agnoſcunt, *Scythiamque.* Paſſeratius ad lib. II. Propertii Eleg. XVI. *Scythiaſque* legit ex veteri libro: ſed non perſuadet. Naſo lib. II. Amor. El. XVI.

*Sed Scythiam, Cilicaſque feros, virideſque Britannos.* pro *Scythas.* Heinſ.

57. *Utque ſitim noſtro poſſis explere cruore.* ] Hierocles cum Bizantii eſſet judicio damnatus, & virgis conciſus, manante ex corpore lacerato ſanguine judicem adſperſit, ſubjiciens illud Ulyſſis apud Homerum,

Κύκλωψ τῆ πῖε οἶνον, ἐπεὶ φάγες ἀνδρόμεα κρέα.

62. *Neptuni minor eſt ira.*] Homer. Odyſſ. ι. & Odyſſ. ν. *Perpetuo rebus pater Ennoſigaus Ulyſſis Additus.* *Quam Jovis.* ] Quam Auguſti. *Reſcindere.* ] Noli iterum crimina mea lacerando commemorare, & retractare.

63. *Reſcindere crimina noli, Deque gravi duras vulnere tolle manus.* ] *Reſcindere vulnera* repone cum melioribus duodecim. nam alterum vix Latinum eſt. Sed offendi bonos cenſores quod Tò *vulnere* ſequenti verſu denuo occurrebat. ubi vel invitis libris *ulcere* refingendum. Rem. Am.

*—— Vulnuſque novatum*
*Scinditur. ——*

Met. XII.

*—— quid me meminiſſe malorum*
*Cogis, & obductum leviter reſcindere vulnus.*

quæ vera eſt ſcriptura. libro I.

*Immedicabile vulnus Enſe recidendum eſt.*

Ita & locus iſte ſcribendus, ut illic monebimus. *Heinſ.*



66. *Facta*

Digitized by Google

Deque gravi duras ulcere tolle manus:
Utque meæ famam tenuent oblivia culpæ,
Fata cicatricem ducere noſtra ſine.
Humanæque memor ſortis, quæ tollit eoſdem,
Et premit; incertas ipſe verêre vices.
Et quoniam, fieri quod nunquam poſſe putavi,
Eſt tibi de rebus maxima cura meis;
Non eſt quod timeas. Fortuna miſerrima noſtra eſt.
Omne trahit ſecum Cæſaris ira malum.
Quod magis ut liqueat, neve hoc tibi fingere credar;
Ipſe velim pœnas experiare meas.

66. *Facta cicatricem ducere.* ] Imo *Fata* cum prim. Vatic. Combiano & tribus aliis. *Idem.*

71. *Non eſt quid timeas. fortuna miſerrima noſtra eſt.* ] *Tuta eſt* ſex ſeptemve veteres. Forte,

*Non es, quem timeam. fortuna miſerrima tuta eſt.*

Pont. lib. II. El. II.

*Tuta petant alii. fortuna miſerrima tuta eſt.*
*Nam timor eventûs deterioris abeſt.*

Idem.

73. *Neve hoc ego fingere credar.* ] *Tibi credar* rectius duo veteres. *me credas* Leidenſis. *Idem.*

## ELEGIA XII.

### ARGUMENTUM.

Frigora jam.] *Frigoribus pulſis, adeſſe vernum tempus, cujus jucunditatem ex loco adjunctorum latius deſcribit: incipiuntque etiam nautæ tunc navigare: qui, ſi in Scythiam pervenerint, ſe illis dicit occurrere, ut ab his intelligat de Cæſaris triumphis. Quod ſi quis aliquid referre potuit, protinus à Poëta domum ducitur, fitque ejus hoſpes: precatur demum, ut domus, quam habebat in Scythia, non ſit perpetua Poëtæ ſedes, ſed hoſpitium, ut aliquando in patriam redeat.*

FRigora jam Zephyri minuunt: annoque peracto
[Longior antiquis viſa Mæotis hyems:]
Im-

2. *Longior antiquis viſa Mæotis hyems.*] Latet mendum. *Tardior antiqua* priſcæ editiones. Arondelianus *Largior*. Berſmannus, *meavit Hyems*. Forte *Boötis* vel *Boreïs hyems*, ut infra l. IV. El. VIII. *axem Boreum* dixit. Sed ne ſic quidem ſatis intelligas, quid velit. Sunt qui reponendum contendant,

*Longior à vobis verſa Mæotis hyems.*

hoc eſt, Hyems Mæotica jampridem à vobis, qui in Italia degitis, verſa eſt. cui conjecturæ aſſenſum præbere non poſſum. Cogitabam aliquando,

—— *anniſque peractis*
*Tardior antiquis viſa Mæotis hyems.*

Tò *Mæotis* etſi non ignoro quomodo defendi hic poſſit, tamen valde ſuſpectum eſt. *Heinſ.* *Hyems Mæotis.* ] Hyems Scythica. *Mer.* *Longior antiquis.* ] Micyllum torquet diphthongus in voce *Mæotis* correpta; & ille Eleg. I. lib. I. de Ponto affert hanc lectionem. *Tardior antiquis viſa recedit hyems.* Quibus verbis ſignificat, ſe jam annum in Ponto fuiſſe, iſtam-

Digitized by Google

mpoſitam ſibi qui non bene pertulit Hellen
Tempora nocturnis æqua diurna facit.
am violam puerique legunt hilareſque puellæ;
Ruſtica quam nullo terra ſerente gerit.
Prataque pubeſcunt variorum flore colorum,
Indocilique loquax gutture vernat avis.
Utque malæ crimen matris deponat hirundo,
Sub trabibus cunas parvaque tecta facit.
Herbaque, quæ latuit Cerealibus obruta ſulcis,
Exſerit è tepidâ molle cacumen humo.
Quoque loco eſt vitis, de palmite gemma movetur:
Nam procul à Getico littore vitis abeſt.
Quoque loco eſt arbor, turgeſcit in arbore ramus:

Nam

iſtamque tamen exactam hyemem multo ſibi longiorem viſam, quam præteritas ac veteres, quibus Romæ vixit. Hæc ille. Ego vocem *antiquis* non alio, quam ad antegreſſas hyemes referri poſſe arbitror. Niſi dicamus eam hyemem, de qua hic loquitur, viſam ſenibus Tomitanis tam longam, ut ejus ſimilem non meminerint. De ſyllaba in *Maotis* ſecunda correpta, certandum non puto. *Pont.*

3. *Impoſitamque ſibi.* ] Æquinoctium vernum deſcribit. *Qui non bene pertulit Hellen.* ] Aries qui poſtea inter ſidera collocatus fuit, Phrixum & Hellen per Helleſpontum tranſtulit. Sed Hellen decidiſſe in Helleſpontum, quam ob cauſam hîc Ovidius Arietem dicit non bene pertuliſſe Hellen.

4. *Tempora nocturnis.* ] Arietis ſignum ingreditur Sol menſe Martio, & vernum æquinoctium efficit. *Pont.*

6. *Ruraque quæ nullo nata ſerente ferunt.* ] Valde turbant hic libri veteres pri. Polit.

*Ruſtica quæ nullo terra ſerente venit.*

ſit etiam alter. niſi quod is *gerit.* quomodo & alii nonnulli. At pri. Vatic. prim. Pal. & quatuor præterea ex melioribus.

*Ruſtica quæ nullo nata ſerente venit.*

quidam,

*Ruſtica quas nullo terra ſerente vehit.*

vel *gerit.* quidam etiam, *Pomaque quæ nullo terra ſerente vehit*, vel, *rura vehunt.* Sed de pomis nugæ. cum agatur de verno tempore, non autumnali. alii aliter. Puto ſcribendum,

*Ruſtica quam nullo terra ſerente dedit.*

nam *violam* pro *violas* ſcripti quatuor vetuſtiores agnoſcunt. poteſt & *gerit* legi. quod in quibuſdam exſtat. *Heinſ.*

8. *Indocili gutture.* ] Non docto gutture: hoc eſt, quod à nullo doctum fuit niſi à natura. *Vernat.* ] Vere lætatur, laſcivit.

9. *Ut deponat crimen mala matris.* ] Ut deponendo in eis cunis & nidis pullos, videatur pia, & velle crimen filii quem occidit, ea educatione celare, nec mala mater dici. Nota eſt fabula Prognes, quæ Itym filium interfecit, & patri Tereo epulandum appoſuit, ut ulciſceretur vim ſorori turpiter illatam. Vide Ovid. 6. Metam.

10. *Sub trabibus cunas.* ] *Cunas*, hirundinis nidos appellat.

11. *Herbaque quæ latuit.* ] Frumentum quoque apparere oſtendit.

15. *Turgeſcit.* ] Tumet, ὀργᾷ. & Virgilius: *Zephyriſque tepentibus auras Laxant arva ſinus.*

 17. *Jam*

Digitized by Google

Nam procul à Geticis finibus arbor abeſt.
Otia nunc iſtic: junctiſque ex ordine ludis
Cedunt verboſi garrula bella fori.
Uſus equi nunc eſt, levibus nunc luditur armis:
Nunc pila, nunc celeri volvitur orbe trochus.
Nunc, ubi perfuſa eſt oleo labente juventus,
Defeſſos artus Virgine tingit aquâ.
Scena viget, ſtudiiſque favor diſtantibus ardet:
Proque tribus reſonant terna Theatra Foris.
O quater, & quoties non eſt numerare, beatum,
Non interdictâ cui licet Urbe frui!
At mihi ſentitur nix verno ſole ſoluta,
Quæque lacu duro vix fodiantur aquæ.
Nec mare concreſcit glacie: nec, ut ante, per Iſtrum
Stridula Sauromates plauſtra bubulcus agit.
Incipient aliquæ tamen huc adnare carinæ,

Ho-

17. *Junctiſque ex ordine ludis.* ] Ludos Megalenſes intelligit, qui fiebant 6. Id. Aprilis, vel ut eſt apud Liv. l. 29. pridie Idus: quod eo die Cæſar Jubam Mauritaniæ regem deviciſſet. *Ciofan.*

18. *Cedunt verboſi.* ] Non dicitur jus Romæ eo tempore, quo in ſcena ludi celebrantur.

19. *Luſus equo nunc eſt.* ] *Equis* vel *equi* in multis veterum. Scribe *Uſus equi nunc eſt* cum Combiano, Rottendorphiano & duobus aliis. Faſt. II.

*Nullus adhuc erat uſus equi.*

Metam. IV.

*Quem nec bella juvant, nec tela, nec uſus equorum.*

Virgil. lib. III. Georg.

*Sive boum, ſive eſt cui gratior uſus equorum.* Heinſ.

20. *Celeri orbe.* ] Celeri agitatione. *M.*
*Vertitur orbe trochus.* ] Horat. ad Piſones:

*Ludere qui neſcit, campeſtribus, &c.*
*Indoctuſque pilæ diſcive trochive quieſcit, &c.*

*Vertitur trochus.* ] *Volvitur* prim. Polit. & ſex aut ſeptem alii. *Heinſ.*

22. *Tingere gaudet aqua.* ] Romani veteres campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo juventus poſt exercitium armorum ſudorem, pulveremque dilueret.

23. *Studiis diſtantibus.* ] Favoribus diverſis. *Studiiſque favor diſtantibus ardet.* ]

*Tum vero ingeminat clamor, cunctique ſequentem*
*Inſtigant ſtudiis.* Virgil. 5.

in certamine navali. *ἐπευφήμησαν δὲ πάντες.* Argon. Apoll. 4. vſ. 295.

Μετ' εὐφημίας ἐβόησαν. Homer.
Ξύναυλος βοᾷ χαρᾷ. Eurip. Electr.
*Fremituque ſecundo.* Virgil.

24. *Cumque tribus reſonant terna Theatra Foris.* ] *Proque tribus* ſcribendum cum plurimis veterum. hoc eſt, quod ante dixerat,

*——junctis ex ordine ludis*
*Cedere verboſi garrula bella fori.*

Heinſ.

28. *Nec fodiantur.* ] *Vix fodiantur* ex tribus ſcriptis. *Idem.*

31. *Si tamen incipiunt aliqua huc adnare carinæ.* ] Scripti plerique, *Incipiunt aliquæ tamen huc* vel *Incipient.* Medonianus. *Incipiant.* Idem.

23. Hoſ-

Hoſpitaque in Ponti littore puppis erit;
edulus occurram naturæ: dictâque ſalute,
Quid veniat, quæram, quiſve, quibuſve locis.
Ille quidem mirum, nî de regione propinquâ
Non niſi vicinas cautus ararit aquas.
Rarus ab Italiâ tantum mare navita tranſit:
Littora rarus in hæc portubus orba venit.
Sive tamen Grajâ ſcierit, ſive ille Latinâ
Voce loqui; certè gratior hujus erit.
Fas quoque ab ore freti longæque Propontidos undis
Huc aliquem certo vela dediſſe Noto.
Quiſquis is eſt, memori rumorem voce referre,
Et fieri famæ parſque graduſque poteſt.
Is precor auditos poſſit narrare triumphos
Cæſaris, & Latio reddita vota Jovi:
Teque rebellatrix tandem Germania magni
Triſte caput pedibus ſuppoſuiſſe Ducis.
Hæc mihi qui referet, quæ non vidiſſe dolebo,
Ille meæ domui protinus hoſpes erit.
Hei mihi! jamne domus Scythico Naſonis in orbe?
[Jamque ſuum mihi dat pro Lare pœna locum?]

Dî

32. *Hoſpitaque in Ponti littore puppis adeſt.*] *Erit* plerique veteres. Scribe,

*Incipiant aliqua tamen huc adnare carina,*

*Hoſpitaque in Ponti littora puppis eat.*

vel, *Incipient ſi qua*, & *littore puppis erit.* Idem.

36. *Non niſi vicinas tutus ararat aquas.*] *Ararit* ſcribe ſic ſenſu exigente. nam *arabit* duo. totidem *ararat*. pro *tutus* etiam bene *cautus* in Voſſiano. Rem. Am.

*Præteritâ cautus Niſeide navita gaudet.*

Claudian. in Eutrop.

*Cautior ante tamen venturum navita Corum*

*Conſulit.*

Idem.

40. *Certe gratior hujus erit.*] *Uſus erit* priſcæ editiones & quidam ſcripti. Superiori verſu pro *Græca* unus Italicus *grata*. Lege *Graja voce*. Idem.

44. *Et fieri famæ parſque graduſque poteſt.*] Quaſi dicat: Rumor ille poterit ad partem aliquam, ſeu gradum veritatis pervenire.

47. *Teque rebellatrix tandem.*] De Tiberio intellige hoc loco, non de Druſo. Nam Druſus jam multo ante, lapſu equi, perierat. Tiberius autem, occiſo paulo ante Quintilio Varo, in Germaniam miſſus hoc tempore fuit, ut cladem acceptam ulciſceretur, & Germanos in ordinem redigeret. Hunc ergo optat poëta, devicta, ut ipſe ait, rebellatrice Germania, cum triumpho redire, idque ſe ex aliquo audire poſſe. *Mer.*

52. *Jamque ſuum mihi dat pro lare pœna locum.*] *Jamne* ſcribendum. pro *pœna* multi *terra*. Verſus ſuſpectus. *Heinſ.*

Dî faciant, Cæſar non hîc penetrale domumque,
Hoſpitium pœnæ ſed velit eſſe meæ.

53. *Di facite ut Cæſar.* ] *Hoc Cæſar* Zulichemianus. Lege *Di facito ô.* vide Notas Epiſt. 1. vſ. 101. niſi malis *Di faciant* cum tribus ſcriptis. *hoc penetrale* pro *hoc* [illegible] quidam. *Idem.* *Non velit hoc eſſe* [illegible] *le.* ] Non velit hanc eſſe domum.

## ELEGIA XIII.

### ARGUMENTUM.

Ecce ſupervacuus. ] *Quum natalis Poëta adeſſet, ſuperfluum fuiſſe di-cit, in ea loca illum veniſſe, ubi non licet illi ex more ſolemnia ſacra exhibere: monetque, ne amplius redeat, dum erit in Scythia.*

ECce ſupervacuus (quid enim fuit utile gigni?)
Ad ſua natalis tempora noſter adeſt.
Dure, quid ad miſeros veniebas exſulis annos?
Debueras illis impoſuiſſe modum.
Si tibi cura mei, vel ſi pudor ullus ineſſet;
Non ultra patriam me ſequerere meam.
Quoque loco primum tibi ſum male cognitus infans,
Illo tentaſſes ultimus eſſe mihi.
Jamque relinquendâ (quod idem fecêre ſodales)
Tu quoque dixiſſes triſtis in Urbe, Vale.
Quid tibi cum Ponto? num te quoque Cæſaris ira
Extremam gelidi miſit in orbis humum?
Scilicet exſpectas ſoliti tibi moris honorem,
Pendeat ex humeris veſtis ut alba meis?
Fumida cingatur florentibus ara coronis?

Mica-

QUid enim fuit utile naſci. ] *Gigni* meliores. niſi quod pri. Polit. pri. Vatic. & Medic. *nobis.* Heinſ.

3. *Miſeros exulis annos.* ] *Miſeri* Rottendorph. *Idem.*

5. *Pudor ullus adeſſet.* ] *Ineſſet* plerique. *Idem.*

7. *Quoque loco primum.* ] Sulmone, quum primum natus fui. *Sum male cognitus.* ] Sum infœliciter cognitus, malis & infortuniis exilii.

9. *Inque relinquendo.* ] *Relinquendum* pri. Polit. & duo alii. Scribe,

*Jamque relinquenda (quod idem fecere ſodales)*
*Tu quoque dixiſſes triſtis in Urbe, Vale.*
Heinſ.

12. *Extremum gelidi miſit in orbis humum.* ] Malim *Getici orbis.* Idem.

13. *Scilicet exſpectas ſolitum tibi moris honorem.* ] *Soliti* in nonnullis ſcriptis. Puto *ſoliti mihi moris honorem.* Idem.

14. *Veſtis ut alba.* ] Quam induebant qui natalem celebrabant.

15. *Fumida cingatur.* ] Solebant enim die natali honorem diis exhibere, & Genio

Micaque ſollemni thuris in igne ſonet?
Libaque dem pro me genitale notantia tempus?
Concipiamque bonas ore favente preces?
[Non ita ſum poſitus: nec ſunt ea tempora nobis,]
Adventu poſſim lætus ut eſſe tuo.
Funeris ara mihi ferali cincta cupreſſo
Convenit, & ſtructis flamma parata rogis.
Nec dare thura libet nihil exorantia Divos:
In tantis ſubeunt nec bona verba malis.
Si tamen eſt aliquid nobis hac luce petendum;
In loca ne redeas amplius iſta, precor:
Dum me terrarum pars pæne noviſſima Pontus,
Euxini falſo nomine dictus, habet.

nio potiſſimum, cujus aram ſertis coronatam thure vaporabant. Tibullus: *Urantur pia thura focis, urantur odores.* Mer.

16. *In igne ſonet.*] *Crepet* Voſſianus ut in Faſtis,

*Et crepet in mediis laurus aduſta focis.*

ſed lib. IV. El. II.

*Thuraque in igne ſonant.* Idem.

*Sonet.*] Nam à ſonitu & crepitu tam thuris, quam lauri ardentium, felix omen captabat. *Pont.*

17. *Libaque dem pro te.*] *Dem proprie* plerique. Sed prim. Polit. *dem pro me.* quod ſequor. *Heinſ.* *Libaque dem pro te geniale notantia.*] Servius ſcribit, libum placentam fuiſſe, quæ farre, melle, & oleo conſtabat, & apta erat ſacrificiis. Eaque die natali diſcumbentibus apponebant. nemo autem prius guſtabat, quam is qui ſuum natalem celebrat: omnes autem, qui libum guſtaſſent, bene precari oportebat. *Genius* deus eſt, cujus in tutela ut quiſque natus eſt vivit: ſive quod nos genitos ſuſcipiat ac tueatur.

18. *Ore favente.*] Εὐφημοῦντι. Favere autem eſt bona fari.

19. *Non ita ſum poſitus, non ſunt ea tempora nobis.*] *Non ita ſuppoſitus* pri. Vaticanus. Verſus eſt aut mendoſus aut adulteratus. Hafnienſis,

*—— nec ſunt tam proſpera nobis.*

Heinſ.

21. *Funeris ara mihi ferali cincta cupreſſu.*] *Cupreſſo* meliores. Malo etiam *Funebris ara.* ſic *funebres cupreſſos* & *funebre bellum* media ſyllaba correpta dixit Horatius. ſic *funebria ſacra* Triſt. IV. El. IV. In Ibide tamen,

*Jam ſtat, ut ipſe vides, funeris ara tui.*

Idem.

22. *Flamma parata rogis.*] *Reperta* quinque veteres. pri. Vatic. & quatuor alii *peracta.* Idem.

24. *Nec bona verba.*] Tibullus: *Dicamus bona verba, venit natalis ad aras.* Met.

25. *Si tamen eſt aliquid nobis, &c.*] Hoc dicit, quia natalem celebrantes, à diis aliquid petebant.

27. *Pars pene noviſſima Ponti Euxinus.*] *Pontus* multi veteres. Scribe,

*Dum me terrarum pars pene noviſſima Pontus,*
*Euxini falſo nomine dictus, habet.*

Heinſ.

28. *Euxinus falſo, &c.*] Nam circa Euxinum loca ſunt aſperrima, & fera, genteſque etiam immites, quum ab inhoſpitali feritate, rectius *Axenus* appellaretur.

## ELEGIA XIV.

### ARGUMENTUM.

Cultor &c.] *Amici colligentis ejus ſcripta, fidem & amorem laudat Poëta: hortaturque ut quoad poteſt, ejus nomen in urbe retineat. Simulque exponit Metamorphoſis opus inemendatum è manibus exiiſſe. Poſtremo dicit, quicquid exilii tempore compoſitum à ſe fuit in Scythia, excuſandum eſſe.*

CUltor & antiſtes doctorum ſancte virorum,
Qui facis ingenio ſemper amice meo;
Ecquid, ut incolumem quondam celebrare ſolebas,
Nunc quoque, ne videar totus abeſſe, caves?
Colligis exceptis ecquid mea carmina ſolis
Artibus, artifici quæ nocuêre ſuo?
Immo ita fac, vatum, quæſo, ſtudioſe novorum:
Quaque potes, retine corpus in Urbe meum.
Eſt fuga dicta mihi, non eſt fuga dicta libellis,
Qui domini pœnam non meruêre ſui.
Sæpe per extremas profugus pater exſulat oras;
Urbe tamen natis exſulis eſſe licet.
Palladis exemplo, de me ſine matre creata
Carmina ſunt. ſtirps hæc progenieſque mea eſt.
Hanc tibi commendo: quæ quo magis orba parente,
Hoc tibi tutori ſarcina major erit.
Tres mihi ſunt nati contagia noſtra ſecuti:

Cæ-

ANtiſtes.] Qui alios omnes antecedis, q. προςάτης: ducta appellatione vel à re militari, vel à ſacrorum conſuetudine. *Berſm.*

2. *Quid facis.*] *Qui facis* ſcripti. *Heinſ.*

5. *Suſcipis.*] *Confi is* octo vetuſtiores. plures *Conſpicis.* nec pauci *Colligis.* quod ſequor. unus *Excipis.* alius *Exigis.* Idem.

8. *Retine nomen in urbe meum.*] *Corpus* major pars veterum. argute & vere. ſic lib. 11. de ſcriptis Virgilianis,

*Nec legitur pars ulla magis de corpore toto,*
*Quam non legitimo fœdere junctus amor.* Idem.

11. *Sæpe per externas.*] *Extremas* multi. & placet. *Idem.*

13. *Palladis exemplo.*] Tertio Faſtorum Ovid. *Aut quia de capitis fertur ſine matre paterni Vertice cum clypeo proſiluiſſe ſuo.* unde & ἀμήτωρ Græcis dicta; quia Sapientia ſolius Dei munus ſit, & cum voluptate corporis non conſiſtat. Quem ob cauſſam Muſas quoque virgines finxit antiquitas. *Pont.*

15. *Hanc tibi commendo.*] Opinor legendum *Hac.* & ſequenti verſu *ſarcina major erunt.* Heinſ.

17. *Tres mibi ſunt nati.*] Tres illos de Arte amandi libros ſignificat. *Contagia noſtra.*] Noſtra mala: nam & ipſi ex urbe ejecti ſunt.

18. *Sis*

Digitized by Google

Cætera fac curæ ſit tibi turba palam.
Sunt quoque mutatæ ter quinque volumina formæ,
Carmina de domini funere rapta ſui.
Illud opus potuit, ſi non prius ipſe perîſſem,
Certius à ſummâ nomen habere manu.
Nunc incorrectum populi pervenit in ora:
In populi quicquam ſi tamen ore meum eſt.
Hoc quoque neſcio quid noſtris appone libellis,
Diverſo miſſum quod tibi ab orbe venit.
Quod quicunque leget, (ſi quis leget) æſtimet ante
Compoſitum quo ſit tempore, quoque loco.
Æquus erit ſcriptis; quorum cognoverit eſſe
Exſilium tempus, barbariemque locum.
Inque tot adverſis carmen mirabitur ullum
Ducere me triſti ſuſtinuiſſe manu.
Ingenium fregêre meum mala: cujus & ante
Fons infœcundus parvaque vena fuit.
Sed quæcunque fuit, nullo exercente refugit,
Et longo periit arida facta ſitu.
Non hic librorum, per quos inviter alarque,
Copia. pro libris arcus & arma ſonant.
Nullus in hac terrâ, recitem ſi carmina, cujus
Intellecturis auribus utar, adeſt.
Nec quo ſecedam locus eſt. cuſtodia muri
Submovet infeſtos clauſaque porta Getas.
[Sæpe aliquod verbum quæro, nomenque, locumque:
Nec quiſquam eſt, à quo certior eſſe queam.]
Dicere ſæpe aliquid conanti (turpe fateri)
Verba mihi deſunt; dedidicique loqui.

Threï-

18. *Sit tibi turba.* ] *Sint* Richelianus. *Heinſ.*

19. *Sunt quoque.* ] Lege *ſint.* nempe curæ tibi. *Idem.*

20. *De domini funere.* ] Subita enim relegatione opus illud inemendatum emiſſum eſt.

34. *Parvaque vena.* ] Malim *parcaque.* ſic *pauperem venam* & *divitem* alibi dixit. *Heinſ.*

37. *Per quos inviter.* ] *Suſtenter* multi veteres. *Idem.*

43. *Sæpe aliquod verbum.* ] Hic denuo ſciolus aliquis importune graſſatus eſt. Sequitur enim mox, *Verba mihi deſunt.* Idem.

51. *Qua-*

Digitized by Google

Threïcio Scythicoque ferè circumſonor ore:
  Et videor Geticis ſcribere poſſe modis.
Crede mihi; timeo ne ſint immiſta Latinis,
  Inque meis ſcriptis Pontica verba legas.
Qualemcunque igitur veniâ dignare libellum:
  Sortis & excuſa conditione meæ.

51. *Qualemcunque legas.*] *Igitur* pri. Polit. pri. Vatic. prim. Palat. opt. Medic. & Rottendorphianus. quidam *legis*. & ber Petri Servii *tamen*. Idem.

# P. OVIDII NASONIS
# TRISTIUM
## LIBER IV.
### ELEGIA I.
### ARGUMENTUM.

Si qua meis fuerint.] *Excuſandos eſſe dicit Poëta ſuos libellos, ſi quid fuerit in his reprehendendum: ſiquidem exul hæc ſcribebat, non gloriæ cupiditate, ſed ut requiem peteret, & dolorem exilii carminibus conſolaretur. Enumerat poſtremo mala, quæ patitur in Scythia.*

SI qua meis fuerint, ut erunt, vitioſa libellis;
  Excuſata ſuo tempore, lector, habe.
Exſul eram; requieſque mihi, non fama petita eſt:
  Mens intenta ſuis ne foret uſque malis.
Hoc eſt cur cantet vinctus quoque compede foſſor,
  Indocili numero cum grave mollit opus:
Cantet & innitens limoſæ pronus arenæ
  Adverſo tardam qui trahit amne ratem.
Quique refert pariter lentos ad pectora remos,
  In numerum pulsâ brachia verſat aquâ.
Feſſus ut incubuit baculo, ſaxove reſedit
  Paſtor; arundineo carmine mulcet oves.

Can-

7. C*Antat.*] *Cantet* cum ſcriptis. præcedentia id exigunt. *Heinſ.*

12. *Arundineo carmine.*] Fiſtulæ cantu.

15. *Ac*

Cantantis pariter, pariter data penſa trahentis
　Fallitur ancillæ decipiturque labor.
Fertur & abductâ Lyrneſſide triſtis Achilles
　Hæmoniâ curas attenuaſſe lyrâ.
Cum traheret ſilvas Orpheus & dura canendo
　Saxa; bis amiſſa conjuge mœſtus erat.
Me quoque Muſa levat Ponti loca juſſa petentem.
　Sola comes noſtræ perſtitit illa fugæ.
Sola nec inſidias, Threci nec militis enſem,
　Nec mare, nec ventos, barbariemque timet.
Scit quoque, cum perii, quis me deceperit error:

Et

15. *Abducta Lyrneſide.* ] Abducta Hippodamia Briſei filia. Lyrneſum autem oppidum fuit in ora Trojana, contra Lesbon, Hippodamiæ patria: unde ipſa *Lyrneſia* appellata eſt. Excuſi quidam habent, *Briſeïde. Briſeïde triſtis Achilles.*] *Lerneſide* plurimi ex antiquis. priſcæ editiones *Lyrneſide.* Arondelianus *Lerneide.* Scribe *Lyrneſſide.* λύρνησσος enim Græcis hoc oppidum, uni Heſychio λύρνησος eſt. *Heinſ.*

16. *Æmonia lyra.* ] Lyra Achillis Æmonii, hoc eſt, Theſſali. Æmon enim rex fuit Theſſaliæ, à quo Æmonia Theſſalia coguominata fuit, quæ poſtea ab ejus filio Theſſalo appellari cœpta fuit.

21. *Sola nec inſidias inter, nec militis enſem.* ] Verſus haud dubie corruptus. *Inter nec Thracia tela* octo veteres. *interque Threicia tela* decem. unus *intra nec Threicia tela.* Barberinius, *inter crudelia tela.* alius *inter Tirintia tela.* alius item, *interque irentia tela* Combii, *hominum nec Thracia tela.* alii aliter Scribo,

*Sola nec inſidias, Threci nec militis enſem.* vel,

*Sola nec inſidias, nec iter, nec Threcia tela.*

Videtur enim expoſitus gladiis latronum Thracum fuiſſe. Pont. lib. IV. El. V. de ſe:

*Sanguine Biſtonium quod non tepefecerit enſem,*
*Effectum cura pectoris eſſe tui.*

*Threcus miles* pro *Thracus.* ſic apud Horatium lib. I. Epiſt. XVI. in vetuſtiſſimo Leidenſis Bibliothecæ codice ſcribitur,

*——— ut nec*
*Frigidior Threcam nec purior ambiat Hebrus.*

non *Thracam.* Plura notavimus ad Epiſt. XIX. vſ. 26. apud Ciceronem lib. I. Officiorum de Alexandro Pheræo, *in cubiculum veniens, barbarum, & eum quidem notis Threïciis compunctum, diſtricto gladio jubebat anteire.* quæ fere totidem verbis apud Valerium Maximum habes lib. IX. cap. XIII. In Ciceronis codicibus nonnullis Langius & Lambinus *Thraciis* monent legi. atque ita in antiquiſſimis Curtii libris Franciſcus Fabricius ſe teſtatur inveniſſe. Quomodo in Faſtis Capitolinis M. LICINIUS M. F. M. N. CRASSUS PROCOS. A. DCCXXV. EX THRÆCIA ET GETEIS IV. NON. JUL. Cæterum in Valerio Maximo quidam Codices *Thracis* habent. ex duobus meis unus vulgatam ſcripturam agnoſcit. alter *Thraiciis.* Legendum ex iiſdem iſthic loci *Hoc rege inferior Alexander.* non *infelicior*, quod eſt in vulgatis. *Thraces* apud Feſtum. Vide quæ notamus ad Epiſt. XIX. vſ. 26. unus Vatic. etiam non male, *nec diri militis enſem.* Sequenti verſu *barbariemque* pro *barbariamque* multi veteres. monui ſupra lib. III. El. X. *Heinſ.*

v 6. Cum

Et culpam in facto, non ſcelus, eſſe meo.
Scilicet hoc ipſo nunc æqua, quod obfuit ante,
Cum mecum juncti criminis acta rea eſt.
Non equidem vellem, quoniam nocitura fuerunt,
Pïeridum ſacris impoſuiſſe manum.
Sed nunc quid faciam? vis me tenet ipſa ſororum:
Et carmen demens carmine læſus amo.
Sic nova Dulichio lotos guſtata palato,
Illo, quo nocuit, grata ſapore fuit.
Sentit amans ſua damna ferè; tamen hæret in illis:
Materiam culpæ perſequiturque ſuæ.
Nos quoque delectant, quamvis nocuêre, libelli:
Quodque mihi telum vulnera fecit, amo.
Forſitan hoc ſtudium poſſit furor eſſe videri:
Sed quiddam furor hic utilitatis habet.
Semper in obtutu mentem vetat eſſe malorum;
Præſentis caſûs immemoremque facit.
Utque ſuum Bacchis non ſentit ſaucia vulnus,
Dum ſtupet Edonis exululata jugis;

Sic,

26. *Cum mecum juncti.* ] *Adjuncti* multi ex præſtantioribus. Forte, *ab juncti.* Idem.

29. *Vis me tenet ipſa ſacrorum.* ] *Sororum* ſex Veteres. quod placet. hoc eſt, Muſarum. Vide Notas Met. IV. 470. ubi *ſorores* pro Furiis ponuntur. nam ex contextu orationis ſatis agnoſci poteſt ac deprehendi, de quibus ſororibus agatur. duo codices *vis me tenet ipſa locorum.* Infra lib. IV. Eleg. X. *Aonias ſorores.* & lib. V. El. XII. *novem ſorores* dixit. *Idem.* *Vis me tenet ipſa.* ] Nequeo hæc ſtudia deponere. *Pont.*

31. *Sic nova Dulichio.* ] Homerus l. 9. Odyſſ. ſcribit, Ulyſſem tempeſtate actum, in Africam ad Lothophagos acceſſiſſe, ejuſque ſocios guſtata loto, reditum in patriam oblitos fuiſſe: quos invitos & flentes coëgit Ulyſſes navem conſcendere. Fuere autem *Lothophagi* populi in Africa, à loto arbore appellati, cujus fructus ſunt magnitudine fabæ. colore croci, tam dulcis, ut advenis incutiant patriæ oblivionem. ut docet Plinius libro decimotertio.

34. *Materiam culpa ſua.* ] Malim *curæ ſuæ.* hoc eſt flammæ vel amoris. Vide Notas Rem. Am. vſ. 49. *Heinſ.*

41. *Bacchis.* ] Phœbas vates Apollinis, quæ Baccho orgia celebrat, furore correpta, qualis mater Penthei, & ſimiles deſcribuntur 3. Metam. *Saucia.* ] Deo plena. *Non ſentit ſuum vulnus.* ] Non ſentit ſuum furorem.

42. *Dum ſtupet Idæis exululata jugis.* ] Prim. Politiani *Idonis.* Lege *Edonis*, & vide Notas Remed. Amor. vſ. 593. Superiori verſu pro *Bacche*, pri. Vatic. & codex Petri Servii *Bacchis.* Certe Βακχίδες Ariſtoteli in Problematis, & Plutarcho eædem, quæ aliis Βάκχαι. Heſychius Θυιὰς βακχίς. οἱ δὲ Μαινάς. pro *Idæis jugis* pri. Polit. pri. Vatic. multique alii cum primis editionibus. *modis.* quomodo Statius Theb. V.

vel-

Sic, ubi mota calent viridi mea pectora thyrſo,
Altior humano ſpiritus ille malo eſt.
[Ille nec exſilium, Scythici nec littora ponti,
Ille nec iratos ſentit habere Deos.]
Utque ſoporiferæ biberem ſi pocula Lethes,
Temporis adverſi ſic mihi ſenſus hebet.
Jure Deas igitur veneror mala noſtra levantes;
Sollicitæ comites ex Helicone fugæ:
Et partim pelago, partim veſtigia terrâ,
Vel rate dignatas, vel pede noſtra ſequi.
Sint precor hæ ſaltem faciles mihi: namque Deorum
Cætera cum magno Cæſare turba facit.
Meque tot adverſis cumulant, quot littus arenas,
Quotque fretum piſces, ovaque piſcis habet.
Vere prius flores, æſtu numerabis ariſtas,

Poma

——*veluti Teumeſia Thyas*
*Rapta Deo, cum ſacra vocant, Idaaque ſuadet*
*Buxus*,

Cæterum *Edonis jugis* amplector præ vulgata lectione *jugis Idæis*. ſic *Edonus Boreas* Maroni lib. XII. Æneid. *Edona hyemes* apud Statium & Claudianum. & *Edoni venti* apud Valerium Flaccum. produxit quoque ſecundam ſyllabam Horatius, *non ego levius Bacchabor Edonis*. quare fruſtra ſunt, qui *Edoninus* pro *Edono* reponunt. In *Edonis* tamen ambigua eſt ſyllaba, quomodo & in *Sidonis*. ſic *matres Edonides omnes* apud Noſtrum lib. XI. Met. & apud Propertium,

*Nec minus aſſiduis Edonis laſſa choreis.*

cum Lucanus corripuerit,

*Edonis Ogygio decurrens plena Lyæo.*

Quo loco Salmaſius Solinianis exercitationibus *Odonis* reponi jubet. cum Odones ſint populus Thraciæ. ſed non meminerat Silium quoque Italicum ſecundam ſyllabam corripuiſſe. Virgilius in Ciri ſecundam in *Biſtonis* producit,

*Sæva velut gelidis Ciconum Biſtonis in oris*
*Ictave barbarico Cybeles antiſtita buxo.*

Sed fortaſſis illic reponendum,

*Sæva velut Ciconum gelidis Edonis in oris.* Heinſ.

*Dum ſtupet.*] Dum eſt attonita. *Modis Idæis.*] Vocibus, vel modis, quibus Bacchi ſacerdotes utuntur in Ida monte Cretæ; matrem deûm clamitantes.

43. *Sacro mea pectora thyrſo.*] *Viridi thyrſo* prim. Vatic. Rottendorph. alter Polit. & octo alii. *Heinſ.* *Thyrſo.*] In ſacris Bacchi ſacerdotes ejus geſtabant thyrſos, haſtas pampinis circumvolutas; pampineas haſtas vocat Virgil. ipſi *thyrſigeri* dicti. *Pont.*

46. *Sentit habere deos.*] *Adeſſe* ſeptem veteres. Forte *ſentit habereve. habere Deos iratos* ut apud Petronium, *Junonem meam iratam habeam.* Sed diſtichon eſt ſuſpectum. *Heinſ.*

48. *Temporis adverſi ſic mihi ſenſus abeſt.*] *Adeſt* Gottorph. Medonianus *abit.* pri. Vatican. *tempus hebet.* Scribe, *Senſus hebet.* ſic alibi,

*Da mihi, ſi quid ea eſt, hebetantem pectora Lethen.*

*hebes ſenſus* apud Ciceronem occurrit. *Id.*

55. *Meque tot adverſis cumulat.*] *Cumulant* nonnulli. *Idem.*

60. *Dum*

Digitized by Google

Poma per autumnum, frigoribuſque nives;
Quam mala, quæ toto patior jactatus in orbe,
Dum miſer Euxini littora læva peto.
Nec tamen, ut veni, levior fortuna malorum eſt:
Huc quoque ſunt noſtras fata ſecuta vias.
Hîc quoque cognoſco natalis ſtamina noſtri;
Stamina de nigro vellere facta mihi.
Utque nec inſidias, capitiſque pericula narrem,
Vera quidem, verâ ſed graviora fide;
Vivere quam miſerum eſt inter Beſſoſque Getaſque
Illi, qui populi ſemper in ore fuit!
Quam miſerum, portâ vitam muroque tueri,
Vixque ſui tutum viribus eſſe loci!
Aſpera militiæ juvenis certamina fugi,
Nec niſi luſurâ movimus arma manu.
Nunc ſenior gladioque latus ſcutoque ſiniſtram
Canitiem galeæ ſubjicioque meam.
Nam dedit è ſpeculâ cuſtos ubi ſigna tumultûs;
Induimur trepidâ protinus arma manu.

Ho-

60. *Dum miſer Euxini littora ſæva peto.* ] *Juſta* bene Medonianus. niſi quod *littora læva* rectius ſcribetur cum Buslidiano. Triſt. I. El. II.

*Obligor ut tangam lævi fera littora Ponti.*

Pont. lib. IV. El. IX.

*Is quoque, quo lævus fuerat ſub præſide Pontus.*

quæ & ibi vera lectio. *ſiniſtrum Pontum* alibi non uno loco appellat, & paſſim ad id nomen alludit. *Idem.*

61. *Ut veni.* ] Poſteaquam in Scythiam perveni. *Nec tamen levior.* ] Nec tamen in præſentia, minori, quam antea me afficit pœna. quaſi dicat: Credideram me tantum doliturum, quod patria carerem: ſed alia etiam mala non leviora, quæ ſtatim Poëta ſubjungit, me angunt.

66. *Vera quidem vidi, ſed graviora fide.* ] Combianus & unus Vaticanus optime,

*Vera quidem, verâ ſed graviora fide.*

Vide Notas ad Epiſt. XVI. vſ. 39. *Heinſ.*

68. *Illum.* ] *Illi* rectius Gottorph. Junianus, & Moretanus codices. *Id.*

70. *Tutum viribus eſſe loci.* ] Aut ſcribe *turribus*, aut, quod pro diverſa lectione in Combiano erat notatum, *mœnibus.* Sic Triſt. V. El. II.

*Vixque brevis tutum murus ab hoſte facit.* Idem.

71. *Fugi aſpera certamina militiæ.* ] Juvenis enim Ovidius in Aſia militavit.

75. *Tumultus* ] Timoris: quod Getæ armati contra non adventare nuntiabantur.

76. *Induimus trepida protinus arma manu.* ] Combianus longe venuſtius, *induimur.* qui Græciſmus noſtro valde familiaris. Auſonius Idyll. XXXII.

*Ut trabeam pictamque togam mea præmia Conſul*
*Induerer.*

Met. XIV. ex veteri libro,

tr-

Hoſtis, habens arcus imbutaque tela veneno,
  Sævus anhelanti mœnia luſtrat equo.
Utque rapax pecudem, quæ ſe non texit ovili,
  Per ſata, per ſilvas, fertque trahitque lupus,
Sic, ſi quem nondum portarum ſepe receptum
  Barbarus in campis repperit hoſtis, agit.
Aut ſequitur captus, conjectaque vincula collo
  Accipit; aut telo virus habente cadit.
Hîc ego ſollicitæ jaceo novus incola ſedis.
  Heu nimium fati tempora longa mei!

Et

*Induitur ſcalas, lecturum poma putares.*

Ibidem,

*—— dum Martius arma*
*Induitur miles.*

Sic & ibi ſcribendum puto. *Heinſ.* *Trepida manu.*] Nos trepidi, feſtinabundi in timore tanto.

78. *Mœnia luſtrat equo.*] *Cingit* tres ſcripti apud me, ſed non ex melioribus, quomodo & ex Pircheimeriano, quem egó Aróndelianum voco, Gronovius Obſervat. lib. II. cap. III. Sed vulgata lectio non eſt ſollicitanda. Pont. I. Eleg. II. qui locus huic geminus.

*His eques inſtructus perterrita mœnia luſtrat,*
*More lupi pavidas circueuntis oves.*

Virgil. Æn. XI.

*Luſtrat eques muros, aditumque per avia quærit.*

Silius libro I.

*Ipſe caput quaſſans circumluſtravit anhelo*
*Mœnia ſævus equo.*

Heinſ.

79. *Utque rapax pecudem.*] *Prædam* pro diverſa lectione Gottorphianus. eleganter. hic *Prædones lupos* vocat Met. X. vox eſt venatoria. Vide Notas ad Claudiani Feſcennina in Nuptias Honorii. Actæon *præda ſuis canibus* dicitur Triſt. II. *Idem.*

80. *Fertque refertque lupus.*] *Fertque trahitque* primæ editiones & præſtantiores ſcripti magno numero. quod mutari non debuit. *Idem.*

81. *Portarum ſede receptum.*] *Portarum ſepe* pro diverſa lectione Rottendorph. Moret. Barberin. & Medon. optime. *ſeptem* pro *ſepto* dixit. Varro certe lib. I. de Re Ruſtica *ſeptem*, *ſeptum* & *ſepimentum* parum inter ſe differre oſtendit: *cui ſepimentum eſt, quod virgultis ſolet obſeri, ſepes ex agreſti ligno.* Vide Notas Met. IV. vſ. 89. *Idem.*

82. *Hoſtis habet.*] *Agit* longe elegantius multi ex antiquis. hoc eſt quod ſupra dixerat, *fertque trahitque. agere* & *ferre* frequenter conjungunt hiſtorici. apud quos etiam obvium *agere prædam*, *agere captivos* & ſimilia Triſt. V. El. X.

*Cum minime credas, ut avis, denſiſſimus hoſtis*
*Advolat, & prædam vix bene viſus agit:*

Seneca Medea Act. III. ex optimo codice Mediceo,

*Ex opibus illis, quas procul raptas Scytha*
*Uſque à peruſtis India populis agunt.*

Vulgati *petunt*. Idem.

84. *Telo virus habente perit.*] *Cadit* Junian. & pro diverſa lectione Gottorph. & Rottendorph. ſupra lib. III.

*Pars cadit hamatis miſere confixa ſagittis.*

Faſtor. V.

*Et cecidit telis Haſdrubal ipſe ſuis.*

Idem.

86. *Fati tempora lenta mei.*] *Longa* ſcripti plerique. *Idem.*



91. *Ipſe*

Digitized by Google

Et tamen ad numeros antiquaque ſacra reverti
Suſtinet in tantis hoſpita Muſa malis.
Sed neque cui recitem quiſquam eſt mea carmina; nec qui
Auribus accipiat verba Latina ſuis.
Ipſe mihi (quid enim faciam?) ſcriboque legoque:
Tutaque judicio littera noſtra ſuo eſt.
Sæpe tamen dixi, Cui nunc hæc cura laborat?
An mea Sauromatæ ſcripta Getæque legent?
Sæpe etiam lacrymæ me ſunt ſcribente profuſæ,
Humidaque eſt fletu littera facta meo.
Corque vetuſta meum tanquam nova vulnera ſentit;
Inque ſinum mœſtæ labitur imber aquæ.
Cum vice mutatâ quid ſim fuerimque recordor,
Et tulerit quo me caſus, & unde, ſubit;
Sæpe manus demens ſtudiis irata malignis
Miſit in arſuros carmina noſtra focos.
Atque ita de multis, quoniam non multa ſuperſunt,
Cum veniâ facito, quiſquis es, iſta legas.
Tu quoque non melius, quam ſunt mea tempora, carmen
Interdicta mihi conſule Roma boni.

91. *Ipſe mihi quid enim, &c.*] Quod lego ac compono, meo judicio examinandum permitto. Careo enim amicis, quorum cum Romæ eſſem, in meis carminibus corrigendis judicio uti ſolitus ſum. *Cioſ.*

93. *Cui nunc hac cura laborat?*] *Mea cura* quinque. Puto *ea cura*, vel, quod malim,

*—— Cui nunc, mea Muſa, laboras?*
*Anne ea Sauromata ſcripta Getaque legent?*

Heinſ.

98. *Inque ſinum mœſta labitur imber aqua.*] Δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι. An hoc etiam de oculorum ſinu? Imber enim vehementer depluit.

99. *Qui ſim fuerimque recordor.*] Alii *quis.* ſed Hafnienſis & Voſſianus *quid ſim.* ut Met. 11. *Quid fuerim quid ſimque vide.* Supra Triſt. lib. 111. ex antiquis codicibus. *Non ſum ego quod fueram.* atque ita paſſim. Vide Notas ad Epiſt. Medeæ vſ. 31. *Heinſ.*

101. *Studiis irata ſibique.*] *Irata malignis* rectius Hamburg. & quinque alii ſcripti. Sequenti verſu *rogos* pro *focos* multi veteres. nil muto. *Idem.*

103. *Atque ea de multis.*] *Atque ita* Barberin. Putean. & Buſlid. recte. *ea* enim ferri non poteſt, cum *iſta* ſequatur. ſupra lib. 111. *Atque ita divellis.* Epiſt. Leandri, *Atque ita contactus.* Neque aliter paſſim Noſter. *Idem.*

## ELEGIA II.

### ARGUMENTUM.

Jam fera Cæſaribus.] *Druſum Germanicam expeditionem ſuſcepiſſe, in Scythiam ad Poëtam fama pertulerat. Dicit ergo, victoriam fortaſſe ab eo partam fuiſſe, cum hæc ſcriberet. Ejus autem triumpho dicit ſe mente intereſſe, quandoquidem corpore non poſſit. Quod ſi quis ei triumphi formam retulerit, quamvis ſero, tamen oſtendit ſe auditurum tanta lætitia, ut proprium incommodum ſit poſthabiturus publicæ lætitiæ.*

JAm fera Cæſaribus Germania, totus ut orbis,
  Victa potes flexo ſuccubuiſſe genu:
Altaque velentur fortaſſe Palatia ſertis;
  Thuraque in igne ſonent, inficiantque diem;
Candidaque adductâ collum percuſſa ſecuri
  Victima purpureo ſanguine tingat humum:
Donaque amicorum templis promiſſa Deorum
  Reddere victores Cæſar uterque parent:
Et qui Cæſareo juvenes ſub nomine creſcunt,
  Perpetuo terras ut domus iſta regat:
Cumque bonis nuribus pro ſoſpite Livia nato

Mu-

1. JAm fera Cæſaribus Germania.] De Tiberii expeditione intelligendum, non Druſi. Nam hic aliquot annis ante in Germania perierat, quam Poëta relegatus fuit. *Micyll.*

2. *Victa poteſt.*] *Potes* Hamburg. & tres alii. *Heinſ.*

3. *Altaque velantur.*] *Velentur*, & mox *ſonent* & *inficiantque* meliores ſcripti. *Idem.*

4. *Thuraque in igne ſonant.*] Thura etiam cremantur in templis deorum immortalium. *Inficiuntque diem.*] Diem fumo obſcurum reddunt, & offuſcant.

5. *Adducta ſecuri.*] Reducta, ut graviore incidat pondere. Virg. 5. —— *duroſque reducta* —— *Libravit dextra media inter cornua ceſtus.*

6. *Sanguine tingit humum.*] *Tingat* cum prim. Vatic. multi alii *pulſet*. quod Gronovio placebat Obſ. l. 1. cap. XIII. mox *parent* pro *parant* cum Hamburg. & uno Italico. *Heinſ.*

7. *Donaque amicorum.*] Dona, quæ Imperatores templis deorum ſibi faventium: vel dona amicorum, quæ pro Imperatoribus amici ipſorum, diis promiſerant. *Pont.* *Dona amicorum.*]

*Ipſe ſedens niveo candentis limine Phœbi,*
*Dona recognoſcit populorum; aptatque ſuperbis*
*Poſtibus: incedunt victæ longo ordine gentes.*

8. *Uterque Cæſar.*] Auguſtus & Tiberius.

11. *Cum bonis nuribus.*] Ego non Tiberii aut Druſi uxores accipio, cum Tiberii quæ erat Julia videlicet, Auguſti filia, jam relegata eſſet: ſed Germanici & Druſi junioris, quorum alteri Agrippina, Juliæ & Agrippæ filia: alteri Germanici ſoror Livia, nupta erat, ut ex Taciti libro primo & ſecundo manifeſtum eſt. Dicuntur autem nurus non tantum à parentibus maritorum, ſed & ab avis.



12. *Mu-*

Digitized by Google

Munera det meritis, ſæpe datura, Deis:
Et pariter matres, & quæ ſine crimine caſtos
Perpetuâ ſervant virginitate focos.
Plebs pia, cumque piâ lætentur Plebe Senatus;
Parvaque cujus eram pars ego nuper, Eques.
Nos procul expulſos communia gaudia fallunt:
Famaque tam longè non niſi parva venit.
Ergo omnis poterit populus ſpectare triumphos;
Cumque ducum titulis oppida capta leget:
Vinclaque captivâ Reges cervice gerentes
Ante coronatos ire videbit equos:
Et cernet vultus aliis pro tempore verſos,
Terribiles aliis immemoreſque ſui.
Quorum pars cauſſas, & res, & nomina quæret:
Pars referet, quamvis noverit ipſa parum:
Is, qui Sidonio fulget ſublimis in oſtro,
Dux fuerat belli: Proximus ille duci.

Hic,

12. *Munera dat.* ] *Det* meliores. recte. & mox *lætetur* pro *lætatur* iidem. duo tamen *lætantur*. Scribe *lætentur*. Heinſ.

13. *Et pariter matres.* ] Malo, *Dent pariter.* quæ repetitio ſenſum erigit. *Idem.* *Et pariter matres.* ] Ob filios ſoſpites. *Et quæ ſine.* ] Veſtales.

16 *Cujus ego nuper eram parva pars.* ] Fuit enim Ovidius eques, & equeſtri ortus familia.

18. *Non niſi parva venit.* ] Scribe *tarda venit.* nam *parva* paulo ante præceſſerat. Poſſit & *ſera* legi, vel, *rara*, ſed prima conjectura magis arridet. *Heinſ.*

19. *Ergo omnis populus.* ] *En* duo veteres. unus, *Sic.* metuo ne mendum lateat. *Idem.*

20. *Cumque ducum titulis.* ] Captivi & loca imaginibus ſcriptiſque in triumphum deferebantur. Propert. *& titulis oppida capta legam.* Mer.

22. *Ante coronatos.* ] Triumphantis currum trahebant equi candidi quatuor: qui & ipſi lauro coronabantur. *Pont.*

23 *Vultus verſos.* ] Vultus mutatos, nam qui primo fuerant feroces, nunc erant humiles & abjecti. *Pro tempore.* ] Habita temporis ratione, quod poſcit, ut victi ferociam ponant. *Aliis pro tempore verſos.* ] Hoc eſt mutatos, & dejectos. Malim tamen *mæſtos.* Heinſ.

24. *Terribiles aliis* ] Cernet, inquit, populus alios captivos truci vultu, tanquam ſi eſſent victores, quod his ſolet evenire, qui ſui ſunt immemores.

25. *Et res & nomina quæret.* ] *Et regum nomina* Hamburgenſis. Forte *& regus & nomina*, vel *& geſta & nomina.* pro *cauſas* etiam *cauſas*, vel quid tale videtur reponendum. *Heinſ.*

26. *Noverit illa.* ] *Ipſa* rectius Mediceus, & *Is* pro *Hic* Medoniamus verſu proximo. *Idem.*

27 *Hic qui Sidonio.* ] Mimeſis eſt narrantium, & digito commonſtrantium: Hic fuerat hoſtium ſummus Imperator. *Pont.*

29. Lo

Hic, qui nunc in humo lumen miſerabile figit,
Non iſto vultu, cum tulit arma, fuit.
Ille ferox, oculis & adhuc hoſtilibus ardens,
Hortator pugnæ conſiliumque fuit.
Perfidus hic noſtros incluſit fraude locorum,
Squallida promiſſis qui tegit ora comis.
Illo, qui ſequitur, dicunt mactata miniſtro
Sæpe recuſanti corpora capta Deo.
Hic lacus, hi montes, hæc tot caſtella, tot amnes,
Plena feræ cædis, plena cruoris erant.
Druſus in his quondam meruit cognomina terris,
Quæ bona progenies digna parente fuit.
Cornibus hic fractis viridi male tectus ab ulvâ,
Decolor ipſe ſuo ſanguine Rhenus erit.
Crinibus en etiam fertur Germania paſſis,

Et

29. *Lumen miſerabile fixit.* ] *Figit* multi. *Heinſ.*

33. *Fraude locorum.* ] Germanum transfugam denotat, qui in hoſtium inſidias præcipitavit Romanos, aut in loca duxit iniqua.

34. *Squallida prolixis qui tegit ora comis.* ] Veterum plurimi *demiſſis* vel *dimiſſis*. prim. Vatic. & ſex alii *promiſſis*. quod verum eſt. ſic de Gallis Livius lib. VIII bello Maced. *Procera corpora, promiſſa & rutilata coma, vaſta ſcuta, prælongi gladii.* Vide Feſtum in *promiſſum capillum*. Superiori verſu pro *incluſit fraude* primæ editiones & ſcripti quidam *illuſit*. Heinſ.

35. *Illo miniſtro.* ] Miniſtrum ſacrorum intelligit, ex Druidibus aliquem: Scribit enim Cæſar lib. Commentar. 6. nationem omnium Gallorum eſſe admodum deditam religionibus; atque ob eam cauſam qui ſunt affecti gravioribus morbis, quique in præliis periculiſque verſantur, pro victimis homines immolare, aut ſe immolaturos vovere, adminiſtriſque ad ea ſacrificia Druidibus uti: qui pro vita hominis, niſi vita hominis reddatur, non poſſe numen deorum immortalium placari arbitrabantur, publiceque ejuſdem generis inſtituta habent ſacrificia. *Mer. Illo qui ſequitur.* ] Videtur hoc loco Poëta ad ea alludere, quæ apud Tacitum referuntur libro primo de ingreſſu Germanici in ſaltum Teutoburgenſem, & de facie locorum, circa quæ Varus cum legionibus ſuis occiſus fuerat. *Micyl.*

40. *Quæ bona progenies digna parente fuit.* ] Tres *Qui.* quatuor *Quo.* verſus corruptus. *To bona*, ut ſupra, *Cumque bonis nuribus.* Scribe, *Quæ tulit.* ut ad nomen Germanici reſpiciat, qui Druſi filius. idque jam occupaſſe & præmonuiſſe video Tranquillum Fabrum in Epiſtolis nuper editis, cui loci hujus reſtituti gloriam cedo. poteſt & *Quæ bene tulit*, hoc eſt, jure tulit. qui loquendi modus Naſoni perquam familiaris. *Heinſ.*

41. *Cornibus hic fractis* ] *Infractis* duo veteres. Claudianus de Rheno.

*Cornibus infractis adeo miteſcere cogit.*

*infracti adverſo Marte Latini* apud Virgil. & *erit* pro *erat* prim. Polit. ac duo alii. *Idem.*



48. *Pur-*

Et Ducis invicti ſub pede mœſta ſedet.
Collaque Romanæ præbens animoſa ſecuri
Vincula fert illâ, qua tulit arma, manu.
Hos ſuper in curru, Cæſar, victore vehêris
Purpureus populi rite per ora tui:
Quaque ibis manibus circumplaudêre tuorum;
Undique jactato flore tegente vias.
Tempora Phœbeâ lauro cingetur; Iöque,
Miles, ïo, magnâ voce, Triumphe, canet.
Ipſe ſono plauſuque ſimul fremituque canentum
Quadrijugos cernes ſæpe reſiſtere equos.
Inde petes arcem delubra faventia votis.
Et dabitur merito laurea vota Jovi.

Hæc

48. *Purpureus.* ] In veſte purpurea, quam aureis intextam ſideribus triumphantes geſtabant. *Mer.*

50. *Undique jactato flore.* ] Item populus Rom. floribus aſpergere, coronas & lemniſcos projicere ſolebat in eos, quos cohoneſtare volebat. *Pont.*

51. *Tempora Phœbeâ lauro cingentur.* ] Lege *cingetur*, & refer ad militem laureatum. Poterat alioquin *cingeris* dixiſſe. hanc conjecturam confirmat Arondelianus liber, quem, dum hæc eduntur, ſerus nunc conſulo. *Heinſ.*

52. *Ioque Miles Io magna voce triumphe canet.* ] Io vox eſt clamantis: qua triumphantem imperatorem exercitus ſequens utebatur. Vide Horat. Od. 2. lib. 4. *Tuque dum procedis Io triumphe, non ſemel dicemus Io triumphe Civitas omnis, dabimusque divis thura benignis.*

53. *Ipſo ſono plauſuque.* ] Nam citharœdorum, ac tibiarum turba ad Hetruſcæ ſimilitudinem pompæ Imperatorum præcedebant. Hi ſuccincti, coroniſque aureis redimiti, ſuo quiſque ordine pſallentes caneteſque prodibant. *Fremituque calentes.* ] *Canentum* pri. Polit. pri. Vatic. prim. Pal. & ſex alii. recte. duo *canentes.* Combianus non male *paventes.* Heinſ.

55. *Inde petes arcem & delubra.* ] Tolle Tò & cum ſeptem ſcriptis, familiaris Noſtro appoſitio. ſic infra Eleg. IV. ex antiquis libris,

*Hac regio magni penetralia mundi.*

Idem. *Arcem.* ] Capitolium. *Et delubra faventia votis.* ] Templum Jovis Capitolini: qui favit votis Imperatoris ad bellum exeuntis & pop. Romani. *Mer.*

56. *Laurea vota Jovi.* ] *Vitta* uterque Polit. pri. Pal. multique alii. Vide Notas ad lib. II. Faſt. vſ. 30. pri. Vatic. *laurea juncta.* Junianus & Putean. *laurea ſerta.* Triſt. II.

*Ponet & in nitida laurea ſerta comâ.*

Pont. III. Eleg. IV.

*Quid mirum, ſertis exhauſto floribus horto,*
*Si duce non facta eſt digna corona ſuo?*

Ita vetus codex. Lucanus lib. X.

*Accipiunt ſertas nardo florente coronas.*

Propertius lib. II. Eleg. XXXIII.

*Cum tua prapendens demiſſa in pocula ſerta.*

coronas ſubintellige. ita enim Chariſius legit. & vetuſtus codex, quo Neapoli ſum uſus. non *tua ſerta.* Cornelius Severus,

*Huc ades Aonia crinem circumdata ſerta.*

Hic

Hæc ego ſubmotus, qua poſſum, mente videbo:
Erepti nobis jus habet illa loci.
Illa per immenſas ſpatiatur libera terras:
In cœlum celeri pervenit illa viâ.
Illa meos oculos mediam deducit in Urbem;
Immunes tanti nec ſinit eſſe boni.
Invenietque viam, qua currus ſpectet eburnos.
Sic certè in patriâ per breve tempus ero.
Vera tamen populus capiet ſpectacula felix:
Lætaque erit præſens cum Duce turba ſuo.
At mihi fingenti tantum longéque remoto
Auribus hic fructus percipiendus erit.
Atque procul Latio diverſum miſſus in orbem
Qui narrat cupido, vix erit, iſta mihi.
Is quoque jam ſerum referet veteremque triumphum.
Quo tamen audiero tempore, lætus ero.
Illà dies veniet, mea qua lugubria ponam;
Cauſſaque privatâ publica major erit.

Hic tamen Tò *laurea vota* non temere in aliam lectionem mutandum. *Heinſius.* *Laurea vota.* ] In Capitolium quum eſſet ventum, Imperator victor diis gratias conceptis verbis agebat. Tum victimæ cædebantur & corona aurea cum pretioſis manubiis & ſpoliis opimis Jovi dicabatur, & in gremio ejus deponebatur, vel templis dicabatur. *Pont.*

63. *Invenietque animum quâ currus ſpectet eburnos.* ] *Invenitque* Hamburg. & tres alii cum Arondeliano, *Inveniatque* Richelian. *Inveniesque.* alius. *Inveniesque urbem* Rottendorph. Tres *Invenietque viam.* ut apud Virgil. *Inveni, Germana, viam.* ſed quia Tò *via* paulo ante præceſſit, ſcribe *Invenietque aditum.* ſupra etiam *deducet* & *finet.* Heinſ.

69. *Atque procul Latio.* ] *Usque* quatuor ſcripti. Lege *Atque.* Idem. *In orbem diverſum.* ] In Scythiam procul poſitam ab Italia, quaſi ea ſit alter orbis.

73. *Illa dies veniet.* ] Scribe *veniat.* eſt enim optantis. ſic Triſt. III. Eleg. V.

*Hunc utinam nitidi ſolis prænuncius ortum*
*Adferat admiſſo Lucifer albus equo.*

&,

*Hunc Aurora diem, ſpectacula tanta ferentem,*
*Quamprimum croceis roſcida portet equis.*

& Pont. lib. I. Eleg. IV.

*Memnonis hanc utinam lenito Principe mater*
*Quamprimum roſeo provocet ore diem.*

Heinſ.

## ELEGIA III.

### ARGUMENTUM.

Magna minorque.] *Utramque Urſam precatur Poëta, ut Romanam urbem ac uxorem aſpiciant: ſibique referant ſitne ea mariti memor, an non. Poſtmodum ſeipſum arguit, quod dubitet de uxoris fide, à qua ſe amari intelligat. Tum eam laudat, doletque quod ſua cauſa in aſſiduo luctu verſetur. Demum hortatur, ut in fide permaneat.*

MAgna minorque feræ; quarum regis altera Grajas,
  Altera Sidonias, utraque ſicca, rates:
Omnia cum ſummo poſitæ videatis in axe,
  Et maris occiduas non ſubeatis aquas,
Ætheriamque ſuis cinges amplexibus arcem
  Veſter ab intactâ circulus exſtet humo;
Aſpicite illa, precor, quæ non bene mœnia quondam
  Dicitur Iliades tranſiluiſſe Remus.
Inque meam nitidos dominam convertite vultus:
  Sitque memor noſtri necne, referte mihi.
Hei mihi! cur, nimium quæ ſunt manifeſta, requiro?
  Cur labat ambiguo ſpes mihi miſta metu?
Crede quod eſt, quod vis; ac deſine tuta vereri:
  Deque fide certâ ſit tibi certa fides.
Quodque polo fixæ nequeunt tibi dicere flammæ,

Non

1. M*Agna minorque.*] Urſa minor *Cynoſura* dicitur; major, *Helice.* A Phœnicibus potiſſimum Cynoſura inter navigandum obſervatur: Sidon quippe in Phœnicia: Major autem à Græcis. *P.* *Utraque ſicca.*] Neutra occumbit, nec in Oceanum deſcendit. *Mer.*

5. *Ætheriamque arcem.*] Polum arcticum: qui circulus eſt breviſſimus, ab Urſis nominatus, quæ ſunt aſtra vicina polo Septentrionali, atque ideo nequeunt occidendo terram contingere. *P.*

8. *Iliades.*] Iliæ filius. *Tranſiliiſſe.*] *Tranſiluiſſe* ſcripti meliores. ita Noſter paſſim. *Heinſ.*

9. *In meam dominam.*] In meam uxorem. *Nitidos vultus.*] Propter ſtellarum nitorem, quo nihil nitidius.

11. *Hei mihi cur timui?*] *Cur nimium quæ ſunt manifeſta requiro* primæ editiones & quatuor ſcripti. bene. niſi mavis *timide.* nam prim. Vatic. & prim. Pal. *timeam.* duo alii *timeo.* Heinſ.

12. *Cur labat ambiguo ſpes mea mixta metu?*] *Mihi mixta* quatuor. quod præſtat. at Arondelianus *ſpes bona mixta metu.* ut epiſtola Canaces, *ſpes bona dat vires.* malim etiam *victa metu* quam *mixta.* certe in uno Italico *mixa.* Idem.

13. *Crede quod eſt, & vis.*] *Quod vis* quinque veteres. Arondelianus, *quamvis.* Idem.

15. *Quodque polo fixa.*] *Poſita* Voſſian. ut Met. 11.

*Quaque polo poſita eſt glaciali proxima ſerpens.* Idem.

19. *Tar*

Non mentiturâ tu tibi voce refer:
Eſſe tui memorem, de quâ tibi maxima cura eſt;
Quodque poteſt, ſecum nomen habere tuum.
Vultibus illa tuis tanquam præſentis inhæret,
Teque remota procul, ſi modo vivit, amat.
Ecquid, ut incubuit juſto mens ægra dolori,
Lenis ab admonito pectore ſomnus abit?
Tunc ſubeunt curæ, dum te lectuſque locuſque
Tangit, & oblitam non ſinit eſſe mei.
Et veniunt æſtus, & nox immenſa videtur;
Feſſaque jactati corporis oſſa dolent.
Non equidem dubito, quin hæc & cætera fiant;
Detque tuus caſti ſigna doloris amor:
Nec cruciere minus, quam cum Thebana cruentum
Hectora Theſſalico vidit ab axe rapi.
Quid tamen ipſe precer dubito: nec dicere poſſum,
Affectum quem te mentis habere velim.
Triſtis es? indignor, quod ſum tibi cauſſa doloris:
Non es? ut amiſſo conjuge digna fores.
Tu vero tua damna dole, mitiſſima conjux;
Tempus & à noſtris exige triſte malis:
Fleque meos caſus. eſt quædam flere voluptas.
Expletur lacrymis egeriturque dolor.

Atque

19. *Tanquam præſentibus hæret.*] *Præſentis inhæret* ſeptem veteres. recte. vide quæ noto Epiſt. v. vſ. 45. *Idem.*

21. *Ecquid ubi incubuit.*] *Ut incubuit* multi veteres cum priſcis editionibus. quomodo Noſter ſæpiſſime. *Idem.*

22. *Somnus abit.*] *Abeſt.* pri. Polit. pri. Vatic. & duo alii. *Idem.*

25. *Et veniunt æſtus.*] *Tunc veniunt* unus Italic. Combii liber *Conveniunt.* & Barberin. *quæſtus.* nam de æſtu animi jam egit. Scribe, *Num veniunt queſtus.* & ſuperiori hexametro, *Num ſubeunt curæ.* nam multi veteres *Tum.* pri. Pol. *Nec.* Idem. *Æſtus.*] Sollicitudines. Virgil. Æneid. lib. 8. vſ. 19. *magno curarum fluctuat æſtu.*

28. *Mæſti ſigna doloris amor.*] Eleganter pro diverſa lectione Barberin. *caſti doloris.* Leidenſis, *tacti.* Heinſ.

29. *Thebana peremtum.*] *Cruentum* plerique veteres. multi etiam *trahi* pro *rapi* verſu proximo. *Idem.* *Thebana.*] Andromache, filia Eëtionis Thebarum in Sicilia regis.

30. *Ab axe Theſſalico.*] A curru Achillis Theſſali. *Mer.*

34. *Non es, ut amiſſo conjuge digna fores.*] *Fleas* priſcæ editiones & quidam ſcripti. unus *feres.* Carmen mendoſum. illa autem *Triſtis es* & *Non es* per interrogationem lege. ſi quid video, & hoc & ſuperius diſtichon h[illegible] denuo inculcata ſunt ab aliena manu. *Heinſ.*



Digitized by Google

Atque utinam lugenda tibi non vita, ſed eſſet
  Mors mea; morte fores ſola relicta meâ!
Spiritus hic per te patrias exîſſet in auras!
  Sparſiſſent lacrymæ pectora noſtra piæ!
Supremoque die notum ſpectantia cœlum
  Texiſſent digiti lumina noſtra tui!
Et cinis in tumulo poſitus jacuiſſet avito!
  Tactaque naſcenti corpus haberet humus!
Denique &, ut vixi, ſine crimine mortuus eſſem!
  Nunc mea ſupplicio vita pudenda ſuo eſt.
Me miſerum, ſi tu, cum diceris exſulis uxor,
  Avertis vultus, & ſubit ora rubor!
Me miſerum, ſi turpe putas mihi nupta videri!
  Me miſerum, ſi te jam pudet eſſe meam!
Tempus ubi eſt illud, quo me jactare ſolebas
  Conjuge, nec nomen diſſimulare viri?
Tempus ubi eſt, quo te (niſi ſi fugis illa referre)
  Et dici memini, juvit & eſſe meam?

Ut-

41. *Spiritus hic per te.*] *Pro te* codex Petri Servii. Lege *prope te.* ut Art. Am.

*Vel prope te nato lucide Cydne croco.*

infra Eleg. IV. lib. IV.

*Atque meam terram prope ſunt funebria ſacra.* Idem.

42. *Corpora noſtra.*] *Pectora* Combii. & tres alii. *Idem.*

46. *Tactaque naſcenti.*] Solebant infantes, ſimul ac editi eſſent, humi deponere, & Opem deam invocare, quæ naſcentibus opem ferret. Quos autem alere decreverant, eos humo tollebant, cui rei Deam Levanam præficiebant. quæ ſcil. pueris de terra levandis præeſſet. *Pont.*

47. *Denique dum vixi.*] *Ut & vixi* primæ editiones & ſcripti novem. quinque *&* *ut.* quod placet, ſi recte locum diſtinguis. *Heinſ.*

53. *Tempus ubi eſt illud quo te jactare ſolebas Conjuge.*] Scribe, *me jactare ſolebas conjuge.* & ſic pro diverſa lectione Voſſianus. Nonnulli alii,

*Tempus ubi eſt, quo te de me jactare ſolebas.*

Idem.

55. *Tempus ubi eſt, quo te (niſi non vis illa referri.)* Primus Vaticanus,

*Tempus ubi eſt illud, quo non fugis illa referre.*

primus Politiani & primus Palatinus,

*Tempus ubi eſt illud, quo, ni fugis illa referre.*

optimus Mediceus,

*Tempus ubi eſt, quo te niſi non fugis illa referre?*

Alii aliter, ſed longius à veſtigiis veræ ſcripturæ, quam ecce,

*Tempus ubi eſt, quo te (niſi ſi fugis illa referre)*

*Et dici memini, juvit & eſſe meam?*

ſingula videamus. Tò *niſi ſi* paſſim corruptum eſt apud Noſtrum. Vide Notas Epiſt. IV. vſ. 111. *referre* pro meminiſſe, recordari. monitum à me ad Epiſt. V. vſ. 113. *fugis referre*, pro metuis. Adi Notas Epiſt. IX. vſ. 75. *Idem.*

57. Ut-

Digitized by Google

Utque probæ dignum eſt, omni tibi dote placebam.
  Addebat veris multa faventis amor.
Nec quem præferres, (ita res tibi magna videbar)
  Quemve tuum malles eſſe, vir alter erat.
Nunc quoque ne pudeat, quod ſis mihi nupta: tuuſque
  Non dolor hinc debet, debet abeſſe pudor.
Cum cecidit Capaneus ſubito temerarius ictu;
  Num legis Euadnen erubuiſſe viro?
Nec, quia Rex mundi compeſcuit ignibus ignes,
  Ipſe tuis, Phaëthon, inficiandus eras.
Nec Semele Cadmo facta eſt aliena parenti,
  Quod precibus periit ambitioſa ſuis.
Nec tibi, quod ſævis ego ſum Jovis ignibus ictus,
  Purpureus molli fiat in ore rubor:

Sed

57. *Utque proba dignum eſt.* ] *Proba* plurimi ex ſcaſtigatioribus. optime. regit enim ea vox non ſecundum minus, quam ſextum caſum. Adeatur exactiſſimus Voſſius opere Grammatico lib. I. de Conſtructione cap. XI. vide & Nonium in ea voce. Virgil. *magnorum haud unquam indignus avorum.* idem lib. XI.

*Huc periture veni, capias ut digna Camilla*
*Præmia.*

ſic veterrimus Mediceus, aliique multi ex præſtantioribus codices. non *Camilla.* Silius lib. VIII.

*Ducit avis pollens, nec dextra indignus avorum*
*Scævola.*

Noſter lib. III. Art.

*Curia conſilii quæ nunc digniſſima tanti eſt*

ita priſcæ editiones & ſcripti nonnulli. Pont. IV. Eleg. VIII.

*At nihil hic dignum poteris reperire pudoris.*

ſic & ibi vetus codex, & plurimi. lib. V. Met.

*—— utinam modo dicere poſſim*
*Carmina digna dea.*

& lib. VI.

*—— accedit eodem*
*Digna dea facies.*

Idem.

58. *Addebat veris.* ] Et vera de me prædicabas; & falſa etiam non pauca veris adjungebas, quo te beatiorem faceres. *Pont.*

62. *Non debet dolor hinc.* ] Concinnius duo veteres, *Non dolor hinc debet.* maljm etiam *rubor* quam *pudor.* quia *pudeat* præceſſit. *Heinſ.*

63. *Cum cecidit Capaneus.* ] Capaneus fuit unus ex ſeptem regibus qui Thebas obſederunt, ſuperbus & deorum contemptor: qui provocans ſcilicet Jovem ipſum, eoque invito capturum Thebas ſe minitans, in oppugnatione Thebani muri à Jove ictus cecidit.

64. *Non legis.* ] *Num* pri. Vatic. Rottendorph. & duo alii. bene. *Heinſius.* *Euadnen.* ] Capanei uxorem. *Erubuiſſe viro.* ] Pro propter virum, aut viri caſum. quaſi dicat, maritum etiam in adverſis amavit Euadne, quod in ejus rogum ardentem ſe nimio amore præcipitavit.

66. *Ipſe ſuis Phaëthon inficiandus erat.* ] *Tuis eras* Junianus, magis poëtice. *Heinſius.*

74. *Ar-*

Digitized by Google

Sed magis in noſtri curam conſurge tuendi,
Exemplumque mihi conjugis eſto bonæ:
Materiamque tuis triſtem virtutibus imple.
Ardua per præceps gloria vadat iter.
Hectora quis noſſet, ſi felix Troja fuiſſet?
Publica Virtuti per mala facta via eſt.
Ars tua, Tiphy, vacet, ſi non ſit in æquore fluctus:
Si valeant homines, ars tua, Phœbe, vacet.
Quæ latet, inque bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet virtus arguiturque malis.
Dat tibi noſtra locum tituli Fortuna; caputque
Conſpicuum pietas qua tua tollat habet.
Utere temporibus, quorum nunc munere freta es.
En patet in laudes area lata tuas.

74. *Ardua per præceps gloria vadit iter.*] Scribo *vadat* cum Juniano & alio. niſi *tendat* mavis. nam *tendit* eſt in tribus. *Idem*.

76. *Publica virtutis per mala facta via eſt.*] *Virtuti* rectius legas cum uno Vaticano. lib. I. Eleg. III.

*Et mihi facta via eſt.*

Idem.

77. *Ars tua, Tiphy, jacet.*] *Latet* Patavinus. Scribe *vacet*. & ſequenti verſu, *ars tua, Phœbe, vacet* cum Gottorphiano plurimi alii *vocat*. vulgo *jacet*. *vacet*, iners ac otioſa ſit, nullum uſum habeat, nihil habeat quod agat aut in quo occupetur. ſic Met. VIII. initio *vacare victoria* dicitur, quæ non eſt occupata, & in dubio hæret,

*Inter utrumque vacat dubiis Victoria pennis.*

ita enim ex veſtigiis veterum codicum ſcribendum videtur. ſic *ager vacare* dicitur, qui non excolitur. ſic *vacuum novale* Pont. lib. I. Eleg. IV. quare præterrem illud Triſt. IV. Eleg. VIII.

*Tempus erat nec me peregrinum ducere calum,*
*Nec ſiccam Getico fonte levare ſitim.*
*Et modo, quos habui, vacuos ſecedere in hortos.*

alibi enim laudat *hortos ſuos*. quare ſcribo *vacuum*. hoc eſt otioſum *horti* enim *vacui* minus bene dicuntur, *area vacua* bene. de quibus Met. IV vſ. 341. ſic *aures vacuæ*. & ſimilia lib. II. ad Auguſtum.

*At ſi quod mallem, vacuus fortaſſe fuiſſes.*

Pont. lib. IV. Eleg. V.

*Tempus ab his vacuo Cæſar Germanicus omne*
*Auferet.*

ubi nunc legitur *vacuum*. Idem.

81. *Dat tibi noſtra locum tituli fortuna.*] Malim *titulis*. Idem. *Tituli*.] Laudis. *Caputque conſpicuum.*] Et tua pietas habet quo tollat caput conſpicuum.

84. *Et patet in laudes area magna.*] *Area lata* primæ editiones. & ſex ſcripti. ut Epiſt. Penelop.

*Et patet in curas area lata meas.*

Malo præterea *En latet*. quomodo unus Vaticanus. *Heinſ.*

ELE-

## ELEGIA IV.

### ARGUMENTUM.

O qui nominibus.] *Amicum laudat Poëta, exponitque Tomitani exilii incommoda: precaturque eum latenter, ut ab Auguſto mitius & paulo propinquius exilium petat; quod facile impetrari poſſe docet, quum magna ſit ipſius clementia. Poſtremo narrat quemadmodum è locis non nimium longinquis fugerit Oreſtes cum Iphigenia ſorore: ablata etiam inde Diana ad meliora loca.*

O Qui, nominibus cum ſis generoſus avitis,
Exſuperas morum nobilitate genus:
Cujus ineſt animo patrii candoris imago,
Non careat nervis candor ut iſte ſuis:
Cujus in ingenio patriæ facundia linguæ eſt,
Qua prior in Latio non fuit ulla Foro:
Quod minime volui, poſitis pro nomine ſignis
Dictus es. ignoſcas laudibus iſta tuis.
Nil ego peccavi. tua te bona cognita produnt.
Si, quod es, appares; culpa ſoluta mea eſt.
Nec tamen officium noſtro tibi carmine factum,
Principe tam juſto, poſſe nocere puta.
Ipſe Pater Patriæ, (quid enim civilius illo?)
Suſtinet in noſtro carmine ſæpe legi.
Nec prohibere poteſt, quia res eſt publica, Cæſar;

Et

6. IN *Latio foro.* ] In Romano foro. Meſſalinum autem hic poëtam arbitror deſignari.

7. *Quod minime volui.* ] Maluiſſem te vero nomine appellare: nunc ab adjunctis & ſignis te ſignificare cogor. *Pont.*

8. *Ignoſcas laudibus ipſe tuis.* ] *Iſta tuis* alter Polic. apud Paterculum, *Familiare eſt hominibus omnia ſibi ignoſcere.* Heinſ. *Ignoſcas tuis laudibus.* ] Quaſi dicat, laudibus tuis aſcribas, ſi cognoſceris ſignis ſupradictis.

12. *Poſſe nocere puto.* ] *Puta* quatuor veteres concinnius. *Heinſ.*

13. *Quid enim civilius illo?* ] Ita meliores. tres tamen *communius.* quod ex Pirckheimeriano, ſive Arondeliano, doctiſſimus probat Gronovius Obſervat. lib. II. cap. XII. qui videndus. ſic apud Ciceronem Catone Majore, in veterrimo codice meo, *Cæteris in rebus communem erga Lyſandrum & familiarem fuiſſe.* non *comem*, quod eſt in vulgatis, ſed quia *de communi bono* mox ſequitur, minus placet. lib. III. Eleg. VIII.

*At quoniam ſemel eſt odio civiliter uſus.*

Idem. *Ipſe pater patriæ.* ] Scribit L. Florus, Auguſtum ob ingentia facta *Dictatorem perpetuum* appellatum fuiſſe, & *patrem patriæ*: tractatumque etiam in ſenatu, an quia condidiſſet imperium, Romulus vocaretur: ſed ſanctius & reverentius viſum fuiſſe nomen Auguſti, ut ſcilicet jam tum, dum terras coleret, ipſo nomine & titulo conſecraretur.

21. Ta-

Digitized by Google

Et de communi pars quoque noſtra bono eſt.
Jupiter ingeniis præbet ſua numina vatum;
Seque celebrari quolibet ore ſinit.
Cauſſa tua exemplo Superorum tuta duorum eſt:
Quorum hic aſpicitur, creditur ille Deus.
Ut non debuerim, tamen hoc ego crimen amabo:
Non fuit arbitrii littera noſtra tui.
[Nec nova, quod tecum loquor, eſt injuria noſtra.]
Incolumis cum quo ſæpe locutus eram.
Quo vereare minus, ne ſim tibi crimen amicus;
Invidiam, ſi qua eſt, auctor habere poteſt.
Nam tuus eſt primis cultus mihi ſemper ab annis
(Hoc noli certè diſſimulare) pater:
Ingeniumque meum (potes hæc meminiſſe) probabat:
Plus etiam, quam me judice dignus eram.
Deque meis illo referebat verſibus ore,
In quo pars altæ nobilitatis erat.
Non igitur tibi nunc, quod me domus iſta recepit,
Sed prius auctori ſunt data verba tuo.

Nec

21. *Tamen hoc ego crimen habebo.*] *Amabo* bene prim. Vatic. & Leidenſis. *Heinſ.* *Tamen hoc ego crimen habebo.*] Quaſi dicat: Auguſtus hoc crimen meum eſſe dicet, non tuum: ideo non eſt verendum, ut hanc ob cauſam ille proſequatur te odio.

23. *Eſt injuria noſtra.*] *Noſtri* duo veteres. Forte *noſtro.* tecum, qui noſter es. Sed numeri in hoc verſu duriores. Nec multum hæc ad rem faciunt: quare tollantur, licet. *Heinſ.*

25. *Ne ſim tibi crimen amicus.*] *Amice* plerique veteres. Lege *tibi crimen amico.* Idem.

26. *Auctor poteſt habere invidiam.*] Ego Ovid. poſſum dici fuiſſe criminis cauſa.

29. *Potes hac meminiſſe.*] *Hoc* primæ edit. & libri ſcripti. *Heinſ.*

30. *Me judice.*] Me etiam judicante ingenium meum non eſſe tantum, quantum illi apparebat. *Mer.*

31. *Illo ore.*] Illa gravitate orationis ſuæ, qua nobilitabatur, de verſibus meis pronuntiabat judicium ſuum. *Pont.*

32. *Pars magna nobilitatis.*] Partem magnæ nobilitatis intelligit eloquentiam, quæ inter cæteras Meſſalini nobilitates erat magna pars.

34. *Sunt data verba.*] Dedit verba, non rem, quemadmodum pater tuus exiſtimabat. credebat enim me ingenio ad ſummum dignitatis gradum perventurum, quum in præſentia ejectus ſim in exilium præter ejus opinionem. Eſt autem *dare verba*, ut Donatus ſcribit, decipere eum, qui quum rem expectet, nihil invenit præter verba. *Auctori tuo.*] Patri tuo, qui tibi auctor fuit hujus amicitiæ, probando ingenium meum, & loquendo honorifice de meis ſtudiis. *B.*

35. Nec

Digitized by Google

Nec data ſunt, mihi crede, tamen: ſed in omnibus actis,
Ultima ſi demas, vita tuenda mea eſt.
Hanc quoque, qua perii, culpam ſcelus eſſe negabis,
Si tanti ſeries ſit tibi nota mali.
Aut timor, aut error nobis, prius obfuit error.
Ah ſine me fati non meminiſſe mei!
Neve retractando nondum coëuntia rumpam
Vulnera; vix illis proderit ipſa quies.
Ergo ut jure damus pœnas; ſic abfuit omne
Peccato facinus conſiliumque meo.
Idque Deus ſentit: pro quo nec lumen ademtum eſt,
Nec mihi detractas poſſidet alter opes.
Forſitan hanc ipſam (vivat modo) finiet olim,
Tempore cum fuerit lenior ira, fugam.
Nunc precor hinc aliò jubeat diſcedere; ſi non
Noſtra verecundo vota pudore carent.
Mitius exſilium paulloque propinquius opto;
Quique ſit à ſævo longius hoſte, locum.
Quantaque in Auguſto clementia; ſi quis ab illo
Hoc peteret pro me, forſitan ille daret.
Frigida me cohibent Euxini littora Ponti:

Di-

35. *Nec tamen ſunt data.* ] Quamvis dixerim me patri tuo verba dediſſe, ne credas tamen me dixiſſe quod cum deceperim, quod exilii nota affectus fui: quod videtur eſſe alienum ab eo, quod ille de me ſenſerat. *Sed in omnibus actis, Ultima ſi demas.* ] Sed vitam meam probabis, & intelliges me non dediſſe verba, ſi totius vitæ meæ curſum potius quam finem inſpexeris.

37. *Scelus eſſe negabis.* ] Malim *negaris.* Heinſ.

39. *Prius obfuit error.* ] *Plus* nonnulli, male. dixi Pont. lib. II. Eleg. III. vſ. 9. *Idem.*

41. *Coëuntia rumpe vulnera.* ] *Rumpam* Vaticanus optimus, optimus Mediceus, & tres alii. ſequor. ipſe enim rumpit vulnera retractando, quorum mentionem injicit. *Idem.*

45. *Idque deus ſentit.* ] Me ſcilicet culpa carere. Deum autem, Auguſtum intelligit. *Lumen.* ] Vita. *Opes detractas mihi.* ] Opes mihi ademptas: ut exulibus fieri ſolet.

51. *Mitius exilium pauloque quietius oro.* ] *Opto* meliores. & *propinquius.* ſequor. ſub finem libri II.

*Tutius exilium, pauloque quietius oro.*

ubi *Mitius* & *opto* pari modo in nonnullis veterum. *Heinſ.*

53. *Tantaque in Auguſto clementia.* ] *Quantaque* alter Politiani, & duo alii bene. & *Hoc* ſequenti verſu pro *Hunc* cum melioribus. *Idem.* *Tantaque in Auguſto eſt clementia.* ] De Auguſti clementia legito Tranquillum.

58. Nec

Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.
Nam neque jactantur moderatis æquora ventis:
Nec placidos portus hoſpita navis adit.
Sunt circa gentes, quæ prædam ſanguine quærant:
Nec minus infidâ terra timetur aquâ.
Illi, quos audis hominum gaudere cruore,
Pæne ſub ejuſdem ſideris axe jacent.
Nec procul à nobis locus eſt, ubi Taurica dirâ
Cæde pharetratæ paſcitur ara Deæ.
Hæc prius, ut memorant, non invidioſa nefandis,
Nec cupienda bonis, regna Thoantis erant.
Hîc pro ſuppoſitâ virgo Pelopeïa cervâ
Sacra Deæ coluit qualiacunque ſuæ.
Quo poſtquam, dubium pius an ſceleratus, Oreſtes
Exactus furiis venerat ipſe ſuis,

Ex

58. *Nec placidos portus hoſpita navis habet.* ] *Adit* pri. Vatic. & quinque alii caſtigatiores. bene. tres alii *puppis habet.* Heinſ.

59. *Quæ prædam ſanguine quærunt.* ] *Quærant* quatuor veteres. *Idem.*

62. *Pene ſub ejuſdem frigoris axe jacent.* ] Primæ editiones & ſcripti quinque *ſideris igne.* Combianus & duo alii, *ſideris axe.* quod verum eſt. *Idem.*

63. *Ubi Taurica.* ] Ubi regio illa crudelis, de qua Herodotus libro quarto, & lib. 3. de Ponto Eleg. 2.

64. *Cæde pharetratæ ſpargitur ara Deæ.* ] *Paſcitur* pri. Vatic. pri. Pollt. opt. Medic. & Moreti codex pro diverſa lectione. nihil verius. ſic & in Virgiliana Æneïdos dedicatione, ubi nunc circumfertur,

*Corniger hos aries humiles & maxima taurus*
*Victima ſacratos tinget honore focos.*

cum in veteri codice Neapolitano Sannaſarii legatur *ſparget honore.* vix dubito quin reponendum ſit *paſcet honore.* Val. Flaccus,

*Tum quocunque loco meritas tibi plurimus aras*
*Paſcet honos.*

Plura ad Claudianum Notis in III. Conſ. Honorii vſ. 101. & Amor. l. III. Eleg. VIII. *Heinſ.* *Cæde.* ] Morte hoſpitum. *Deæ pharetratæ paſcitur* ] Deæ Dianæ, quæ tanquam venationis dea ſagittis utitur. Hæc retia ad venandum invenit, ex quo & Dictynna eſt cognominata. Colebatur autem circa Epheſum, Pontum, Perſidem, & Cretam: unde Epheſia, Cteſia, Tauropolia, ac Perſea.

67. *Hic.* ] In Taurica regione. *Virgo Pelopeïa.* ] Iphigenia, filia Agamemnonis, ex Pelopis genere. *Pro ſuppoſita cerva.* ] Pro cerva, quam loco Iphigeniæ ſubjecit Diana, ut docet Servius in enarratione ejus verſus, *Sanguine placaſtis ventos. & virgine cæſa.*

69. *Pius an ſceleratus.* ] Unde quum Areopagitarum judicium ſubiiſſet, variatis hominum ſententiis, non ſolum divina, ſed etiam deæ ſapientiſſimæ ſententia abſolutus fuit, ut docet Cicero in oratione pro Milone.

71. Fle;

Et comes exemplum veri Phocæus amoris;
Qui duo corporibus, mentibus unus erant;
Protinus evincti Triviæ ducuntur ad aram,
Quæ ſtabat geminas ante cruenta fores.
Nec tamen hunc ſua mors, nec mors ſua terruit illum:
Alter ob alterius funera mœſtus erat.
Et jam conſtiterat ſtricto mucrone ſacerdos;
Cinxerat & Grajas barbara vitta comas:
Cum vice ſermonis fratrem cognovit, & illi
Pro nece complexus Iphigenia dedit.
Læta Deæ ſignum crudelia ſacra peroſæ
Tranſtulit ex illis in meliora locis.
Hæc igitur regio, magni penetralia mundi,
Quam fugêre homines Dîque, propinqua mihi eſt.
Atque meam terram prope ſunt funebria ſacra,
Si modo Naſoni barbara terra ſua eſt.
O utinam venti, quibus eſt ablatus Oreſtes,

Pla-

71. *Phocæus.*] Pylades, ex Phocide regione, filius Strophii: fidiſſimus ejus & individuus comes.

73. *Triſtem ducuntur ad aram.*] Barberin. & fragmentum Vatic. pro diverſa lectione *Triviæ ad aram.* quod & Voſſianus confirmat. recte. Pont. III. Eleg. II. locus huic geminus,

*Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram,*
*Evincti geminas ad ſua terga manus.*

Heinſ. *Ad aram.*] Ad Dianæ Tauricæ, ut de more deæ ſacrificarentur.

76. *Alter ab alterius funere mœſtus erat.*] Lege *ob alterius funera.* quod Hamburgenſis & Strozzæ codex adſtruunt cum Regio & Moreti libro. nonnulli *ob funere.* Heinſ.

78. *Barbara vitta.*] Vitta qua vinciebantur eorum capita, qui deo alicui immolabantur. Virgilius, *Et circum tempora vitta.*

79. *Cum vice ſermonum fratrem cognoſcit.*] Virgil. Æneid. 6. *Hac vice ſermonum roſeis aurora quadrigis Jam medium ætherio curſu trajecerat axem.*

81. *Signum deæ.*] Dianæ ſimulacrum. *Mer. Crudelia ſacra peroſa.*] Non poſtulabat Diana ſibi hujuſcemodi hoſtiis ſacrificari; ſed erat Thoantis immanitas, ut ei hoſpites mactandos cenſeret. *Pont. Læta Deæ ſignum tranſtulit.*] Eurip. Fab. 10. Quem locum, ut potuimus, ita tamen ut intelligi poſſit, ſic reddimus:

*Thoanta captum callida prendunt via.*
*Sacris refixum poſtibus læti efferunt*
*Penetrale ſignum.*

82. *In meliora.*] Vide Fab. Eurip. quæ inſcribitur Iphigenia. *Mer.* Aufugiens cum fratre Iphigenia, tranſtulit ſecum deæ ſignum in loca meliora, qua moribus, qua humanitate. *Pont.*

83. *Regio magni pene ultima mundi.*] *Magni penetralia mundi* Barberin. & Gottorphianus eleganti appoſitione. Pontum abſtruſam & interiorem orbis partem appellat. monui ſupra hoc libro Eleg. II. vſ. 55. *Heinſ.*

85. *Atque meam terram.*] Diſtichon etiam hoc Ovidianæ venæ vix eſt ut cenſeatur. *Idem. Prope meam terram.*] Prope Tomitanam urbem.

Placato referant & mea vela Deo!

18. *Placato deo.* ] Placato Auguſto, & reconciliato.

## ELEGIA V.

### ARGUMENTUM.

O mihi dilectos. ] *Amicum laudat Poëta, eumque monet, ut conſtanter munus amicitiæ exequatur, eique apud Auguſtum opem ferat. Oſtendit deinde multis exemplis, tempore omnia molliri præter ejus curas, & oſtendit ſe ita deficere, ut non diu credat ſe ſupervicturum tantis malis, quam rem dicit ſibi ſolatio relictam eſſe.*

O Mihi dilectos inter ſors prima ſodales,
Unica fortunis ara reperta meis:
Cujus ab alloquiis anima hæc moribunda revixit,
Ut vigil infuſa Pallade flamma ſolet:
Qui veritus non es portus aperire fideles,
Fulmine percuſſæ confugiumque rati:
Cujus eram cenſu non me ſenſurus egentem,
Si Cæſar patrias eripuiſſet opes:
Temporis oblitum dum me rapit impetus hujus,
Excidit heu nomen quam mihi pæne tuum!
Te tamen agnoſcis: tactuſque cupidine laudis,
Ille ego ſum, cuperes dicere poſſe palam.
Certè ego, ſi ſineres, titulum tibi reddere vellem,
Et raram Famæ conciliare fidem.
Ne noceam grato vereor tibi carmine; neve
Intempeſtivi nominis obſtet honos.
Quod licet & tutum eſt, intra tua pectora gaude,

Me-

1. I*Nter ſors prima ſodales.* ] *Pars* meliores. tamen in Faſtis, *matris ſors ego prima fui.* & Met. XIII. *Fœminea ſortis* pro prole fœminea. ſic Epiſt. VIII. legebam, *Sors hæc una mihi conjux bene ceſſit Oreſtes.* non *pars.* Heinſ. *Pars prima.* ] Princeps, inter amicos meos ὁ πρωτεύων.

4. *Infuſa Pallade.* ] Oleo infuſo.

5. *Portus fideles.* ] Amicitiæ munera & confugium. *Mer.* Vel non dubitaſti me tueri tuo patrocinio. *Berſm.*

7. *Cujus eram cenſu non me ſenſurus egentem.* ] Unus Vatic. & Bulldianus *cenſurus.* Vide quæ noto ad Epiſt. VII. vſ. 47. Superiori hexametro lege cum ſcriptis *Qui veritus non es*, pro *eſt.* Heinſ.

9. *Hujus temporis.* ] Hujus mei infortunii; vel vis adverſæ fortunæ. *Mer.*

11. *Tu tamen agnoſcis.* ] Scribe *Te agnoſcis.* ſic lib. I. Eleg. VI.

*Hæc tibi diſſimulas, ſentis tamen ipſa*
*me dici.* Heinſ.

14. *Conciliare fama.* ] Immortalitati conſecrare.

16. *Intempeſtivus nominis obſtet honor.* ] *Honos* duo veteres. Scribe *obſtet honos.* Heinſ.

18. Te

Meque tui memorem, teque fuiſſe mei.
Utque facis, remis ad opem luctare ferendam,
Dum veniat placido mollior ira Deo:
Et tutare caput nulli ſervabile, ſi non
Qui merſit Stygiâ, ſublevet illud, aquâ.
Teque, quod eſt rarum, præſta conſtanter ad omne
Indeclinatæ munus amicitiæ.
Sic tua proceſſus habeat Fortuna perennes:
Sic ope non egeas ipſe, juveſque tuos.
Sic æquet tua nupta virum bonitate perenni;
Incidat & veſtro rara querela toro.
Diligat & ſemper ſocius te ſanguinis illo,
Quo pius affectu Caſtora frater amat.



18. *Teque fuiſſe pium.* ] *Teque fuiſſe mei* rectius Combianus, & octo alii. *Idem.*

19. *Remis luctare.*] Omnem adhibe conatum. Parœmiæ nos admonet, *remis veliſque contendere.* Pont. *Remis luctare.*] Quod fit adverſo flumine. Virg. 8.

*Adverſum remis ſuperes ſubvectus ut amnem,*

cui contrarium:

*Mitis ut in morem ſtagni, placidæque paludis*
*Sterneret æquor aquis remo ut luctamen abeſſet.*
*———acuto in murice remi———*
*Obnixi crepuere.* Æneid. 5.

Quod luctamen eſt, ad Ovidii fortunas accedens.

20. *Dum veniet placido mollior aura Deo.*] *Veniat* meliores magno numero. niſi quod pri. Vatic. pri. Polit. opt. Medic. & tres alii *venit, à placido.* pro *aura* quatuor *hora.* octo *ira.* quare aut legendum *placido mollior ira Deo* aut *mollior aura mari*, vel *ſalo*, ut perſiſtat in figurâ inceptæ orationis. Vide Notas lib. v. Faſt. vſ. 648. *Heinſ.*

24. *Amicitia indeclinata.* ] Amicitiæ non imminutæ, ſed firmæ.

27. *Sic æquet tua nupta virum bonitate perenni.*] Tò *perenni* parum huc quadrat. & *perennes* jam præceſſerat. Forte,

*Sic æquet tua nupta ſuum probitate parentem.* Heinſ.

*Sic æquet tua nupta virum.* ] Sic Virgil. 6. Æneid. —— *conjux ubi priſtinus illi* ——
*Reſpondet curis, æquatque Sichæus amorem.* Quod arripuit Stat. Thebaid. 2.

*Tydea jam ſocium cœptis, jam pectore fido*
*Æquantem curas.*

*Virum.* ] Te maritum. *Mar.* *Sic æquet tua nupta.*] Sic uxor tua moribus tuis reſpondeat: Te probitate & religione æquet. *Pont.*

28. *Rara querela.*] Prim. Vatic. *rata.* plurimi *nulla.* etiam bene apud Martialem *Lis rara.* Heinſ.

29. *Socius ſanguinis.*] Frater tuus.

30. *Frater.*] Pollux. Et quum Jupiter cœlum Polluci daturus eſſet, ejus precibus factum eſt, ut ſex menſibus Caſtor in cœlo eſſet, totidem Pollux, dicente Ovidio: *Jamque tibi Pollux cœlum ſublime patebat, Quum mea, dixiſti, percipe verba pater: Quod mihi das uni, cœlum partire duobus, &c.* Quod ideo fingitur, quia eorum ſtellæ ita ſe habent, ut occidente una, oriatur altera. vel quia alternis diebus lucent: Hyginus ſcribit Caſtorem & Pollucem omnium fratrum inter ſe

Sic juvenis, ſimiliſque tibi ſit natus, & illum
  Moribus agnoſcat quilibet eſſe tuum.
Sic ſocerum faciat tædâ de nata jugali;
  Nec tardum juveni det tibi nomen avi.

amantiſſimos fuiſſe: quod neque de principatu contenderunt, neque ullam rem ſine communi conſilio geſſerunt: pro quibus officiis eos Jupiter inter notiſſima ſidera conſtituiſſe exiſtimatur.

31. *Sic juvenis ſimiliſque tibi ſit natus.*] Forte *ſic ſuperet, ſimiliſque tibi ſit.* Ep. Didus,

*Sic ſuperent, quoſcunque tuâ de gente reportes.*

hoc eſt ſuperſtites ſint. *Heinſ.*

## ELEGIA VI.

### ARGUMENTUM.

Tempore.] *Hac inconſideratius cum ſuperioribus conjunguntur, cum omnino ſeparata Elegia argumentum videantur exſequi. Tractatur locus communis, de vi temporis ſeu conſuetudinis, qua, cum mitigentur & tolerabilia evadant omnia, non tamen mitigari curas & angores ſuos. Mala ſua ipſa mora ingraveſcere, & exaſperari.*

TEmpore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
  Præbet & incurvo colla premenda jugo.
Tempore paret equus lentis animoſus habenis,
  Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Pœnorum compeſcitur ira leonum;
  Nec feritas animo, quæ fuit ante, manet.
Quæque ſui monitis obtemperat Inda magiſtri
  Bellua, ſervitium tempore victa ſubit.
Tempus, ut extentis tumeat facit uva racemis,
  Vixque merum capiant grana, quod intus habent.

Tem-

1. *TEmpore ruricola.*] Hæc quæ ſequuntur, apud alios, à ſuperioribus ſeparata leguntur: ut ab hoc loco nova, & quæ ordine ſexta ſit, elegia incipiat. Nec male omnino, ut mea fert ſententia. Nam & ſententia alia à ſuperiore eſt: & cum hæc querelam miſeriæ ſuæ continuat, illa autem impetitionem; hæc promiſcue ad omnes amicos ſive lectores, illa ad ſolum eum cujus nomen ex circumſtantiis deſcribit, pertinere videtur. *Micyll.*

3. *Lentis.*] Flexibilibus.

4. *Duros lupos.*] Dura frena. *Lupata* autem intelligit. Eſt enim *lupatum*, frenum aſperum, quo equi ferociores coercentur: ſic dictum (auctore Servio) à lupinis dentibus, qui inæquales ſunt.

7. *Inda bellua.*] Elephantes, quia paulatim magiſtris parere conſueverunt. nam regem adorabant, genua ſubmittebant, coronas porrigebant, ſunibus ſubibant. *Mer.*

9. *Racemis.*] Racemi proprie ſunt uvæ minores, granis exilioribus; qui plerumque à vindemiatoribus ſub pampino latentes fallenteſque relicti, poſt colliguntur.

11. Tem-

Tempus & in canas ſemen producit ariſtas;
Et ne ſint triſti poma ſapore facit.
Hoc tenuat dentem terras renovantis aratri,
Hoc rigidas ſilices, hoc adamanta terit.
Hoc etiam ſævas paullatim mitigat iras:
Hoc minuit luctus, mœſtaque corda levat.
Cuncta poteſt igitur tacito pede lapſa vetuſtas
Præterquam curas attenuare meas.
Ut patriâ careo; bis frugibus area trita eſt:
Diſſiluit nudo preſſa bis uva pede.
Nec quæſita tamen ſpatio patientia longo eſt;
Menſque mali ſenſum noſtra recentis habet.
Scilicet & veteres fugiunt juga curva juvenci:
Et domitus fræno ſæpe repugnat equus.
Triſtior eſt etiam præſens ærumna priore:
Ut ſit enim ſibi par, crevit, & aucta morâ eſt.
Nec tam nota mihi, quam ſunt, mala noſtra fuerunt:

Sed

11. *Tempus & in canas.* ] Tempore etiam frumenta naſcuntur, & ad maturitatem perveniunt. *In canas ſemen perducit ariſtas.* ] Pro *ſemen* unus Vatic. *ſemper.* Buſlid. *ſpeciem.* Lege *ſpicam*, vel *ſegetem* aut *meſſem.* pro *perducit* pri. Vatic. & alii plurimi *producat*. Heinſ.

12. *Ne ſint triſti poma ſapore jacit.* ] *Cavet* eleganter Leidenſis. *Idem.*

13. *Dentem terram findentis aratri.* ] Multi *terras findentis* vel *ſcindentis*. Barberin. & opt. Medic. cum duobus aliis & priſcis editionibus, *terras renovantis* & placet. *renovare terram* pro *arare* paſſim veteres & Noſter ſæpe. ut Met. I.

*Nec renovatus ager gravidis canebat ariſtis,*

infra Eleg. XII.

*Fertilis aſſiduo ſi non renovetur aratro.*
*Nil niſi cum ſpinis gramen habebit ager.*

*terras patientis* pri. Vatic. an forte ſcribendum;

*Attenuat dentem tempus patientis aratri.*

ut Amor. lib. I. Eleg. ult.

*Ergo cum ſilices cum dens patientis aratri*
*Depereant ævo.*

Idem.

14. *Rigidos ſilices.* ] *Rigidas* meliores magno numero. ſic & alibi. *Idem.*

16. *Mœſtaque corda levat.* ] *Domat* Barberin. & fragmentum Vatican. placet. Ep. Phædræ, *duraque corda doma.* Idem.

21. *Nec quæſita tamen ſpatio patientia longo eſt.* ] *Non quaſſata* unus Vatic. & Arondelianus. ſed nil mutandum *Idem.*

23. *Scilicet & veteres.* ] Dicit malum vetus ſibi ita recens videri. quemadmodum jugum plerumque & frenum juvencis & equis, qui quamvis diu illis aſſueti fuerint, tamen tanquam novam moleſtiam plerumque rejiciunt. *Juga ſæpe juvenci.* ] *Juga curva* alter Palat placet. ita ſæpe Noſter. quandoque & *panda juga.* ſupra hâc Elegiâ.

*Præbet & incurvo colla premenda jugo.*

Heinſ.

 29. *Eſt*

Sed magis hoc, quo ſunt cognitiora, gravant.
Et quoque non minimum, vires afferre recentes;
Nec præconſumtum temporis eſſe malis.
Fortior in fulvâ novus eſt luctator arenâ,
Quam cui ſunt tardâ brachia feſſa morâ.
Integer eſt nitidis melior gladiator in armis,
Quam cui tela ſuo ſanguine tincta rubent.
Fert bene præcipites navis modo facta procellas:
Quamlibet exiguo ſolvitur imbre vetus.
Nos quoque, quæ ferimus, tulimus patientius ante;
Et mala ſunt longo multiplicata die.
[Credite, deficio, noſtroque à corpore, quantum
Auguror, accedunt tempora parva malis.]
Nam neque ſunt vires, neque qui color eſſe ſolebat:
Vixque habeo tenuem, quæ tegat oſſa, cutem.
Corpore ſed mens eſt ægro magis ægra, malique
In circumſpectu ſtat ſine fine ſui.
Urbis abeſt facies, abſunt mea cura ſodales:
Et, qua nulla mihi carior, uxor abeſt.
Vulgus adeſt Scythicum, braccataque turba Getarum.
Sic mâle quæ video, non videoque, nocent.
Una tamen ſpes eſt, quæ me ſoletur in iſtis;
Hæc fore morte meâ non diuturna mala.

29. *Eſt quoque non minimum.*] *Non nihilum* Rottendorphianus cum Leidenſi, & Combianus pro diverſa lectione. *non minimo* quatuor alii. *Idem.*

31. *Fortior in fulva.*] Exemplis arguit, multo magis gravare mala vetera, quam recentia. *Luctator.*] Qui lucta ludit, & palæſtra. Fuere autem tria athletica certamina, in quibus certabant, corporibus ſuis curſores, pugiles, & luctatores. *Alii quinque ſtatuunt*, Saltus, curſus, diſcus, jaculum, lucta.

33. *Nitidis arenis.*] In campo recenter arena ſtrato.

38. *Quæ mala ſunt longa multiplicata die.*] *Et mala* recte veteres. unus cum Berſmanni libro *quam.* quomodo & Gronovius conjiciebat. *longo* etiam *die* nonnulli. *Heinſ.*

39. *Credite deficio.*] Hoc diſtichon eſt nugatoris, non Naſonianæ manus. *Idem.*

46. *Et qua nulla mihi carior.*] Scribo, *qua nemo mihi carior.* niſi malis, *Et mihi qua nil eſt carius.* Idem.

48. *Sic mala quæ video non videoque nocent.*] An urbis facies & ſodales abſentes pro malo numerat? non puto. Scribe *mala nocent.* & adeantur quæ notavi Faſt. II. vſ. 170. quidam ſcripti cum primis editionibus *ſic me movent.* Idem.

49. *Quæ me ſolatur.*] *Solatur* meliores. *Idem.*



Digitized by Google

# ELEGIA VII.

## ARGUMENTUM.

**Bis me** ſol adiit. ] *Miratur Poëta, quod biennio jam exacto, nullas ab amico acceperit literas: quum hi præſertim ad eum ſcripſerint, quibuſcum amicitia uſus non fuerat tam probatus. Subjungit tamen malle ſe omnia credere, quam illum nullas ad eum dediſſe literas, quas interceptas fuiſſe exiſtimat. Admonet poſtremo, ut ad eum ſcribat, ne ſemper excuſandus ſit.*

BIs me ſol adiit gelidæ poſt frigora brumæ,
Biſque ſuum tacto Piſce peregit iter.
Tempore tam longo cur non tua dextera verſus
Quamlibet in paucos officioſa fuit?
Cur tua ceſſavit pietas, ſcribentibus illis,
Exiguus nobis cum quibus uſus erat?
Cur, quoties alicui chartæ ſua vincula demſi,
Illam ſperavi nomen habere tuum?
Dî faciant, ut ſæpe tuâ ſit epiſtola dextrâ
Scripta, ſed è multis reddita nulla mihi!
Quod precor, eſſe liquet. credam prius ora Meduſæ
Gorgonis anguineis cincta fuiſſe comis:
Eſſe canes utero ſub virginis: eſſe Chimæram,
A truce quæ flammis ſeparet angue leam:

Qua-

1. BIS *me Sol adiit gelidam poſt frigore brumam.* ] Alii *gelida poſt frigora bruma.* ſed minime placet illud *me Sol adiit.* Forte,

*Bis ver Sol adiit, gelida poſt frigora bruma.*

Nam Aries Piſci ſuccedit. *Heinſ.*

2. *Biſque ſuum tacto Piſce.* ] Hoc dicit, quia ſol à Capricorno, Aquario, & Piſcibus hyemem tranſigit. *Mer.*

7. *Cur quoties alicui dum charta vincula demſi.* ] *Charta ſua vincula* plurimi veteres. duo *demſi ſua vincula chartæ.* Vide Notas ad lib. III. Faſt. vſ. 293. ſequenti verſu *è multis* meliores, non *ex.* Heinſ. *Cur quoties alicui.* ] Ex his duobus verſibus facile refelli poteſt eorum opinio qui volebant nomen ſcribentis, & ejus ad quem ſcribimus, literis jam ſignatis inſcribi: quum aperte hic poſſimus videre, intus tantum appoſitum fuiſſe nomen ſcribentis.

11. *Ora Meduſæ Gorgonis.* ] Meduſæ crines in ſerpentes mutavit Minerva, quod cum Neptuno in ejus templo concubuit, ejuſque caput ad terrendos hoſtes ægidi impoſuit.

13. *Eſſe Chimæram.* ] De Chimæræ forma Homerus lib. ſexto Iliados ita ſcribit: anterius leonem, poſterius vero draconem, medio autem capram, atque terribiles ex ore flammarum globos cum ſpiritu effundentem. Vide Natal. lib. 9. c. 4.

 15. Qua-

Digitized by Google

Quadrupedeſque hominum cum pectore pectora junctos:
Tergeminumque virum, tergeminumque canem:
Sphingaque, & Harpyïas, ſerpentipedeſque Gigantas:
Centimanumque Gygen, ſemibovemque virum.
Hæc ego cuncta prius, quam te, cariſſime, credam
Mutatum curam depoſuiſſe mei.
Innumeri montes inter me teque, viæque,
Fluminaque, & campi, nec freta pauca, jacent.
Mille poteſt cauſſis, à te quæ littera ſæpe
Miſſa ſit, in noſtras nulla venire manus.
Mille tamen cauſſas ſcribendo vince frequenter:
Excuſem ne te ſemper, amice, mihi.

15. *Quadrupedeſque homines.*] Lege, *hominum* cum pri. Polit. pri. Vatican. & quatuor aliis. duo *hominis*. Heinſ. *Quadrupedeſque homines.*] Centauros. *Cum pectore pectora junctos.*] Centaurorum enim pectora humanis pectoribus juncta fuere: habuere enim partem pectoris humanam, partem equinam.

16. *Tergeminumque virum.*] Herylum aut Geryonem intelligit, quos tergeminos fuiſſe docet Virgilius. Juſtinus ſcribit, Geryonem non triplicis naturæ fuiſſe, ſed tres fratres tantæ concordiæ extitiſſe, ut uno animo omnes regi viderentur. Horatius: *Qui ter amplum Geryonem, Tityonque triſti compeſcis unda.*

17. *Sphingaque.*] Sphinx bellua eſt pilo fuſco, geminis mammis in pectore, muliebri facie: pedibus ac cauda leonis, pennis autem volucris. Ferunt ſphingem juxta Thebas ænigma hoſpitibus propoſuiſſe: quod ſatis notum. *Et Harpyas.*] Heſiodus duas tantum dicit Harpyas fuiſſe ex Thaumante & Electra natas, ſcilicet Ællo & Ocypeten: Tertiam addidit Maro, Celæno. Earumque formam ita deſcribit: *Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris Proluvies, uncaque manus, & pallida ſemper Ora fame.* *Serpentigeroſque gigantes.*] Legitur etiam, *Serpentipedeſque gigantes*: hoc eſt, gigantes, quorum pedes in ſerpentum volumina deſinebant. De quibus Macrob. lib. Saturn. I. *Serpentipedeſque gigantes.*] *Gigantas* cum Rottendorphiano. Vide Notas Faſt. III. verſ. 439. *Heinſ.*

18. *Centimanumque Gygen.*] *Gyan* Rottendorph. alii multi *Gygam*, prim. Pal. *Giam.* conſule Notas Amor. l. II. Eleg. IV. vſ. 10. *Idem.* *Centimanumque Gygen*] Gyges (auctore Heſiodo) Cœli & Terræ filius fuit, fraterque Briarei & Cotti, quorum ſingulos centum manus habuiſſe dixit, & capita quinquaginta. Hi *Titanes* dicti ſunt, ac decennale bellum cum Saturni filiis geſſerunt. *Semibovemque virum.*] Minotaurum denotat, natura duplici: nam uſque ad humeros taurus, cætera homo fuit.

ELE-

## ELEGIA VIII.

### ARGUMENTUM.

Jam mea cygneas imitantur, &c.] *Quinquagenarius poëta queritur, ſe jam caneſcere in infœliciſſima regione, eo tempore, quo frui debuiſſet patria, chariſſima conjuge, amicis, &c. Quæ ſi olim à Delphico oraculo aut Dodonæa columba futura accepiſſet, vana dicit ſe ea reſponſa exiſtimaturum fuiſſe. Clariſſimaque ſententia docet, nihil tam validum eſſe, quod non ſubjaceat divinæ voluntati ac potentiæ. Poſtremo cæteros admonet, ut ejus caſibus moniti, Auguſtum, cujus potentia par eſt diis immortalibus, demereantur.*

JAm mea cygnêas imitantur tempora plumas,
Inficit & nigras alba ſenecta comas:
Jam ſubeunt anni fragiles, & inertior ætas:
Jamque parum firmo me mihi ferre grave eſt.
Nunc erat, ut poſito deberem fine laborum
Vivere, me nullo ſollicitante metu:
Quæque meæ ſemper placuerunt otia menti,
Carpere; & in ſtudiis molliter eſſe meis:
Et parvam celebrare domum, vetereſque Penates;
Et quæ nunc domino rura paterna carent:
[Inque ſinu dominæ, cariſque nepotibus, inque
Securus patriâ conſenuiſſe meâ.]
Hæc mea ſic quondam peragi ſperaverat ætas:
Hos ego ſic annos ponere dignus eram.
Non ita Dîs viſum: qui me terrâque marique
Actum Sarmaticis expoſuere locis.
In cava ducuntur quaſſæ navalia puppes,
Ne temerè in mediis diſſolüantur aquis.



5. UT *poſito deberem fine laborum.* ] Forte, *poſita deberem fine labori. poſita* ut vitetur ambiguitas. *Heinſ.*

10. *Rura paterna.* ] Me qui ſum dominus eorum. Erant autem in Pelignis.

13. *Inque ſinu dominæ, chariſque nepotibus.*] *Sodalibus* primæ editiones & plurimi ſcripti. Sed diſtichon etiam hoc vix genuinum eſt. *Heinſ.*

14. *Hos ego ſic annos ponere dignus eram.* ] *Canos ponere* pri. & quinque alii. Sed neque anni neque cani hoc ſenſu ſatis Latine ponuntur. Quare refingo *annos condere.* ſic *condere ætatem* apud veteres, ut & *condere ſoles.* Idem.

16. *Sarmaticis locis.* ] *Jugis* quatuor libri veteres. *Idem.*

17. *In cava ducuntur.* ] Navium exemplo, quæ longa navigatione procellis agitatæ, in navalibus reponuntur, ſe ſenem dicit placida quiete uti debuiſſe.

[Ne cadat, & multas palmas inhoneſtet adeptas,
  Languidus in pratis gramina carpit equus.]
Miles, ut emeritis non eſt ſatis utilis annis,
  Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, Lares.
Sic igitur: tardâ vires minuente ſenectâ,
  Me quoque donari jam rude, tempus erat.
Tempus erat, nec me peregrinum ducere cœlum,
  Nec ſiccam Getico fonte levare ſitim:
Sed modo, quos habui, vacuum ſecedere in hortos:
  Nunc hominum viſu rurſus & Urbe frui.
Sic animo quondam non divinante futura
  Optabam placidè vivere poſſe ſenex.
Fata repugnarunt: quæ, cum mihi tempora prima
  Mollia præbuerint, poſteriora gravant.
Jamque, decem luſtris omni ſine labe peractis,
  Parte premor vitæ deteriore meæ.
Nec procul à metis, quas pæne tenere videbar.
  Curriculo gravis eſt facta ruina meo.
Ergo illum demens in me ſævire coëgi,
  Mitius immenſus quo nihil orbis habet?
Ipſaque delictis victa eſt clementia noſtris:
  Nec tamen errori vita negata meo?

Vita

19. *Ne cadat & multas palmas inhoneſtet adeptas.* ] Locus corruptus. *ademtos* pri. Polit. & Rottendorph. *ademptus* alter Politiani. *adeptis* prim. Vatican. alius, *adeptus*. Scribe *multis adeptis*, nimirum palmis. Sed cum *inhoneſtandi* verbum vix alibi occurrat apud Noſtrum; puto etiam hoc diſtichon eſſe ex iis, quæ inculcarunt hominis male feriati. *Heinſ.*

21. *Miles ubi emeritis non eſt ſatis utilis armis.* ] *Miles ut* plerique veteres. & *annis* pro *armis*. recte. nam τὸ *arma* ſequitur. Martial.

*Emeritos Muſis & Phœbo tradidit annos.*

Idem.

22. *Ponit ad antiquos.* ] Milites ſinguli perfuncti militia, donabantur ſeptenis, pluribusve aliquando, jugeribus terræ, quo poſſent reliquum vitæ agere. Solebant autem, quum à militia diſcederent, arma alicui deo ſuſpendere. quam rem non modo milites faciebant, ſed etiam gladiatores. Quem morem deſignat Horatius in Epiſtol. 1. lib. 1.

*Veianius armis Herculis ad poſtem fixis latet abditus agro.*

27. *Vacuo ſecedere in hortos.* ] Lege *vacuum*, hoc eſt otioſum. Vide ſupra Eleg. III. vſ. 77. *Heinſ.*

33. *Decem luſtris.* ] Quinquaginta annis. *Luſtrum* autem tempus quinquennale.

34. *Partè premor vitæ deteriore meæ.* ] Ætas enim poſt annum quinquageſimum ſolet eſſe deterior.

41. Per-

Vita procul patriâ peragenda ſub axe Borêo,
Qua maris Euxini terra ſiniſtra jacet.
Hoc mihi ſi Delphi, Dodonaque diceret ipſa;
Eſſe viderentur vanus uterque locus.
[Nil adeo validum eſt, adamas licet alliget illud,
Ut maneat rapido firmius igne Jovis.]
Nil ita ſublime eſt, ſupraque pericula tendit,
Non ſit ut inferius ſuppoſitumque Deo.
Nam quamquam vitio pars eſt contracta malorum,
Plus tamen exitii numinis ira dedit.
At vos admoniti noſtris quoque caſibus eſte,
Æquantem Superos emeruiſſe virum.

41. *Peragenda ſub axe Boreo eſt.*] Tolle cum melioribus ſcriptis Tò *eſt.* Heinſius.

43. *Hac mihi ſi Delphos.*] Lege *Delphi* cum pri. Polit. quomodo & Scaliger in ora codicis ſui. quinque alii *Delphis. Hoc* etiam meliores. *Idem.*

44. *Eſſe videretur.*] *Viderentur* Gott. venuſte. *Idem.*

45. *Nil adeo validum eſt.*] Suſpectum diſtichon. *Idem.*

50. *Plus tamen exitii.*] Oſtendit numen in eo ſuam vim & poteſtatem, quod me ſupra meritum punivit, & quantum collibuit, non quantum mea noxa commeruit. *Pont.* *Plus tamen exitii.*] Malim *exitio.* plus ad exitium contulit. *Heinſ.*

## ELEGIA IX.

### ARGUMENTUM.

Si licet & pateris.] *Inimico minatur poëta, ſe in eum ſcripturum, niſi pœnituerit inimicitiarum.*

SI licet, & pateris, nomen facinuſque tacebo,
Et tua Letæis acta dabuntur aquis:
Noſtraque vincetur lacrymis clementia ſeris.
Fac modo te pateat pœnituiſſe tui.
Fac modo te damnes, cupiaſque eradere vitæ
Tempora, ſi poſſis, Tiſiphonæa tuæ.

Sin

4. POEnituiſſe tui.] Pœnituiſſe ejus, quod in me feciſti. *Mer.* Pœnitet aliquem ſui, cum conſilia & facta ſua damnat, ſibique diſplicet. *Pont.*

6. *Tempora Tiſiphonaa.*] Tempora flagitioſa, furialia & nocentia. id eſt, cupias non dici meo verſu, ſemper flagitiis operam dediſſe, & nocuiſſe, ut Tiſiphone furia. *Mer.* *Cupiaſque eradere vita Tempora Tiſiphonaa.*] Hoc eſt, fac te damnes, & cupias ex vita tua eradicare, ſive penitus, ſi modo poſſis, tollere, id quod eſt Tiſiphones proprium, hoc eſt, invidiam & ſtudium nocendi. Vel: Cupias

Sin minus, & flagrant odio tua pectora noſtro;
   Induet infelix arma coacta dolor.
Sim licet extremum, ſicut ſum, miſſus in orbem;
   Noſtra ſuas iſtuc porriget ira manus.
Omnia, ſi neſcis, Cæſar mihi jura reliquit:
   Et ſola eſt patriâ pœna carere meâ.
Et patriam, modo ſit ſoſpes, ſperamus ab illo.
   Sæpe Jovis telo quercus aduſta viret.
Denique vindictæ ſi ſit mihi nulla facultas;
   Pierides vires & ſua tela dabunt.
Ut Scythicis habitem longe ſubmotus in oris,
   Siccaque ſint oculis proxima ſigna meis:
Noſtra per immenſas ibunt præconia gentes;
   Quodque querar, notum, qua patet orbis, erit.
Ibit ad occaſum; quidquid dicemus, ab ortu:
   Teſtis & Heſperiæ vocis Eöus erit.
Trans ego tellurem, trans latas audiar undas:
   Et gemitûs vox eſt magna futura mei.
Nec tua te ſontem tantummodo ſæcula norint:
   Perpetuæ crimen poſteritatis eris.

Jam

pias eradere tempora Tiſiphonæa vitæ tuæ, pro ſtudeas abolere, & ex vitæ tuæ rebus actis tollere, eá quæ ſcelerate aliquando feciſti. *Micyl.*

11. *Omnia jura mihi reliquit.* ] Quod jus eſt civi in maledicum & obtrectatorem, hoc mihi Cæſar non ademit. In jus per amicos vocaturum ſubindicat, *Pont.*

13. *Et patriam modo ſit ſoſpes.* ] *Modo ſoſpes erit* Vaticanus optimus. Scribe *ſoſpes eat.* Faſt. IV. *ſoſpes eas ſemper parens.* Vide Notas in Epicedium Druſi. vſ. 472. *Heinſ.*

16. *Et ſua tela.* ] Malim *in ſua tela.* hoc eſt in arma poëtica. *Idem.*

18. *Siccaque ſint oculis proxima ſigna.* ] Per ſigna intelligit Urſam majorem & minorem, quibus Septentrionem deſignat. *Sicca* autem appellantur, quia nunquam occidunt.

21. *Ibit in occaſum.* ] Quicquid à me de te dicitur, id cum aliis ſcriptis meis celebrabitur per totum terrarum orbem. *Pont.*

22. *Vocis Heſperia.* ] Carminis Latini. *Mer. Teſtis & Heſperia.* ] Heſperiam vocem intellige, non Latinam tantum, ſed eam quæ in Heſperia, hoc eſt, occidente edetur. Ut ſit dictum: Ejus vocis, ſive querelæ, quæ in occidente edetur, teſtis erit Eous, ſive is qui in oriente degit. ut ſit ἀντίθεσις ejus quod præcedit. *M.*

23. *Trans altas audiar undas.* ] *Trans latas* antiqui quatuor. quod præſtat. *Heinſ.*

25. *Nec tua te ſontem.* ] *Ne tua* ſcribe. *Idem.*

26. *Perpetuæ crimen poſteritatis eris.* ] Καὶ τοῖς ἐσσομένοισι πυθέσθαι. Homer. quod & in bonam & in malam partem accipitur.

27. Et

Digitized by Google

Jam feror in pugnas, & nondum cornua ſumſi.
Nec mihi ſumendi cauſſa ſit ulla velim.
Circus adhuc ceſſat: ſpargit tamen acer arenam
Taurus, & infeſto jam pede pulſat humum.
Hoc quoque, quam volui, plus eſt. cane, Muſa, receptus;
Dum licet huic nomen diſſimulare ſuum.

27. *Et nondum cornua ſumſi.* ] *Necdum mihi cornua* pri. Vatic. & tres alii. pri. Polk. & duo *nondum mihi.* pri. Palat. *& non mihi.* Heinſ. *Nondum cornua ſumpſi.* ] Nondum ſumpſi calamum & chartam, quibus te petam; ut cornibus taurus feras in arena ſecum depugnantes. *Pont.*

29. *Circus adhuc ceſſat.* ] Nondum taurus in Circo irritatur. Effigies enim hominum ex fœno veſte rubra cooperto, fieri ſolebant, quibus objectis ad ſpectaculum præbendum tauri irritarentur. Poſtea ita luxus inolevit, ut Phœniciis veſtibus uſi fuerint. *Spargit tamen acer arenam Taurus.* ] Tamen ſeſe taurus paulatim ad pugnam accendit: quibus verbis inimico idem minatur ſe facere. *Spargit tamen acer arenam.* ] *Spargit jam torvus* prim. Vatic. pri. Palat. & tres alii. *Heinſ.*

31. *Cane Muſa receſſus.* ] Prim. Vatic. prim. Pal. & ſeptem alii cum primis editionibus *receptus.* bene. ut jam monui Metam. libro primo vſ. 340. *Idem.* *Cane, Muſa, receptus.* ] Receptus, ſeu receptui canere dicimus, cum tubæ ſigno exercitus è prælio revocatur.

32. *Dum licet huic.* ] Non lædendo me ulterius.

## ELEGIA X.

### ARGUMENTUM.

Hle ego qui fueram.] *Lectorem docet, qua patria, quibus conſulibus natus ſit. Denique totam ſuam vitam paucis perſcribit. Poſtrema exilii mala commemorat: quorum magnitudinem dicit ſe Muſis conſolari, & illis acquieſcere.*

ILle ego, qui fuerim, tenerorum luſor amorum,
Quem legis, ut noris, accipe, Poſteritas.
Sulmo mihi patria eſt gelidis uberrimus undis,
Millia qui novies diſtat ab Urbe decem.
Editus hîc ego ſum: necnon, ut tempora noris;
Cum cecidit fato Conſul uterque pari.

Si

1. I*Lle ego qui fueram.* ] *Fuerim* pri. Vatic. & tres alii. probe. *Heinſ.*

3. *Sulmo mihi patria eſt.* ] Sulmo oppidum fuit Pelignæ regionis, diſtans ab urbe millibus paſſuum 90.

5. *Editus hinc ego ſum.* ] *Hic* meliores. pro *ut tempora noris*, Richelianus, *ſi tempora quæris*, nam *noris* præceſſerat. ſic in Faſtis,

*Tempora ſi veteris quæris temeraria damni.* Heinſ.

6. *Quum cecidit fato conſul uterque pari.* ] Hircium & Panſam conſules deſignat, qui apud Mutinam pugnantes contra Antonium, pop. Rom. hoſtem judicatum, ceciderunt.

7. Si

Si quid & à proavis uſque eſt vetus ordinis hæres;
Non modo Fortunæ munere factus eques.
Nec ſtirps prima fui; genito jam fratre creatus;
Qui tribus ante quater menſibus ortus erat.
Lucifer amborum natalibus adfuit idem:
Una celebrata eſt per duo liba dies.
Hæc eſt armiferæ feſtis de quinque Minervæ,
Quæ fieri pugnâ prima cruenta ſolet.
Protinus excolimur teneri, curâque parentis
Imus ad inſignes Urbis ab arte viros.
Frater ad eloquium viridi tendebat ab ævo,
Fortia verboſi natus ad arma Fori.
At mihi jam puero cœleſtia ſacra placebant;
Inque ſuum furtim Muſa trahebat opus.
Sæpe pater dixit, Studium quid inutile tentas?

Mæo-

7. *Si quid id eſt, uſque à proavis vetus ordinis hæres.*] *Si quis & à proavis uſque eſt*, vel *ſi quid*, vetuſtiores magno numero. alii aliter. Lego,

*Si quid id à proavis uſque eſt vetus ordinis hæres.*

Amor. lib. III. Eleg. ult.

*Si quid id eſt, uſque à proavis vetus ordinis hæres.*

in Ponticis.

*Si genus excutias, equites ab origine prima*
*Uſque per innumeros inveniemur avos.*

Heinſ. *Si quid id, à proavis.*] Ordo eſt: Et ſum factus eques non nunc & recens modo munere fortunæ, ſed longa ſucceſſione, & unde à majoribus hæres ſum dignitatis equeſtris. *Munere fortunæ.*] Non modo divitiis, quæ ſunt bona fortunæ: qui enim quadringenta ſeſtertia poſſidebant, equeſtri dignitate donabantur, & 14. ordinibus in theatro ſpectandi gratia ſedebant.

9. *Genito ſum fratre creatus.*] *Genito jam* rectius in Medoniano. duo alii *genito ſine.* Heinſ.

12. *Una celebrata eſt.*] Idem dies natalis, mihi illique celebratus.

13. *Armigeræ feſtis de quinque Minervæ.*] Secundum diem ex quinque Minervæ conſecratis deſignat. Prima enim die ludi gladiatorii, ut ſequentibus diebus, non exhibebantur. Fuere autem *quinquatria* Minervæ feſta 13. Cal. April. hoc eſt, 20. die Martii, dicta à quinquatro die, quod poſt diem quintum celebrentur: Vide Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 22. & ibid. Tiraquell. Natus ergo Ovid. 12. Calend. April. ſ. 21. Martii.

14. *Quæ fieri pugna.*] *Quâ* veteres. *Heinſ.*

16. *Ab arte viros.*] Inſignes ab arte, accipio eos qui artibus quibuſcunque docendis inſignes ac celebres tum fuere. *Micyll.*

18. *Fortia verboſi.*] Fortia verba vocat, oratorum orationes, propter ſummam eloquentiæ vim, qua animos quo vult adducit, & unde vult deducit.

19. *Cœleſtia ſacra.*] An *Permeſſia ſacra?* tale quid latet. *Heinſius.* *Cœleſtia ſacra.*] Poëſin intelligit. *Mer.*

20. *Inque ſuum furtim.*] Quia pater fieri me poëtam nolebat: itaque eo inſcio fabricabam verſiculos. *Pom.*

22. *Mæo-*

Mæonides nullas ipſe reliquit opes.
Motus eram dictis: totoque Helicone relicto,
Scribere conabar verba ſoluta modis.
Sponte ſuâ carmen numeros veniebat ad aptos:
Et, quod tentabam dicere, verſus erat.
Interea, tacito paſſu labentibus annis,
Liberior fratri ſumta mihique toga eſt:
Induiturque humeris cum lato purpura clavo:
Et ſtudium nobis, quod fuit ante, manet.
Jamque decem vitæ frater geminaverat annos,
Cum perit; & cœpi parte carere mei.
Cœpimus & teneræ primos ætatis honores;
Eque viris quondam pars tribus una fui.
Curia reſtabat: clavi menſura coacta eſt.
Majus erat noſtris viribus illud onus.

Nec

22. *Mæonides.* ] Homerus.

26. *Et quod tentabam ſcribere.* ] Rectius plurimi ex antiquis *dicere.* nam *ſcribere* præceſſit. *Heinſ.*

28. *Liberior toga.* ] Togam virilem deſignat, quam nobiles adoleſcentes apud Romanos ſumebant in feſto Liberi patris, 16. Kalend. April. depoſita prætexta:

29. *Induiturque humeris.* ] Pri. Vatic. Junian. & duo alii cum priſcis editionibus, *humeros.* quod mihi religioni fuit non monere. ſic & Met. IX. in nonnullis ſcriptis,

*Induiturque humeros Lernaa virus Echidna.* Heinſ.

*Cum lato purpura clavo.* ] Lato clavo utebantur & nobiliores & ſenatores, qui ab ea *Laticlavii* appellabantur. Martialis: *Dum te poſſe negas, niſi lato, Gellia, clavo Nubere, nupſiſti Gellia ciſtifero.*

31. *Jamque decem, &c.* ] Jam annum vigeſimum compleverat. *Pont.*

33. *Primos honores.* ] Magiſtratus qui primo adoleſcentibus dabantur: ut ædilitas, quæſtura, triumviratus, ceterique qui minores dicebantur. Triumvirum hic ſe fuiſſe innuit. Ceterum varii fuere hujus nominis magiſtratus.

34. *Deque viris.* ] *Eque* ſcripti potiores. & *opus* pro *onus* proximo pentametro. *Heinſ.*

35. *Menſura clavi.* ] Menſura veſtis ſenatoriæ, per quam ſenatoriam deſignat dignitatem. *Mer.* *Clavi menſura coacta eſt.* ] Latus clavus, ſenatorum geſtamen proprie erat, quo illi à reliquis ordinibus diſtinguebantur. Intelligit ergo Poëta, ſolam dignitatem ſenatoriam reliquam fuiſſe, quam adhuc conſequeretur. ſed ab ea conſequenda abſtinuiſſe ſe, quia id onus humeris ſuis majus fuiſſet; eoque menſuram clavi, hoc eſt, latitudinem, coactam apud ſe, id eſt, coarctatam, & quaſi accisam fuiſſe. Quod autem ſupra dixit, *Induiturque humeros cum lato purpura clavo*: id eo modo accipiendum fortaſſis, ut dicamus ſtatim poſt ſumptam virilem togam, etiam clavi dignitatem conſecutum, veluti ſpem quandam ſenatorii ordinis. Sed poſtea, cum videret ſe ei honori, vel ut ipſe ait, oneri eſſe imparem, eandem depoſuiſſe. *Micyl.*

37. *Nec*

Digitized by Google

Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,
Sollicitæque fugax ambitionis eram:
Et petere Aöniæ ſuadebant tuta ſorores
Otia judicio ſemper amata meo.
Temporis illius colui fovique poëtas;
Quotque aderant vates, rebar adeſſe Deos.
Sæpe ſuas volucres legit mihi grandior ævo,
Quæque necet ſerpens, quæ juvet herba, Macer.
Sæpe ſuos ſolitus recitare Propertius ignes;
Jure ſodalitii qui mihi junctus erat.
Ponticus Heroo, Baſſus quoque clarus Iämbo
Dulcia convictûs membra fuêre mei.
Et tenuit noſtras numeroſus Horatius aures;
Dum ferit Auſoniâ carmina culta lyrâ.
Virgilium vidi tantum: nec avara Tibullo

Tem-

37. *Nec mens fuit apta labori.* ] Nonnulli *erat apta.* Si quid video ſcripſerat Ovidius, *nec mens ſatis apta labori.* & *erat* pro *eram* verſu proximo. quomodo ſupra,

*Non domus apta ſatis, non hic cibus utilis agro.* Heinſ.

40. *Semper amata.* ] *Amanda* pri. Vatic. *Idem.*

44. *Quæque nocet ſerpens, quæ juvat herba, Macer.* ] Multi veterum *juvet.* Lege cum primo Polit. *necet* & *juvet.* Noſter Remed. Am.

*Parva necat morſu ſpatioſum vipera taurum.* Idem.

*Quæque nocet ſerpens.* ] Æmylius Macer, poëta Veronenſis, herbas, ſerpentes, & volucres carmine complexus eſt: qui (ut ſcribit Euſebius) 30. Olympiade in Aſia periit. Vide Scalig. poët. lib. 6. cap. 5.

47. *Ponticus Heroo.* ] Ponticus poëta heroico carmine Thebanum bellum ſcripſit. *Battus quoque clarus Iambo.* ] Alii *Bacchus.* Lege *Baſſus pede clarus Iambo.* Noſter alibi,

*Jungatur herous cum breviore pede.*

& in Faſtis,

—— *heroi res erat iſta pedis.*

Meminit tam Baſſi quam Pontici poëtarum Propertius. *Heinſ.*

48. *Dulcia convictus.* ] Convictores mei fuerunt ὁμόσιτοι.

49. *Horatius numeroſus.* ] Horatius optimus poëta, vel à copia, vel ab elegantia numeroſus dictus. Vel etiam à varietate numerorum ac pedum, quos lyrica metra recipiunt. Natus eſt ante Ovidium annis 22.

50. *Dum ferit Auſonia carmina culta lyra.* ] *Aonia lyra* quatuor veteres. an *Æolia lyra?* Horatius de ſe ipſo,

*Dicar, qua violens obſtrepit Aufidus,*
*Princeps Æolium carmen ad Italos*
*Deduxiſſe modos.*

Æolica enim dialecto lyrici Græci potiſſimum uſi. hinc *Æolia lyra.* diximus jam nonnihil ad l. II. Amor. El. XVIII. *Heinſ.* *Dum ferit.* ] Dum plectro chordas feriendo cantat: hoc eſt, dum pariter ſonat lyra, & cantat carmina.

51. *Nec avara fata* ] Nec deorum voluntates; quas ideo *avaras* appellat, quoniam celerius Tibullum rapuerunt, quam fas erat: admodum enim juvenis periit.

52. *Tem-*

Tempus amicitiæ fata dedêre meæ.
Succeſſor fuit hic tibi, Galle; Propertius illi.
Quartus ab his ſerie temporis ipſe fui.
Utque ego majores, ſic me coluêre minores:
Notaque non tardè facta Thalia mea eſt.
Carmina cum primum populo juvenilia legi;
Barba reſecta mihi biſve ſemelve fuit.
Moverat ingenium totam cantata per Urbem
Nomine non vero dicta Corinna mihi.
Multa quidem ſcripſi: ſed quæ vitioſa putavi,
Emendaturis ignibus ipſe dedi.
Tum quoque, cum fugerem, quædam placitura cremavi
Iratus ſtudio carminibuſque meis.
Molle, Cupidineis nec inexpugnabile telis
Cor mihi, quodque levis cauſſa moveret, erat.
Cum tamen hoc eſſem, minimoque accenderer igni;
Nomine ſub noſtro fabula nulla fuit.
Pæne mihi puero nec digna, nec utilis uxor
Eſt data: quæ tempus perbreve nupta fuit.
Illi ſucceſſit, quamvis ſine crimine, conjux;
Non tamen in noſtro firma futura toro.
Ultima, quæ mecum ſeros permanſit in annos,
Suſtinuit conjux exſulis eſſe viri.

Filia

52. *Tempus amicitiæ.*] Quia periit me puero, aut antequam poſſem eum videre. Alii tamen volunt, eodem anno, & etiam eadem die cum Ovidio natum. Unde extat Ovidii de ejus morte elegia.

53. *Succeſſor fuit hic tibi Galle, Propertius illi.*] Lege *fuit is.* ut melius conveniat τῷ *illi.* Heinſ.

65. *Molle Cupidineis.*] Patetur aperte, ſe animo nimis molli & effœminato fuiſſe, cum ſe nugis illis ſcribendis dederit. *Pont.*

67. *Minimoque accenderer igne.*] *Igni* Rottendorph. *Heinſ.*

68. *Nomine ſub noſtro fabula nulla fuit.*] Hoc dicit: Nulla unquam de me fuit fabula, vel rumor ullus ſiniſter, quod notatus fuerim infamia. *Mer.*

69. *Pæne mihi puero.*] Vix pueritiam egreſſo, ſcil. anno circiter 16. cum primam uxorem duceret. *Nec digna nec utilis uxor.*] Tres uxores ſubinde duxit. Cum duabus prioribus fecit divortium: cum tertia diu vixit, quæ exulem non erubuit. *Pont.*

73. *Seros permanſit in annos.*] *Socios annos* tres libri. ut epiſtola Phyllidis,

*Promiſſus ſocios ubi nunc Hymenæus in annos?*

Heinſ.

Filia bis primâ mea me fœcunda juventâ,
Sed non ex uno conjuge, fecit avum.
Et jam complêrat genitor ſua fata; novemque
Addiderat luſtris altera luſtra novem.
Non aliter flevi, quam me fleturus ademtum
Ille fuit. matri proxima juſta tuli.
Felices ambo, tempeſtiveque ſepulti,
Ante diem pœnæ quod periêre meæ!
Me quoque felicem, quod non viventibus illis
Sum miſer; & de me quod doluêre nihil!
Si tamen exſtinctis aliquid, niſi nomina, reſtat,
Et gracilis ſtructos effugit umbra rogos;
Fama, parentales, ſi vos mea contigit, umbræ;
Et ſunt in Stygio crimina noſtra foro;
Scite, precor, cauſſam (nec vos mihi fallere fas eſt)

Erro-

75. *Filia me mea bis prima.* ] Turbati numeri, quos ita concinna,

*Filia me prima mea bis fœcunda juventa.*

Idem. *Filia mea.* ] Perilla.

78. *Novemque Addiderat luſtris altera luſtra novem.* ] Hoc eſt, ad nonageſimum annum pervenerat.

80. *Matri proxima buſta tuli.* ] Lege *juſta tuli.* alterum Latinum vix eſt. Val. Flaccus lib. v.

*Tum comiti pia juſta tulit.*

Statius Theb. VI.

—— *quid inania fertis*
*Juſta regis?*

Theb. XII.

*Certamen, qui juſta ferant, qui funera ducant.*

ſic *dare juſta.* Faſt. III.

*Germana juſta das ante ſua.*

lib. VI.

*Et dederat miſeris omnia juſta rogis.*

quod male mutant. Statius Theb. IX.

—— *certe tumulos ſupremaque victis*
*Juſta dabas.*

ubi male *Buſta* nunc legitur. familiaris iſta vox Statio. Lucanus lib. IX.

—— *nunquam dare juſta licebit*
*Conjugibus.*

quomodo illic veterrimus codex Voſſianus. ſic & *peragere juſta* Noſter Met. II. *injuſtaque juſta peragit.* quæ ibi vera eſt ſcriptura. *Heinſ.* *Matri proxima buſta tuli.* ] In eodem matris ſepulcro patrem condidi.

81. *Felices ambo.* ] *Ambos* unus Vatic. & tum *ſepultos* quoque ſit ſcribendum. Vide Notas Faſt. I. vſ. 298. ſed Tò *ambo* etiam quarti caſus eſt. Monui Notis Metam. VII. vſ. 794. *Heinſius.*

85. *Si tamen extinctis aliquid, niſi nomina reſtat.* ] Senſus eſt: Si tamen aliquid reſtat defunctis hominibus, præter nomen. Hoc eſt: Si quis ſenſus eſt poſt hanc vitam, animæque hominum, ut traditur, immortales ſunt. *Micyl.* *Niſi nomina reſtant.* ] *Reſtat* ex ſcriptis nonnullis. & mox *parentales* pro *parentalis.* Heinſ.

87. *Umbræ parentales.* ] O animæ parentum meorum.

88. *Sunt in Stygio foro.* ]. Cognoſcuntur hominum ſcelera à judicibus inferni. *M.* Qui ſunt Minos, Æacus, Rhadamanthus; hi enim de criminibus convenientium cognoſcunt. *Pont.*

92. *Quæ*

Errorem juſſo, non ſcelus, eſſe fugæ.
Manibus id ſatis eſt. ad vos ſtudioſa revertor
Pectora, qui vitæ quæritis acta meæ.
Jam mihi canities, pulſis melioribus annis,
Venerat; antiquas miſcueratque comas:
Poſtque meos ortus Piſæâ vinctus olivâ
Abſtulerat decies præmia victor eques;
Cum maris Euxini poſitos ad læva Tomitas
Quærere me læſi Principis ira jubet.
Cauſſa meæ cunctis nimium quoque nota ruinæ
Indicio non eſt teſtificanda meo.
Quid referam comitumque nefas, famuloſque nocentes?
Ipsâ multa tuli non leviora fugâ.
Indignata malis mens eſt ſuccumbere; ſeque
Præſtitit invictam viribus uſa ſuis:
Oblituſque mei, ductæque per otia vitæ,
Inſolitâ cepi temporis arma manu.

Tot-

92. *Quæ vitæ quæritis acta meæ.* ] *Qui* tres ſcripti. quod præſtat. *Heinſ.*

93. *Pulſis melioribus annis.* ]

*——ſed enim gelidus tardante ſenecta*
*Sanguis hebet, frigentque effœta in corpore vires.*

Virg. 5.

*——ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus.*

94. *Antiquas miſcueratque comas.* ] Nigris albas inſperſerat. *Pulſis melioribus annis.* ] Deteriores anni ſunt ſenectutis, quia multa ſenem circumvallant incommoda. *Pont.*

95. *Piſæa oliva.* ] Oliva qua apud Piſas coronabantur victores in Olympico certamine.

96. *Abſtulerat decies.* ] Decem Olympiadas. quinquaginta annos.

102. *Ipſeque multa tuli non leviora fuga.* ] Tò *Ipſeque* mendoſum eſt. *Ipſe* optimus Medicœus. alii duo *Ipſaque*. unus *Ipſe ego*. pri. Polit. *Ipſa*. recte. niſi quod ſcribi malo,

*A quis multa tuli non leviora fuga.*

de famulis enim & comitibus queritur etiam Pont. II. Eleg. VII.

*Recta fides comitum poterat mala noſtra levare*
*Ditata eſt ſpoliis perfida turba meis.*

Muretus teſte Ciofano, *Et quæ multa tuli.* Scaliger aſteriſco locum notarat. Richolianus.

*Ipſa morte tuli non leviora mala.*

Heinſ.

105. *Oblituſque mei.* ] *Toga* idem Richelianus, *Idem. Oblituſque mei.* ] Et oblitus priſtinæ meæ tranquillitatis naturæque meæ tenerioris, & vitæ molliter actæ.

106. *Inſolita cepi temporis arma manu.* ] *Tum prius* Scaliger. perperam. ſic *temporis vultus* Noſtro Met. XIII.

*Temporis illius vultum referebat Achilles,*
*Quo ferus injuſte petit Agamemnona ferro.*

& *temporis ſolatia* apud Auſon. Parentalib.

 *Ad-*

Totque tuli terrâ caſus pelagoque; quot inter
 Occultum ſtellæ conſpicuumque polum.
Tacta mihi tandem longis erroribus acto
 Juncta pharetratis Sarmatis ora Getis.
Hic ego, finitimis quamvis circumſoner armis,
 Triſtia, quo poſſum, carmine fata levo.
Quod, quamvis nemo eſt, cujus referatur ad aures;
 Sic tamen abſumo decipioque diem.
Ergo, quod vivo, duriſque laboribus obſto,
 Nec me ſollicitæ tædia lucis habent,
Gratia, Muſa, tibi. nam tu ſolatia præbes;
 Tu curæ requies, tu medicina mali:
Tu dux, tu comes es: tu nos abducis ab Iſtro;
 In medioque mihi das Helicone locum.
Tu mihi (quod rarum) vivo ſublime dediſti
 Nomen; ab exſequiis quod dare Fama ſolet.
Nec, qui detrectat præſentia, Livor iniquo
 Ullum de noſtris dente momordit opus.
Nam tulerint magnos cum ſæcula noſtra poëtas;
 Non fuit ingenio Fama maligna meo.
Cumque ego præponam multos mihi; non minor illis
 Dicor: & in toto plurimus orbe legor.
Si quid habent igitur vatum præſagia veri;

Pro-

*Admittunt alii ſolatia temporis ægre.* ita ſcribe. nam *ægri* perperam legitur. poteſt & Tò *temporis* cum *inſolita* conſtrui. *Heinſius.* *Cepi arma temporis.* ] Cœpi tempori cedere, & neceſſitati parere, ut virum fortem decet.

107. *Occultum polum.* ] Per occultum polum, Auſtralem: per conſpicuum vero, Septentrionalem intelligit. Virgilius: *Hic vertex nobis ſemper ſublimis, at illum Sub pedibus Styx atra videt, manéſque profundi* Mer.

111 *Circumſonor armis.* ] *Circumſoner* meliores *Heinſ*

116. *Lucis ſollicitæ.* ] Vitæ quæ me ſollicitum & anxium reddit. *Mer.*

118. *Tu medicina venis.* ] *Malis* Hafnienſis. Hamburgenſis *mali* pro diverſa lectione. utrumque præſtat lectioni vulgatæ. *Heinſ.*

119. *Tu dux & comes es.* ] *Tu comes es* aliquanto nervoſius quinque veteres. pro *tu nos abducis* tres *me ſubducis*, totidem *deducis*. Lege, *tu me ſeducis ab Iſtro*: Idem. *Ab Iſtro.* ] A Tomitana urbe, Iſtro flumini finitima.

122. *Ab exequiis.* ] Poſt mortem.

123. *Detrectat præſentia.* ] Lacerat viventium opera. *Mer.*

127. *Cumque ego præponam.* ] *Utque* Junianus. *Heinſ.* *Utque ego præponam multos mihi.* ] Gallum, Tibullum, Propertium.

130. *Nam*

Protinus ut moriar, non ero, terra, tuus.
Sive favore tuli, ſive hanc ego carmine famam
Jure; tibi grates, candide lector, ago.

130. *Non ero tuus.* ] Non ſepeliar totus, aut oblivioni tradar: Sed mea fama ſupra terras ſeſe attollet, ſiamque immortalis. *Mer.*

# P. OVIDII NASONIS
# TRISTIUM
## LIBER V.
### ARGUMENTUM.

Hunc quoque de Getico. ] *Mittens Romam è Scythia hunc ultimum librum Ovidius, ſui ſtudioſos monet, ut quatuor prioribus libellis illinc quoque ab eo miſſis, hunc etiam addant. Excuſatque ſe non potuiſſe materiam aliam, quam triſtem, ejuſque rebus miſeris & perditis convenientem ſumere. Quod ſi in patriam revocetur, ſcripturum ſe jocoſa & læta profitetur: Simulque veniam petit, ſi quid ſit, quod lectorem offendat.*

HUnc quoque de Getico, noſtri ſtudioſe, libellum
Littore, præmiſſis quattuor adde meis.
Hic quoque talis erit, qualis Fortuna poëtæ.
Invenies toto carmine dulce nihil.
Flebilis ut noſter ſtatus eſt, ita flebile carmen;
Materiæ ſcripto conveniente ſuæ.
Integer & lætus læta & juvenilia luſi:
Illa tamen nunc me compoſuiſſe piget.
Ut cecidi, ſubiti perago præconia caſus;
Sum-

1. DE *littore Getico.* ] De littore Tomitanæ urbis, quæ littori Getico adjacebat. *Noſtri ſtudioſe.* ] Duo veteres *miſſum*, *ſtudioſe.* Heinſius.

2. *Quatuor meis præmiſſis.* ] Libellis Triſtium, antea Romam miſſis.

6. *Sua materia.* ] Materiæ poëtæ, quæ eſt triſtis.

7. *Integer & lætus.* ] *Donec eram lætus* pri. Polit. pri. Vatic. pri. Pal. & duo alii. male. ſupra,

*Integer hanc potui nuper bene reddere lucem.* Heinſ.

*Integer.* ] Non relegatus. *Læta & juvenilia.* ] Libros de Arte amandi ſignificat.

9. *Perago præconia.* ] Sum præco, & ſcribo;



Digitized by Google

Sumque argumenti conditor ipſe mei.
Utque jacens ripâ deflere Cayſtrius ales
Dicitur ore ſuam deficiente necem:
Sic ego Sarmaticas longe projectus in oras
Efficio tacitum ne mihi funus eat.
Delicias ſi quis laſcivaque carmina quærit;
[Præmoneo nunquam ſcripta quod iſta legat.]
Aptior huic Gallus, blandique Propertius oris,
Aptior ingenium come Tibullus erit.
Atque utinam numero ne nos eſſemus in iſto!

Hei

ſcribo. *Subiti caſus.*] Subitæ relegationis. *Mer.*

10. *Sumque argumenti conditor.*] Ipſemet mihi materiam ad ſcribendum ſuppeditavi, alii aliunde ſumunt; quoniam calamitatis meæ quam deploro, habeo præter me, auctorem neminem. *Pont.*

11. *Cayſtrius ales.*] Cygnus ad Cayſtrum fluvium pervolans.

12. *Ore deficiente.*] Deficiente ſpiritu, vel corpore. *Dicitur deflere ſuam necem.*] Dicitur plorare mortem ſuam. quod docet etiam Ariſtoteles de Natura animalium libro nono. At mihi neque hæ aves præ dolore videntur canere, neque cygni: ſed quia Phœbo ſacri ſunt (ut arbitror) divinatione præditi, præſagiunt alterius vitæ bona: ideoque cantant, alacriuſque geſtiunt ea die, quam ſuperiori tempore. *Mer.*

14. *Ne funus.*] Ne relegatio mea. *Eat mihi tacitum.*] A me ſilentio prætereatur. Vel, ne quaſi ſummo cum ſilentio diem meum obeam. *Mer.*

16. *Præmoneo nunquam ſcripta quod iſta legat.*] Non ſatis Latinum. pro *nunquam* pri. Vatic. pri. Pal. & Richel. *noſtra.* Caſtigabam aliquando,

*Præmoneo nunquam ſcripta quod iſta legat.*

vel *nuſquam.* ut Tò *ut* ſubintelligatur Tò *quid* redundet. vide Notas Epiſt. VI. vſ. 151. Capoferreus me monebat videri ſibi legendum,

*Præmoneo nunquam Triſtia noſtra legat.*

Non male. Niſi quod verſus hic mihi pro Ovidiano non eſt, ut nec ille, qui mox ſequitur. *Heinſ.* *Præmoneo, nunquam ſcripta quod iſta legat.*] Verba hoc, *Quod*, aut perperam hoc interpoſuiſſe credo; aut novo atque inuſitato modo, pro *ut* poſitum eſſe, dicendum eſt. *Micyll.*

18. *Atque alii quorum nomina magna vigent.*] Pro quo pri. Poſt. pri. Pal. pri. Vatic. & quatuor alii ex melioribus optime,

*Aptior ingenium come Tibullus erit.*

qui, quin genuinus ſit ipſius Naſonis, dubitari non poteſt. Æmilius Probus in Dione. *Dion autem præter nobilem propinquitatem, generoſamque majorum famam multa alia ab natura habuit bona: in his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas.* Tacitus Annalium lib. VI. *Artabanum Scythas inter eductum ob ſævitiam execrati, come Tiridatis ingenium Romanas per artes ſperabant.* ſic *comis amans* in Faſtis. *comis amica* & ſimilia paſſim apud Noſtrum. Cicero in Limone,

*Tu quoque, qui ſolus lecto ſermone, Terenti,*
*Quiddam come loquens.* Heinſ.

*Quorum nomina magna vigent.*] Qui ſermone omnium celebrantur, & manibus teruntur. *Pont.*

19. *Nos non eſſemus in iſto.*] *Non nos* quidam ex melioribus. *ne nos* pri. Pal. quod placet. niſi mavis *nec nos.* Heinſ.

20. *Mer-*

Hei mihi! cur unquam Muſa jocata mea eſt?
Sed dedimus pœnas: Scythicique in finibus Iſtri
Ille pharetrati luſor Amoris abeſt.
Quod ſupereſt, animos ad publica carmina flexi;
Et memores juſſi nominis eſſe ſui.
Si tamen è vobis aliquis tam multa requiret,
Unde dolenda canam: multa dolenda tuli.
Non hæc ingenio, non hæc componimus arte.
Materia eſt propriis ingenioſa malis.
Et quota Fortunæ pars eſt in carmine noſtræ?
Felix, qui patitur, quæ numerare valet!
Quot frutices ſilvæ, quot flavas Tybris arenas,
Mollia quot Martis gramina campus habet;
Tot mala pertulimus: quorum medicina quieſque
Nulla, niſi in ſtudio, Pïeridumque mora eſt.
Quis tibi, Naſo, modus lacrymoſi carminis? inquis.
Idem, Fortunæ qui modus hujus erit.
Quod querar, illa mihi pleno de fonte miniſtrat:
Nec mea ſunt, fati verba ſed iſta mei.
At mihi ſi carâ patriam cum conjuge reddas;
Sint vultus hilares, ſimque quod ante fui.
Lenior invicti ſi ſit mihi Cæſaris ira;

Carmi-

20. *Muſa locuta mea eſt.* ] *Jocata* Combii & fragmentum Vaticanum. quomodo & Voſſianus pro diverſa lectione. vere. ſic *jocoſam Muſam ſuam* vocat. Triſt. II.

*Vita verecunda eſt, Muſa jocoſa mihi.*

lib. III. Eleg. III.

*Quodque magis vita Muſa jocoſa mea eſt.*

ſimile mendum apud Phædrum non ſemel deprehendimus. ut lib. IV. initio, *hoc ſunt jocati modo.* ut *locuti* perperam nunc legitur. *Idem.*

22. *Luſor amoris adeſt.* ] Imo *abeſt* cum melioribus. *Idem.*

23. *Quod ſupereſt, ſocias.* ] Bene pri. Polit. & Rottendorph. *animos*; ac ſequenti verſu *nominis ſui* non *mei.* pri. Vatic. *animum.* & mox *è vobis* fragmentum Vaticanum. *Idem.*

30. *Numerare poteſt.* ] *Valet* Combianus. mox *quot flavus Tybris arenas* puto. non *flavas.* Idem.

34. *Pieridumque mora.* ] Opinor præſtare *Pieridumque choro.* ſic infra Eleg. III.

*Quique prius mollem vacuamque laboribus egi*
*In ſtudiis vitam Pieridumque choro.*

ſic & Pont. I. Eleg. VI.

——— *Pïeriis invigilate choris.*

Idem.

36. *Idem fortuna qui modus.* ] Deſinam lacrymoſa ſcribere, cum deſinet cauſa lachrymarum mearum. *Pont.*

Carmina lætitiæ jam tibi plena dabo.
Nec tamen ut luſit, rurſus mea littera ludet:
Sit ſemel illa joco luxuriata ſuo.
Quod probet ipſe, canam: pœnæ modo parte levatâ
Barbariem, rigidos effugiamque Getas.
Interea noſtri quid agant, niſi triſte, libelli?
Tibia funeribus convenit iſta meis.
At poteras, inquis, melius mala ferre ſilendo;
Et tacitus caſus diſſimulare tuos.
Exigis, ut nulli gemitus tormenta ſequantur;
Acceptoque gravi vulnere flere vetas.
Ipſe Perillêo Phalaris permiſit in ære
Edere mugitus, & bovis ore queri.
Cum Priami lacrymis offenſus non ſit Achilles;
Tu fletus inhibes, durior hoſte, meos.
Cum faceret Nioben orbam Latonia proles,
Non tamen & ſiccas juſſit habere genas.
Eſt aliquid, fatale malum per verba levari:
Hoc querulam Prognen Halcyonenque facit.

Hoc

44. *Sit ſemel illa joco luxuriata meo.* *Joco ſuo* Hafnienſis. placet. niſi quod ſcribendum puto.

*Sat ſemel illa joco luxuriata ſuo eſt.*
Tanaquillus Faber in Epiſtolis.

*Sit ſatis illa malo luxuriata meo.*
quod Zulichemianæ membranæ confirmant, in quibus,

*Sit ſemel illa meo luxuriata malo,*
*ſemel* quoque non *ſatis* reliqui caſtigatiores. mox *Barbariem* pro *Barbariam* meliores. *Idem.*

47. *Interea noſtri quid agant niſi triſte libelli.*] Puto, *qui dent niſi triſte.* nam Combianus *agent.* ſic Pont. lib. 1. Eleg. 1.

*Non minus hoc illo triſte, quod ante dedi.*
Idem.

48. *Iſta tibia.*] Iſte ſonus funeſtus: id eſt, hoc triſte ſcribendi genus. Solebant autem majores funera ad tibiam efferre. Vide Hier. Magium Miſcell. l. 1. c. 13. Brod. lib. 4. cap. 30.

56. *Tun' fletus inhibes.*] Scripti *Tu* ſine interrogationis nota. *Heinſ.*

57. *Quum faceret Nioben orbam.*] Niobe Tantali filia fuit ſoror Pelopis, & Amphionis uxor, quæ ſeptem filios totidem filias peperit, ſummo decore præſtantes. Tali prole ſuperbiens admodum gloriabatur, ſe Latonæ præferens numero filiorum. Itaque ira motam fabulæ Latonam ferunt, Apollinique ut Niobes filios, Dianæ, ut filias arcu interficerent mandaſſe. Vide Ovid. lib. Metamor. 6.

59. *Per verba Levare.*] *Levari* malo cum uno Patavino. paulo ante etiam legendum *Num tamen* pro *Non.* Heinſ.

60. *Hoc querulam.*] Malim *Hoc querulas.* Idem. *Hoc facit, &c.*] Hæc cauſa facit, ut Progne querulo cantu dolorem levet: quæ fuit filia Pandionis regis Athenienſ: Vide Fab. apud Ovid. 6. & 11. Metamorph. & Apollodor. lib. 3. *Halcyonaſque.*] Ceyx filius Luciferi habuit con-

Digitized by Google

Hoc erat, in gelido quare Pæantius antro
  Voce fatigaret Lemnia ſaxa ſuâ.
Strangulat incluſus dolor, atque exæſtuat intus:
  Cogitur & vires multiplicare ſuas.
Da veniam potius; vel totos tolle libellos;
  Si mihi quod prodeſt, hoc tibi, lector, obeſt.
Sed neque obeſſe poteſt, ulli nec ſcripta fuerunt
  Noſtra, niſi auctori pernicioſa ſuo.
At mala ſunt fateor. quis te mala ſumere cogit?
  Aut quis deceptum ponere ſumpta vetat?
Ipſe nec emendo: ſed ut hîc deducta legantur.
  Non ſunt illa ſuo barbariora loco.
Nec me Roma ſuis debet conferre poëtis.
  Inter Sauromatas ingenioſus ero.
Denique nulla mihi captatur gloria, quæque
  Ingenio ſtimulos ſubdere Fama ſolet.
Nolumus aſſiduis animum tabeſcere curis:
  Quæ tamen irrumpunt, quoque vetantur, eunt.

Cur

conjugem Halcyonem, à qua quum prohibitus iviſſet ad conſulendum Apollinem de ſtatu regni ſui, naufragio periit. Cujus corpus quum ad uxorem Halcyonem delatum fuiſſet, illa ſe præcipitavit in pelagus. Et converſi ſunt ambo in aves marinas, quæ Halcyones vocantur. Fabulam narrat Ovidius libro undecimo Metam.

61. *In gelido Paantius antro.* ] *Saxum illud Lemnium clamores Philocteteo fu*‹n›*eſtare.* Cic. de finib. lib. 2. Ubi hanc fabulam præclare in ſuos uſus transfert. *Contempla hanc ſedem, in qua ego novem hyemes ſaxo ſtratus pertuli* Attius. Μηδὲ σύντροφον ὄμμ' ἔχων. Sophocl. fab. 7. *Paantius.* ] Philoctetes Pæantis filius: Vide Ovidium lib. 13. Metam. *Non te Paantia proles Expoſitum Lemnos noſtro cum crimine haberet. Qui nunc (ut memorant) ſylveſtribus abditus antris, Saxa movès gemitu, Laërtiadaque precaris, &c.*

63. *Strangulat incluſus dolor.* ] Oſtendit dolorem compreſſum graviter hominem conficere.

66. *Si mihi quod prodeſt, hoc tibi.* ] Pri. Pol. pri. Vatic. prim. Pal. & tres alii, *Sic mihi quod prodeſt ſi.* Forte,

*Id, mihi quod prodeſt, ſi tibi, Lector obeſt.* Heinſ.

70. *Aut quis.* ] *Quid* unus Vaticanus. Adi Notas ad Epiſtolam Ariadnes. v. 86. *Idem.*

71. *Ipſe nec hoc mando.* ] *Ipſa* pri. Polit. & duo alii. quidam *Ipſe nec emendo.* pri. Vatican. *Ipſa nec emendo.* Idem.

74. *Ingenioſus eram.* ] *Ero* multi veteres. Putem *eo.* ut in Amoribus,

*Turpiter huc illuc ingenioſus eo.*

Idem.

75. *Captatur gloria.* ] *Captantur ſacula* Leidenſis. *Idem.*

76. *Ingenio ſtimulos.* ] *Ingenii* meliores. Puto *Ingeniis.* Idem.

78. *Qua tamen irrumpunt, &c.* ] Tamen uſque recurrunt; quamvis coner ſcribendo curas levare, non tamen poſſum.



Digitized by Google

Cur ſcribam docui: cur mittam, quæritis, iſtos?
Vobiſcum cupiam quolibet eſſe modo.

79. *Cur mittam quæritis iſtos.* ] *Iſto* repone. Tanaquillus Faber in Epiſtolis, *iſthoc* pari ſenſu. ut Romam ſubintelligat. *Heinſ.*

80. *Vobiſcum cupio.* ] *Cupiam* Junianus. *Idem.* *Quolibet modo.* ] Verſibus: quandoquidem non licet corpore. *Mer.*

## ELEGIA II.

### ARGUMENTUM.

Ecquid ut è Ponto. ] *Ad uxorem ſcribens, dicit ſe corpore bene valere, quamvis mente langueat. Oſtenditque dolorem eundem eſſe, qui primus fuit, quum relegatus ſit ab Auguſto. Poſtea commemorat incommoda, quibus ſine fine conficitur. Et quandoquidem levis ſit exilii cauſa, & magna Cæſaris clementia, pro marito roget, hortatur. nec ullam ſibi ſpem relictam, quam Auguſti clementiam.*

Ecquid, ut è Ponto nova venit epiſtola, palles;
Et tibi ſollicitâ ſolvitur illa manu?
Pone metum; valeo. corpuſque, quod ante laborum
Impatiens nobis invalidumque fuit,
Sufficit; atque ipſo vexatum induruit uſu.
An magis infirmo non vacat eſſe mihi?
Mens tamen ægra jacet, nec tempore robora ſumſit:
Affectuſque animi, qui fuit ante, manet.
Quæque morâ ſpatioque ſuo coïtura putavi
Vulnera; non aliter, quam modo facta, dolent.
Scilicet exiguis prodeſt annoſa vetuſtas,
Grandibus accedunt tempore damna malis.
Pæne decem totis aluit Pæantius annis
Peſtiferum tumido vulnus ab angue datum.

Tele-

1. *Sufficit.* ] Durat, ſuſtinet. *Mer.*

6. *Et magis infirmo.* ] Non, inquit, tempus eſt, ut magis ſim infirmus & invalidus: nam corpus multis malis vexatum occalluit, & aſſuevit omnia perpeti. Sunt qui legant per interrogationem, *An magis infirmo, &c.* An ideo firmum mihi corpus, quia unde infirmum ſit, amplius nihil eſt?

12. *Tempore.* ] Diuturnitate temporis. *Mer.* *Grandibus accedunt.* ] Magna incommoda ab annis incrementum accipiunt, & gravius animum diſcruciant. Sic Cic 5. Philipp. *Omne malum naſcens facile opprimitur: inveteratum fit plerumque robuſtius.* ] Pont.

13. *Pæantius.* ] Philoctetes.

14. *Vulnus ab angue datum.* ] *Virus* primæ editiones & unus Vaticanus cum Arondeliano. *Heinſ.* *Vulnus peſtiferum.* ]

Sagit-

Telephus æternâ conſumtus tabe periſſet,
  Si non, quæ nocuit, dextra tuliſſet opem.
Et mea, ſi facinus nullum commiſimus, opto
  Vulnera qui fecit, facta levare velit.
Contentuſque mei jam tandem parte laboris,
  Exiguum pleno de mare demat aquæ.
Detrahat ut multum, multum reſtabit acerbi:
  Parſque meæ pœnæ totius inſtar erit.
Littora quot conchas, quot amœna roſaria flores,
  Quotve ſoporiferum grana papaver habet;
Silva feras quot alit, quot piſcibus unda natatur;
  Quot tenerum pennis aëra pulſat avis;
Tot premor adverſis. quæ ſi comprendere coner,
  Icariæ numerum dicere coner aquæ.
Utque viæ caſus, ut amara pericula ponti,
  Ut taceam ſtrictas in mea fata manus;
Barbara me tellus, orbiſque noviſſima magni
  Suſtinet; & ſævo cinctus ab hoſte locus.

Hinc

Sagittam Herculis intellige, hydræ veneno infectam. Nota eſt fabula. *Peſtiferum vulnus ab angue.*]

*Cui viperino morſu vena viſcerum*
*Veneno imbuta tetros cruciatus cient.*

Attius. Deinde tamen reſtitutus eſt arte Machaonis.

*Tarda Philoctetæ ſanavit crura Machaon.*

Propert. lib. 2. Eleg. 1. Alii ſagittis Herculis, veneno armatis, vulnus accepiſſe tradunt.

15. *Telephus æterna conſumptus, &c.*] *Vulneris auxilium Pelias haſta tulit.* Mer.

19. *Parte doloris*] *Laboris* ſex libri. quod magis arridet. *Heinſ.*

20. *Exiguum pleno.*] Alibi dixit ſe non fluctibus, ſed toto Oceano fuiſſe obrutum, miſeriarum ſuarum multitudinem & magnitudinem volens exprimere. *Mare* dixit ἀρχαϊκῶς pro mari. *Pont.*

21. *Multum reſtabit acerbi.*] *Acervi* pri. Pal. pri. Vatican. & tres alii. malim *acervo.* pœnæ videlicet. *Heinſ.*

22. *Totius inſtar erit.*] Oſtendit tantam eſſe malorum magnitudinem, ut etiam ſi quid detrahatur, nihil ſibi imminutum videatur.

23. *Quod amœna roſaria flores.*] *Quot enos ptua* pri. Polit. *quot enos boſtia* Rottendorph. *quod amenos boſtia* pri. Vatic. & prim. Palatinus. Puto ſcribendum, *Paſtana roſaria flores.* ſic *Paſtana roſa* Pont. II. Eleg. IV. & *biferi roſaria Paſti* apud Maronem. *Heinſius.*

24. *Quodve ſoporiferum.*] Papaveris ſativi tria ſunt genera. Candidum, cujus ſemen toſtum in ſecunda menſa cum melle apud antiquos dabatur. Alterum nigrum. Tertium genus *Tyram* vocant.

26. *Quod tenerum pennis aëra pulſat avis.*] *Quot* cum ſcriptis. malim etiam *ſulcat.* Heinſ.

30. *Strictas in mea, &c.*] De nece ſibi à comitibus in itinere intentata, hæc accipe.

33. *Tra-*

Digitized by Google

Hinc ego trajicerer (neque enim mea culpa cruenta eſt)
  Eſſet, quæ debet, ſi tibi cura mei.
Ille Deus, bene quo Romana potentia nixa eſt,
  Sæpe ſuo victor lenis in hoſte fuit.
Quid dubitas? quid tuta times? accede, rogaque.
  Cæſare nil ingens mitius orbis habet.
Me miſerum! quid agam, ſi proxima quæque relinquunt?
  Subtrahis effracto tu quoque colla jugo?
Quo ferar; unde petam lapſis ſolatia rebus?
  Anchora jam noſtram non tenet ulla ratem.
Viderit: ipſe ſacram quamvis inviſus ad aram
  Confugiam: nullas ſubmovet ara manus.
Alloquor en abſens præſentia numina ſupplex:
  Si fas eſt homini cum Jove poſſe loqui.
Arbiter imperii, quo certum eſt ſoſpite cunctos

Auſo-

33. *Trajicerer.* ] In locum clementiorem mitterer ab Auguſto. *Eſt cruenta.* ] Eſt capitalis, quod quenquam occiderim.

37. *Quid dubitas, & tuta times?* ] *Quid tuta* tres antiqui nervoſius. *Heinſ.*

40. *Subtrahis & fracto.* ] *Effracto jugo* prim. Polit. & quatuor alii. *efracto* pri. Vatican. ſic *Effractum ebur* reſtitui apud Claudianum de bello Gildonico v. 136. *Idem.*

43. *Viderit.* ] Ipſe Cæſar providerit, poſteaquam à cæteris deſtituor.

45. *Alloquar en abſens abſentia numina ſupplex.* ] *Alloquor* potiores. præterea ſcribendum puto, *præſentia numina.* quod tamen non intellexere inſciti librarii. Triſt. II. Auguſtum vocat *præſentem conſpicuumque Deum.* & Pont. lib. I. Eleg. III. de eodem,

*Quamque dedere mihi præſentia numina vitam,*
*Non adimat ſtricto ſquallidus enſe Getes.*

Metam. XV.

*Pandite nunc Muſæ præſentia numina vatum.*

de Baccho Met. IV.

*——— neque enim præſentior illo*
*Eſt Deus.*

Cicero Tuſcul. Quæſt. lib. I. *Hercules tantus & tam præſens deus habetur.* Voſſii excerpta *cæleſtia numina.* Heinſ. *Alloquor en abſens.* ] Mirum eſt, quam ob cauſam hæc quæ ſequuntur à ſuperioribus divellant quidam: cum per ſe poſita, neque exordium aut caput habeant: & ſuperiores proximi verſus omnino cum ſequentibus hic cohæreant. Eſt enim hæc ſententia. Quando igitur cæteri vos omnes deſeritis me, neque quiſquam pro me deprecari ſuſtinet, ego ipſe ad aram, hoc eſt, ad Cæſarem accedam, eumque licet abſentem, abſens ſupplicibus verbis, quatenus fas eſt hominem cum Deo loqui, alloquar, & orabo, in hunc modum videlicet: *O arbiter imperii, &c.* Micyl.

46. *Cum Jove.* ] Cum Auguſto.

47. *Arbiter, &c.* ] *Arbiter,* inquit Feſtus

Digitized by Google

Auſoniæ curam gentis habere Deos:
O decus, ô patriæ per te florentis imago;
O vir non ipſo, quem regis, orbe minor;
Sic habites terras, & te deſideret æther!
Sic ad pacta tibi ſidera tardus eas!
Parce, precor: minimamque tuo de fulmine partem
Deme. ſatis pœnæ, quod ſuperabit, erit.
Ira quidem moderata tua eſt; vitamque dediſti:
Nec mihi jus civis, nec mihi nomen abeſt.
Nec mea conceſſa eſt aliis Fortuna: nec exſul
Edicti verbis nominor ipſe tui.
Omniaque hæc timui, quia me meruiſſe videbam:
Sed tua peccato lenior ira meo eſt.
Arva relegatum juſſiſti viſere Ponti,
Et Scythicum profugâ findere puppe fretum.
Juſſus ad Euxini deformia littora veni
Æquoris. hæc gelido terra ſub axe jacet.
Nec me tam cruciat nunquam ſine frigore cœlum
Glebaque canenti ſemper obuſta gelu;
Neſciaque eſt vocis quod barbara lingua Latinæ;
Grajaque quod Getico victa loquela ſono;
Quam quod finitimo cinctus premor undique Marte;

Vix-

ſtus, dicitur judex, quod totius rei habeat arbitrium ac facultatem.

50. *Non ipſo, quem regis.*] Tanti faciende, quanti totus ſimul orbis: par orbi.

52. *Ad ſidera pacta tibi.*] Ad cælum tibi promiſſum.

54. *Quod ſuperabit.*] *Superare*, ſupereſſe, reſtare.

57. *Nec mea conceſſa eſt aliis fortuna.*] Nec mihi fortunas meas ademit Auguſtus; quod exulibus fieri ſolebat.

59. *Quoniam meruiſſe videbar.*] *Quia me meruiſſe videbam* pri. Polit. pri. Vatic. pri. Pal. & tres alii ex melioribus. *Heinſ.*

62. *Scindere puppe.*] *Findere* ſex. quod mollius. *Idem.*

63. *Deformia.*] Littus proprie maris eſt, ripa fluminis. Interdum generaliter appellatur littus, quicquid juxta aquam eſt.

64. *Gelido ſub axe.*] Septentrionali. *Mer.*

66. *Canenti gelu.*] Canentia frigora alibi appellavit, quod quaſi canitiem terræ inducant. *Obuſta*, quia & frigus urere dicitur.

68. *Grajaque quod Getico.*] Propter colonos è Græcia eo deductos. *Victa loquela ſono eſt.*] Meliores plerique *juncta*, alii nonnulli cum priſcis editionibus *miſta*. Nos veram lectionem exhibuimus. ſic infra Eleg. VII.

*In paucis extant Graca veſtigia lingua,*
*Hac quoque jam Getico barbara facta ſono.* Heinſ.

70. *Vix-*

Digitized by Google

Vixque brevis tutum murus ab hoſte facit.
Pax tamen interdum, pacis fiducia nunquam eſt.
Sic hic nunc patitur, nunc timet arma, locus.
Hinc ego dum muter, vel me Zanclæa Charybdis
Devoret, aque ſuis ad Styga mittat aquis:
Vel rapidæ flammis urar patienter in Ætnæ:
Vel freta Leucadii mittar in alta Dei.
Quod petitur, pœna eſt: neque enim miſer eſſe recuſo;
Sed precor, ut poſſim tutius eſſe miſer.

70. *Vixque brevis tutos.* ] *Tutum* rectius Patavin. & Zulichem. l. IV. Eleg. I.

*Vixque ſui tutum mœnibus eſſe loci.*

Idem. *Brevis murus.*] Id eſt, humilis, non altus, *ἀκυρώτερον*. *Pont.*

71. *Pacis fiducia nunquam.*] Nunquam certa eſt pax.

73. *Panthea Charybdis.* ] *Zanclæa Charybdis:* ſic enim Poëtæ eam appellant, ab urbe Siciliæ Zancle, ſic appellata à ſpecie falcis. Siquidem (auctore Tucydide) falcem Siculi *Zanclam* appellant nam loca ea curva fuiſſe docet etiam Strabo.

74. *Atque ſuis ad Styga mittat aquis.*] Scribe *aque ſuis*. Heinſ.

76. *Leucadii Dei.* ] *Leucadio Deo* uterque Polit. pri. Vatican. opt. Medic. & Regius. alter etiam Politiani *apta* pro *alta*. an *Leucadio modo?* ut Faſt. v.

*Triſtia Leucadio ſacra peracta modo.*

ita enim ibi veteres nonnulli. At Triſt. III. Eleg. I.

*An quia Leucadio ſemper amata Deo*
*eſt?* Idem.

77. *Quod petimus.*] *Petitur* bene duo veteres. unus *patitur*. multi *patimur*. Idem.

# ELEGIA III.

## ARGUMENTUM.

Illa dies hæc eſt, &c.] *Queritur Ovidius, quod quum Bacchi feſtum celebretur, ſibi una cum cæteris poëtis Romæ eſſe non liceat, ut antea ſolebat: miraturque illum ſibi uni ex ejus cultoribus non opem tuliſſe. Demum illum, ſtudiique conſortes poëtas precatur, ut à Cæſare reditum impetrent.*

ILla dies hæc eſt, qua te celebrare poëtæ,
(Si modo non fallunt tempora) Bacche, ſolent:
Feſtaque odoratis innectunt tempora ſertis,
Et dicunt laudes ad tua vina tuas.

Inter

1. Q*Ua te celebrare poëtæ.*] Bacchi feſtum celebratur 15. Calend. Apriles à poëtis; concitantur enim & ipſi ut ſacerdotes Bacchi: atque ideo & hedera coronantur. Ejus ſacra Julius Cæſar primus Romam tranſtulit. De hujus dei ſacris legito Ovid. l. 3. Faſtorum. *Mer.*

3. *Innectunt tempora.*] Magnus olim ſertorum uſus in diebus feſtis, ſacrificiis, ſympoſiis, quia ſignum lætitiæ. *Pont.*

4. *Et dicunt laudes ad tua vina tuas.*] Scribe *ad ſua vina*. ſic frequentiſſime Noſter. pro *vina* unus *feſta*, alius *juſſa*. Forte *muſta*. Heinſ.

5. Dum

Inter quos memini, dum me mea fata ſinebant,
Non inviſa tibi pars ego ſæpe fui.
Quem nunc ſuppoſitum ſtellis Cynoſuridos Urſæ
Juncta tenet crudis Sarmatis ora Getis.
Quique prius molem vacuamque laboribus egi
In ſtudiis vitam, Pieridumque choro;
Nunc procul à patriâ Geticis circumſonor armis
Multa prius pelago, multaque paſſus humo.
Sive mihi caſus, ſive hoc dedit ira Deorum;
Nubila naſcenti ſeu mihi Parca fuit:
Tu tamen è ſacris hederæ cultoribus unum
Numine debueras ſuſtinuiſſe tuo.
An dominæ fati quidquid cecinêre ſorores,
Omne ſub arbitrio deſinit eſſe Deûm?
Ipſe quoque æthereas meritis invictus es arces;
Qua non exiguo facta labore via eſt.
Nec patria eſt habitata tibi: ſed ad uſque nivoſum
Strymona veniſti, Marticolamque Geten:
Perſidaque, & lato ſpatiantem flumine Gangen,
Et quaſcunque bibit diſcolor Indus aquas.
Scilicet hanc legem nentes fatalia Parcæ
Stamina bis genito bis cecinêre tibi.

Me

5. *Dum me mea fata ſinebant.* ] Quum nondum eram relegatus ab Auguſto. Virgil. *Dum fata Deuſque ſinebant.*

7. *Stellis Erymanthidos urſa.* ] *Cynoſuridos* præcipui ex antiquis & recte. *H.* *Erymanthidos urſa.* ] Urſæ Arcadicæ, ab Erymantho monte Arcadiæ appellatæ.

18. *Deſinit eſſe Dei.* ] *Deûm* rectius pro gentili Theologia liber Leidenſis. *Heinſ.*

20. *Quo non exiguo.* ] *Qua* meliores. *Idem.*

21. *Nec patria.* ] Thebæ.

22. *Strymona.* ] Strymon fluvius eſt, qui in confinio Thraciæ & Macedoniæ ex Æmo decurrit. ibi per æſtum maxime grues morantur. Unde Maro eas *Strymonias* appellavit. *Marticolamque Geten.* ] Belli cupidos Thracas.

23. *Perſidaque & lato ſpatiantem.* ] Perſis tota altiſſimis vallatur montibus, initium capiens à portis Caſpiis, qua iter in auſtrum, atque uſque ad mare protenditur: quod ab ea Perſicum eſt appellatum. *Ganges.* ] Ganges Indiæ fluvius eſt maximus omnium fluminum, quæ in tribus continentibus memorantur. Vide Plin. lib. 6. cap. 18.

24. *Decolor Indus.* ] Quidam *diſcolor*, utrumque probum dixi ad Metamorph. *Heinſ.* *Decolor Indus.* ] Indiæ populus niger, & mali coloris; ob nimium Solis ardorem. Plin. lib. 6 cap. 17. *Mer.*

26. *Stamina.* ] *Carmina* tertiæ liber, de qua voce ad Claudianum lib. 11. in Eu-

Digitized by Google

Me quoque, ſi fas eſt exemplis ire Deorum,
Ferrea ſors vitæ difficiliſque premit.
Illo nec levius cecidi; quem magna locutum
Reppulit à Thebis Jupiter igne ſuo.
Ut tamen audiſtis percuſſum fulmine vatem,
Admonitu matris condoluiſſe potes.
Et potes, aſpiciens circum tua ſacra poëtas,
Neſcio quis noſtri, dicere, cultor abeſt.
Fer, bone Liber, opem: ſic altam degravet ulmum
Vitis, & incluſo plena ſit uva mero.
Sic tibi cum Bacchis Satyrorum gnava juventus
Adſit, & attonito non taceare ſono.
Oſſa bipenniferi ſic ſint male preſſa Lycurgi:

Im-

Eutrop. vſ. 458. *Heinſius. Bis genito bis, &c.*] Bis genitum appellat Bacchum, quoniam primum ex Semele, deinde ex femore Jovis in lucem venit: hinc *bimater* & *διθύραμβος* dictus.

29. *Quem magna locutum.*] Capaneum.

32. *Admonitu matris.*] Ad Semelem Bacchi matrem referas, quæ Jovis fulmine conflagravit: quemadmodum Poëta Auguſti ictu proſtratus eſt. Vide Natal. l. 5. c. 13.

33. *Circum tua ſacra poëtas.*] *Sua ſacra* duo Vaticani. ut ſæpe apud Noſtrum. & *ſua vina* paulo ante. *Heinſ.*

35. *Sic altera degravet ulmum.*] *Sic altam* meliores. quod verum eſt. *Idem.*

36. *Mero incluſo.*] Vino intus latenti. Hoc ideo dicit, quoniam Bacchus vini uſum mortalibus tradidit. *Laticemque Lyæum.* Virg.

37. *Sic tibi cum Bacchis.*] Tradunt Bacchum in exercitu mulierum copiam circumduxiſſe, armatam haſtis pampinis involutis: Silenum quoque pædagogum ac nutritorem, qui ei plurimum ad virtutem & gloriam reſque bellicas profuit: Satyroſque etiam, quorum opera in ſaltationibus ac tragœdiis oblectabatur. eorum enim riſu ac joco vitam omnem felicem traducebat. Vide Natal. lib. 5. cap. 7. *Satyrorum gnara juventus.*] Ita uterque Politiani. multi *grata* cum priſcis editionibus, vel *læta*. alii *graja*, vel *prona*, vel *lecta*, vel *gnara*, vel *ignava*, vel *ſacra*. ſed perperam. Codex Petri Servii *nava*. ut Pont. lib. 1. Eleg. x. *nava juventa* pro *gnava* in antiquiſſimis libris legitur. ubi pari modo variant ſcripti codices. Calpurnius Eclog. v.

*Jam dudum gnavam potes exercere juventam*

venit enim *ἀπὸ τοῦ navare*. Silius lib. v.

*Laurigeris decus illud avis, navaque juventa*
*Florebat.*

ita illo loco vetuſtiſſimus codex Colonienſis. vulgati *vana*. pari modo & alibi non ſemel in Silio peccatum. *Heinſ.*

38. *Attonito non taceare ſono.*] Et ſacrificiis celebreris, in quibus hominum clamore & ſtrepitu cymbalorum ac tympanorum omnia reſonabant. *Attonito ſono.*] Sono bacchantum & furentum in tuis ſacris. Sic in primo de Arte amandi: *Sonuerunt cymbala toto Littore, & attonita tympana pulſa manu.*

39. *Oſſa bipenniferi.*] Sic male cubent. Inſignes inter eos in quos animadvertit Bacchus, ferunt Græcum Penthea: cujus fabulam habes apud Ovid. in Metamorph. & Lycurgum Thracem. Ovidius enim ſcribit Lycurgum Thracum regem fuiſſe

Impia nec pœnâ Pentheos umbra vacet.
Sic micet æternùm viciñaque ſidera vincat
Conjugis in cælo Creſſa Córona tuæ.
Huc ades, & caſus releves pulcherrime noſtros,
Unum de numero me memor eſſe tuo.
Sunt Dîs inter ſe commercia. flectere tenta.
Cæſareum numen numine, Bacche, tuo.
Vos quoque, conſortes ſtudii pia turba poëtæ,
Hæc eadem ſumto quiſque rogate mero.
Atque aliis veſtrûm, Naſonis nomine dicto,
Deponat lacrymis pocula miſta ſuis:
Admonituſque mei, cum circumſpexerit omnes,
Dicat, Ubi eſt noſtri pars modo Naſo chori?
Idque ita; ſi veſtrum merui candore favorem:
Nullaque judicio littera læſa meo eſt.
Si, veterum dignè veneror cum ſcripta virorum,
Proxima non illis eſſe minora reor.
Sic igitur dextro faciatis Apolline carmen:
Quod licet, inter vos nomen habete meum.

fuiſſe, qui Bacchum deum eſſe negabat. ob quod cum donaretur ſecuri vites incidere, crura ſibi amputavit. Unde *bipennifer* appellatur. Ovid. in Metamorph. *Penthea tu venerande, bipenniferumque Lycurgum Sacrilegos mactas.*

40 *Umbra Pentheos.* ] Penthei anima. Vide Ovid. 3. Metamorph.

42. *Clara corona tua.* ] Zulichemianus *Creſſa corona.* optime. Vide omnino Notas l. 1. Artis. vſ. 557. *Heinſ.* *Clara corona.* ] Ariadnen à Theſeo in Naxo inſula deſtitutam Bacchus uxorem duxit. Fabulam refert Ovid. in 1. de Arte amandi. De Corona vero Ariadnæ legito Hyginum, qui rem multis verbis proſequitur. *Mer.* *Pulcherrime.* ] Quia ipſe Bacchus & Apollo ſemper juvenes, imberbes, & virginea facie. *Pont.*

43. *Huc ades & caſus releves.* ] Lege *ut releves*, vel *& releva.* Heinſ.

50. *Deponat lacrymis.* ] Scripti plerique *Opponat* vel *Apponat.* Idem.

54. *Nullaque judicio.* ] Si nullius veſtrum carmen notavi unquam: aut, ſi in quenquam veſtrum mordacem verſum nunquam diſtrinxi.

56. *Proxima non illis.* ] Si arbitror proxima veſtra carmina antiquis non eſſe inferiora. *Proxima* autem, aut vicina, aut nuper à vobis edita.

58. *Nomen habere meum.* ) *Habete* cum melioribus. *Heinſ.* *Nomen habete meum.* ] Solo nomine ſim vobiſcum, quandoquidem corpore non poſſum propter Auguſtum: Vel mei memores eſtote,



Digitized by Google

## ELEGIA IV.

### ARGUMENTUM.

Littore ab Euxino.] *Epiſtolam ab Euxino littore Romam veniſſe, coramque laudare amici fidem, inducit Ovidius. Eum poſtremo precatur, ut ſe conſtanter tueatur.*

LIttore ab Euxino Naſonis epiſtola veni,
Laſſaque facta mari, laſſaque facta viâ.
Qui mihi flens dixit, Tu, cui licet, aſpice Romam.
Heu quanto melior ſors tua ſorte meâ!
Flens quoque me ſcripſit: nec qua ſignabar, ad os eſt
Ante, ſed ad madidas gemma relata genas.
Triſtitiæ cauſſam ſi quis cognoſcere quærit;
Oſtendi ſolem poſtulat ille ſibi.
Nec frondem in ſilvis, nec aperto mollia prato
Gramina, nec pleno flumine cernit aquas.
Quid Priamus doleat, mirabitur Hectore rapto;
Quidve Philoctetes ictus ab angue gemat.
[Dî facerent utinam, talis ſtatus eſſet in illo,
Ut non triſtitiæ cauſſa dolenda foret.]
Fert tamen, ut debet, caſus patienter amaros:
More nec indomiti fræna recuſat equi.
Nec fore perpetuam ſperat ſibi numinis iram,
Conſcius in culpâ non ſcelus eſſe ſuâ.
Sæpe refert, ſit quanta Dei clementia: cujus
Se quoque in exemplis annumerare ſolet.

Nam

8. P*Oſtulat ille ſibi.*] *Poſtulet* malo cum Hamburgenſi, & Arondeliano. verſu proxime ſequenti malim quoque *aprico prato* quàm aperto. etſi vulgatam minime damnem. Horatius lib. I. Epiſt. XIV.

*Multa mole docendus aprico parcere prato.*

& Arte poëtica,

*Gaudet equis canibuſque & aprici gramine campi.*

lib. I. Od. VIII. *cur apricum oderit campum.* libro III. Od. XVIII. apud eundem habes *aprica rura.* & *apricos flores* lib. I. Od. XXVI. *Heinſ.*

12. *Ictus ab angue.*] Vel ſagitta, veneno hydræ illita, percuſſus: vel revera à ſerpente ictus.

13. *Di facerent utinam.*] Hoc diſtichon vix Latinum eſt, & multo minus Ovidianum. *Heinſ.*

15. *Fert tamen, &c.*] Virtutis eſt, ut ſecundam fortunam moderate, ita adverſam ferre patienter. *Pont.*

17. *Numinis.*] Auguſti. *Mer.*

20. *Annumerare ſolet.*] *Commemorare* Arondel. *Heinſ.*

21. Nam

Digitized by Google

Nam quod opes teneat patrias, quod nomina civis;
Denique quod vivat, munus habere Dei.
Te tamen, ô, ſi quid credis mihi carior, ille,
Omnibus, in toto pectore ſemper habet.
Teque Menœtiaden, te qui comitavit Oreſten,
Te vocat Ægiden, Euryalumque ſuum.
Nec patriam magis ille ſuam deſiderat, & quæ
Plurima cum patriâ ſentit abeſſe ſuâ;
Quam vultus, oculoſque tuos, ô dulcior illo
Melle, quod in ceris Attica ponit apis!
Sæpe etiam mœrens tempus reminiſcitur illud,
Quod non præventum morte fuiſſe dolet.
Cumque alii fugerent ſubitæ contagia cladis,
Nec vellent ictæ limen adire domûs;
Te ſibi cum paucis meminit manſiſſe fidelem:
Si paucos aliquis treſve duoſque vocat.
Quamvis attonitus, ſenſit tamen omnia: nec te
Se minus adverſis indoluiſſe ſuis.
Verba ſolet, vultumque tuum, gemituſque referre:
Et te flente ſuos emaduiſſe ſinus.
Quam ſibi præſtiteris, qua conſolatus amicum
Sis ope; ſolandus cum ſimul ipſe fores.
Pro quibus affirmat fore ſe memoremque piumque;
Sive diem videat, ſive tegatur humo.

Per

21. *Nam quod opes.* ] *Jam* nonnulli ex præſtantioribus. *Idem.*

23. *Carius ille.* ] *Carior* multi ex melioribus, ut & priſcæ editiones. recte. ſi diſtinctione locum erigas. *Idem.*

25. *Te qui comitatus Oreſten.* ] *Comitatur* nonnulli. *comitavit* fragmentum Vaticanum. Vide Notas Triſt. lib. I. Eleg. VIII. vſ. 31. *Idem. Menœtiaden.* ] Amiciſſimum: ut Patroclus Menœtii filius, Achilli fuit.

26. *Ægiden.* ] Theſeum, Pirithoi amicum, Ægei filium. *Euryalumque ſuum.* ] Niſi & Euryali amor notus eſt carmine Virgiliano.

28. *Sentit abeſſe ſibi.* ] *Sua* multi veteres. *Heinſ.*

33. *Contagia.* ] Conſternationem. *Subitæ cladis.* ] Subiti exilii.

37. *Senſit tamen omnia* ] *Sentit* meliores. *Heinſ.*

40. *Demaduiſſe ſinus.* ] Nonnulli *immaduiſſe.* at ſeptem aut octo meliores *emaduiſſe.* quod verbum elegans, ſed rari uſûs eſt. *Idem. Demaduiſſe.* ] Valde maduiſſe, quum ſcil. in meo complexu hæreres, & ubertim flens, lacrymis tuis eos perfunderes. *Pont.*

43. *Memoremque piumque.* ] Medonianus *tuumque.* & mox meliores *tuum ſolitus jurare ſuumque.* Heinſ.

44. *Sive diem videat.* ] Sive vivat.



48. *Nec*

Per caput ipſe ſuum ſolitus jurare tuumque,
Quod ſcio non illi vilius eſſe ſuo.
Plena tot ac tantis referatur gratia factis:
Nec ſinet ille tuos littus arare boves.
Fac modo conſtanter profugum tueare. quod ille,
Qui bene te novit, non rogat; ipſa rogo.

48. *Nec ſinet ille tuos.*] Nec permittet te fruſtra apud illum collocaſſe beneficium. Ille enim *littus arat*, qui operam perdit, & fruſtra laborat. *Mer.*

50. *Qui bene te novit.*] *Norat tres* ſcripti. Forte, *Cum bene te norit.* Heinſ.

# ELEGIA V.

## ARGUMENTUM.

Annuus aſſuetum dominæ, &c.] *Seipſum hortatur ad celebrandum uxoris natalem, pro qua bene precatur, diemque laudat, qui eam elegantiſſimis moribus in lucem protulit. Et quamvis digna eſſet feliciori fortuna, eam tamen hortatur, ut omnia æquo animo ferat: ſi quidem ejus virtus, non niſi in adverſis perſpici poſſit. Demum deos precatur, ut ſi nolint ſibi parcere, ſaltem uxori innocenti ignoſcant.*

ANnuus aſſuetum Dominæ natalis honorem
Exigit. ite manus ad pia ſacra meæ.
Sic quondam feſtum Laërtius egerit heros
Forſan in extremo conjugis orbe diem.
Lingua favens adſit longorum oblita malorum:
Quæ (puto) dedidicit jam bona verba loqui.
Quæque ſemel toto veſtis mihi ſumitur anno,
Sumatur fatis diſcolor alba meis.
Araque gramineo viridis de ceſpite fiat;
Et velet tepidos nexa corona focos.
Da mihi thura, puer, pingues facientia flammas,
Quodque pio fuſum ſtridat in igne merum.
Optime natalis, quamvis procul abſumus, opto
Candidus huc venias, diſſimiliſque meo.

Sique

3. L*Aërtius egerat heros.*] Malim *egerit.* Heinſ.

4. *Diem.*] Natalem uxoris Penelopes.

5. *Noſtrorum oblita malorum.*] *Longorum* Buſlidianus. *Heinſ.*

9. *Araque gramineo viridis de ceſpite fiat.*] Genio natalem celebrantes, aram erigebant, quam floreis ſertis ornabant. Fœminæ vero Junoni ſacrificabant.

11. *Da mihi thura puer.*] Thura, aliique etiam odores, eodem die urebantur. Tibull. *Urantur pia thura focis, urantur odores, Quos tener è terra divite mittit Arabs.*

14. *Candidus.*] Felix. *Mer.*

15. Si

Sique quod inſtabat dominæ miſerabile vulnus,
  Sit perfuncta meis tempus in omne malis.
Quæque gravi nuper plusquàm quaſſata procella eſt,
  Quod ſupereſt, tutum per mare navis eat.
Illa domo, natâque ſuâ, patriâque fruatur:
  Erepta hæc uni ſit ſatis eſſe mihi.
Quatenus & non eſt in caro conjuge felix,
  Pars vitæ triſti cætera nube vacet.
Vivat, ametque virum, quoniam ſic cogitur, abſens:
  Conſumatque annos; ſed diuturna, ſuos.
Adjicerem & noſtros: ſed ne contagia fati
  Corrumpant timeo, quos agit ipſa, mei.
Nil homini certum eſt, fieri quis poſſe putaret,
  Ut facerem in mediis hæc ego ſacra Getis?
Aſpice ut aura tamen fumos è thure coortos
  In partes Italas & loca dextra ferat.
Senſus ineſt igitur nebulis, quas exigit ignis:
  Conſilium fugiunt cætera pæne meum.
Conſilio, commune ſacrum cum fiat in arâ
  Fratribus alternâ qui periêre manu,
Ipſa ſibi diſcors: tanquam mandetur ab illis,

Scin-

15. *Si quod & inſtabat.* ] *Sitque quod inſtabat* major ſcriptorum pars. Lege *Sique quod inſtabat. quod* pro aliquod. mox *puppis eat* duo veteres. *Heinſ.*

24. *Conſumatque annos.* ] *Conſumetque* Petri Servii codex. Lege *Conſummetque.* quanquam & vulgata lectio bene ſe habet. Vide Notas Faſt. III. vl. 166. *Idem.*

25. *Sed me contagia fati.* ] Sed vereor ne fata mea infelicia annorum uxoris felicitatem corrumpant.

32. *Conſilium fugiunt catera pene meum.* ] Octo veteres *tuum*. Puto *conſilium ſuum.* & ſequenti verſu,

*Conſilio, commune ſacrum cum fiat in arâ.*

*conſilium* Rottendorph. & priſcæ editiones. quod Ciofano arridebat. fruſtra. *Conſilio*, datâ operâ. Virgilius libro VII.

*Conſilio hanc omnes animiſque volentibus urbem*
*Afferimur.*

Livius belli Maced. l. IV. *Secutus tamen ſua ſponte eſt, velut conſilio petitus eſſet, ut vilior ob ea Regi Hannibal eſſet.* ubi *ſua ſponte* & *Conſilio* opponuntur. ſic *conſulto* aliquid facere. Propert. l. II. El. XXXIV.

*Nec ſi conſulto fulmina miſſa tonent.*

Exiſtimabam aliquando Tò *Conſilio* irrepſiſſe huc ex ſuperiori verſu, & ſcribendum eſſe *Ogygiâ ara.* hoc eſt Thebanâ. *Conſiliis* unus Mediceus. Forte pro *conſilii.* Heinſ.

34. *Fratribus.* ] Eteocli & Polynici: bella nota ſunt Diodori & Papinii monumentis: mutuis enim ictibus cecidêre.

35. *Ipſa ſibi diſcors.* ] Quum Polynicis cadaver impoſitum fuiſſet Eteoclis rogo, ſubito flamma diſceſſit: canente Papinio libro Thebaidos duodecimo:



Et

Scinditur in partes atra favilla duas.
Hoc (memini) quondam fieri non poſſe loquebar:
Et me Battiades judice falſus erat.
Omnia nunc credo: cum tu conſultus ab Arcto
Terga vapor dederis, Auſoniamque petas.
Hæc igitur lux eſt: quæ ſi non orta fuiſſet,
Nulla fuit miſero feſta videnda mihi.
Edidit hæc mores illis heroïſin æquos,
Quis erat Eëtion Icariuſque pater.
Nata pudicitia eſt, mores, probitaſque, fideſque:
At non ſunt iſtâ gaudia nata die.
Sed labor, & curæ, fortunaque moribus impar:
Juſtaque de viduo pæne querela toro.

Sci-

Et Lucanus: *Scinditur in partes, geminoque cacumine ſurgit Thebanos imitata rogos.*

38. *Battiades.*] Callimachus poëta. [Qui hoc ſcripſerat. ſ. de fumo in duas partes eunte, in ſacris Eteoclis & Polynicis.]

39. *Cum tu non ſtultus ab Arcto Terga vapor dederis.*] Nihili eſt hæc lectio. Voſſianus *non cultus.* Scribe *conſultus.* verbum in ſacrificiis uſitatum. *καπνομάντευμα* reſpicit hinc *Conſulere Deos, exta, vates* paſſim in ſcriptoribus antiquis. *Heinſ.*

40. *Terga dederis.*] Fugeris Italiam verſus, ubi erat poëtæ uxor.

41. *Hac lux.*] Hic dies natalitius.

43. *Edidit hac mores illis heroibus æquos.*

*Quis erat Eurytion Icariuſque pater.*] De fœminis agit. quomodo ergo *heroides* in heroas mutatæ? veteres multi *heroïdibus*, vel *herodibus*, vel *erroribus*. Bononienſis *hebroïdis.* Scribe *heroïſin* cum Scaligero, *ἡρωίσιν.* qui ſic in ora codicis ſui emendarat: & cum Salmaſio. tum vide quæ noto Epiſt XIII. vſ. 137. Statius Sylv. lib. III. ad Uxorem,

*Heu ubi nota fides totque explorata per uſus,*
*Qua veteres Latias, Grajaſque heroïdas aquas?*

Sed nondum ſanatus eſt locus. Quænam enim Eurytionis illa filia? Scaliger Antigenen Pelei uxorem intelligebat. Sed quorſum tam obſcurum nomen? Scripti veteres, *Eutychion*, *Euchion*, & ſimilia *Eritien* Rottendorphianus, primus Politiani *Eucation*, alter *Eetion* optime & veriſſime. Andromachen intellige, notiſſimæ pudicitiæ fœminam. apud Homerum, Iliad. ξ.

Ἀνδρομάχη θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος.

*Eetionis* nomen quoque varie mendoſum apparet in ſcriptis exemplaribus Faſt. lib. IV. *Et Theben, veteres Eetionis opes.* & Met. XII. ubi *Eetioneas Thebas* appellat. vide Notas Faſt. IV. vſ. 288. Triſt. I. Eleg. V.

*Nec probitate tua prior eſt aut Hectoris uxor*
*Aut comes extincto Laodamia viro.*

lib. V. Eleg. ult.

*Cernis ut Admeti cantetur & Hectoris uxor.* Idem.

45. *Nata pudicitia eſt, mores.*] *Moris*, vel *morum*, vel *ſecum* libri veteres. hoc eſt *tecum.* atque ita quoque Tanaquillus Faber in Epiſtolis. ſed *moris* meliores. Latet aliquid. Putem *& mos.* niſi quod *moribus* mox ſequitur. Forte *& bonos* vel *bonos.* Idem.

49. At-

Scilicet adverſis probitas exercita rebus
  Triſti materiam tempore laudis habet.
Si nihil infeſti durus vidiſſet Ulyſſes;
  Penelope felix, ſed ſine laude, foret.
Victor Echionias ſi vir penetraſſet in arces,
  Forſitan Evadnen vix ſua noſſet humus.
Cum Peliâ tot ſint genitæ; cur nobilis una eſt?
  Nupta fuit miſero nempe quod una viro.
Effice, ut Iliacas tangat prior alter arenas;
  Laodamia nihil cur referatur erit.
Et tua, quod mallem, pietas ignota maneret,
  Impleſſent venti ſi mea vela ſui.
Dî tamen, & Cæſar Dîs acceſſure, ſed olim,
  Æquarint Pylios cum tua fata dies;
Non mihi, qui pœnam fateor meruiſſe, ſed illi
  Parcite, quæ nullo digna dolore dolet.

49. *Adverſis probitas exercita rebus.*] Sic Virgil. —— *Iliacis exercite fatis.*

51. *Durus vidiſſet Ulyſſes.*] Non vidit tantum, ſed tulit etiam & perpeſſus eſt, Quare ſcribo, *ſubiiſſet.* pro vulgata lectione tamen ſtant ſcripti omnes. Pont. 1. Eleg. v.

*Durius eſt igitur noſtrum, fidiſſima conjux,*
*Illo, quod ſubiit Æſone natus, onus.*

ſic *periculum ſubire, pœnam, laborem*, & ſimilia paſſim apud Ciceronem aliosque occurrunt. *Heinſ.*

52. *Sine laude foret.*] Sine laude pudicitiæ, quam ipſo abſente, totis 20. annis conſervavit, & reditum ejus patienter exſpectavit. *Pont.*

53. *Victor Echionias.*] Capaneum deſignat, de quo diximus. *In arces Echionias.*] In arces Thebanas. Echion enim fuit unus ex ſociis Cadmi, qui cum eo Thebas condidit.

54. *Evadnen.*] Uxorem Capanei: cujus mors nota eſt.

55. *Cum Pelia genitæ tot ſint, cur.*] Pelias filius fuit Neptuni ex Tyro nympha filia Salmonei regis, ut ſcribit Homerus. Refert enim hanc conſueviſſe circa ripas Enipei fluminis delectari. Eam Neptunus, ſumpta Enipei forma, virginem cepit, & cum ea concubuit, genuitque Peliam & Neleum. Peliæ Theſſaliæ regis filiæ fuerunt Aſteropæa, Autonoë, Alceſtis. *Cur nobilis una eſt.*] *Cur cognita nobis* plerique veteres. nihil muto. *Heinſ.* *Cur nobilis una eſt.*] Alceſtis Eurip. fab. 6. Quod ſic Latine reddimus:

*Aſt ſola conjunx pro ſuo ſpondet viro:*
*Alceſtis illa, mulier inſigni fide*
*Migrare ſponte voluit annos in ſuos*
*Charum maritum.*

Hinc Propert. lib. 2. Eleg. 6.

*Felix Admeti conjunx, & lectus Ulyſſis,*
*Et quacunque viri fæmina limen amat,*

56. *Miſero viro.*] Infœlici marito Admeto.

57. *Alter.*] Quam Proteſilaus: qui cum primus è navi in littus Trojanum deſcendiſſet, primus de Græcis eſt interfectus, quocum nupta erat Laodamia.

59. *Et tua quod malles.*] *Mallem* prior Politiani & optimus Mediceus, cum excerptis Voſſii. *Impleſſent* etiam duo, *Heinſ.*



Digitized by Google

## ELEGIA VI.

### ARGUMENTUM.

Tu quoque noſtrarum, &c.] *Queritur ſe ab amico deſtitui: hortaturque illum, ut conſtanter in amicitia perſiſtat, quam primo coluerat.*

TU quoque noſtrarum quondam fiducia rerum,
  Qui mihi confugium, qui mihi portus eras;
Tu quoque ſuſcepti curam dimittis amici,
  Officiique pium tam cito ponis onus?
Sarcina ſum, fateor; quam ſi tu tempore duro
  Depoſiturus eras, non ſubeunda fuit.
Fluctibus in mediis navem, Palinure, relinquis?
  Ne fuge; neve tuâ ſit minor arte fides.
Nunquid Achillêos inter fera prælia fidi
  Deſeruit levitas Automedontis equos?
Quem ſemel excepit; nunquid Podalirius ægro
  Promiſſam medicæ non tulit artis opem?
Turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes,
  Quæ patuit, dextræ firma ſit ara meæ.
Nil, niſi me ſolum, primò tutatus es: at nunc
  Me pariter ſerva, judiciumque tuum.
Si modo non aliqua eſt in me nova culpa: tuamque
  Mutarunt ſubitò crimina noſtra fidem.
Spiritus hic, Scythicâ quem non bene ducimus aurâ,
  Quod cupio, membris exeat ante meis;
Quam tua delicto ſtringantur pectora noſtro;

Et

5. QUam ſi tu tempore noſtro.] *Non tempore noſtro* pri. Polit. & tres alii. tres *nunc.* ſed plerique *tempore duro.* quod & Ciofano probatum. Triſt. I. Eleg. IV.

*Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.*

Pont. lib. II. Eleg. VI.

*Tu quoque per durum ſervato tempus amico.*

malim tamen *quam tu ſi.* Heinſ.

10. *Deſeruit levitas.*] Ipſe Automedon levis fuiſſet, ſi in medio prælio currum Achillis, quem regebat, deſeruiſſet. *Pont.*

11. *Nunquam Podalirius.*] *Nunquid* cum Combiano. *Heinſius.* *Podalirius.*] Æſculapius filios reliquit Machaonem, & Podalirium, qui arti paternæ dediti, quum ad Trojam cum Agamemnone navigaſſent, plurimum Græcis in eo bello curandis ſummo ſtudio vulneribus opitulati ſunt, magnam ob id gloriam adepti.

25. Ma-

Et videar meritò vilior eſſe tibi,
Non adeo toti fatis urgemur iniquis,
Ut mea ſit longis mens quoque mota malis.
Finge tamen motam quoties Agamemnone natum
Dixiſſe in Pyladen verba proterva putas?
Nec procul à vero eſt, quod vel pulſarit amicum.
Manſit in officiis non minus ille ſuis.
[Hoc eſt cum miſeris ſolum commune beatis,
Ambobus tribui quod ſolet obſequium.]
Ceditur & cæcis, & quos prætexta verendos
Virgaque cum verbis imperioſa facit.
Si mihi non parcis, fortunæ parcere debes.
Non habet in nobis ullius ira locum.
Elige noſtrorum minimum de parte laborum:
Illo, quo reris, grandius illud erit.
Quam multâ madidæ celebrantur arundine foſſæ,

Flo-

25. *Motam.*] Mentem eſſe commotam. *Agamemnone natum.*] Oreſten. *Mer.*

26. *Dixiſſe in Pyladen verba proterva putas.*] *Improba verba.* duo *triſtia verba.* unus *impia.* alius *aſpera.* ut Pont. II. Eleg. VI.

*Aſpera confeſſo verba remitte reo.*

Heinſ. *Verba proterva.*] Convitia & contumelias in illum evomuiſſe, ut inſani ſolent. *Pont.*

27. *Quod vel pulſavit amicum.*] *Quod non* plerique an *ne non pulſarit?* Combianus *quia non pulſarit.* mox malim *num minus*, pro *non.* Vide Notas ad Epiſt. Canaces. *Heinſ.*

29. *Hoc eſt cum miſeris.*] Diſtichon hoc ſuſpectum eſt, *Idem.*

31. *Ceditur & cæcis.*] Solemus etiam obſequi & cedere de via, cæcis tranſeuntibus. *Et quos prætexta.*] Tertium genus hominum deſignat, quibus etiam obſequimur, magiſtratibus & conſulibus: quos deſignat per *virgarum faſces*, qui à lictoribus præferebantur.

32. *Imperioſa.*] Plena imperii; vel oſtentatrix imperii. *Virgaque.*] Vide num virga lictoris potius intelligenda ſit hoc loco, qua ille obvios è via ſubmovebat, cum faſces nihil jubere aut imperare ſoleant, ſed inſigne tantum magiſtratus ſint.

34. *Non habet in nobis ullius ira locum.*] Solet enim uſu venire, ut quos injuriæ inviſos faciunt, gratioſos miſeriæ reddant, ut eſt apud Valerium.

36. *Illo, quo quereris.*] *Quod* multi veteres. *quod queris* Hamburgenſis & Leidenſis. *quo reris* pri. Politiani. recte. pro *minimum minimumque laborum* Gotorphianus pro diverſa lectione *minimum de parte.* quod ex ſuis codicibus probat & in ultimâ editione exprimendum curavit Naugerius. fruſtra. elegans eſt loquendi modus. ſic Penelopes Epiſtola,

——*nimium nimiumque oblite tuorum.*

pro *laborum* etiam *malorum* nonnulli codices vetuſti. quod verſus proximus videtur requirere. ut jam monuit in Epiſtolis Tanaquillus Faber. *Heinſ.*

37. *Celantur arundine foſſæ.*] Zinzerlingus ex Erfurtano codice *celebrantur* notat. quod verum eſt. de eo verbo ad Metamorph. l. IV. fabula Thisbes. *Idem.*

 38. *Hy-*

Digitized by Google

Florida quam multas Hybla tuetur apes;
Quam multæ gracili terrena ſub horrea ferre
Limite formicæ grana reperta ſolent;
Tam me circumſtant denſorum turba malorum.
Crede mihi; vero eſt noſtra querela minor.
His qui contentus non eſt; in littus arenas,
In ſegetem ſpicas, in mare fundat aquas.
Intempeſtivos igitur compeſce timores;
Vela nec in medio deſere noſtra mari.

38. *Hybla florida.* ] Hybla urbs ſeu mons fuit Siciliæ, ejus ager floribus abundabat ubi optimi mellis copia.

40. *Gracili limite formica grana reperta.* ] Virgil. 4.

*It nigrum campis agmen, prædamque per herbas*
*Convectant calle anguſto, pars grandia trudunt*
*Obnixa frumenta humeris, &c.*

41. *Tum me circumſtat.* ] *Circumſtat* primæ editiones. & multi ex ſcriptis, quod mutari non debuit. prim. Pal. & Arondel. *circumdant. circumdas* prim. Polit. prim. Vatic. & tres alii. *Heinſius.*

45. *Compeſce tumores.* ] *Timores* ex ſcriptis. *Idem.*

# ELEGIA VII.

## ARGUMENTUM.

Quam legis, ex illa, &c.] *Amico quærenti quid ageret in Scythia, reſpondet breviter Ovidius, ſe miſerum eſſe. Poſtmodum Tomitanæ regionis incolarum mores deſcribit. Deinde dicit ſtudiis poëticis animum detineri, ac paſci, & ſe carminibus mala ſua oblivìſci.*

QUam legis, ex illâ tibi venit epiſtola terrâ,
Latus ubi æquoreis additur Iſter aquis.
Si tibi contingit cum dulci vita ſalute;
Candida Fortunæ pars manet una meæ.
Scilicet, ut ſemper, quid agam, cariſſime, quæris:
Quamvis hoc vel me ſcire tacente potes.
Sum miſer. hæc brevis eſt noſtrorum ſumma malorum:
[Quiſquis & offenſo Cæſare vivet, erit.]

Tur-

2. *ÆQuoreis jungitur Iſter aquis.* ] *Additur* pri. Pol. pri. Vatic. pri. Pal. & multi alii ex melioribus. nonnulli cum primis editionibus, *Iſter aditur.* Sed cum Iſter ibi ſe exoneret in Oceanum, Tò *additur* admittendum duxi. Pont. III. Eleg. v.

*His ubi cæruleis jungitur Iſter aquis.* Heinſ.

8. *Quiſquis & offenſo Cæſare.* ] Verſus parum appoſitus. *Idem.*

11. In-

urba Tomitanæ quæ ſit regionis, & inter
Quos habitem mores; diſcere cura tibi eſt?
liſta ſit hæc quamvis inter Grajoſque Getaſque;
A male pacatis plus trahit ora Getis.
armaticæ major Geticæque frequentia gentis
Per medias in equis itque reditque vias.
n quibus eſt nemo, qui non coryton, & arcum,
Telaque vipereo lurida felle gerat.
Vox fera, trux vultus, veriſſima Martis imago:
Non coma, non ullâ barba reſecta manu.
Dextera non ſegnis fixo dare vulnera cultro,
Quem vinctum lateri barbarus omnis habet.
Vivit in his eheu tenerorum oblitus amorum;
Hos videt, hos vates audit, amice, tuus!
Atque utinam vivas, & non moriaris in illis!
Abſit ab inviſis & tamen umbra locis!
Carmina quod pleno ſaltari noſtra Theatro,
Verſibus & plaudi ſcribis, amice, meis:
Nil equidem feci (tu ſcis hoc ipſe) theatris:
Muſa nec in plauſus ambitioſa mea eſt.

Nec

11. *Inter Gracoſque Getaſque.* ] Malo *Grajoſque* cum codice Combii. *Idem. Inter Gracoſque.*] Græcorum enim colonia fuit Tomus.

15. *Coryton & arcum.* ] Cuſtodia ſagittarum. Virg. 10. *Corytique leves humeris, & letifer arcus.*

17. *Veriſſima mortis imago.*] Lege *Martis* vel contra auctoritatem membranarum. ſic *Marticolam Geten* vocat alibi. *Heinſ.*

19. *Stricto cultro.*] *Fixo* plerique veteres. ut Faſtor. 11.

*Nec mora celato figit ſua pectora cultro.*

Heinſ.

21. *Vivit in his heu non veſtrorum oblitus amorum.*] Verſus haud dubiè mendoſus. pri. Polit. & pri. Pal.

*Vivit in his heu nullus oblitus amorum.*

alter,

*Vivit in his nullus horum heu oblitus amorum.*

pri. Vatic. & Combii,

*Vivit in his nullus eorum oblitus amorum.*

Multi,

*Vivit in his igitur tenerorum oblitus amorum.*

alii aliter. Lego,

*Vivit in his eheu tenerorum oblitus Amorum.* Idem.

23. *Atque utinam vivat: & non moriatur in illis.* ] Scribe *vivas*, & *moriaris* cum Richeliano. converſa ad ſe oratione, ut metro conſulatur. vide quæ notavi ad Epiſt. x. vſ. 75. niſi malis *vivat*, *non & moriatur*. pro *vivat* in prim. Vatic. *Viducs.* Idem.

25. *Pleno theatro*] Magna hominum frequentia, qui recitationi meorum carminum interſunt in theatro.

29. Non

Nec tamen ingratum eſt, quodcunque oblivia noſtri
  Impedit, & profugi nomen in ora refert.
Quamvis interdum, quæ me læſiſſe recordor,
  Carmina devoveo, Pieridaſque meas:
Cum bene devovi; nequeo tamen eſſe ſine illis:
  Vulneribuſque meis tela cruenta ſequor.
Quæque modo Euboïcis lacerata eſt fluctibus; audet
  Graja Caphareâm currere puppis aquam.
Nec tamen ut lauder vigilo, curamque futuri
  Nominis, utilius quod latuiſſet, ago.
Detineo ſtudiis animum, falloque dolores:
  Experior curis & dare verba meis.
Quid potius faciam deſertis ſolus in oris,
  Quamve malis aliam quærere coner opem?
Sive locum ſpecto; locus eſt inamabilis; & quo
  Eſſe nihil toto triſtius orbe poteſt.
Sive homines; vix ſunt homines hoc nomine digni:
  Quamque lupi, ſævæ plus feritatis habent.
Non metuunt leges, ſed cedit viribus æquum;

Victa-

29. *Non tamen ingratum.*] Homini ingenuo diſplicere non debet, memoriam ſui vigere apud alios.

32. *Pierideſque meas.*] *Pieridaſque* cum ſcriptis. *Heinſ.*

34. *Vulneribuſque meis.*] Ego acceptis vulneribus, nihilominus telis ſanguine meo ante cruentatis me objicio & offero, dum verſus ſcribere non deſiſto. *P.*

35. *Fluctibus Euboicis.*] Undis maris Ægei, quod Euboicam inſulam alluit.

36. *Graia Capharea currere puppis aqua.*] *Caphaream aquam.* prim. Vatic. Combii, Rottendorph. & multi alii ex antiquis, ut & priſcæ editiones. bene. Pont. lib. I. El. IV. ex veteri codice,

*Quo duce trabs Colchas ſacra cucurrit aquas.*

& Pont. II. El. VI. ex membranis,

*Nunc mihi naufragio quid prodeſt diſcere facto,*
*Quam mea debuerit currere cymba viam?*

præterea unus Bononienſis *Noſtra puppis* pro *Graja*: quomodo & Arondelianus. *Heinſ.* *Caphaream aquam.*] Aqua ejuſdem maris Ægæi. Quaſi dicat, Audet iterum navigare per illud mare, in quo ſemel naufragium fecit. Eſt autem *Caphareus* mons Euboicæ inſulæ, Helleſpontum verſus. Alludit autem Poëta ad naufragium illud, quod Græci Troja redeuntes, circa Caphareum fecerunt, inſultante illis Nauplio, propter cædem Palamedis. *Mer.*

39. *Falloque labores.*] *Dolores* plerique meliores. *Heinſ.*

45. *Sive homines, vix ſunt homines hoc nomine digni.*] *Sive homines ſpecto* Leidenſis & Arondelianus. Puto,

*Sive homines, hominum vix hi ſunt nomine digni.* Idem.

47. *Non metuunt leges.*] *Nec* nonnulli. Lege,

*Nec metuunt leges, & cedit viribus æquum.*

quod

Victaque pugnaci jura ſub enſe jacent.
Pellibus & laxis arcent male frigora braccis;
  Oraque ſunt longis horrida tecta comis.
In paucis remanent Grajæ veſtigia linguæ:
  Hæc quoque jam Getico barbara facta ſono.
Illus in hoc vix eſt populo, qui forte Latinè
  Quælibet è medio reddere verba queat.
Ille ego Romanus vates (ignoſcite Muſæ)
  Sarmatico cogor plurima more loqui.
En pudet, & fateor; jam deſuetudine longâ
  Vix ſubeunt ipſi verba Latina mihi.
Nec dubito, quin ſint & in hoc non pauca libello
  Barbara. non hominis culpa, ſed iſta loci.
Ne tamen Auſoniæ perdam commercia linguæ,
  Et fiat patrio vox mea muta ſono;
Ipſe loquor mecum, deſuetaque verba retracto;
  Et ſtudii repeto ſigna ſiniſtra mei.
Sic animum tempuſque traho: meque ipſe reduco,

A con-

quod magis elegantiæ Ovidianæ reſpondet. *Idem.* *Sed cedit viribus æquum.*] Nullum jus armis eſt potentius: & quiſquis viribus præſtat, is æquiora ſemper & facere & dicere exiſtimatur. *Pont.*

49. *Pellibus.*] Rhenonibus & braccis: Cæterum ex loco notabis obiter, non ſolum ſubligacula, quas ἀναξυρίδας Græce vocant, braccas dici, ſed & laxiores veſtes, longioreſque. talibus enim frigora arceri ſolent, non iis, quas proprie braccas dici volunt. *Arcent mala frigora braccis.*] Ita & ſcripti. Reponendum tamen, *arcent male.* Vide Notas Faſt. II. vſ. 170. *Heinſ.*

51. *Græca veſtigia linguæ.*] *Grajæ* rectius quinque veteres. *Idem.*

53. *Unus in hoc non eſt populo.*] Malim *Ullus* cum uno Bononienſi. tum *vix eſt* cum optimo Mediceo & prim. Polit. & ſequenti verſu pro *Qualibet*, *Quamlibet.* nam Palat. *Quolibet.* Vide Notas ad Epiſt. VI. *Idem.* *Qui forte Latine.*] Qui poſſit eſſe interpres inter Latinum & Tomitanum. *Mer.*

55. *Ipſe ego Romanus vates.*] *Ille ego* plurimi veteres. & recte. ſupra libro IV. Eleg. X.

*Ille ego qui fuerim tenerorum luſor amorum.*

Amor.

*Ille ego Muſarum purus Phœbique ſacerdos.*

Pont. lib. I. El. II.

*Ille ego ſum, lignum qui non admittar in ullum,*
*Ille ego ſum, fruſtra qui lapis eſſe velim.*

Eleg. III.

*Ille ego ſum, qui te colui.*

& mox,

*Ille ego, qui dixi veſtros Hymenæon ad ignes.* Heinſ.

57. *Et pudet & fateor.*] Plerique ex antiquis *En pudet.* quomodo & priſcæ editiones. *Idem.*

64. *Studii ſigna ſiniſtra mei.*] Forte *ſacra ſiniſtra.* Idem.

65. *Sic animum tempuſque traho*] Eo

modo

A contemplatu ſubmoveoque mali.
Carminibus quæro miſerarum oblivia rerum.
Præmia ſi ſtudio conſequor iſta, ſat eſt.

modo animus quieſcit, & fallitur, & tempus ita producitur. *Reduco.*] Removeo tantiſper à moleſtiis. *Mer.*

66. *Semoveoque mali.*] *Submoveoque* meliores. multi etiam *dimoveoque*. Heinſius.

68. *Præmia ſi ſtudio.*] Satis magnum præmium me arbitror conſecutum, ſi tranquillitatem animi ſubinde carminibus faciendis adipiſcar. *Pont.* *Si conſequar.*] *Conſequor* pri. Vatic. & unus Medic. *Heinſ.*

# ELEGIA VIII.

## ARGUMENTUM.

Non adeo cecidi.] *Inimicum ſibi inſultantem monet, ut memor fortunæ variæ, minime lætetur ejus exilio & ruinæ: quandoquidem poſſit accidere, ut in patriam redeat, illumque videat graviore aliqua cauſa fugatum.*

NOn adeo cecidi, quamvis abjectus, ut infra
Te quoque ſim: inferius quo nihil eſſe poteſt.
Quæ tibi res animos in me facit, improbe? curve
Caſibus inſultas, quos potes ipſe pati?
Nec mala te reddunt mitem placidumve jacenti
Noſtra, quibus poſſint illacrymare feræ?
Nec metuis dubio Fortunæ ſtantis in orbe
Numen, & exoſæ verba ſuperba Deæ?
Exiget ah dignas ultrix Rhamnuſia pœnas!
Impoſito calcas quid mea fata pede?
Vidi ego, navifragum qui riſerat, æquore mergi:
Et, nunquam, dixi, juſtior unda fuit.

Vilia

6. NOſtra quibus poſſunt.] Malo *poſſint* cum Gottorphiano. duo alii *poſſent*. Heinſ.

8. *Ultrix Rhamnuſia.*] Rhamnuſia, quam Græci *Nemeſin* vocant, dea indignationis credebatur. Indignabatur enim ſuperbos & elatos. *Mer.*

9. *Exiget at dignas.*] *A dignis* prim. Pal. pri. Vatic. opt. Medic. aliique nonnulli. duo *ad dignas.* *ac dignas* Arondel. In nonnullis etiam *Exigit*. Lege *Exigit ab dignas.* ſequenti verſu pro *quod* prim. Politian. *qui*, reliqui majori ex parte *quid*. Idem.

11. *Vidi ego naufragiumque viros & in æquore mergi.*] Numeri turbati ſatis evincunt verſum eſſe mendoſum. Optimus Mediceus *naufragioque*. Rottendorphianus pro diverſa lectione *naufragoque*. Scribe,

*Vidi ego navifrago piratas æquore mergi.*
niſi mavis *navifrago qui riſerat*, vel, *navifragum ridentes*. Sed prima lectio verior. duo libri,

——*Naufragium nautas & in æquore mergi.* Idem.

14. Ille

Vilia qui quondam miſeris alimenta negarat,
Nunc mendicato paſcitur ipſe cibo,
Paſſibus ambiguis Fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxque loco.
Sed modo læta manet, vultus modo ſumit acerbos;
Et tantum conſtans in levitate ſuâ eſt.
Nos quoque floruimus, ſed flos erat ille caducus;
Flammaque de ſtipula noſtra breviſque fuit.
Neve tamen totâ capias fera gaudia mente;
Non eſt placandi ſpes mihi nulla Dei.
Vel quia peccavi citra ſcelus; utque pudore
Non caret, invidiâ ſic mea culpa caret:
Vel quia nil ingens ad finem Solis ab ortu,
Illo, cui paret, mitius orbis habet.
Scilicet ut non eſt per vim ſuperabilis ulli,
Molle cor ad timidas ſic habet ille preces.
Exemploque Deûm, quibus acceſſurus & ipſe eſt,
[Cum pœnæ veniâ plura roganda petam.]
Si numeres anno Soles & nubila toto,
Invenies nitidum ſæpius îſſe diem.
Ergo, ne noſtrâ nimium lætêre ruinâ,
Reſtitui quondam me quoque poſſe puta.
Poſſe puta fieri, lenito Principe, vultus
Ut videas mediâ triſtis in Urbe meos:
Utque ego te videam cauſsâ graviore fugatum.
Hæc ſunt à primis proxima vota mihi.

14. *Ille cibo.*] *Ipſe* meliores. *Idem.*

17. *Sed modo læta manet.*] Si manet læta, non eſt inconſtans. irrepſit hoc verbum ex præcedenti verſu. nec tamen ſatis video quid pro eo debeat reponi. niſi forte, *læta venit.* Idem.

19. *Flos fuit ille caducus*] *Erat* plerique, & recte. nam *fuit* ſequitur. *Idem.*

29. *Exemplo deum.*] Deorum exemplo, qui ſolent veniam mortalibus concedere. Aut, qui magis proſint, quam obſint. *Et ipſe.*] Etiam ipſe Auguſtus. *Eſt acceſſurus.*] Eſt perventurus in numerum Deorum.

30. *Cum pœna venia plura roganda petam.*] *Neganda* Combianus. duo *cum venia pœna.* Aut deſunt hic nonnulla, aut verſus eſt mendoſus. Putabam aliquando,

*Cum pœna venia plura ferenda putat.*

Tanaquillus Faber in Epiſtolis,

*Cum pœna venia plura petenda dabit.*

Commodo ſenſu, niſi quod cauſam haud video, cur petenda pro roganda velit reponi. *Heinſ.*

31. *Hæc ſunt à primis proxima vota meis.*] *Mea eſt* prim. Polit. quinque alii *mea.* Puto *mihi.* Idem.



Digitized by Google

## ELEGIA IX.

### ARGUMENTUM.

O tua ſi ſineres.] *Laudat amici fidem, fateturque ejus beneficio ſe vitam ducere, ſimulque gratias agit. Poſtremo dicit ſe libenter ejus beneficia tota omnibus facturum fuiſſe, ſi ille ſuis ſe ſcriptis nominari pateretur.*

O Tua ſi ſineres in noſtris nomina poni
Carminibus; poſitus quam mihi ſæpe fores!
Te ſolum meriti canerem memor; inque libellis
Creviſſet ſine te pagina nulla meis.
Quid tibi deberem totâ ſciretur in Urbe:
Exſul in amiſsâ ſi tamen Urbe legor.
Te præſens mitem, te noſſet ſerior ætas:
Scripta vetuſtatem ſi modo noſtra ferent.
Nec tibi ceſſaret doctus bene dicere lector:
Hic tibi ſervato vate maneret honor.
Cæſaris eſt primum munus, quod ducimus auras:
Gratia poſt magnos eſt tibi habenda Deos.
Ille dedit vitam; tu, quam dedit ille, tueris:
Et facis accepto munere poſſe frui.
Cumque perhorruerit caſus pars maxima noſtros;
Pars etiam credi pertimuiſſe velit,
Naufragiumque meum tumulo ſpectarit ab alto,
Nec dederit nanti per freta ſæva manum;
Seminecem Stygiâ revocaſti ſolus ab undâ.
Hoc quoque quod memores poſſumus eſſe, tuum eſt.
Dî tibi ſe tribuant cum Cæſare ſemper amicos:

Non

4. *Creviſſet ſine te.*] Omnibus paginis te celebraſſem.

8. *Si modo noſtra ferunt.*] *Ferent* quinque veteres. & *legar* pro *legor* multi ſuperiori verſu. *Heinſ.* *Ferunt vetuſtatem noſtra ſcripta.*] Sunt ad poſteros perventura.

10. *Hic te maneret honor.*] *Hic tibi* plurimi ex antiquis. utrumque probum eſt. *Heinſ.*

12. *Poſt magnos deos.*] Poſt Jovem & Auguſtum. Vel deos appellat Auguſtum & ejus liberos. *Mer.*

15. *Cumque perhorreret.*] *Perhorruerit* ſeptem meliores. quare & mox *ſpectarit* pro *ſpectaret* repono. nam *ſpectavit* Patavinus. *Heinſ.*

19. *Seminecem.*] Solus poſt Auguſtum ſervaſti me. *Pont.* *Stygia revocaſti ſolus ab unda.*] Sic ille apud Comicum: *Solus ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris.*

22. Pro

Non potuit votum plenius eſſe meum.
Hæc meus argutis, ſi tu paterêre, libellis
Poneret in multâ luce videnda labor.
Se quoque nunc, quamvis eſt juſſa quieſcere, quin te
Nominet invitum, vix mea Muſa tenet.
Utque canem pavidæ nactum veſtigia cervæ
Luctantem fruſtra copula dura tenet.
Utque fores nondum reſerati carceris acer
Nunc pede, nunc ipsâ fronte laceſſit equus;
Sic mea lege datâ vincta atque incluſa Thalia
Per titulum vetiti nominis ire cupit.
Ne tamen officio memoris lædaris amici,
Parebo juſſis (parce timere) tuis.
At non parerem, niſi ſi meminiſſe putares.
Hoc quod non prohibet vox tua; gratus ero.
Dumque (quod ô breve ſit!) lumen ſolare videbo;
Serviet officio ſpiritus iſte tuo.

22. *Plenius eſſe.*] Quam precari, ut dii cum Cæſare tibi ſint amici & propitii.

23. *Hac.*] Beneficia. *Mer.* *Argutis.*] Eruditis. *Pont.*

25. *Nunc quoque quamvis eſt jam juſſa quieſcere.*] Turbati numeri. unus Vaticanus, & Palat.

*Qua quoque nunc quamvis eſt juſſa quieſcere.* Scribe,

*Se quoque nunc, (quamvis eſt juſſa quieſcere) quin te*
*Nominet invitum, vix mea Muſa tenet.*

primæ editiones,

*Nunc quoque jam quamvis eſt juſſa.*

vix ſe tenet mea Muſa, quin te nominet vel invitum. pro *quieſcere* etiam *sileſcere* videtur reponendum. ſic de ventis ſupra lib. II.

*Sed modo conſidunt, intermiſſique ſileſcunt.* Heinſ.

28. *Luctantem fruſtra.*] *Latrantem* plurimi. *Idem.* *Dura copula tenet.*] Copula hic pro eo fune accipitur, quo canes à venatoribus alligati ducuntur, vulgo *laſſum* appellant. Cingulum vero circum collum, *melium* appellat Varro de Re ruſtica lib. 2.

29. *Nondum reſerati carceris.*] Nondum aperti termini, unde equi incipiunt currere.

30. *Nunc ipſa fronte.*] *Preſſa fronte* Leidenſis. *Heinſ.*

31. *Sic mea lege data.*] An *rata?* Vide Faſt. III. vſ. 279. *Idem.* *Vincta.*] Ligata imperato ſcil. ſibi ſilentio. *Mer.*

32. *Vetiti.*] Abs te vetiti, qui non pateris nomen tuum in carminibus meis poni.

33. *Nec tamen officio.*] Grave eſt lædi ab amico, & per officium accipere detrimentum. *Pont.*

35. *Si non meminiſſe putares.*] *Niſi non* vel *niſi me* multi ex ſcriptis. duo *niſi.* & *meruiſſe* unus. Lege,

—— *niſi ſi meminiſſe putares.*

niſi putares me tui eſſe memorem. *niſi ſi* Naſoni uſitatum. Adi Notas Epiſt. IV. vſ. III. *Heinſ.*

36. *Non prohibet vox.*] Gratam animi recordationem non vetas.

37. *Lumen vitale videbo.*] *Natale videbo* tres libri. octo *vitale tenebo.* *Solare videbo* Richel. primæ editiones *Solare tenebo.* Puto *lumen ſolare tuebor.* Heinſ.

## ELEGIA X.

### ARGUMENTUM.

Ut ſumus in Ponto.] *Tres annos ſe egiſſe ſcribit Poëta, eos tamen ſibi decem videri, idque loci aſperitate, & difficultatibus, quas deinde ſubjungit.*

UT ſumus in Ponto, ter frigore conſtitit Iſter:
Facta eſt Euxini dura ter unda maris.
At mihi jam videor patriâ procul eſſe tot annis,
Dardana quot Grajo Troja ſub hoſte fuit.
Stare putes; adeo procedunt tempora tardè:
Et peragit lentis paſſibus annus iter.
Nec mihi ſolſtitium quidquam de noctibus aufert:
Efficit anguſtos nec mihi bruma dies.
Scilicet in nobis rerum natura novata eſt;
Cumque meis curis omnia longa facit.
Num peragunt ſolitos communia tempora motus,
Suntque magis vitæ tempora dura meæ?
Quem tenet Euxini mendax cognomine littus,
Et Scythici verè terra ſiniſtra freti.
Innumeræ circa gentes fera bella minantur;
Quæ ſibi non rapto vivere turpe putant.
Nil extra tutum eſt. tumulus defenditur ægrè
Mœnibus exiguis, ingenioque loci.
Cum minimè credas; ut aves, denſiſſimus hoſtis
Advolat, & prædam vix bene viſus agit.
Sæpe intra muros clauſis venientia portis
Per medias legimus noxia tela vias.

Eſt

13. M*Endax cognomine.*] Qui potius eſt inhoſpitalis.

14. *Vere terra ſiniſtra.*] Vere terra, ut in ſiniſtra parte ſita, ſic etiam infœlix.

16. *Qua niſi de rapto.*] *Sibi non rapto* omnes meliores. *Heinſ.* *Quæ ſibi non rapto vivere turpe putant.*] Herodotus in recenſendis Thracum moribus, docet eos è bello atque rapto vivere, idque pulcherrimum ducere.

17. *Tumulus defenditur ipſe.*] *Defenditur ægre*, multi ex antiquis. recte. *Heinſ.*

18. *Ingenioque loci.*] Situ & natura loci.

19. *Cum minime credas, ut avis.*] *Ut aves* rectius ſcripti nonnulli cum priſcis editionibus. Deinde Richel. *Cum bene vix credas.* Heinſ.

22. *Noxia tela.*] *Martia* Voſſianus. *tela nociva* Gottorph. pro diverſa lectione. Vide Notas Remed. Amor. vſ. 45. *Idem.*

23. Eſt

Eſt igitur rarus, qui rus colere audeat: iſque
Hac arat infelix, hac tenet arma manu.
Sub galeâ paſtor junctis pice cantat avenis;
Proque lupo pavidæ bella verentur oves.
Vix ope caſtelli defendimur: & tamen intus
Miſta facit Grajis barbara turba metum.
Quippe ſimul nobis habitat diſcrimine nullo
Barbarus: & tecti plus quoque parte tenet.
Quos ut non timeas, poſſis odiſſe videndo
Pellibus & longâ tempora tecta comâ.
Hos quoque, qui geniti Graja creduntur ab urbe,
Pro patrio cultu Perſica bracca tegit.
Exercent illi ſociæ commercia linguæ.
Per geſtum res eſt ſignificanda mihi.
Barbarus hîc ego ſum; quia non intelligor ulli:
Et rident ſtolidi verba Latina Getæ.
Meque palam de me tuto male ſæpe loquuntur:
Forſitan objiciunt exſiliumque mihi.
Utque fit, in me aliquid, ſi quid dicentibus illis
Abnuerim quoties annuerimque, putant.]
Adde, quod injuſtum rigido jus dicitur enſe:
Dantur & in medio vulnera ſæpe foro.
O duram Lacheſin, quæ tam grave ſidus habenti
Fila dedit vitæ non breviora meæ!
Quod patriæ vultu, veſtroque caremus amici;

Quod-

23. *Eſt igitur rarus, qui jam colere audeat.* ] Quid audeat colere? Scribe *rus qui colere audeat.* quæ vox exciderat ob cognationem poſterioris ſyllabæ in *rarus.* hanc conjecturam poſtea in Codice Medoniano confirmatam deprehendi. In quo *rus qui colore audeat.* Idem.

28. *Barbara turba.* ] Getæ, qui una cum Græcis Tomon habitant.

31. *Quos ut non timeas.* ] *Quorum* pri. Pal. pri. Vatic. & quinque alii. *Heinſ.*

32. *Pellibus & longa corpora tecta coma.* ] *Pectora* quidam veteres. at Bononienſis cum priſcis editionibus *tempora.* quod temere Ciofanus damnarat. nam *comatos* paſſim Getas deſcribit, & pellibus operire capita etiamnum ſolent per ſeptentrionem. *Idem.*

34. *Pro patrio cultu.* ] Pro habitu Græco, qui eſt cultior & civilior. *Pont.*

37. *Quia non intelligor.* ] *Qui* quinque veteres. Puto, *qui non intelligar.* Heinſ.

39. *Mala ſæpe loquuntur.* ] *Male* cum primis editionibus, primo Vatic. & ſex aliis. *Idem.*

41. *Utque fit in me aliquid.* ] *Utque* veteres plerique. Sed diſtichon etiam hoc commentitium eſt & fictum. *Idem.*

 48. Quod

Quodque hic in Scythicis finibus eſſe queror ;]
Utraque pœna gravis. merui tamen Urbe carere ;
Non merui tali forſitan eſſe loco.
Quid loquor ah demens ? ipſam quoque perdere vitam
Cæſaris offenſo numine dignus eram.

48. *Quod ſic in Scythicis gentibus eſſe queror.* ] Rectius *Quodque hic* reponas. *finibus* etiam bene nonnulli ſcripti. Sed & hoc diſtichon ſpurium eſt. Omnia enim quæ hic dicuntur proxime præcedenti diſticho jam erat complexus, argute tamen & breviter, quod obtuſi captûs librarios offendit. *Idem.*

49. *Utraque pœna gravis.* ] Et carere ſcilicet amicorum conſuetudine, & in Scythia vivere.

50 *Forſitan.* ] Ne abſolute affirmando Cæſarem offendat, & injuſtitiæ coarguat. *Pont.*

## ELEGIA XI.

### ARGUMENTUM.

Quod te neſcio quis.] *Dolet Poëta, uxorem ab inimico jurgiis laceſſitam, exuliſque uxorem appellatam. Eamque hortatur, ut omnia patiatur: quandoquidem Auguſtus ſe non exulem, ſed relegatum nominavit.*

QUod te neſcio quis per jurgia dixerit eſſe
Exſulis uxorem, littera queſta tua eſt.
Indolui; non tam mea quod fortuna male audit,
Qui jam conſuevi fortiter eſſe miſer :
Quam quia, cui minime vellem, ſim cauſſa pudoris ;
Teque rear noſtris erubuiſſe malis.
Perfer, & obdura. multo graviora tuliſti,
Cum me ſurripuit Principis ira tibi.
Fallitur iſte tamen, quo judice nominor exſul.
Mollior eſt culpam pœna ſecuta meam.
Maxima pœna mihi eſt, ipſum offendiſſe: priuſque
Veniſſet mallem funeris hora mihi.
Quaſſa tamen noſtra eſt, non fracta nec obruta puppis:
Ut-

1. NEſcio quis.] Sic per contemptum quandoque loqui ſolemus, quum indignum quem æſtimamus nominemus.

5. *Quam quod cui minime vellem ſum cauſa pudoris.* ] *Quam quia* nonnulli ex melioribus, & *ſim.* quare *rear* etiam proximo verſu eſt legendum. *Heinſ.*

8. *Principis ira.* ] Prim. Polit. & opt. Medic. *judicis.* Lege *vindicis.* nam *judice* ſequitur. Vide Notas Faſt. vi. vſ. 648. *Heinſ.*

11. *Ipſum.* ] Me offendiſſe Cæſarem.

13. *Quaſſa tamen noſtra eſt, nec merſa, nec obruta navis.* ] *Non merſa* ſcripti ſex etiam *puppis.* bene etiam prim. Pal. non *fracta.* nec his idem dicat. ſed & Ti[illegible] ſuſpectum eſt. cum id mox verſu ſequenti [illegible]

Utque caret portu; ſic tamen exſtat aquis.
Nec vitam, nec opes, nec jus mihi civis ademit;
Quæ merui vitio perdere cuncta meo.
Sed quia peccato facinus non adfuit illi,
Nil niſi me patriis juſſit abeſſe focis.
Utque aliis, numerum quorum comprendere non eſt,
Cæſareum numen, ſic mihi, mite fuit.
Ipſe relegati non exſulis utitur in me
Nomine: tuta ſuo judice cauſſa mea eſt.
Jure igitur laudes, Cæſar, pro parte virili
Carmina noſtra tuas qualiacunque canunt.
Jure Deos, ut adhuc cæli tibi limina claudant,
Teque velint ſine ſe comprecor eſſe Deum.
Optat idem populus. ſed ut in mare flumina vaſtum,
Sic ſolet exiguæ currere rivus aquæ.
At tu fortunam, cujus vocor exſul ab ore,
Nomine mendaci parce gravare meam.

quenti repetatur. Scribe,

*Quaſſa mari noſtra eſt, non fracta nec obruta puppis.* Heinſ.

*Quaſſa tamen, &c.* ] Hoc exilium eſt mihi inſtar procellæ, quo agitor, non ſubmergor. Submerſus fuiſſem, ſi me interemiſſet. *Pont.*

16. *Qui merui.* ] Rectius *Qua* libri quatuor. *Quam* pri. Palat. *Heinſ.* *Vitio meo.* ] Meo errore.

17. *Facinus non adfuit ullum.* ] *Illi* octo ex melioribus. *Heinſ.*

20. *Mite fuit.* ] *Venit* Hamburgenſis( vide Notas Faſt. v. 648. *Idem.*

22. *Tuta eſt.* ] Non poteſt perire. *Suo judice.* ] Auguſto judice. Is enim judicavit me non exulem, ſed relegatum: quæ pœna mollior erat. *Mer.*

26. *Teque velint.* ] Id eſt, velint eſſe te deum nobiſcum.

27. *Sed ut in mare flumina.* ] Hoc dicit: Ita meæ, ut populi preces ad deos perveniunt, quemadmodum & parva flumina mare ita ingrediuntur, ut magna. *Mer.*

30. *Nomine mendaci.* ] Falſo: non enim ſum exul. *Pont.*

## ELEGIA XII.

### ARGUMENTUM.

Scribis ut oblectem.] *Amico hortanti ut aliquid ſcriberet, reſpondet Poëta: cauſaſque aſſignat, cur id ſibi facere non liceat. Demum oſtendit ſe non poſſe teneri, quin ſemper aliquid componat, compoſita vero igni comburat.*

SCribis, ut oblectem ſtudio lacrymabile tempus,
Ne pereant turpi pectora noſtra ſitu.



Digitized by Google

Difficile eſt, quod, amice, mones. quia carmina lætum
Sunt opus, & pacem mentis habere volunt.
Noſtra per adverſas agitur Fortuna procellas:
Sorte nec ulla meâ triſtior eſſe poteſt.
Exigis, ut Priamus natorum funere plaudat,
Et Niobe feſtos ducat ut orba choros.
Luctibus, an ſtudio videor debere teneri,
Solus in extremos juſſus abire Getas?
Des licet hîc valido pectus mihi robore fultum,
Fama refert Anyti quale fuiſſe reo;
Fracta cadet tantæ ſapientia mole ruinæ.
[Plus valet humanis viribus ira Dei.]
Ille ſenex dictus ſapiens ab Apolline, nullum
Scribere in hoc caſu ſuſtinuiſſet opus.
[Ut patriæ veniant, veniant oblivia noſtri;

Omnis

5. P*Er adverſas agitur fortuna.* ]. Nihil frequentius Ovidio, quam conditionem ſuam comparare cum procellis, tempeſtatibus, &c. *Pont.*

7. *Priamus natorum funere laudat.* ] *Plaudat* recte vetuſtæ editiones cum pri. Pal. pri. Vatic. & quatuor aliis melioris notæ. *Heinſ.*

8. *Feſtos choros.* ] Chorus multorum vocibus conſtat, ut docet Seneca & Macrobius.

9. *Luctibus an ſtudio videor debere teneri.* ] *Studiis* unus Vatic. Lege *Luſibus an ſtudii. ſtudium* & alibi pro ſtudio poëtico dixit. ut ſupra Eleg. I.

*Tot mala pertulimus, quorum medicina quieſque*
*Nulla, niſi in ſtudio eſt, Pieridumque mora.* Heinſ.

11. *Des licet invalido pectus mihi.* ] Mihi invalido. Sed rectius legas *hic valido.* hic apud Getas. deinde verſu proximo pro *Anyti rei.* repone *reo* cum prim. Vatic. Combiano, Rottendorph. *Idem.*

12 *Anyti.* ] Socratis, quem Anytus accuſavit. Tres enim fuere Socratis accuſatores, Melytus, Anytus, & Lycon. Melytus quidem ob poëtas ei infectus: Anytus ob artifices, atque reipublicæ gubernatores; Lycon denique gratia rhetorum. Accuſatio autem habuit ſe ferme in hunc modum: Socrates injuſte agit, juventutem depravans, ac deos quos civitas putat, ipſe non putans, ſed alia quædam nova dæmonia: Plato docet eum tanta fuiſſe ſapientia & fortitudine, ut noluerit pro ſe aut cauſam dicere, aut quenquam precari. *Mer.* *Fama refert Anyti quale fuiſſe reo.* ] Pro genitivo *Rei*, malim *Reo* legere, dativo caſu. ut ſit ſententia: Quale pectus reo Anyti, hoc eſt, Socrati fuiſſe fama refert. Nam & ἀμφιβολίαν lectio hæc tollet, & verſui quoque gratiæ aliquantum conciliabit, vitata ſimilitudine caſus in utraque cæſura. *Micyl.* *Anyti reo.* ] Ἀλλ' ὦ Κρίτων, καὶ τὸ τρίτον, εἰ ταύτῃ τοῖς θεοῖς φίλον, ταύτῃ γινέσθω, ἐμὲ δ' Ἄνυτος καὶ Μέλυτος ἀποκτεῖναι μὲν δύνανται, βλάψαι δὲ οὔ. Epictet. de Socrate, cap. ultim.

14. *Plus valet humanis.* ] Verſus parum appoſitus, ac proinde ſuſpectus. *Heinſ.*

18. *Omnis*

Omnis ut admiſſi ſenſus abeſſe queat;]
At timor officio fungi vetat ipſe quieto.
Cinctus ab innumero me tenet hoſte locus.
Adde, quod ingenium longâ rubigine læſum
Torpet: & eſt multo, quam fuit ante, minus.
Fertilis, aſſiduo ſi non renovetur aratro,
Nil, niſi cum ſpinis gramen, habebit ager.
Tempore qui longo ſteterit, male curret, & inter
Carceribus miſſos ultimus ibit equos.
Vertitur in teneram cariem, rimiſque dehiſcit,
Si qua diu ſolitis cymba vacavit aquis.
Me quoque deſpero, fuerim cum parvus & ante,
Illi, qui fueram, poſſe redire parem.
Contudit ingenium patientia longa laborum:
Et pars antiqui magna vigoris abeſt.
Sæpe tamen nobis, ut nunc quoque, ſumta tabella eſt;
Inque ſuos volui cogere verba pedes:
Carmina ſcripta mihi ſunt nulla, aut qualia cernis;
Digna ſui domini tempore, digna loco.
Denique non parvas animo dat gloria vires;
Et fœcunda facit pectora laudis amor.
Nominis & famæ quondam fulgore trahebar,
Dum tulit antennas aura ſecunda meas.
Non adeo eſt bene nunc, ut ſit mihi gloria curæ:
Si liceat, nulli cognitus eſſe velim.
An, quia ceſſerunt primò bene carmina, ſuades

Scri-

18. *Omnis & amiſſis ſenſus abeſſe queat.*] Lege, *Omnis ut admiſſi ſenſus* cum nonnullis, & ſuperiori verſu *oblivia veſtri* pro *noſtri*. Ne quid tamen diſſimulem, diſtichon hoc vix genuinum mihi videtur. Niſi tollis, ſcribe *vetet* pro *vetat* verſu proximo. *Idem.*

21. *Ingenium longa rubigine læſum.*] Vel *plenum* Arondelianus. Forte *roſum*. Idem. *Longa rubigine.*] Longa componendi deſuetudine. *Mar.*

26. *Ultimus ibit equus.*] *Equos* rectius nonnulli. *Heinſ.*

28. *Cymba vacavit aquis.*] *Vacabit* meliores. Hamburg. *vacarit.* recte. Puteaneus *negatur aquis.* Idem. *Vacabit aquis.*] Si in ripam ſubducta, diu hæſit in arenis.

29. *Me quoque deſpera.*] *Deſpero* cum pri. Pal. & quatuor aliis & mox *laborum* pro *dolorum* nonnulli. *Heinſ.*

33. *Ut nunc quoque ſumpta.*] Nihilominus imperare mihi non potui quin ſcriberem. *Pont.*



44. *Su-*

Scribere, ſucceſſus ut ſequar ipſe meos?
Pace novem veſtrâ liceat dixiſſe Sorores;
Vos eſtis noſtræ maxima cauſſa fugæ.
Utque dedit juſtas tauri fabricator aheni,
Sic ego do pœnas artibus ipſe meis.
Nil mihi debuerat cum verſibus amplius eſſe;
Sed fugerem meritò naufragus omne fretum.
At puto, ſi demens ſtudium fatale retentem,
Hic mihi præbebit carminis arma locus.
Non liber hîc ullus, non qui mihi commodet aurem,
Verbaque ſignificent quid mea norit, adeſt.
[Omnia barbariæ loca ſunt, vociſque ferinæ,
Omnia ſunt Getici plena timore ſoni.]
Ipſe mihi videor jam dedidiciſſe Latine:
Jam didici Getice Sarmaticeque loqui.
Nec tamen, ut verum fatear tibi, noſtra teneri
A componendo carmine Muſa poteſt.
Scribimus, & ſcriptos abſumimus igne libellos.
Exitus eſt ſtudii parva favilla mei.
[Nec poſſum, & cupio non ullos ducere verſus.
Ponitur idcirco noſter in igne labor.]
Nec niſi pars caſu flammis erepta dolove
Ad vos ingenii pervenit ulla mei.

Sic

44. *Succeſſus.* ] Quia mihi male ſucceſſit.

47. *Tauri fabricator aheni.* ] Perillus: de quo jam dictum eſt. *Mer.*

49. *Nil mihi debebat.* ] *Debuerat* meliores. & mox pro *Sed fugerem.* veteres pleriique *Si fugerem*, vel *Cum fugerem.* Heinſ. *Nil mihi debebat.* ] Prudentis enim non eſt, ad id redire, unde detrimentum acceperit.

51. *Studium fatale.* ] Si regrediar ad ſtudium meum, quod mihi fato quodam nocuit, inveniam arma carmini idonea. *Pont.* *Retentem.* ] Repetam.

55. *Omnia barbariæ loca ſunt.* ] *Barbarica* prim. Polit. Lege *barbarica.* nempe vocis. ſequenti verſu pro *omnia ſunt Getici*, plerique veteres *omnia qua poſſunt*, vel *poſſint.* nam *Getice* ſequitur. alii, *barbarici* vel *Sarmatici ſoni.* Hoc quoque diſtichon in ſuſpectis eſt. *Heinſ.*

58. *Nam didici.* ] *Jam* priſcæ editiones & ſcripti non pauci. rectius. *Idem.*

59. *Noſtra teneri.* ] *Levari* alter Polit. & multi alii. tres *vacare.* quatuor *revelli.* Nil temere mutem. *Idem.*

62. *Exitus eſt ſtudii parva favilla mei.* ] Tò *parva* non placet. an *ſtudiis atra favilla meis.* ſic Met. XIII. *Atra favilla volat.* Idem. *Parva favilla.* ] Parvus ignis & cinis eſt fructus ſtudii mei.

63. *Nec poſſum & cupio.* ] Diſtichon inficetum: nec Naſonianæ, ſi quid video, venæ. *Heinſ.*

67. Me-

Sic utinam, quæ nil metuentem tale magiſtrum
Perdidit, in cineres Ars mea verſa foret.

67. *Magiſtrum.*] Me Ovidium.

## ELEGIA XIII.

### ARGUMENTUM.

Hanc tuus è Getico.] *Amicum hortatur, ut quandoquidem amoris multa olim pignora ſibi dederit, nunc verbis & litteris ne parcat. Quod ſi emendaverit, dicit nihil ab ejus amicitia amplius deſiderandum eſſe.*

HAnc tuus è Getico mittit tibi Naſo ſalutem:
Mittere rem ſi quis, qua caret ipſe, poteſt.
Æger enim traxi contagia corpore mentis;
Libera tormento pars mihi nequa vacet.
Perque dies multos lateris cruciatibus uror;
Sed quod non modico frigore læſit hyems.
Si tamen ipſe vales, aliquâ nos parte valemus:
Quippe mea eſt humeris fulta ruina tuis.
Qui mihi cum dederis ingentia pignora, cumque
Per numeros omnes hoc tueare caput;
Quod tua me rarò ſolatur epiſtola, peccas:
Remque piam præſtas, ni mihi verba neges.
Hoc precor emenda: quod ſi correxeris unum,
Nullus in egregio corpore nævus erit.
Pluribus accuſem; fieri niſi poſſit, ut ad me

Lit-

1. M*ittere ſi quiſquam quo caret.*] *Mittere rem ſi quis, qua caret.* Heinſ.

3. *Traxi contagia mentis corpore.*] Id eſt, ipſum corpus præ nimio mentis dolore cœpit male valere.

6. *Sed quod non modico.*] *Ut quid* Hamburgenſis. *Et quod* Buslidianus. Lege, *Id quod.* Putabam aliquando, *Quod fera non modico.* Heinſ.

9. *Ingentia pignora.*] Magnas ſignificationes amoris.

10. *Per numeros omnes.*] Per omnes modos.

12. *Remque piam praſtas, & mihi verba negas.*] *Si mihi* multi veteres, & *ni mihi*, vel, *ſed neges* etiam nonnulli, Forte,

*Remque piam haud praſtas, qui mihi verba neges.*

vel *Remque tuam.* nam *tuam* eſt in Buslidiano. *Heinſ.* *Remque piam praſtas.*] Officio ſatisfacis, dum me tueris, meamque cauſam agis; & interim dum raro ſcribis, verba mihi negas, abſentem non alloqueris crebrius, quod non magni laboris foret. *Port.*

14. *Nullus nævus.*] Quaſi dicat, nihil abs te requiram amplius, ſi hanc veluti ex formoſo corpore labem aut maculam unicam ſuſtuleris.

15. *Pluribus accuſem.*] Pluribus verbis officium tuum accuſarem. *Fieri niſi poſſet.*] *Poſſit* meliores. *Heinſ.*

19. Quod

Digitized by Google

Littera non veniat; miſſa ſit illa tamen.
Dî faciant, ut ſit temeraria noſtra querela;
Teque putem falſo non meminiſſe mei.
Quod precor, eſſe liquet. neque enim mutabile robur
Credere me fas eſt pectoris eſſe tui.
Cana prius gelido deſint abſinthia Ponto,
Et careat dulci Trinacris Hybla thymo;
Immemorem quam te quiſquam convincat amici.
Non ita ſunt fati ſtamina nigra mei.
Tu tamen, ut falſæ poſſis quoque pellere culpæ
Crimina; quod non es, ne videare, cave:
Utque ſolebamus conſumere longa loquendo
Tempora, ſermonem deficiente die;
Sic ferat ac referat tacitas nunc littera voces:
Et peragant linguæ charta manusque vices:
Quod fore ne nimium videar diffidere, ſitque
Verſibus hîc paucis admonuiſſe ſatis;
Accipe, quo ſemper finitur epiſtola verbo,
Aque meis diſtent ut tua fata; Vale.

19. *Quod precor.* ] Ut falſo de te quereris. *Robur tui pectoris.* ] Mentis tuæ constantiam in me amando, credere nequeo eſſe labefactatam.

22. *Hybla Trinacris.* ] Hybla civitas Siciliæ.

27. *Conſumere longa loquendi.* ] Loquendo ſcripti. & pro *ſermoni deficiente die* repone *ſermonem* cum Rottendorphiano & Puteaneo. prim. Vatic. *ſermone*. Vide Notas Amor. I. El. VIII. vſ. 93. *Heinſ.*

30. *Peragant.* ] Munus linguæ obeant, quod epiſtola ſolet efficere.

32. *Verſibus hoc paucis.* ] Lege *hic* cum uno Gallico. *Heinſ.*

34. *Atque tuis diſtent.* ] *Aque* ſcribendum. ut Caroli Strozzæ viri nobiliſſimi & humaniſſimi codex. *Idem.*

## ELEGIA XIV.

### ARGUMENTUM.

Quanta tibi dederint, &c.] *In hac ultima elegia uxori immortalitatem pollicetur Poëta: dicitque multas fore, quæ quamvis eam miſeram eſſe exiſtiment, illi tamen invideant, & fœlicem appellent. Simulque oſtendit, nihil à ſe majus præſtari potuiſſe. Quod quum ita ſit, eam hortatur, ut in fide permaneat, ne à quoquam jure accuſari queat. Exempliſque etiam probat, ejuſmodi fidem erga maritos nullo unquam ævo taceri ſolitam.*

QUanta tibi dederint noſtri monumenta libelli;
O mihi me conjux carior, ipſa vides.
Detrahat auctori multum Fortuna licebit;
Tu tamen ingenio clara ferêre meo.
Dumque legar, mecum pariter tua fama legetur:
Nec potes in mœſtos omnis abire rogos.
Cumque viri caſu poſſis miſeranda videri;
Invenies aliquas, quæ quod es, eſſe velint:
Quæ te, noſtrorum cum ſis in parte malorum,
Felicem dicant, invideantque tibi.
[Non ego divitias dando tibi plura dediſſem.
Nil feret ad manes divitis umbra ſuos.]
Perpetui fructum donavi nominis: idque
Quo dare nil potui munere majus, habes.
Adde, quod, ut rerum ſola es tutela mearum,
Ad te non parvi venit honoris onus.

Quod

1. Q*Uanta tibi dederim noſtris monumenta libellis.*] *Dederint noſtri monumenta libelli* Hamburg. & unus Vaticanus. recte. *Heinſ.*

2. *O mihi me charior.*] Exprimit hunc amorem Eleg. 3. lib. 3. *Omnia cum ſubeant, vincis tamen omnia conjux.*

4. *Tu tamen ingenio.*] Verſus ex ingenio meo profecti te illuſtrabunt. *Pont.*

6. *Non potes abire in mœſtos rogos.*] Non poteſt fama tua penitus deleri, quemadmodum corpus abſumitur rogo.

9. *Noſtrorum malorum.*] Meæ calamitatis. *In parte.*] Cum mecum doleas & feras exilium meum.

11. *Non ego divitias dando.*] Diſtichon notæ minime probæ. *Heinſius.* *Plura.*] Quam dedi. Intelligit autem famæ immortalitatem.

13. *Perpetui fructum, &c.*] Non intermorietur nomen tuum, propter æternitatem ſcriptorum meorum. P.

15. *Adde quod & rerum ſola es tutela mearum.*] *Solam tutela* pri. Polit. & duo alii. *es rerum ſola &* Junian. Scribe,

*Adde quod, (ut rerum ſola es tutela mearum)* Heinſ.

16. *Onus non parvi honoris.*] Quaſi dicat: Quamvis ſit onus & labor, res meas tueri, tamen erit magno honori.

19. *Per-*

Quod nunquam vox eſt de te mea muta, tuique
  Judiciis debes eſſe ſuperba viri.
Quæ ne quis poſſit temeraria dicere, perſta:
  Et pariter ſerva meque piamque fidem.
Nam tua, dum ſtetimus, turpi ſine crimine manſit,
  Et Famæ probitas irreprehenſa fuit.
Par eadem noſtrâ nunc eſt ſibi facta ruinâ.
  Conſpicuum virtus hîc tua ponat opus.
Eſſe bonam facile eſt, ubi, quod vetet eſſe, remotum eſt;
  Et nihil officio nupta quod obſtet habet.
Cum Deus intonuit, non ſe ſubducere nimbo,
  Id demum pietas, id ſocialis amor.
Rara quidem virtus, quam non Fortuna gubernet;
  Quæ maneat ſtabili, cum fugit illa, pede:
Si qua tamen pretii ſibi merces ipſa petiti,

Inquæ

19. *Perſta.* ] Perſevera in amore conjugali.

22. *Et tantum probitas irreprehenſa fuit.* ] *Et tandem* primæ editiones. *Et tanta* prim. Pol. pri. Pal. & multi alii. duo *tua nunc.* alius *tanti.* Rich. & Bonon. *tanta.* Scribe,

*Et Fama probitas irreprehenſa fuit.*

Heinſ.

23. *Par ea de noſtra non eſt tibi facta ruina.* ] *Par eadem* & *nunc eſt* multi veteres. præterea *ſibi* unus Medic. & Moreti codex. Lege,

*Par eadem noſtra nunc eſt ſibi facta ruina.*

vel,

*Par eadem noſtrâ nunc eſt ſibi facta ruinâ.*

vel *Par ea poſt noſtram ruinam.* vel *poſt noſtra facta ruina.* nam *noſtra* erat in Gorrorphiano. *Idem.* *Par eadem noſtra.* ] In noſtra ruina parem te oſtendiſti. Vel parem ejus demonſtrandæ occaſionem habes.

24. *Conſpicuum virtus hic tua ponat opus.* ] Malo, *Tollat onus.* vel quod præſtat, *prodat opus.* Heinſ. *Conſpicuum.* ] Quaſi quandam ſtatuam nunc tibi virtute tua erige, conſpicuam omnibus. *P. Virtus.* ] Tua fides conjugalis.

25. *Eſſe bonam facile eſt.* ] *Caſta eſt quam nemo rogavit.* *Ubi quod vetat.* ] Veteres meliores. *Heinſ.* *Bonam.* ] Fœminam & uxorem: ſed virtus in arduis cernitur.

29. *Gubernat.* ] *Gubernet* cum melioribus. *Heinſ.* *Quam, &c.* ] Quaſi dicat: Rari ſunt, qui non ſequantur fortunam potius quam virtutem. Ex quo deſignat eſſe difficile uxori, in fide permanere, & fortunam mariti adverſam non deſerere. Solet enim uſu venire, ut quo ſe fortuna, eo & favor hominum inclinet.

31. *Si tamen eſt pretium cui virtus ipſa petitum.* ] *Si qua tamen pretii ſibi merces ipſa petiti eſt*, primæ editiones. Prim. Polit. & veteres plerique. quidam *petita eſt.* Buſlidianus *petenti.* pri. Vatican. *Si qua tamen pretium ſibi merces ipſa petitum*, atque ita Rottendorph. Lege,

*Sic tamen & pretii ſibi merces ipſa petiti*
  *eſt*,

*Si qua parum latis ardua rebus adeſt.*

Tale aliquid requirit ſenſus. Nihil frequentius hac ſententia apud Philoſophos. Claudianus,

*Ipſa quidem virtus pretium ſibi.*

Silius,

Digitized by Google

Inque parum lætis ardua rebus adeſt;
[Ut tempus numeres, per ſæcula nulla tacetur,
Et loca mirantur, qua patet orbis iter.]
Aſpicis, ut longo maneat laudabilis ævo
Nomen inexſtinctum Penelopæa fides?
Cernis, ut Admeti cantetur, ut Hectoris uxor,
Auſaque in accenſos Iphias ire rogos?
Ut vivat famâ conjux Phylaceïa, cujus
Iliacam celeri vir pede preſſit humum?
Nil opus eſt letho pro me, ſed amore fideque.

Non

Silius,

*Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces.*

piget plura attexere. *Heinſ. Si qua tamen.*] Subaudi, eſt virtus: hoc eſt, ſi quis bonus invenitur, quem non gubernet fortuna, ſed virtus ipſa. Quia vix reperitur aliquis qui gratis velit eſſe probus. *Pretium ſibi merces ipſa petiti eſt.*] Ipſa virtus eſt pretium ſui meriti: quia vir bonus non ducitur fortuna, nec aliud præmium quærit, quam virtutem. Virtus enim per ſe appetitur. Quibus verbis denotat, optimam uxorem non debere mariti fortunam ſequi, ſed ſemper conſtanter in fide perſiſtere; etium in rebus adverſis. *Si qua tamen.*] Ὅπου τὸ συμφέρον ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβές. Epictet.

33. *Ut tempus numeres.*] Hic denuo nugator aliquis Ovidianam induit perſonam. in pentametro tamen pro *&* *loca mirantur* puto ſcribendum *loca rimatur.* Heinſ.

35. *Teneat laudabilis ævo*] *Maneat* unus Vaticanus. ut ſit appoſitio. qualis apud Virgilium libro VII.

——— *locus Ardea quondam*
*Dictus avis, & nunc magnum manet Ardea nomen.*

mox Voſſianus *ut Hectoris.* Idem.

36. *Penelopeja fides.*] Sic alibi Noſter *Theſea fides. O mihi Theſei pectora juncta fide.* De fide autem Penelopes Homerus & alii multa tradiderunt: Inter quæ & nos hæc ita Latine reddidimus:

*Abſentem mulier laudat cordata maritum.*
*Illo Penelope nomine clara fuit.*

Odyſſ. 18. vſ. 253.

Εἰ κεῖνός γ' ἐλθὼν τὸν ἐμὸν βίον ἀμφιπολεύοι,
Μεῖζόν κε κλέος εἴη ἐμὸν καὶ κάλλιον οὕτω.

37. *Admeti uxor.*] Hujus fabulæ meminit Apollod. lib. I. qua nempe ratione Apollo totum annum Admeto ſervierit. Item lib. 3. Tzetz. Chiliad. I. hiſtor. 53. Ovid. Metam. lib. 2. fab. XI. Lucian. Dialog. 10. Papinius Stat. l. 6. *Felix Admeti conjunx, &c.* Propert. l. 2. Eleg. 6. Hinc ludit Juvenal. Satyr. 6. in fine. Claudian. Laude Serenæ Reginæ. vſ. 12. *Hectoris uxor.*] Sic ipſa apud Eurip. in Troad.

Σὲ δ', ὦ φίλ' Ἕκτορ, εἶχον ἄνδρ' ἀρκοῦντά μοι.

38. *Iphias.*] Evadne, Iphiæ filia.

39. *Phylaceia.*] Laodamia ſic dicta à Phylace Phthioticæ regionis Theſſaliæ urbe, quæ ſub ejus mariti Proteſilai imperio fuit, ut docet Strabo lib. 9. Vel à Proteſilai avo Phylace, Iphicli patre. *Micyl.*

40. *Iliacam celeri vir pede preſſit humum.*] *Primo pede* unus Vatic. & alter Palat. ex fide hiſtoriæ. In ſuperiori verſu non placet illud *Ut vivat fama.* malim *vivat fama* ſic *vivere ſibi*, *vivere alteri.* Art. Am. *ſed fama vigilare juvet.* Heinſ.

41. *At nece nil opus eſt.*] *Morte nihil*

opus

Digitized by Google

Non ex difficili fama petenda tibi eſt.
Nec te credideris, quia non facis, iſta moneri.
Vela damus, quamvis remige puppis eat.
Qui monet, ut facias, quod jam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta ſuo.

*opus eſt* plerique veteres. tres *Morteque nil.* Excerpta Voſſii, *Nil opus eſt letho*. bene. Gottorph. *Letho nil opus eſt*. ſic Pont. lib. III. El. I. ubi vulgo legebatur *Morte nihil opus eſt*. veteres nonnulli præferunt *Nil opus eſt letho.* Vetuſtiores tamen *Morte nihil opus eſt*. quare minimum abeſt, quin cenſeam reponi debere, *Morte tibi haud opus eſt*. mox *puppis eat* pro *navis* multi veteres. Si in promptu fuiſſent codices hujus operis aliquanto vetuſtiores caſtigatioreſque iis, qui in manus hactenus noſtras inciderunt, poteramus Triſtibus recenſendis curam magis operoſam adhibuiſſe. Sed cum in nullo Naſonis poëmate pejus nobis proſpectum fuerit à membranis antiquis ac fidis, inter ſordes exemplarium mendoſiſſimorum diu hærendum eſſe non duximus. Secundis curis elegantiſſimum poema curatius illuſtraturi, ſi ſubſidiis aliquanto præſtantioribus inſtruemur. *Idem.*

*Nil opus eſt letho.*] Quod ad exempla referendum: Alceſtidis ſcilicet, quæ pro marito Admeto mori ſuſtinuit, ut eſt apud Euripidem: Evadnes, quæ & ipſa rogum mariti conſcendit, eademque ſe cremari paſſa eſt: & Laodamiæ, de cujus obitu & morte ſupra annotavimus, &c. *Micyl.*

44. *Vela damus.*] Quaſi dicat: Hæc amore magis impulſus ad te ſcribenda putavi, quam quod arbitrarer te præceptis & monitis meis egere. *Pont.*

TRISTIUM FINIS.

P. OVI-

Digitized by Google

# P. OVIDII NASONIS EPISTOLARUM EX PONTO

## LIBER I.

### EPISTOLA I.

### *BRUTO.

ARGUMENTUM.

Naſo Tomitanæ.] *Ad Brutum Romanum ſcribens Ovidius è Tomitana urbe, & Pontica regione, ubi exulabat, à qua opus de Ponto appellavit, primo rogat, ut librum ſuum excipiat: deinde quid in eis contineatur, exponit.*

NAſo Tomitanæ jam non novus incola terræ
Hoc tibi de Getico littore mittit opus.

Si

IN caſtigandis hiſce libris codices fuere mihi præſto aliquanto vetuſtiores iis, quos Triſtia ſuppeditârunt, neque illi tamen ejus notæ aut auctoritatis, ut exactam locis male adfectis, qui plurimi paſſim hic illic occurrunt, medicinam fecerint. Primus omnium commendandum ſe offert V. Amp. Claudii Sarravii codex Gallicus ante annos octingentos exaratus; ſed mendoſe admodum, nec ille integer, ut qui in Elegia ſecunda tertii libri deficeret. Proximum vetuſtate Argentoratæ bibliothecæ exemplar, quòd annorum circiter ſeptingentorum ſenium præ ſe ferret: in eo liber quartus cum parte tertii deſiderabantur. Nec ætate multo inferioris ex Mediceis unus, nobiliſſimi Rogerii Twiſdenii equitis Baroneti itidem unus Anglicus. & Remigii Feſchii V. Cl. codex. Poſt hos primus Vaticanæ, Baſileenſis ſecundus, tertius Farneſianæ, quartus Barberinæ, Gottorphianæ quintus, ſextus & ſeptimus Hafnienſis, Regiæ in Galliis octavus bibliothecæ. Præterea unus Puteanorum fratrum, alter Balthaſaris Moreti, tertius V. Cl. Patricii Junii. Hi ante quadringentos, aut quingentos annos exarati. Reliqui notæ recentioris, Thuanei duo, totidem Medicei, Combianus unus, ſex Vaticani, duo, quos munificentiâ V. A. Bernardi Medonii Senatoris Toloſani poſſideo, tres Voſſiani, unus Batavinus, & Leidenſis bibliothecæ, & Rottendorphianus, & Boxhornianus, & Arondelius, & à Petro Servio Medico Romano mihi donatus. Denique, quæ negligi nequaquam debent, lectiones diverſæ ex optimo vetertimoque libro ad oram Gryphianæ editionis à magno Scaligero notatæ, & aliæ ex Mediceo exemplari, quo Politianus uſus fuerat.

P. OVIDII NASONIS DE PONTO LIBER PRIMUS.] Nihil magis inſcitum aut barbarum hac inſcriptione, quam cave credas ab terſiſſima noſtri Naſonis manu eſſe. Libri veteres plerique nullam omnino inſcriptionem agnoſcunt. niſi quod Sarravianus omnium vetertimus & Combianus inter meliores numerandus, ſub finem libri ſecundi, Ex

PONTO

Si vacat, hoſpitio peregrinos, Brute, libellos
  Excipe, dumque aliquo, quolibet abde loco.
Publica non audent inter monumenta venire,
  Ne ſuus hoc illis clauſerit auctor iter.
Ah quoties dixi, Certè nil turpe docetis!
  Ite: patet caſtis verſibus ille locus.
Non tamen accedunt: ſed, ut aſpicis ipſe, latere
  Sub Lare privato tutius eſſe putant.
Quæris, ubi hos poſſis nullo componere læſo?
  Qua ſteterant Artes, pars vacat illa tibi.
Quid veniant, novitate roges fortaſſe ſub ipsâ.
  Accipe, quodcunque eſt, dummodo non ſit amor.
Invenies, quamvis non eſt miſerabilis index,
  Non minus hoc illo triſte, quod ante dedi.

Re-

PONTO LIBER II. EXPLICIT. Barberinianus, EXPLICIT LIBER OVIDII IN PONTO. Opinor PONTICORUM, aut EPISTOLARUM PONTICARUM titulo libros hoſce quatuor à Naſone inſignitos fuiſſe. Triſt. V. Eleg II.

*Ecquid, ut e Ponto nova venit epiſtola, palles.* Heinſ.

*AD BRUTUM.] BRUTO optimi codices. atque ita ſemper deinceps per caſum tertium. recte. quod ſemel loco hoc à me moneri ſuffecerit. *Idem.*

1. *Jam non novus incola.*] Incolam non novum ſe vocat, pro veteri, *κατὰ λιτότητα.* Nam jam quartum prope annum in Ponto agebat, id quod infra mox apparet eleg. 8. Cæterum ut hoc addamus. ſeptem omnino annos in Ponto vixiſſe poëta videtur. atque intra tres priores, ea, quorum titulus eſt *Triſtium*, ſcripſiſſe: reliquis autem, hæc quæ *de Ponto* inſcribuntur, ut ex ipſis libris apparet. *Micyl.*

2. *De Getico littore.*] De littore maris Euxini, quod Getæ accolunt.

6. *Clauſerit hoc iter.*] Fecerit ſcribendo præcepta amatoria, ne hi quoque de Ponto libelli poſſint in publicum prodire.

9. *Nec tamen accedunt,*] *Non* ſcripti. & mox pro *Quid veniat*, iidem *Quid veniant.* niſi quod in nonnullis *Qua veniant.* quod Georgio Fabricio arridebat nequicquam. ego vetuſtiores ſequor. Triſt. III. Eleg. VII. ad epiſtolam de Perillâ,

*Quicquid aget, cum te ſcierit veniſſe, relinquet:*
*Nec mora; quid venias, quidve requiret agam.*

Eleg. XII. ejuſdem libri,

*Sedulus occurram nautæ; dictâque ſalute,*
*Quid veniat, quæram, quiſve, quibuſve locis.*

Metam. XI.

*Quid veniat (cognovit enim) ſciſcitatur.*

Virgil. Æn. I.

*Qua fortuna viris, claſſem quo littore linquant,*
*Quid veniant cuncti.*

& lib. VI.

*Fare age, quid venias.*

ſic & alii ſcriptores. *Heinſ.*

15. *Quamvis non ſit miſerabilis index.*] *Quamvis non eſt* plerique veteres. verſu proximo pro *hoc* malim *hic*, ſi per antiquos liceat codices. Invenies his in libris non minus triſte illo, quod jam ante dedi. *Idem.*

17. Rebus

ebus idem, titulo differt: & epiſtola cui ſit
Non occultato nomine miſſa docet.
ec vos hoc vultis, ſed nec prohibere poteſtis:
Muſaque ad invitos officioſa venit.
uicquid id eſt, adjunge meis. nihil impedit ortos
Exule, ſervatis legibus, Urbe frui.
uod metuas non eſt. Antonî ſcripta leguntur:
Doctus & in promtu ſcrinia Brutus habet.
Nec me nominibus furioſus confero tantis.
Sæva Deos contra non tamen arma tuli.
Denique Cæſareo, quod non deſiderat ipſe,
Non caret è noſtris ullus honore liber.
Si dubitas de me; laudes admitte Deorum:
Et carmen demto nomine ſume meum.
Adjuvat in bello pacatæ ramus olivæ:
Proderit Auctorem Pacis habere nihil?
Cum foret Æneæ cervix ſubjecta parenti,
Dicitur ipſa viro flamma dediſſe viam.

Fert

17. *Rebus idem.* ] Eadem eſt materia hujus operis, quæ eſt de Triſtibus. *Titulo differt.* ] Differt indice. *Et epiſtola cui ſit.* ] Differt etiam hoc opus ab eo de Triſtibus, quoniam in hoc ad quem ſcripta ſit epiſtola, titulus docet: id vero in opere de Triſtibus ſupprimitur.

19. *Nec vos hoc vultis.* ] Nec vos vultis veſtra nomina in hoc opere poni, propter Auguſti metum. *Sed non prohibere poteſtis.* ] *Sed nec* è ſcriptis multi. *Heinſius.*

22. *Servatis legibus.* ] Non ſcribendo laſciva: id ne facerem, legibus cautum fuit.

24. *Doctus & in promptu.* ] Brutus enim qui Julium Cæſarem occidit, vir fuit excellens omni genere laudis, & philoſophiam Latinis literis proſecutus fuit. * *Carmina Brutus habet.* ] *Scrinia* omnino rectius in Twiſdeniano, Combiano, Boxhorniano, & Puteaneo à manu primâ. quod in Pirckeimeriano ſive Arondeliano Gronovius Noſter teſtatus jam eſt ſe inveniſſe Obſervationibus ad Silvas Statianas. Omnino recte. Bruti enim, præter librum de Virtute Ciceroni, Senecæ, Plutarcho, aliis laudatum, etiam verſus extabant, & quidem ſatis laſcivi, ut ex Plinio lib. III. Epiſt v. diſcimus. Auctor dialogi de claris Oratoribus, *Fecerunt Brutus & Cæſar carmina non melius quam Cicero, ſed felicius, quia illos feciſſe pauci ſciunt.* Heinſ.

26. *Non tamen arma tuli.* ] Non tamen bella geſſi, ut M. Antonius, & Brutus.

29. *Si dubitas de me.* ] Si dubitas mea cauſa hos meos libellos excipere. *Laudes admitte Deorum.* ] Excipe illos Auguſti cauſa, cujus laudes in illis continentur.

31. *Adjuvat in bello.* ] Eſt argumentum à minori: Ramus oleæ, quod ſignum pacis eſt, adjuvat in bello prætendentem: multo igitur magis debet juvare, non ſignum, ſed ipſe autor pacis, id quod faciunt libri mei. *Micyl.* *Pacatæ ramus olivæ.* ] *Paciferaque manu ramum prætendit olivæ.* Virg. I.



35. *Ænea-*

Fert liber Æneaden: & non iter omne patebit?
  At patriæ pater hic; ipſius ille fuit.
Ecquis ita eſt audax, ut limine cogat abire
  Jactantem Phariâ tinnula ſiſtra manu?
Ante Deûm Matrem cornu tibicen adunco
  Cum canit; exiguæ quis ſtipis æra neget?
Scimus ab imperio fieri nil tale Dianæ:
  Unde tamen vivat vaticinator habet.
Ipſa movent animos Superorum numina noſtros;
  Turpe nec eſt tali credulitate capi.
En ego, pro ſiſtro Phrygiique foramine buxi,
  Gentis Iülêæ nomina ſancta fero.

Va-

35. *Æneaden.*] Auguſtum, ab Ænea oriundum, propter patrem Julium Cæſarem, qui genus ſuum ad Julium Aſcanium Æneæ filium referebat.

36. *Et pater patriæ hic.*] Auguſtus eſt pater patriæ. *Ipſius ille.*] Ille Anchiſes, non niſi Æneæ fuit pater.

37. *Ut limine cogat abire.*] Ut Iſidis ſacerdotes, ſiſtra Ægyptia ferentes, pellat è limine.

39. *Ante deûm matrem.*] Quum matri deûm canit tibicen inter ſacrificandum. *Adunco cornu.*] Tibiam obliquam intellige, dextra parte unum, ſiniſtra duo foramina habentem, quam Mida in Phrygia invenit, ut Plinius docet. *Cornu tibicen adunco.*] *Abunco* Argentinus. Puto *obunco*. Met. lib. III. tamen *adunco tibia cornu* Penthei fabulâ. *Heinſ.*

41. *Scimus ab imperio fieri nil tale Dianæ.*] Vir doctus in nuperis epiſtolis pro *Diana* reponit *Cybeles*. audacter mehercules. cum nihil ſit mutandum. In codicis Twildenii margine hæc gloſſa erat adſcripta, *In Aricino nemore juxta Romam habuit Diana templum. ibi erant vaticinatores.* nihil verius. quomodo & intelligendum eſſe locum jam vidit ſagaciſſimus Gronovius Obſervat. libro IV. cap. VII. *Idem.* *Scimus ab imperio fieri nil tale Diana, &c.*] Simpliciter expone; Vaticinator, Dianæ nomine exigit ſtipem ſive pecuniam à conſulentibus, ſive iis quibus vaticinia reddit. Et tamen ſcimus ipſam Dianam nihil tale imperare, hoc eſt, haud quaquam jubere ut ille pecuniam ab hominibus auferat. Tamen unde ſe alat, non ei deeſt, ex benignitate videlicet oraculum conſulentium. *Micyl.*

42. *Unde tamen vivat vaticinator.*] Tamen ſacerdos Dianæ, cauſa deæ prædicendo futura, donatur victu & donis. Quibus verbis colligit ut ſacerdotes coluntur, deorum cauſa, ſic libros continentes Auguſti laudes, minime eſſe ex urbe pellendos: ſed potius excipiendos ſumma veneratione.

43. *Ipſa movent animos.*] Hoc dicit: Movemur deorum cauſa ad venerandum ſacerdotes prædictos. nec debemus putare, eſſe turpe, credulitate noſtra ſacerdotes venerari deorum cauſa. *Superorum numina.*] *Nomina* veteres nonnulli. *Heinſ.*

45. *Pro ſiſtro, Phrygiique.*] Pro ſacerdotibus Iſidis & Cybeles. quos per ſiſtrum & tibiam è buxo deſignat.

46. *Gentis Iiliæ.*] Auguſti ex gente Julia oriundi, à Julo Æneæ filio. *Nomina ſacra fero.*] Complector in meis libellis ſacrum Auguſti nomen.

47. Vai-

Vaticinor moneoque; locum date ſacra ferenti:
  Non mihi, ſed magno poſcitur ille Deo.
Nec, quia vel merui, vel ſenſi Principis iram,
  A nobis ipſum nolle putate coli.
Vidi ego linigeræ numen violaſſe fatentem
  Iſidis, Iſiacos ante ſedere focos.
Alter, ob huic ſimilem privatus lumine culpam,
  Clamabat mediâ ſe meruiſſe viâ.
Talia cæleſtes fieri præconia gaudent;
  Ut, ſua quid valeant numina, teſte probent.
Sæpe levant pœnas, ereptaque lumina reddunt;
  Cum bene peccati pœnituiſſe vident.
Pœnitet ô, (ſi quid miſerorum creditur ulli)
  Pœnitet, & facto torqueor ipſe meo!
Cumque ſit exilium, magis eſt mihi culpa dolori:
  Eſtque pati pœnas, quam meruiſſe, minus.
Ut mihi Dî faveant, quibus eſt manifeſtior ipſe;

Pœna

47. *Vaticinor.* ] Sum vates Apollinis & ſacerdos. *Locum date.* ] Sinite me per urbem incedere. *Ferenti ſacra.* ] Mihi portanti nomina gentis Iuleæ.

49. *Nec quia vel merui.* ] Quamvis, inquit, in me Auguſtus ſit iratus, non recuſat tamen à nobis coli noſtro carmine.

51. *Linigeræ Iſidis.* ] Hæc vera lectio, quicquid membranæ inter ſe pugnant. Vide Notas ad Artem Amator. libro 1. vſ. 79. *Heinſ.* *Linigera Iſidis.* ] Iſidis cujus ſacerdotes lino tecti ſacra deæ celebrabant.

52. *Sedere ante focos Iſiacos.* ] Sedere ante altaria Iſidis ei ſacrificaturi; poſteaquam poſt pœnitentiam dea placata illi veniam dedit.

53. *Alter.* ] Scilicet Iſiacus ſacerdos. *Ob huic ſimilem culpam.* ] Ob tale crimen. *Privatus lumine.* ] Privatus oculis tanquam perjurus. Quoties enim per Iſidem jurantes fidem non ſervabant, putabantur à dea viſu privari.

55. *Talia præconia.* ] Talem vocem fatentium ſua crimina, & ſe ita meritos.

56. *Quid valeant ſua numina.* ] Quid poſſint deorum vires. *Teſte.* ] Aliquo nocente, in quem animadverterint.

61. *Cumque ſit exſilium magis eſt.* ] Ita veteres conſtanter. Cenſeo nihilominus ſcribendum eſſe,

*Quamque ſit exilium, magis es mihi culpa dolori.*

Nam Tò *eſt* verſu proximo rurſus ſequitur. ubi *pœnas* cum Argentoratenſi malo, quam *pœnam*. Similis loquendi modus infra Eleg. IV.

*Junctior Hæmonia eſt Ponto, quam Roma ſit Iſtro.* Heinſ.

62. *Eſtque pati pœnas.* ] Rationem aſſignat, cur magis doleat crimine, quam exilio. Quia magis me angit peccatum meum, quam pœna & exilium. *Quam meruiſſe.* ] Quam peccatum commiſiſſe, quo videar dignus tali pœna.

63. *Quibus eſt manifeſtior ipſe.* ] In quibus diis ipſe Auguſtus magis apparet, quia à nobis videtur. Vivens enim divinos meruit honores.

Pœna poteſt demi, culpa perennis erit.
Mors faciet certè, ne ſim, cum venerit, exul:
[Ne non peccarim, mors quoque non faciet.]
Nil igitur mirum, ſi mens mihi tabida facta
De nive manantis more liqueſcit aquæ.
Eſtur ut occultâ vitiata teredine navis:
Æquorei ſcopulos ut cavat unda ſalis:
Roditur ut ſcabrâ poſitum rubigine ferrum:
Conditus ut tineæ carpitur ore liber:
Sic mea perpetuos curarum pectora morſus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent.
Nec prius hi mentem ſtimuli, quam vita, relinquent:
Quique dolet citius, quam dolor, ipſe cadet.
Hoc mihi ſi Superi: quorum ſumus omnia, credent;
Forſitan exiguâ dignus habebor ope.
Inque locum Scythico vacuum mutabor ab arcu.
Plus iſto, duri; ſi precer, oris ero.

65. *Mors faciet certè.* ] *Ultima pœnarum mors eſt.* Lucan.

66. *Ne non peccarim mors quoque non faciet.* ] Verſus hic præter rem eſt, & præter Naſonianam elegantiam. Præcedens etiam nonnihil ſuſpectus. *Heinſ.*

67. *Non igitur mirum eſt, ſi mens mea tabida facta. Si mens mihi* Junianus. tres alii *Nil igitur mirum.* utrumque bene. *Idem.*

68. *De nive manantis.* ] Contabeſcit animus meus, & dolore colliqueſcit, ut nix ad ardorem ſolis. *Pont.* *De nive manantis aquæ.* ] Εὖτε χιὼν ὥς τις κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἷμον. Theocr. Idyll. 7. vſ. 76. Et Idyll. 23. vſ. 31. Ἁ δὲ χιὼν λευκά, καὶ τάκεται αἴκα παχθῇ.

69. *Vitiata teredine navis.* ] Hæc vera ſcriptura eſt, quam meliores membranæ adſtruunt. perperam alii *putredine.* Robertus Conſtantinus in Lexico voce Οζῆνα corrigit *vitiata teredine naris.* inſulſe. Inter teredinem & tineam hoc intereſt, quod altera ſit marina, altera terreſtris. Vide Plinium lib. XVI. c. XLI. *Teredo* eadem quæ *Termes*, Græcis τερηδών. Iſidorus Etymol. lib. XII. cap. v. verſu proximo lege cum caſtigatioribus ſcriptis *Æquorei ſali* non *Æquoreos ſcopulos.* Heinſ.

71. *Ferrum rubigine roditur.* ] Cato de R. R. *Ferrum rubigo interficit.*

73. *Carpitur.* ] Conſumitur. *Curarum morſus.* ] Curas edaces appellat Horat. Gr. θυμοδακεῖς, θυμοβόρους.

77. *Hoc mihi ſi ſuperi, quorum ſumus omnia, credent.* ] Cave reponas, *quorum ſunt omnia.* cum pro recepta ſcriptura & codices vetuſti, & ipſa ratio pugnet. Adeantur quæ notamus ad librum I. Metam. vſ. 343. *Heinſius.* *Si Superi, quorum ſumus.* ] Si dii, in quorum ſumus poteſtate. Auguſtum autem latenter intelligit.

79. *In locum vacuum.* ] In locum carentem arcu Scythico: hoc eſt, in locum magis quietum, & remotum ab hac Scytharum aſperitate. *Ab arcu Scythico*, Ab armis Getarum, qui peculiariter arcu utuntur.

80. *Si precor.* ] *Si precer* meliores. *Heinſ.* *Duri oris.* ] Inverecundi oris.

EPI-

# EPISTOLA II.

## MAXIMO.

### ARGUMENTUM.

Maxime, qui tanti.] *In hac epiſtola primo captat benevolentiam à Fabii perſona, eum laudando. Deinde illum attentum reddit, cum docet ea de quibus dicturus ſit: hoc eſt, velle propria mala ingemiſcere & exponere, quæ multa eſſe narrat, hoſtium ſcilicet periculum, faciem loci, dolorem ex his rebus maximum, adeo ut cupiat mutari in aliquam aliam formam. Colligit poſtremo, ſe clementia Cæſaris confidere, ut exilii locum mutare liceat. Petitque à Maximo, ut id ſolum, nec aliud tentet.*

MAxime, qui tanti menſuram nominis imples,
Et geminas animi nobilitate genus;
Qui naſci ut poſſes, quamvis cecidêre trecenti,
Non omnes Fabios abſtulit una dies;
Forſitan hæc à quo mittatur epiſtola quæras;
Quique loquar tecum, certior eſſe velis.
Hei mihi! quid faciam? vereor, ne nomine lecto
Durus & averſâ cætera mente legas.
Viderit hæc ſi quis; tibi me ſcripſiſſe fateri

Au-

QUi *tanti menſuram nominis imples.*] Qui nominis magnitudinem æquas, ac ſuperas animi nobilitate. Per menſuram autem tanti nominis, *Maximi* appellationem intellige.

2. *Genus.*] Maximorum familiam.

3. *Quamvis cecidere.*] Bello Hetruſco, quod geſtum eſt contra Veientes, cum in acie cecidiſſet Q. Fabius. Vide Florum l. 1. c. 12. Hiſtoriam refert Ov. in 2. l. Faſt.

4. *Non abſtulit omnes Fabios.*] Non prorſus omnes Fabios delevit. Unus enim ex ea gente ob impuberem ætatem domi relictus, propagavit genus ad Q. Fabium, qui mora Hannibalem fregit. Quod factum à diis fuiſſe dicit Ovidius, ut Fabius, ad quem ſcribit, naſceretur. Quidam Herculem apud fluvium Tiberim cum muliere indigena congreſſum habuiſſe aſſerunt; & Fabium virum optimum genuiſſe. Unde non immerito gens Fabia habuit hæreditaria Herculis ſacra.

6. *Quiſque loquar tecum.*] *Quique* nonnulli veteres. & mox *Hei mihi* pro *Heu*, bene. *Heinſ.*

9. *Viderit hac ſi quis, tibi me ſcripſiſſe fateri*
*Audebo, & propriis ingemuiſſe malis.*
*Viderit. audebo tibi me ſcripſiſſe fateri,*
*Atque modum culpæ notificare meæ.*]

Prius diſtichon Sarravianus, unus Mediceus & Boxhornianus non agnoſcunt, poſterius totidem alii. quatuor duos medios verſus omittunt. Ex duobus diſtichis unum faciendum hoc modo,

*Videris: audebo tibi me ſcripſiſſe fateri.*
*Audebo propriis ingemuiſſe malis.*

ita enim poſterior verſus in quibuſdam ſcriptus occurrit, cum vulgati exhibeant *Audebo & propriis.* Poſſit & legi,

*Videris hoc: ſiquidem tibi me ſcripſiſſe fateri*
*Audebo, & propriis ingemuiſſe malis.*

Nam membranæ nonnullæ *Viderit ho. ſi*



quid

Audebo, & propriis ingemuiſſe malis.
Viderit; audebo tibi me ſcripſiſſe fateri,
[Atque modum culpæ notificare meæ.]
Qui, cum me pœnâ dignum graviore fuiſſe
Confitear; poſſum vix graviora pati.
Hoſtibus in mediis interque pericula verſor:
Tanquam cum patriâ pax ſit ademta mihi.
Qui, mortis ſævo geminent ut vulnere cauſſas,
Omnia vipereo ſpicula felle linunt.
His eques inſtructus perterrita mœnia luſtrat,
More lupi clauſas circueüntis oves.
At ſemel intentus nervo levis arcus equino

Vin-

*quid*. alter Medonianus *viderit ô ſi quid.* Qua lectionum diverſitate opinor factum, ut ſciolus aliquis anſam arripuerit ex duobus verſibus verſus quatuor procudendi. Certe verſus ultimus ſatis arguit indoctam manum. Quis enim credat Naſonem *notificandi*, aut, quod in aliis extat, *certificandi* verbo uſum? præterea plerique pro *modum culpæ* agnoſcunt *modum pœnæ*. quæ vox ſequenti verſu iteratur minus concinne. Tò *Videris* elegantiſſimum eſt. Propertius, lib. II. El. XV.

*Viderit hoc, ſi quam jam peperiſſe pudet.*

Noſter epiſtola Medeæ,

*Viderit iſta Deus, qui nunc mea pectora verſat.*

Artis Amator. lib. III.

*Viderit utilitas: ego cœpta fideliter edam.*

lib. II.

*Viderit Atrides: Helenen ego crimine ſolvo.*

Remed. Amor.

*Viderit, Hæmoniæ ſi quis mala pabula terræ*
*Et magicas artes poſſe nocere putat.*

& ibidem,

*Nona terebatur miſera via. Viderit, inquit:*
*Et ſpectat zonam pallida facta ſuam.*

Faſtorum II.

*Viderit, audentes Forſne Deuſne juvet.*

Triſt. V. Eleg. II.

*Viderit: ipſe ſacram quamvis inviſus ad aram*
*Confugiam.*

Lucanus l. IX.——*conditor artis*
*Viderit iſta Tages.*

Statius Theb. III.

*Viderit hoc bello viridis manus.*

Petronius, *Videris tamen, inquit: non enim tui ſimilis.* Neque aliter Cicero & optimus quiſque ex ævi aurei ſcriptoribus. Loca plura adſcripſi, ut ſuas Naſoni elegantias aſſererem. *Idem.*

11. *Viderit hac aliquis, tibi me ſcripſiſſe, &c.*] Interrogative lego prius diſtichon, ut ſit oratio dubitantis, utrum fateri velit, ſive audeat, ſe ad Maximum de ſuis rebus ex profeſſo, & nomine non celato ſcribere, an minus. ut poſterius diſtichon quaſi per ſubjunctionem huic reſpondeat: videlicet, velle atque audere ſeſe. Dubitare autem ſe fingit, propter Auguſtum potiſſime. Deinde etiam, ut attentionem paret, magnitudinem ſuæ miſeriæ tantam eſſe innuit, ut taceri ac diſſimulari nullo modo poſſit. *Micyl.*

15. *Hoſtibus in mediis.*] In mediis Getis, qui urbem infeſtant.

17. *Ut geminent cauſas, &c.*] Ut duplici cauſa & via lethum afferant, ferro ſcilicet & veneno.

20. *More lupi clauſas.*] Ovilibus enim clauſis obumbulans lupus inſidiari ſolet.

23. *Volat*

Vincula ſemper habens irreſoluta manet.
Tecta rigent fixis veluti vallata ſagittis,
Portaque vix firmâ ſubmovet arma ferâ.
Adde loci faciem nec fronde nec arbore tecti;
Et quod iners hyemi continuatur hyems.
Hic me pugnantem cum frigore, cumque ſagittis,
Cumque meo fato, quarta fatigat hyems.
Fine carent lacrymæ, niſi cum ſtupor obſtitit illis:
Et ſimilis morti pectora torpor habet.
Felicem Nioben, quamvis tot funera vidit,
Quæ poſuit ſenſum ſaxea facta mali!
Vos quoque felices, quarum clamantia fratrem
Cortice velavit populus ora novo.
Ille ego ſum, lignum qui non admittar in ullum:
Ille ego ſum, fruſtra qui lapis eſſe velim.
Ipſa Meduſa oculis veniat licet obvia noſtris,
Amittat vires ipſa Meduſa ſuas.
Vivimus, ut ſenſu nunquam careamus amaro:
Et gravior longâ fit mea pœna morâ.

Sic

23. *Veluti vallata.* ] Veluti circumdata. *Veluti vallata ſagitta.* ] Reſpicies ad Tom. I. p. 56. vſ. 159.

25. *Nec fronde nec arbore tecti.* ] *Læti* non invenuſte unus Vaticanus. *Heinſ.*

29 *Niſi cum ſtupor.* ] Niſi cum mentis torpor, & quaſi quædam alienatio a ſenſu.

31. *Felicem Nioben.* ] Niobe filia fuit Tantali & Taygetæ, uxorque Amphionis. Quæ & orbata viro & filiis, apud urnas eorum in lapidem verſa diriguit. Legito Ovid. in Metamorph. *Quamvis tot funera vidit.* ] Quamvis viderit tot filios mortuos.

32. *Quæ poſuit ſenſum ſaxea facta malis.* ] *Male* Puteaneorum & Moreti exemplar. vere. Triſt. IV. Eleg. VI.

*Menſque mali ſenſum noſtra recentis habet.*

Pont. IV. Eleg. ult.

*—— tantummodo vita relicta eſt,*
*Præbeat ut ſenſum materiamque mali.*

ita libri veteres. *Heinſ.*

33. *Vos quoque felices.* ] Heliades, id eſt, Solis filias, ſorores Phaëthontis dicit: quæ fraterna funera juxta Eridanum deplorantes, converſæ dicuntur in alnos, ut voluit Maro.

35. *Qui non admittor.* ] *Admittar* ſequentia requirunt. atque ita Sarravianus. *Heinſ.* *In ullum lignum.* ] In ullam arborem.

36. *Ille ego, &c.* ] Nequicquam etiam cupio in lapidem mutari, ut Niobe.

37. *Ipſa Meduſa oculis.* ] Phorcus ex Cetho conjuge tres habuit filias eximiæ pulchritudinis, Euryalem, Sthenionem, & Meduſam. Fabulam refert Ovidius lib. 4. Metamorph.

38. *Amittet ſuas vires.* ] Quia non mutabit me in ſaxa.

40. *Sit mea pœna.* ] *Fit* idem Sarravianus aliique nonnulli. & mox *Amittat* pro *Amittet* Politiani excerpta & unus Vaticanus. *Heinſ.*

 41. *Sit*

Digitized by Google

Sic inconſumtum Tityi ſemperque renaſcens
 Non perit, ut poſſit ſæpe perire, jecur.
At puto, cum requies medicinaque publica curæ
 Somnus adeſt, ſolitis nox venit orba malis.
Somnia me terrent veros imitantia caſus:
 Et vigilant ſenſus in mea damna mei.
Aut ego Sarmaticas videor vitare ſagittas:
 Aut dare captivas ad fera vincla manus.
Aut ubi decipior melioris imagine ſomni,
 Aſpicio patriæ tecta relicta meæ.
Et modo vobiſcum, quos ſum veneratus amici,
 Et modo cum carâ conjuge, multa loquor.
Sic, ubi percepta eſt brevis & non vera voluptas,
 Pejor ab admonitu fit ſtatus iſte boni.
Sive dies igitur caput hoc miſerabile cernit,
 Sive pruinoſi Noctis aguntur equi;

Sic

41. *Sic inconſumptum Tityi.* ] Tityi exemplo docet ſuum dolorem ſemper renaſci. Hic amavit Latonam; propter quod Apollinis telis confixus, & hac pœna damnatus apud inferos afficitur, ejus jecur vultur exedit. *Tityi jecur.*] De quo Virgil. 6.

*Nec non & Tityon, terra omniparentis alumnum,*
*Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus*
*Porrigitur, roſtroque immanis vultur adunco*
*Immortale jecur tundens, fœcundaque pœnis*
*Viſcera, rimaturque epulas, habitatque ſub alto*
*Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.*

43. *Medicina publica curæ.*] Somnus enim ſolet eſſe curarum medicina. Unde Iris apud Ovid. lib. 11. Metamorph. ita loquitur: *Somne quies rerum, placidiſſime Somne deorum; Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris Feſſa miniſteriis mulces, reparaſque labori.*

45. *Imitantia veros caſus.*] Cum ſint falſa, videntur tamen vera eſſe.

46. *Et vigilant ſenſus.*] Et mei ſenſus, inquit, vigilant, ſomniando ea quæ mihi damnum afferunt.

48. *Captivas in fera vincla manus.*] *Ad fera vincla* ſcripti maxima ex parte. *Heinſ.*

49. *Imagine ſomni.*] Jucundioribus ſomniis, quibus interdum deludor. *Somni* dixit per Synæreſin pro ſomnii. Ut Virgil. *Nec cura peculi.* Ludunt nos ſomnia in utramque partem. *Pont.*

53. *Sic ubi percepta eſt brevis & non vera voluptas.*] Numeros Naſonianos hic non agnoſco. à Patavino verbum ſubſtantivum aberat. Forte,

*Sic ubi jam percepta brevis nec vera voluptas.*

Mox *ſtatus iſte* non *ille* ſcripti meliores. & poſtea *pruinoſi equi* non *pruinoſa noctis.* etſi in Amoribus dixerit Noſter,

*Longa pruinoſa frigora nocte pati.*

Heinſ.

54. *Ab admonitu.*] Poſt recordationem patriæ, amicorum, & conjugis, quæ tanquam bona mihi erepta eſſe doleo.

55. *Caput hoc.*] Seipſum deſignat.

57. Lin

Sic mea perpetuis liqueſiunt pectora curis,
Ignibus admotis ut nova cera ſolet.
Sæpe precor mortem, mortem quoque deprecor idem;
Ne mea Sarmaticum contegat oſſa ſolum.
Cum ſubit, Auguſti quæ ſit clementia, credo
Mollia naufragiis littora poſſe dari.
Cum video quam ſint mea fata tenacia, frangor;
Speſque levis magno victa timore cadit.
Nec tamen ulterius quidquam ſperove precorve,
Quam male mutato poſſe carere loco.
Aut hoc, aut nihil eſt, pro me tentare modeſtè
Gratia quod ſalvo veſtra pudore queat.
Suſcipe, Romanæ facundia Maxime linguæ,
Difficilis cauſſæ mite patrocinium.
Eſt mala; confiteor: ſed te bona fiet agente.
Lenia pro miſerâ fac modo verba fugâ.
Neſcit enim Cæſar, quamvis Deus omnia norit,
Ultimus hîc qua ſit conditione locus.
Magna tenent illud rerum molimina numen:
Hæc eſt cæleſti pectore cura minor.

Nec

57. *Liqueſiunt pectora curis.* ] Sic Fabricius reſtituit, cum in pleriſque ſcriptis editiſque *liqueſcunt* legeretur. tres noſtri *liquuntur* non male. & tum pro *liquet* verſu proximo, cum plurimis membranis *ſolet* reponatur. *liquantur* Twiſdenianus. in Faſtis *mella liquata* habes. *Heinſ.*

66. *Quam male mutato poſſe carere loco.* ] Videtur ſcribendum *male mutando.* hoc eſt qui mutetur cum alio loco quantumvis malo. hoc eſt, quod poſtea eſt dicturus,

*Nec petite ut bene ſit, ſed uti male tutius.*

ſic lib. II. Eleg. II.

*Sit tua mutando gratia blanda loco.*

Pont. IV. Eleg. XIV. ex antiquis libris,

*Nulla mihi cura eſt, terrâ niſi muter ut iſtâ.*

Vide Gronovium Obſervat. l. III. c. I. ſic Elegia de Nuce, *ſolem mutare* non vitare, quod eſt in multis veterum. Quare fruſtra ſunt, qui hoc loco ſcribendum contendunt,

*Quam male me tuto poſſe carere loco.*

Idem. *Loco male mutato.* ] Loco exilii ubi ſum, mutato cum alio loco malo, ſed tamen minus turbulento.

61. *Salvo pudore.* ] Habita pudoris ratione. Quaſi dicat, de reditu nullum verbum facies, ni forte velis haberi inverecundus.

69. *Suſcipe Romana.* ] In vulgatis codicibus novæ hoc elegiæ exordium eſt. Nos vetuſtiſſimorum exemplarium auctoritatem ſumus ſecuti. *Heinſ.*

75. *Magna molimina.* ] Magna pondera reip. hoc eſt, detinetur Auguſtus majoribus oneribus, adeo ut præ illorum magnitudine non poſſit his locis, & meis malis cognoſcendis vacare. *Illud numen.* ] Auguſtum Cæſarem dicit.



77. *Non*

Nec vacat, in qua ſint poſiti regione Tomitæ,
Quærere, finitimo vix loca nota Getæ.
Aut quid Sauromatæ faciant, quid Iäzyges acres,
Cultaque Oreſteæ Taurica terra Deæ.
Quæque aliæ gentes, ubi frigore conſtitit Iſter,
Dura meant celeri terga per amnis equo.
Maxima pars hominum nec te, pulcherrima, curant,
Roma; nec Auſonii militis arma timent.
Dant animos arcus illis plenæque Pharêtræ;
Quamque libet longis curſibus aptus equus:
Quodque ſitim didicêre diu tolerare famemque;
Quodque ſequens nullas hoſtis habebit aquas.
Ira Dei mitis non me miſiſſet in iſtam,
Si ſatis hæc illi nota fuiſſet, humum.

Nec

77. *Non vacat.* ] *Nec* ſcripti. *Heinſ.*

79. *Iazyges.* ] Qui hodie Tranſylvani.

80. *Taurica.* ]Tauricam Cherroneſum intelligit, ubi Iphigenia Agamemnonis filia, Oreſtis ſoror colebatur: cui & naufragos immolabant, & quoſcunque Græcos illuc delatos.

81. *Quæque aliæ gentes.* ] Ut ſunt Iazyges, Getæ, Baſternæ, Daci, & Alani Tauris contermini: Eſt autem ordo: Et non vacat Auguſto quærere quid aliæ gentes faciant, quæ meant, id eſt, vadunt celeri equo per dura terga amnis, hoc eſt, Iſtri, ubi Iſter conſtitit frigore.

82. *Maxima pars hominum.* ] Scribe *horum* vel *harum* videlicet gentium. l. II. Eleg. I.

*Maxima pars horum vitam veniamque tulerunt.*

Ubi *hominum* in nonnullis etiam libris. proximo verſu Polit. Argent. & duo alii *timent*. recte, ſi *curant* pro *curat* reponas, *Heinſ.* *Maxima pars hominum.* ] Quæ gentes ſupradictæ ſunt ita multæ & bellicoſæ, ut Romanam potentiam non curent. Ex quo periculum ſuum oſtendit eſſe maximum.

86. *Quamlibet & longis curſibus aptus equus.* ] *Quamque libet* priſca exemplaria. quod mutari non debuit. *Heinſ.*

88. *Quodque ſequens.* ]Alia cauſa etiam dat Scythis animos, quod propter aquarum penuriam non timent, ut eos hoſtes inſequantur.

89. *Ira viri mitis non me miſiſſet in iſtam. Si ſatis hæc illi nota fuiſſet humus.* ] Alterutrum redundat aut Tò *iſtam* aut Tò *hæc*. quæ duo niſi barbare non poſſunt conjungi. pro *humus* aliquando reponebam *humum*. in iſtam humum. Nunc parum abeſt quin refingendum cenſeam, *non me miſiſſet in Iſtrum.* infra lib. III. Eleg. IV.

*Nec mea verba legis, qui ſum ſubmotus ad Iſtrum.*

Triſt. lib. II.

*Solus ad egreſſum miſſus ſeptemplicis Iſtri.*

atque ita paſſim. Præter flumen Iſtrum in hoc tractu etiam Ἴϛρ⊙ oppidum. quod *Iſtrus* Latinis. Plinio *Iſtropolis.* Arriani Periplus *ἰϛρίαν* vocat. quo ſpectat nummus argenteus apud me cum inſcriptione ΙΣΤΡΙΗΩΝ. fuit autem Mileſiorum colonia, ut & Tomi. pro *viri mitis* cum ſex ſeptemve noſtris *Dei mitis* reponendum. quod Naugerius in ſuis quoque invenerat. Deum paſſim Auguſtum appellat. *Heinſ.*

92. Vi-

Digitized by Google

Nec me, nec quenquam Romanum gaudet ab hoſte,
Meque minus, vitam cui dedit ipſe, premi.
Noluit, ut poterat, minimo me perdere nutu.
Nil opus eſt ullis in mea fata Getis.
Sed neque, cur morerer, quidquam mihi comperit actum:
Nec minus infeſtus, quam fuit, eſſe poteſt.
Tum quoque nil fecit, niſi quod facere ipſe coëgi,
Pæne etiam merito parcior ira meo.
Dî faciant igitur, quorum mitiſſimus ipſe eſt,
Alma nihil majus Cæſare terra ferat.
Utque diu ſub eo ſit publica ſarcina rerum;
Perque manus hujus tradita gentis eat.
At tu tam placido, quam nos quoque ſenſimus illum,
Judice pro lacrymis ora reſolve meis.
Non petito ut bene ſit, ſed uti male tutius; utque
Exſilium ſævo diſtet ab hoſte meum.

Quam-

92. *Vitam cui dedit ipſe, capi.*] *Premi* Polit. Thuan. & duo alii. ut Triſt. lib. v.

*Terreor hoſte meum pene premente latus.*

Idem.

94. *Ullis Getis.*] Quaſi dicat, Non miſit me Auguſtus Tomon, ut à Scythis interficerer.

97. *Niſi facere quod ipſe coëgi.*] Niſi quod ego illum compuli, ſcribendo carmina & præcepta amatoria.

99. *Quorum.*] Subaudi, deorum. Auguſtus enim vivens divinos meruit honores.

101. *Utque diu ſub eo, ſic ſit ſub Cæſare terra.*] Alii *Roma.* ſed neutrum bene. certe *terra* præcedenti verſu jam occurrebat. Quatuor,

*Utque diu ſub eo ſit publica ſarcina mundi.*

quinque, *ſit publica ſarcina terra.* quod in Erfurtano etiam invenerat Zinzerlingus. unus, *ſit publica ſarcina cura.* Moreti liber pro diverſa lectione *ſit publica ſarcina rerum.* Sarravianus admodum mendoſe *Utque diu ſub eo, ſic ſit publica ſaro terra.* Combianus, *Utque diu ſub eis.* alius *ſub eo eſt.* Locus mirifice turbatus. nam verſu proximo pro *eat* plurimi etiam veteres *eant.* Timide dico, dico tamen, videri reponendum,

*Utque diu ſubſint huic publica pondera rerum.*

videtur enim vox una aut altera excidiſſe. paulo ante pro *juſtiſſimus ipſe eſt.* priſcæ editiones & ſcripti ſatis multi cum Argentoratenſi *mitiſſimus.* quomodo *Deum mitem* paulo ante appellarat. *Heinſ. Utque diu, &c.*] Et ut olim, inquit, terra fuit ſub imperio Cæſaris, ſic etiam in poſterum ſemper ſubjecta ſit.

104. *Ora reſolve.*] Ora aperi, pro me Auguſtum orando.

105. *Non petit ut bene ſit, ſed uti male tutius.*] *Non pete quod* Puteanus. Unus Vaticanus *Non patit.* Lege *Non petito ut bene ſit*, vel *Non petito bene ſit.* Scaliger. *Neve pete ut bene ſit.* etiam non male. *Heinſ. Sed uti male tutius.*] Sed petis ut exulem in loco magis tuto. quod apertius & ſequenti carmine indicat.

108. *Squa-*

Digitized by Google

Quamque dedêre mihi præſentia numina vitam,
Non adimat ſtricto ſquallidus enſe Getes.
Denique, ſi moriar, ſubeant pacatius arvum,
Oſſa nec à Scythicâ noſtra premantur humo.
Nec male compoſitos (ut ſcilicet exſule dignum)
Biſtonii cineres ungula pulſet equi.
Et ne, ſi ſupereſt aliquid poſt funera ſensûs,
Terreat hîc manes Sarmatis umbra meos.
Cæſaris hæc animum poterant audita movere,
Maxime; moviſſent ſi tamen ante tuum.
Vox precor Auguſtas pro me tua molliat aures,
Auxilio trepidis quæ ſolet eſſe reis:
Aſſuetâque tibi doctæ dulcedine linguæ
Æquandi Superis pectora flecte viri.
Non tibi Theromedon, cruduſve rogabitur Atreus;
Quique ſuis homines pabula fecit equis:
Sed piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox:
Quique dolet, quoties cogitur eſſe ferox.
Qui vicit ſemper, victis ut parcere poſſet;

Clau-

108. *Squallidus Getes.* ] Getes immundus, horridus, & impexus.

109. *Subeam pacatius arvum.* ] Malim *ſubeant* cum uno Hafnienſi, ut ad *oſſa* referatur. *Heinſ.* *Subeam arvum.* ] Ubi tumuler.

111. *Male compoſitos.* ] Male ſepultos.

112. *Biſtonii equi.* ] Equi Getarum Thraciam incolentium. Eſt autem *Biſtonium* ſtagnum in Thracia.

113. *Si ſupereſt aliquis ſenſus.* ] Si ſupereſt anima poſt mortem: Animam autem ſempiternam eſſe, primum omnium dixit Pherecydes Syrus, ut eſt auctor Cic. in lib. 1. Tuſc. quæſt. *Aliquis poſt funera ſenſus.* ] *Aliquid ſenſus* cum Argentoratenſi & uno Vaticano. ſic. l. 11. El. 11. *Si quid habet ſenſus umbra diſerta.* Heinſ.

114. *Terreat ut manes.* ] *Et manes* plerique veteres. duo *Terruerit.* totidem *Terreat hic.* quod ſequor. *Idem.*

116. *Moviſſet ſi tamen ante tuum.* ] Si tamen, ô Maxime, ea flexiſſent antea mentem tuam. Horat. *Si vis me flere, dolendum Primum ipſe tibi.*

121. *Non tibi Theromedon.* ] Intellige de Theromedonte illo crudeliſſimo, de quo alibi Ovid. ita inquit: *Theromedonteos ut qui ſenſere leones.* Ille enim ſtabula habuit leonum, quos corporibus humanis alebat. *Cruduſque rogabitur Atreus.* ] Et non rogabis pro me crudelem quendam, ut fuit Atreus. Horat. ad Piſon. *Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus.*

122. *Quique ſuis homines.* ] Diomedem intelligit, qui habuit equorum præſepia, ob equorum feritatem, ærea: ferreis catenis equi viribus prævalidis vinciebantur: cibis alebantur non his quos terra fert, sed hoſpitum diverentium carnibus.

125. *Qui vincit ſemper, victis ut parcere poſſit.* ] *Vicit* & *poſſet* Sarrav. & tres alii. *Heinſ.*

127. *Multa*

Digitized by Google

Clauſit & æternâ civica bella ſerâ.
Multa metu pœnæ, pœnâ qui pauca coërcet;
Et jacit invitâ fulmina rara manu.
Ergo tam placidas orator miſſus ad aures,
Ut propior patriæ ſit fuga noſtra, roga.
Ille ego ſum, qui te colui; quem feſta ſolebat
Inter convivas menſa videre tuos.
Ille ego, qui duxi veſtros Hymenæon ad ignes;
Et cecini fauſto carmina digna toro.
Cujus te ſolitum memini laudare libellos,
Exceptis, domino qui nocuêre ſuo.
Cui tua nonnunquam miranti ſcripta legebas.
Ille ego, de veſtrâ cui data nupta domo.
Hanc probat, & primo dilectam ſemper ab ævo
Eſt inter comites Marcia cenſa ſuas.
Inque ſuis habuit matertera Cæſaris ante:

Qua-

127. *Multa metu pœna.*] Sic Tacit. *Pœna ad paucos, metus ad plures perveniat.*

133. *Duxi veſtros Hymenaeon ad ignes.*] *Dixi* priſcæ editiones cum multis manu exaratis. quod explodit Fabricius. non ego. ſic *canere Hymenaeon.* Met. XII.

*Ecce canunt Hymenaeon, & ignibus atria*
*fumant.*

Statius Genethliaco Lucani,

*Et veſtros Hymenaeon ante poſtes*
*Feſtis cantibus ipſa perſonabo.*

Claudianus libro II. Rapt. Proſerp. de Jove,

*—— nimbis Hymenaeon hiulcis.*
*Intonat.*

ita ſcribendum eſſe illic jam monui. cave enim credas ab Hymenæo tonuiſſe. Terent. Adelph. *Tibicina & Hymenaeum qui cantent.* ubi Donatus, *ſic accipe hymenaeum in nuptiis, quemadmodum* θρῆνον *in funere, vel in ſacris hymnum.* Heinſ. *Hymenaeon.*] Carmen nuptiale. Deum autem nuptiarum poſuit pro ipſo epithalamio. De Hymenæo alibi plura diximus. *Ad ignes veſtros.*] Ad veſtras tædas, quæ nubentibus præferebantur.

140. *Eſt inter comites Martia.*] Martia hæc, non Catonis, ut hic Merula tradit, ſed Maximi uxor fuit, id quod ex primo Taciti apparet, ubi ita legitur: *Quippe rumor inceſſerat, paucos ante menſes Auguſtum electis conſciis, & comite uno Fabio Maximo, Planaſiam vectum, ad viſendum Agrippam, &c.* Quod Maximum uxori Martiæ aperuiſſe, illam Liviæ, C. Nanum id Cæſari, &c. Quod autem eadem filia fuerit Martii Philippi, vitrici Auguſti, ex ſexto Faſtorum patet. *Micyl.*

141. *Matertera Cæſaris.*] Ex Julia C. Cæſaris ſorore, & M. Accio Balbo nata eſt Accia Auguſti mater, quæ poſt mariti Octavii mortem Martio Philippo nupſit, qui ab Anco Martio genus traxit. Et ex eodem Philippo, & Acciæ ſorore, ac matertera Auguſti defuncta, antequam Acciam duceret Philippus, Martiam natam volunt, dicente Ovidio in Faſt. Credendum eſt ergo Ovidium hic ſignificare ſuam uxorem tertiam de domo Fabiorum, puellam admodum, primo ſororem Actiæ, & Auguſti materteram, & Martiæ matrem coluiſſe, deinde ejus filiam Martiam.

143. *Ipſa*

Digitized by Google

Quarum judicio ſiqua probata, proba eſt.
Ipſa ſuâ melior famâ, laudantibus iſtis,
Claudia divinâ non eguiſſet ope.
Nos quoque præteritos ſine labe peregimus annos.
Proxima pars vitæ tranſilienda meæ.
Sed de me ut ſileam, conjux mea ſarcina veſtra eſt.
Non potes hanc ſalvâ diſſimulare fide.
Confugit hæc ad vos: veſtras amplectitur aras.
[Jure venit cultos ad ſibi quiſque Deos.]
Flensque rogat, precibus lenito Cæſare veſtris,
Buſta ſui fiant ut propiora viri.

143. *Ipſe ſua melior fama.* ] Ipſa, inquit, Claudia melior quam erat ejus fama (parum enim caſta ferebatur) non eguiſſe divino auxilio, ſi eam Martia & Cæſaris matertera laudaſſent. quaſi dicat, uxor mea pudiciſſima eſt, quandoquidem utitur conſuetudine talium matronarum. Hiſtoriam refert Livius de bello Punico libro nono, Valerius Maximus lib. 5. Lactant. lib. 2. cap. 8.

144. *Divina ope.* ] Auxilio Cybeles, ut ſuſpicionem violatæ caſtitatis poneret.

146. *Eſt tranſilienda.* ] Eſt ſilentio prætereunda: quia paulo ante notatus fui infamia, & relegatus propter præcepta amatoria.

147. *Eſt veſtra ſarcina.* ] Erat enim ex Maximorum familia.

149. *Veſtras aras.* ] Veſtra auxilia, vel precando tanquam ſuos deos.

110. *Jure venit cultos.* ] Verſus, niſi fallor, ſpurius, & quem pro Ovidiano vix admiſerim. *Heinſ.*

## EPISTOLA III.

## RUFINO.

### ARGUMENTUM.

Hanc tibi Naſo tuus. ] *Ex Rufini literis magnam ſe cepiſſe voluptatem & ſpem fatetur Poëta: nec tamen eas quamvis eloquentes, tantam vim habuiſſe docet, ut dolorem potuerint amovere. Cauſam deinde aſſignat. Tum refellit eorum exempla, quos ipſe dixerat forti animo tuliſſe exilium, ea ratione quod illi tam longe à patria non exulaſſent. Fatetur tamen poſtremo, ſi poſſet ejus animus leniri, ipſius præcepta & literas elegantiſſimas id facturas fuiſſe: quas loco magni muneris ſe accepiſſe dicit.*

HAnc tibi Naſo tuus mittit, Rufine, ſalutem;
Qui miſer eſt, ulli ſi ſuus eſſe poteſt.
Reddita confuſæ nuper ſolatia menti
Auxilium noſtris ſpemque tulêre malis.

Ut-

ABeſt tota hæc epiſtola à Sarraviano codice, Argentoratenſis poſt proximam epiſtolam collocabat. *Heinſ.*

10. Ut

Digitized by Google

Utque Machäoniis Pæantius artibus heros
 Lenito medicam vulnere ſenſit opem:
Sic ego mente jacens, & acerbo ſaucius ictu,
 Admonitu cœpi fortior eſſe tuo.
Et jam deficiens ſic ad tua verba revixi,
 Ut ſolet infuſo vena redire mero.
Non tamen exhibuit tantas facundia vires,
 Ut mea ſint dictis pectora ſana tuis.
Ut multum noſtræ demas de gurgite curæ;
 Non minus exhauſto, quod ſuperabit, erit.
Tempore ducetur longo fortaſſe cicatrix.
 Horrent admotas vulnera cruda manus.
Non eſt in medico ſemper, relevetur ut æger.
 Interdum docta plus valet arte malum.
Cernis, ut è molli ſanguis pulmone remiſſus
 Ad Stygias certo limite ducat aquas.
Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas;
 Sanabat nullâ vulnera cordis ope.
Tollere nodoſam neſcit medicina podagram,
 Nec formidatis auxiliatur aquis.
Cura quoque interdum nullâ medicabilis arte;
 Aut, ut ſit, longâ eſt extenuanda morâ.
Cum bene firmarunt animum præcepta jacentem,

Sum-

10. *Ut ſolet infuſo vena redire mero.*] *Affuſo* Twiſdenius. quod præſtat. vide quæ notamus ad Artis librum 1. vſ. 650. in Epicedio Druſi,

*Aridaque affuſa guttura tinxit aqua.*

alludunt huc & duo alii codices, in quibus *effuſo mero.* pro *vena* nonnulli *flamma*, vel *vita*. Forte *Veſta.* pro igni. Silius libro VI.

*Procedit renovata focis & paupere Veſta Lumina prætendens* Idem.

12. *Sint ſana.*] Sint ſine dolore.

13. *Ut multum demas noſtro de pectore cura.*] Argent. & quinque alii *noſtra de gurgite cura.* eleganter & vere, & ſi quid video. ſic *gurges vitiorum* Ciceroni. *Heinſius.*

16. *Vulnera cruda.*] Vulnera recentia. Hoc dicit, recens dolor nullas admittit conſolationes.

19. *E molli pulmone.*] *Mollem* probe vocat. Vulnerato enim pulmone homo perimitur. nam ſpongioſus eſt, ideoque ſpiritus capax. *Sanguis.*] Sanguis ejectus illato vulnere. *Certo limite.*] Vita non ambigua, quia moritur. Ex quo docet cauſam ſuam eſſe perditam, & deploratam.

21. *Epidaurius.*] Æſculapius qui in Epidauro civitate colebatur.

26. *Aut ſi ſit.*] *Aut ut ſit* plerique veteres & *extenuanda* pro *attenuanda.*

27. *Præcepta.*] Rationes quibus uſus es in literis tuis.

28. *Pe-*

Sumtaque ſunt nobis pectoris arma tui;
Rurſus amor patriæ ratione valentior omni,
Quo tua texuerunt ſcripta, retexit opus.
Sive pium vis hoc, ſive hoc muliebre vocari;
Confiteor miſero molle cor eſſe mihi.
Non dubia eſt Ithaci prudentia: ſed tamen optat
Fumum de patriis poſſe videre focis.
Neſcio qua natale ſolum dulcedine captos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.
Quid melius Româ? Scythico quid littore pejus?
Huc tamen ex illâ barbarus urbe fugit.
Cum bene ſit clauſæ caveâ Pandione natæ;
Nititur in ſilvas illa redire ſuas.

Aſſue-

28. *Pectoris arma.*] Conſilia è pectore tuo profecta, quibus me obarmo, contra mœrorum morſus. *Pont.*

30. *Quod tua fecerunt ſcripta retexit opus.*] *Texerunt* Patav. & unus Hafnienſis. Scribe *texuerunt*. & vide quæ noto initio Remedii Amoris. *Heinſ.* *Quod tua, &c.*] Quod tu ad me ſcripſiſti. *Retexit.*] Deſtruit. Vel revocat me ad mœrorem, unde me epiſtola tua avocarat: vel, obliterat monita tua. *Pont. Mer.*

31. *Sive pium vis hoc, ſeu vis muliebre vocari.*] *Sive hoc muliebre* plerique. nonnulli etiam, *Sive pium jus hoc.* Heinſ.

33. *Fumum de patriis focis.*] Homer. Odyſſ. α. vſ. 57. —— αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς —— ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι —— Ἧς γαίης, θανέειν ἱμείρεται.

*Ille ſolum patria mavult, regna aſpera ſaxis,*
*Quàm promittentis munera ſumma deæ.*

36. *Dulcedine cunctos Ducit.*] Rectius duo Vaticani *dulcedine captos*. Met. lib. 1.

*Arte nova vocisque Deum dulcedine captum.*

Met. XI.

*—— quarum dulcedine captus*
*Pana jubet Tmolus citharæ ſubmittere cannas.*

Juvenalis de Statio,

*—— tanta dulcedine captos*
*Allicit ille animos.*

Heinſ.

37. *Quid melius Roma.*] Exemplis probat, omnes patriam cæteris locis anteferre ſolitos eſſe. *Huc.*] In Scythiam. *Mer.* *Scythico quid frigore pejus.*] Nomine frigoris, omnia illius barbaræ regionis incommoda complectitur. *Pont.* *Scythico quid frigore pejus.*] *Littore pejus* codex Scaligeri. & duo alii. rectius etiam hoc. *Heinſ.*

39. *Cum bene ſunt clauſa caveâ Pandione nata.*] *Sit* plerique veteres. *ſit* Argentinus, Farneſianus: & unus Vaticanus. optime nec hanc Micylli conjecturam Fabricius improbare debuit. duo ex noſtris cum Aldina editione, *cum bene ſit clauſa Pandione nata.* verum proxime. *Idem.* *Pandione nata.*] In Aldina editione legitur, *Cum bene ſit clauſa cavea Pandione nata, &c.* Videlicet ut de ſola Philomela intelligatur. hæc enim in ſylvis nidificare ſolet. Sed quid ſi legas, *Cum bene ſit clauſa cavea Pandione nata:* ut ſit ſenſus: Quantumvis bene eſt luſciniæ cavea incluſæ, nititur tamen exire in ſylvas ſuas: *Bene eſſe*, pro bene ac commode vivere, poſito. *Micyl.*

40. *Nititur in ſilvas quaque redit ſuas.*] *Illa redire* Argent. & decem alii probb.

Digitized by Google

Aſſuetos tauri ſaltus, aſſueta leones
(Nec feritas illos impedit) antra petunt.
Tu tamen exſilii morſus è pectore noſtro
Fomentis ſperas cedere poſſe tuis.
Effice, vos ipſi ne tam mihi ſitis amandi,
Talibus ut levius ſit caruiſſe malum.
At, puto, qua fueram genitus, tellure carenti,
In tamen humano contigit eſſe loco.
Orbis in extremi jaceo deſertus arenis:
Fert ubi perpetuas obruta terra nives.
Non ager hîc pomum, non dulces educat uvas:
Non ſalices ripâ, robora monte virent.
Neve fretum terrâ laudes magis; æquora ſemper
Ventorum rabie, ſolibus orba, tument.
Quocunque aſpicias, campi cultore carentes,
Vaſtaque, quæ nemo vindicet, arva jacent.
Hoſtis adeſt dextrâ lævaque à parte timendus;
Vicinoque metu terret utrumque latus.
Altera Biſtonias pars eſt ſenſura fariſſas,
Altera Sarmaticâ ſpicula miſſa manu.
I nunc, & veterum nobis exempla virorum,
Qui forti caſum mente tulêre, refer.
Et grave magnanimi robur mirare Rutilî,
Non uſi reditûs conditione dati.

Smyr-

probe. niſi pro *quaque* mavis reponi *uſque*. Heinſ.

43. *Exilii morſus.* ] *Quoniam hacte cura remordet. A pectore noſtro.* ] *E pectore* cum melioribus. pro *cedere* verſu proximo unus Vaticanus *vellere*, pro *pellere*. & tum *Te* pro *Tu* ſit ſcribendum. *Heinſ.*

44. *Cedere.* ] Amoveri. *Fomentis tuis.* ] Remediis tuis & conſolationibus.

49. *Extremi orbis.* ] Extremi ſeptentrionis & terrarum. *In arenis.* ] In Getico littore.

51. *Non dulces educat uvas.* ] *Herbas* Argent. & multi alii. *Heinſ.*

61. *Veterum nobis exempla virorum.* ] Scribe *veterum rerum*, vel invitis membranis, & Notas adi ad Faſt. l. v. vſ. 621. *Heinſ.*

63. *Et grave magnanimi.* ] *I grave* malim appoſita repetitione, ſi quid video. *Idem. Magnanimi Rutili.* ] P. Rutilius doctus & philoſophiæ deditus vir fuit, ſummæ innocentiæ: Is quæſtor Aſiam injuriis publicanorum liberavit: ſed invidia equeſtris ordinis, qui tunc judicia exercebat, repetundarum damnatus, in exilium miſſus eſt. quum poſtea ei ob Syllanam victoriam in patriam redire liceret, maluit in exilio eſſe, quam aliquid contra leges feciſſe videri.

 65. *Vi-*

Digitized by Google

Smyrna virum tenuit, non Pontus & hoſtica tellus;
Pæne minus nullo Smyrna petenda loco.
Non doluit patriâ Cynicus procul eſſe Sinopeus:
Legit enim ſedes, Attica terra, tuas.
Arma Neoclides qui Perſica contudit armis;
Argolicâ primam ſenſit in urbe fugam.
Pulſus Ariſtides patriâ Lacedæmona fugit:
Inter quas dubium, quæ prior eſſet, erat.
Cæde puer factâ Patroclus Opunta reliquit,
Theſſalicamque adiit hoſpes Achillis humum.
Exul ab Hæmonia Pirenida ceſſit ad undam,
Quo duce trabs Colchas ſacra cucurrit aquas.
Liquit Agenorides Sidonia mœnia Cadmus,

Pone-

65. *Virum.*] Rutilium.

65. *Smyrna.*] Smyrna urbs fuit Ioniæ ab Amazone Smyrna appellata, quæ Epheſum tenuit. ea urbs eſt una ex iis, quæ ſibi Homeri natales vendicarunt. *Nullo loco.*] Nulla alia urbe. Smyrna, inquit, cum ſit urbs præclariſſima, minorem afferret dolorem in ea exulanti, quam aliæ urbes. quaſi dicat, ſi quis exul locum gratum quærit, eam urbem præ cæteris eligat.

67. *Non doluit, &c.*] Diogenem intelligit, qui Sinopeus fuit Iceſii menſarii filius: quem fuiſſe ajunt, cum ejus pater publice menſam haberet, ac falſo pecuniam ſignaret. Inde Athenas veniens, Antiſthenem ſecutus eſt.

69. *Arma Neoclides.*] Themiſtocles Athenienſis Neoclis filius fuit, qui univerſæ Græciæ magnæ ſaluti fuit bello Perſico. De Themiſtocle plura legito apud Herodotum, Thucydidem, Juſtinum, ac Æmilium Probum.

70. *Primam fugam.*] Hoc dicit, quia ſæpius fugit: ſed primo Argos pervenit, ut dictum eſt.

71. *Pulſus Ariſtides patria.*] Ariſtides Lyſimachi filius Athenienſis, æqualis fere Themiſtocli, itaque cum eo de principatu contendit.

72. *Quæ prior eſſet.*] Quæ eſſet clarior, patriane, an ſedes ubi exulabant.

73. *Cæde puer, &c.*] Patroclus Menœtii filius, & Actoris nepos, cum in Opunte oppido Locridis luderet aſtragalis, cum Aphidamantis filio Cliſonymo, (vel ut alii volunt Eane) iratus ob ſurreptos aſtragalos eum interemit, & in Theſſaliam confugit ad Peleum. *Opunta reliquit.*] Ex Opuntia urbe Locridis natum eſſe Patroclum, teſtatur etiam Homerus.

74. *Theſſalicam humum.*] Urbem Theſſaliæ Phthiam, patriam Achillis.

75. *Exul ab Æmonia.*] Mos fuit apud antiquos, ut reus homicidii exularet. In regum tamen legibus lectum eſt noxies homicidii arietis damno pœnam luere. *Ad undam Pirenida.*] Ad Corinthium urbem. De Corintho legito Strab. l. 8.

76. *Quo duce trabs Colcha ſacra cucurrit aqua.*] Opinor Naſonem ſcripſiſſe *Colchas aquas.* ut jam monui Triſt. lib. v. Eleg. VII. nam unus Medic. & prima editio,

*Quo duce Colchiacas Argo cucurrit aquas.* Heinſ.

*Quo duce.*] Jaſone. *Trabs ſacra.*] Argo navis Palladi ſacrata. *Colcha aqua.*] Per aquam Colchidis regionis. Intelligit autem mare Ponticum, quod Colchos alluit.

77. *Liquit Agenorides.*] Agenor rex Phœniciæ juſſit Cadmum quærere ſo-

ſorem

Poneret ut muros in meliore loco.
Venit ad Adraſtum Tydeus Calydone fugatus;
Et Teucrum Veneri grata recepit humus.
Quid referam veteres Romanæ gentis, apud quos
Exſulibus tellus ultima Tybur erat?
Perſequar ut cunctos; nulli datus omnibus ævis
Tam procul à patriâ eſt, horridiorve locus.
Quo magis ignoſcat ſapientia veſtra dolenti,
Qui facit ex dictis non ita multa tuis.
Nec tamen inficior, ſi poſſint noſtra coïre
Vulnera; præceptis poſſe coïre tuis.
Sed vereor, ne me fruſtra ſervare labores;
Neu juver admotâ perditus æger ope.
Nec loquor hæc, quia ſit major prudentia nobis;
Sed ſim quam medico notior ipſe mihi.

Ut

rorem Europam, lege impia, ut non reverteretur, niſi ea inventa: qua diu fruſtra quæſita, exul Cadmum in Bœotiam venit, ubi Thebas ædificaſſe dicitur; ut in Met. docet Ovidius. *Sidonia mœnia.*] Urbem Phœniciæ Sidona, à piſcium ubertate ſic dictam: nam piſcem Phœnices *Sidon* vocant.

78. *Ut poneret muros.*] Ut urbem Thebanam conderet. *In meliore loco.*] In ipſa Bœotia.

79. *Venit ad Adraſtum Tydeus.*] Tydeus Oenei, cum in Calydone Alcathoum Lycotheumque nepotes occidiſſet, ex Ætolia Argos aufugit: cui Adraſtus benigne ſuſcepto, quodam reſponſo motus filiam Deiphylen uxorem dedit. *Calydone.*]Ex Calydone urbe Ætoliæ. *Venit ad Adraſtum.*] Eurip. fab. 8.

80. *Et Teucrum.*] Poſt finem belli Trojani Teucer morte Ajacis fratris inviſus patri Telamoni cum non reciperetur in regnum, Cyprum conceſſit, atque ibi urbem nomine antiquo patriæ Salamina condidit. *Humus grata Veneri.*] Cyprus inſula in qua Venus colebatur. *Teucrum.*] Eurip. Fab. 16. Quod nos conati ſumus Latine reddere.

*Telamone cretus Teucer à Troja redit,*
*Troja cremata. Patrio pulſus ſole,*
*A cæde fratris Pharia viſit littora.*

82. *Tybur erat.*] Nondum enim Romani propagaverant imperii fines.

83. *Nulli datus omnibus ævis.*] Rottendorphianus, *omnibus ex his.* quod placet. *omnibus illis* Arondelianus. *Heinſ.*

86. *Qua facit ex dictis non ita multa tuis.*] *Qua facis* unus Vatic. at Argentinus *Qui facit.* quomodo Tanaquillus Faber in Epiſtolis conjicit. Ego olim legebam, *Si facio.* Idem. *Qua non facit ita multa.*] Quæ tua ſapientia conſequitur ita multa, ut velles: non enim ea poteſt dolorem tollere. *Ex tuis dictis.*] Ex rationibus adductis.

87. *Si poſſent.*] *Poſſint* meliores. *Heinſ.*

89. *Ne me fruſtra ſanare labores.*] *Servare* ſcripti. & paulo ante pro *præceptis poſſe coire tuis*, unus Hafnienſis *fomentis*, quomodo paulo ante vſ. 44. *Idem.*

90. *Nec juvet admota.*] Alias *Juver* legitur, ut ſit ſenſus: Nec æger ipſe perditus ſive deſperatus, juvet ope & cura tua admota. quæ lectio melior ac Planior eſt. *Micyl.*

92. *Sed ſum.*] *Sim* priſcæ editiones. *H.*



93. *Tuo*

Digitized by Google

Ut tamen hoc ita ſit, munus tua grande voluntas
  Ad me pervenit, conſuliturque boni.

93. *Tua voluntas.* ] Tuus erga me animus & amor. *Grande munus.* ] Loco magni muneris.

94. *Ad me pervenit, conſuluique boni.* ] *Conſuluitque boni* plerique veteres. Argent. & alii nonnulli *conſiliumque dedit.* duo *conſiliumque boni.* præterea verſu præcedenti quidam, *Ut tamen hæc* [...] *ſint:* non *hoc ita ſit.* Scribe,

*Ut tamen hæc ita ſint, munus tua gra*[...]
*voluntas*
*Ad me pervenit, conſuliturque* [...]
[...]*ni.*

Heinſ.

## EPISTOLA IV.

## UXORI.

### ARGUMENTUM.

Jam mihi deterior. ] *Ad uxorem ſcribens Poëta, canum ſe & languid*[...] *factum eſſe deſignat. hujuſque rei cauſas duas eſſe colligit: ſenectutem* [...]*licet, & dolorem, quo aſſidue conficitur. Deinde facta collatione Jaſ.* [...]*peditionis qui in ea loca pervenit, & ſui exilii: docet ſuum malum ma*[...] *fuiſſe illius opere & peregrinatione. Poſtremo optat ut poſſit in patri*[...] *redire, fruique dulciſſima conjugis amplexu & colloquio, Cæſaribuſ*[...] *ſacrificare.*

JAm mihi deterior canis aſpergitur ætas;
  Jamque meos vultus ruga ſenilis arat:
Jam vigor, & quaſſo languent in corpore vires;
  Nec, juveni luſus qui placuêre, placent.
Nec ſi me ſubito videas, agnoſcere poſſis:
  Ætatis facta eſt tanta ruina meæ.
Confiteor facere hæc annos: ſed & altera cauſſa eſt,
  Anxietas animi, continuuſque labor.
Nam mea per longos ſi quis mala digerat annos,
  (Crede mihi,) Pylio Neſtore major ero. 13
Cernis ut in duris (& quid bove firmius?) arvis

For-

4. NEc juveni luſus qui placuere, juvant. ] *Qui placuere placent* concinnius Thuaneus unus. *Heinſ. Nec luſus.* ] Ἐπιλυλήσμεθ' ἡδέων. Eurip. in Bacch. *Nihil pol jam iſtæc res mihi voluptatis ferunt: Satietas tenet ſtudiorum iſtorum.* Ter. Hecyr.

6. *Ætatis facta eſt.* ] Malim *Ætati.* Heinſ.

8. *Continuuſque labor.* ] Et aſſiduus ac quotidianus corporis cruciatus, ſollicitudines, angores.

10. *Pylio Neſtore.* ] Neſtor ex Pylo urbe Laconiæ. Neſtor autem à poëtis tertiam hominum ætatem vixiſſe fertur, id eſt, tercentum annos. Ir[...]nius tamen in 7. ſcribit eum perveniſſe ad 99. annum. Triginta videlicet annis, pro una ætate computatis.

13. Vano

Fortia taurorum corpora frangat opus.
Quæ nunquam vacuo ſolita eſt ceſſare novali,
Fructibus aſſiduis laſſa ſeneſcit humus.
Occidet, ad Circi ſi quis certamina ſemper,
Non intermiſſis curſibus ibit equus.
Firma ſit illa licet, ſolvetur in æquore navis,
Quæ nunquam liquidis ſicca carebit aquis.
Me quoque debilitat ſeries immenſa malorum,
Ante meum tempus cogit & eſſe ſenem.
Otia corpus alunt; animus quoque paſcitur illis.
Immodicus contra carpit utrumque labor.
Aſpice, in has partes quod venerit Æſone natus,
Quam laudem à ſera poſteritate ferat.
At labor illius noſtro leviorque minorque:
Si modo non verum nomina magna premunt.
Ille eſt in Pontum Peliâ mittente profectus,
Qui vix Theſſaliæ fine timendus erat.
Cæſaris ira mihi nocuit; quem Solis ab ortu
Solis ad occaſus utraque terra tremit.
[Junctior Hæmonia eſt Ponto, quam Roma ſit Iſtro:
Et brevius, quam nos, ille peregit iter.]

Ille

13. *Vacuo novali.*] Agro ſine ſemine.

14. *Fructibus aſſiduis.*] Et hic *Frugibus* cum Twiſdenio & altero Thuaneo. Vide Notas Faſt. lib. 1. vſ. 677. *Heinſ.*

15. *Ad certamina Circi.*] Ad pugnam ludorum Circenſium in quibus aliquando & pueri nobiles equis ludicrum Trojæ inire ſolebant, auctore Cor. Tacito. *Mer. Certamina.*] In genere de omnibus equeſtribus certaminibus, quæ in Circo fieri ſolebant, intelligendum. *Micyl.*

18. *Quæ nunquam liquidis.*] Eſt autem ordo verborum: navis illa, quantumvis firma, ſolvetur in æquore, quæ nunquam carebit aquis, ſicca ipſa, ſive in ſicca exiſtens. *Micyl.*

19. *Series immenſa laborum.*] Malorum Sarrav. Argent. Scaligeri, & duo alii. in Triſtibus,

*Si tanti ſeries ſit tibi nota mali.* Heinſ.

21. *Otia.*] Quietem & tranquillitatem mentis intellige: Vel quies conſervat corporis valetudinem.

23. *Quia venerit.*] *Quod venerit* meliores. proximo verſu Tò *à* Sarrav. Polit. aliique omittunt. *Heinſ.*

26. *Si modo non.*] Si modo, inquit, geſta alicujus clari viri non præponantur factis hominis vilis & abjecti. quaſi dicat, ſi modo non voluerit aliquis labores Jaſonis meis præponere: propterea quod majoris eſt auctoritatis, quam ego.

30. *Utraque terra.*] Terra & orienti & occaſui ſubjacens.

31. *Junctior.*] Diſtichon neſcio an genuinæ notæ. *Heinſ. Æmonia.*] Theſſalia, unde ſolvit Jaſon. *Ponto.*] Colchidi, quæ Ponto adjacet. *Quam Roma.*] Quam urbs, unde ad Tomitanam civitatem Iſtro propinquam perveni.



Digitized by Google

Ille habuit comites primos telluris Achivæ:
  At noſtram cuncti deſtituêre fugam.
Nos fragili vaſtum ligno ſulcavimus æquor:
  Quæ tulit Æſoniden, firma carina fuit.
Nec Tiphys mihi rector erat: nec Agenore natus
  Quas ſequerer docuit quas fugeremque vias.
Illum tutata eſt cum Pallade regia Juno:
  Defendêre meum numina nulla caput.
Illum furtivæ juvêre Cupidinis artes;
  Quas à me vellem non didiciſſet Amor.
Ille domum rediit: non his moriemur in arvis,
  Perſtiterit læſi ſi gravis ira Dei.
Durius eſt igitur noſtrum, fidiſſima conjux,
  Illo, quod ſubiit Æſone natus, onus.
Te quoque, quam juvenem diſcedens Urbe reliqui,
  Credibile eſt noſtris inſenuiſſe malis.
O ego Dî faciant, talem te cernere poſſim,
  Charaque mutatis oſcula ferre genis;
Amplectique meis corpus non pingue lacertis;
  Et, Gracile hoc fecit, dicere, cura mei:
Et narrare meos flenti flens ipſe labores;
  Sperato nunquam colloquioque frui:

Thu-

33. *Primos.* ] Primarios homines: Caſtorem ſcilicet, & Pollucem, Herculem, alios, quos Valer. Flac. enumerat in 1. l.

34. *Deſeruere fugam.* ] *Deſtituere* vetuſtiores. *Heinſ.*

37. *Nec Amyntore natus Quas fugerem docuit.* ] *Agenore* Sarrav. Argent. Scaliger. & multi alii. ut de Phineo intelligatur. recte. quod Naugerius & Micyllus jam viderunt. hinc apud Val. Flaccum libro IV.

—— *magno prognatus Agenore Phineus.* Heinſ. *Nec Agenore.* ] Intelligit Phineum Poëta, qui Jaſoni viam, quam ſequeretur, indicavit, & quo pacto petras Cyaneas tranſiret, oſtendit. Vocat autem Phineum Agenoridem etiam Apollonius, ut cum ait.

*Ἔνθά δ' ἐπάκτιον οἶκον Ἀγηνορίδης ἔχε Φινεύς.* Micyl.

41. *Illum furtivæ.* ] Iaſ. inquit, habuit Medeam, quæ ejus amore capta, illi ad rapiendum aureum vellus opera, arte, & conſilio profuit.

42. *Non didiciſſet amans.* ] *Amor* Sarrav. Argent. & tres alii. *Amoris præceptorem* ſe paſſim Noſter appellat. *Heinſ.*

50. *Oſcula ferre comis.* ] *Genis* præſtat cum uno Hafnienſi & tribus Vaticanis. ſuperiori verſu pro *talem te* quidam *u talem.* Cenſeo ſcribendum,

*O ego, Dî faciant, vel talem cernere poſſim.* Idem.

54. *Sperato nunquam.* ] Malim *ſperando.* vel *ſperato nuſquam.* Idem.

55. Ca-

Digitized by Google

Thuraque Cæſaribus cum conjuge Cæſare dignâ,
Dîs veris, memori debita ferre manu!
Memnonis hanc utinam lenito Principe mater
Quam primum roſeo provocet ore diem!

55. *Cæſaribus cum conjuge.*] Per Cæſares, Auguſtum & ejus filios: per conjugem vero, Liviam Auguſti uxorem intellige.

57. *Mater Memnonis.*] Aurora Tithoni uxor, materque Memnonis. *Lenito Cæſare.*] *Principe* ſcripti. proximo verſu pro *provocet* duo veteres *provehat*. Forte. *provehat axe.* ut in Amoribus.

*Flava pruinoſum qua vehit axe diem.* Heinſ.

# EPISTOLA V.

## MAXIMO.

### ARGUMENTUM.

Ille tuos quondam.] *Ad Maximum ſcribens Poëta, illum admonet, ne miretur, ſi carmen minus elegans & incultum offenderit: ſiquidem tot malis & ſitu ingenium oppreſſum, non poſſit eo calore inſurgere, quo prius. Deinde docet, cur, quamvis ſibi carmina nocuerint, tamen adhuc ſcribat. Poſtremo conſilium exponit, cur non conetur facere optimum carmen, & illud polire.*

ILle tuos quondam non ultimus inter amicos,
Ut ſua verba legas, Maxime, Naſo rogat.
In quibus ingenium deſiſte requirere noſtrum,
Neſcius exſilii ne videare mei.
Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus:
Ut capiant vitium, nî moveantur, aquæ.
Et mihi, ſi quis erat, ducendi carminis uſus
Deficit; eſtque minor factus inerte ſitu.
Hæc quoque, quæ legitis, (ſi quid mihi, Maxime, credis,)
Scribimus invitâ vixque coacta manu.
Non libet in tales animum contendere curas;

Nec

2. [UT *ſua verba.*] Quamvis exulis & habentis Cæſarem iratum. *P.*

7. *Sic mihi.*] Veteres *Et mihi.* Heinſ.

10. *Scribimus invita vixque movente manu.*] *Vixque coacta* meliores omnes cum primis editionibus. Gottorphianus *rogata.* unus Voſſianus *notata.* Puto,

*Scribimus invitâ, vix properata manu.*

I, *perarata.* Idem.

11. *Animum contendere.*] *Divertere* Petri Servii codex. Forte *animo deverte-re.* de quo Met. VIII. nil tamen temere mutandum. *Idem.* *Animum contendere.*] Libet quidem applicare animum ad tales curas: ſed non eundem contendere, id eſt, in talibus curis accurate & cum diligentia verſari. Cic. dixit *animo contendere.* Pont.



Digitized by Google

Nec venit ad duros Muſa vocata Getas.
Ut tamen ipſe vides, luctor deducere verſum.
Sed non fit fato mollior ille meo.
Cum relego, ſcripſiſſe pudet: quia plurima cerno,
Me quoque, qui feci, judice digna lini.
Nec tamen emendo: labor hic quam ſcribere major,
Menſque pati durum ſuſtinet ægra nihil.
Scilicet incipiam limâ mordacius uti,
Et ſub judicium ſingula verba vocem?
Torquet enim Fortuna parum, niſi Nilus in Hebrum
Confluat? & frondes Alpibus addat Athos?
Parcendum eſt animo miſerabile vulnus habenti.
Subducant oneri colla peruſta boves.
At, puto, fructus adeſt juſtiſſima cauſſa laborum:
Et ſata cum multo fœnore reddit ager.
Tempus ad hoc nobis (repetas licet omnia) nullum

Pro-

12. *Nec venit in duros.*] *Ad duros* in vetuſtioribus. *Heinſ.*

14. *Mollior ipſe.*] *Ille* meliores. *Idem.* *Meo fato.*] Mea infelicitate: quaſi dicat, verſum facio fortunæ meæ haud diſſimilem. [hoc eſt, durum; nam res meæ duræ ſunt.]

16. *Digna lini.*] Digna deleri.

19. *Scilicet incipiam.*] Debeo, inquit, mordacius uti lima in corrigendo carmine, & laborare circa unumquodque verbum.

20. *Ut ſub judicium.*] *Et* vetuſt. *Heinſ.*

21. *Niſi Lycus in Hebrum Confluat.*] Prior in *Lycus* ſyllaba paſſim corripitur. etiam apud Noſtrum Pont, IV. Eleg. X. Combianus pro diverſa lectione *Lixus.* In Patavino *Nilus.* quod amplector. ſimilia habes Amor. lib. II. Eleg. XVII.

*Sed neque diverſi ripa labuntur eadem*
*Frigidus Eurotas populiferve Padus.*

quæ adagii vicem obtinent. Propert. l. I. El. XII.

*Tam multa illa meo diviſa eſt millia lecto,*
*Quanta Hypanis Veneto diſſidet Eridano.*

ſic ſcribe. non *Quantum.* Idem. *Niſi Lycus in Hebrum Confluat.*] Niſi aquam aquæ, hoc eſt, curam curæ addas. Eſt autem Lycus flumen ingens, quod in Mæandrum influit, à quo Laodicea Lyco proxima nominatur. Mons urbi imminet nomine Cadmus, ex quo Lycus fluit.

22. *Et frondes Alpibus addat Athos.*] Et frondes etiam addant nemora nemoribus.

23. *Parcendum eſt animo.*] Ignoſcendum eſt menti meæ afflictæ, ſi non facio optima carmina.

24. *Subducunt oneri.*] Scribe *ſubducant* vel contra libros. *Heinſ.* *Colla peruſta.*] Colla labore conſumpta; & ita attrita, ut peruſta videantur.

25. *Juſtiſſima cauſa laborum.*] *Laboris* quidam. Lege,

*At puto fructus adeſt juſtiſſima cauſa laboris.* Heinſ.

26. *Et ſata cum multo fœnore.*] Sicut ager fertilis, ſi eum colas, ſemen creditum multiplicatum reddit; ita ingenium bonum, ſi cura, meditatio, ſtudium acceſſerint, longe evadet foecundius. *Pint.*

27. *Tempus ad hoc nobis (repetas licet omnia) nullum.*] Scribendum, quicquid

libri

Digitized by Google

Profuit (atque utinam non nocuiſſet!) opus.
Cur igitur ſcribam miraris? miror & ipſe:
Et mecum quæro ſæpe, quid inde feram.
An populus verè ſanos negat eſſe poëtas;
Sumque fides hujus maxima vocis ego?
Qui, ſterili toties cum ſim deceptus ab arvo,
Damnosâ perſto condere ſemen humo.
Scilicet eſt cupidus ſtudiorum quiſque ſuorum;
Tempus & aſſuetâ ponere in arte juvat.
Saucius ejurat pugnam gladiator, & idem
Immemor antiqui vulneris arma capit.
Nil ſibi cum pelagi dicit fore naufragus undis;
Et ducit remos, qua modo navit aquâ.
Sic ego conſtanter ſtudium non utile carpo;
Et repeto, nollem quas coluiſſe, Deas.
Quid potius faciam? non ſum qui ſegnia ducam
Otia. mors nobis tempus habetur iners.
Nec juvat in lucem nimio marceſcere vino:
Nec tenet incertas alea blanda manus.
Cum dedimus ſomno, quas corpus poſtulat, horas,
Quo ponam vigilans tempora longa modo?
Moris an oblitus patrii contendere diſcam
Sarmaticos arcus; & trahar arte loci?
Hoc quoque me ſtudium prohibent aſſumere vires;
Menſ-

libri veteres diſſentiunt,

*Tempore ad hoc nobis (repetas licet omnia) nullo*
*Profuit (atque utinam non nocuiſſet!) opus.* Heinſ.

*Opus.*] Libros de Arte am. deſignat.

30. *Et tecum quæro ſæpe quid inde petam.*] *Et mecum quæro* nonnulli veteres, & *feram.* ut infra,

——*ſi te diſtantia longe*
*Pleiadum laudent ſigna, quid inde feres?*

Heinſ.

31. *Sum maxima fides.*] Sum maximum, quod poëtæ ſint inſani, exemplum: quod quum carminis cauſa relegatus ſim, adhuc carmen ſcribo.

33. *Ab arvo ſterili.*] A ſtudiis poëticis, quæ nullum mihi fructum attulere.

41. *Studium non utile ſervo.*] *Carpo* ſex libri. id eſt reprehendo. *Heinſ.*

44. *Tempus iners.*] Tempus ſine ulla exercitatione.

46. *Manus incertas.*] Manus ignaras victoriæ aut jacturæ.

49. *Moris patrii.*] Diſciplinæ Romanæ.

50. *Et trahar arte loci.*] Et vivam his artibus, quibus vivitur Tomi.

51. *Hoc ſtudium.*] Hanc jaculandi artem.

 52. *Magis*

Digitized by Google

Menſque magis gracili corpore noſtra valet.
Cum bene quæſieris, quid agam; magis utile nil eſt
Artibus his, quæ nil utilitatis habent.
Conſequor ex illis caſûs oblivia noſtri.
Hanc ſatis eſt meſſem ſi mea reddit humus.
Gloria vos acuat: vos ut recitata probentur
Carmina, Pieriis invigilate choris.
Quod venit ex facili, ſatis eſt componere nobis:
Et nimis intenti cauſſa laboris abeſt.
Cur ego ſollicitâ poliam mea carmina curâ?
An verear, ne non approbet illa Getes?
Forſitan audacter faciam, ſed glorior Iſtrum
Ingenio nullum majus habere meo.
Hoc (ubi vivendum) ſatis eſt ſi conſequor arvo,
Inter inhumanos eſſe poëta Getas.
Quo mihi diverſum famâ contendere in orbem?
Quem Fortuna dedit, Roma ſit ille locus.

Hoc

52. *Magis valet gracili corpore.*] Magis viget, quam tenue & macilentum corpus meum.

53. *Cum bene quæſieris quid agam.*] Puto, *Cum bene quæſierim, quod agam.* Heinſ.

56. *Hac meſſem ſatis eſt ſi modo reddat ager.*] *Hanc ſatis eſt meſſem* Baſileenſis & Petri Servii codex. Deinde ſcripti plerique cum priſcis editionibus, *Si mea reddit humus*, vel *reddat*. Idem. *Hanc meſſem.*] Hanc utilitatem, ut mala obliviſcar, dum ſtudiis poëticis operam do. *Si mea humus.*] Si meum ingenium.

60. *Abeſt.*] Remota eſt: quia nec gloria, nec ſpes reditus, aut alia cauſa mihi offertur, qua debeam facere optima carmina.

61. *Sollicitâ poliam mea carmina curâ.*] *Limâ* unus Voſſianus & Hafnienſis. ut ſupra,

*Scilicet incipiam lima mordacius uti.*

Heinſ.

63. *Sed glorior Iſtrum.*] *Si glorior* Putean. alius, *quia*. Lege *ſi glorior*. mox *Ingenio* pro *Ingenium* veteres plerique. *Id.*

65. *Hoc ubi vivendum eſt, ſatis eſt ſi conſequar arvo.*] Tolle priori loco verbum ſubſtantivum cum ſex ſcriptis, & repone *conſequar* cum melioribus plerisque. *Idem.* *Ubi vivendum eſt.*] Quaſi dicat, Satis erit mihi, haberi poëta apud Scythas: nec eſt curandum, an parum docte ſcribam.

67. *Quid mihi diverſum.*] *Quo mihi* Sarrav. Scaliger, Argent. & quatuor alii. optime. Vide Notas Art. Amat. lib. 1. vſ. 303. Sequenti verſu malim,

*Quam Fortuna dedit, Roma ſit ille, locum.* Heinſ.

*Quid mihi.*] Subaudi, prodeſt. *Contendere.*] Ire. *In diverſum.*] In Romanam civitatem. *Fama.*] Famæ cauſa. Quid prodeſt mihi, inquit, laborare, ut fama mea Romam perveniat.

68. *Roma ſit ille locus.*] Ille locus Scythiæ, quem fortuna mihi aſſignavit, habeatur mihi pro Roma, quaſi dicat, Sufficit mihi, ſi in Scythia tantum fama mea ſit non vulgaris. *Mer.*

69. Hoc

Hoc mea contenta eſt infelix Muſa theatro.
Sic merui; magni ſic voluêre Dei.
Nec reor hinc iſtuc noſtris iter eſſe libellis,
Quo Boreas pennâ deficiente venit.
Dividimur cælo; quæque eſt procul urbe Quirini,
Aſpicit hirſutos cominus Urſa Getas.
Per tantum terræ, tot aquas vix credere poſſim
Indicium ſtudii tranſiluiſſe mei.
Finge legi, quodque eſt mirabile, finge placere:
Auctorem certè res juvet iſta nihil.
Quo tibi, ſi calidâ poſitus laudêre Syene;

Aut

69. *Hoc theatro.* ] Si mihi ab his plauditur, ſufficit. *Pont.*

72. *Penna deficiente.* ] Tot millibus diſtat. Venti enim à poëtis alati finguntur.

73. *Procul urbe Quirini.* ] Longe à Romana civitate, quam Quirinus, hoc eſt Romulus, condidit.

74. *Aſpicit hirſutos Getas.*] Videt Getas hiſpidos & barbaros. nam ſunt ſub Urſa majori in ſeptentrionali plaga.

75. *Vix credere poſſum.* ] *Poſſim* Polit. & duo alii. & mox *tranſiluiſſe* meliores pro *tranſiliiſſe*. Heinſ.

78. *Res juvat iſta nihil.* ] *Juvet* legendum. *Idem.*

79. *Quid tibi ſi calidâ proſit laudere Syene?* ] In Sarraviano *calida eſproſit imidere ſine* mendoſiſſime. codex Scaligeri *poſitus laudere*. Scribe,

*Quo tibi, ſi calida poſitus laudere Syene?*

vel, quod malim, *poſitis*. *Quo tibi.* vide Notas Art. Am. lib. I. vſ. 303. quibus adde locum Propertii lib. IV. Eleg. III.

*Nam mihi quo, Pœnis ſi purpura fulgeat oſtris?*

ubi perperam *tibi purpura* tunc legitur. *poſitus* etiam eleganter. Pont. libro I. Eleg. II.

*Non vacat in qua ſint poſiti regione Tomitæ*
*Quærere.*

infra Eleg. VII.

*Ecquis in extremo poſitus jacet orbe tuorum?*

lib. IV. Eleg. VI.

*Quale tamen potui de cælite, Brute, recenti*
*Veſtra procul poſitus carmen in ora dedi.*

Eleg. VIII.

*Clauſaque ſi miſero patria eſt, ut ponar in illo,*
*Qui minus Auſonia diſtet ab urbe, loco.*

infra lib. II. Eleg. X.

*Ipſe quidem poſitus cum ſim ſub cardine mundi,*
*Qui ſemper liquidis altior extat aquis.*

ſic & ibi codices veteres. ut & lib. III. Eleg. III.

*Effice ſit nobis non implacabilis ira,*
*Meque loco poni commodiore velit.*

lib. IV. Eleg. II.

*Si quis in hoc ipſum terra poſuiſſet Homerum.*

Silius initio lib. III.

*Extemplo poſitos finiti cardine mundi.*
*Victor adit populos.*

*ſub occaſu poſiti Iberi* apud auctorem Herculis OEtæi. *Idem.* *Calida Syene.* ] Syene oppidum fuit ſupra Alexandriam quinque millibus ſtadiorum. *Calidam* autem appellat *Syenen*, quoniam directe locata fuit ſub tropico æſtivo, id eſt, ſub Cancro, in extremo torridæ zonæ.

80. *Aut*

Digitized by Google

Aut ubi Taprobanen Indica cingit aqua?
Altius ire libet? ſi te diſtantia longe
Pleïadum laudent ſigna, quid inde feras?
Sed neque pervenio ſcriptis mediocribus iſtuc;
Famaque cum domino fugit ab Urbe ſuo.
Voſque, quibus perii, tunc cum mea fama ſepulta eſt,
Nunc quoque de noſtra morte tacere reor.

80. *Aut ubi Taprobanen Indica tingit aqua.*] Plerique veteres *pingit*. Scribe *cingit*. quod Moreti codex confirmat. Ep. Acontii,

*Inſula Coryciis quondam celeberrima nymphis*
*Cingitur Ægæo nomine Cea mari.*

Metam. IV.

*Decolor extremo qua cingitur India Gange.*

Epiſt. Ariadn.

*Omne latus terræ cingit mare.* Heinſ.

*Aut ubi Taprobanen.*] Taprobane inſula eſt, quæ diſtare dicitur ab auſtraliſſimis partibus, quæ ſunt apud Conjacos meridiem verſus, ſeptem dierum navigatione. Auctor Strabo lib. 15.

81. *Altius ire libet.*] Placet etiam per altiora & cæleſtia idem probare. *Longe diſtantia.*] Longe remota, tanquam in cælo exiſtentia.

82. *Quid inde feres.*] *Feras* melius. *Heinſ.*

83. *Scriptis melioribus.*] Imo *mediocribus* cum vetuſtioribus maxima ex parte. *Idem.*

85. *Tunc quum mea fama, &c.*] Tum quum damnatus fui: eo enim tempore fama mea periit. *Voſque, quibus perii.* Alloquitur Poëta, amicos. Neque illos tacere de ſe jubet: ſed vereri ſe ait, ne id faciant. quandoquidem hoc vulgare ac tritum eſt ſcilicet, ut adverſis rebus laborantem etiam amici deſerant. Fama enim, inquit, mea cum domino ſuo ab urbe fugit, ſive abiit, eoque etiam vos amicos arbitror jam mei exilii ac fugæ, quæ mortis inſtar mihi eſt, non amplius meminiſſe.

# EPISTOLA VI.

## GRÆCINO.

### ARGUMENTUM.

Ecquid ut audiſti.] *Ad Græcinum ſcribens, dolet Poëta eum non affuiſſe eo tempore quo ab Auguſto relegatus eſt: quem arbitratur magnum cepiſſe dolorem, cum primum rem omnem acceperit. Secundo eum rogat, ut alloquio ſuo & literis ſaltem conſoletur: nec ſcire cupiat quam ob cauſam exularit. ne recrudeſcant vulnera jam occluſa. Poſtmodum docet non prorſus ſibi ademptam eſſe ſpem reditus: Fateturque ſimul, in Cæſaris clementia plurimum ſperare: quem ut ſibi reconcilietur, precatur. Demum dicit omnia impoſſibilia potius fieri poſſe, quam credere ſe à Græcino fido & veteri amico poſſe deſtitui.*

ECquid ut audiſti (nam te diverſa tenebat
Terra) meos caſus, cor tibi triſte fuit?
Diſſimules, metuaſque licet, Græcine, fateri;

Si

Si bene te novi, triſte fuiſſe liquet.
Non cadit in mores feritas inamabilis iſtos;
Nec minus à ſtudiis diſſidet illa tuis.
Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura eſt,
Pectora molleſcunt, aſperitaſque fugit.
Nec quiſquam meliore fide complectitur illas,
Qua ſinit officium, militiæque labor.
Certe ego, cum primum potui ſentire quid eſſem,
(Nam fuit attonito mens mihi nulla diu.)
Hoc quoque Fortunæ ſenſi, quod amicus abeſſes:
Qui mihi præſidium grande futurus eras.
Tecum tunc aberant ægræ ſolatia mentis,
Magnaque pars animæ conſiliique mei.
At nunc, quod ſupereſt, fer opem, precor, eminus unam:
Alloquioque juva pectora noſtra tuo.

Quæ

6. N*Ec minus à ſtudiis diſſidet illa tuis.*] Ita & ſcripti conſtanter. cenſeo nihilominus reponendum.

*Nec mens à ſtudiis diſſidet illa ſuis.*

ſequentia confirmant hanc conjecturam, quam & poſtea in codice Twiſdenio probæ notæ pro diverſa lectione inveni notatam. *Heinſ.*

7. *Artibus ingenuis.*] Liberalibus diſciplinis.

9. *Meliore fide.*] Meliore animo, quam tu; aut non vacando magis ulli rei, quam ingenuis artibus. aut quia eas bene intelligis, & fideliter interpretaris.

10. *Militiaque labor.*] Ex quo deſignat eum rei militaris ſtudioſum, & cum per illam licet liberalibus diſciplinis operam dare. *Mer.* *Quam ſinit officium.*] Scribo *Qua*, ut ſit dictum pro quatenus, hoc ſenſu: Neque quiſquam meliore fide ſequitur ſtudia humaniora, quam tu, quatenus id quidem per officium & labores militares abs te fieri poteſt. Niſi quis & *Quam*, eodem modo pro *quantum*, poſitum malit. *Micyl.*

13. *Hanc quoque fortunam ſenſi.*] *Hoc quoque* Sarrav. Argent. Twiſd. & octo alii. Barberin. *Hoc quoque fortuna.* proxime verum. Scribe *Hoc quoque fortunæ ſenſi.* idque in primo Mediceo & uno Thuaneo poſtea inveni. *Heinſ.*

15. *Tecum tunc aberat.*] Hoc eſt, tu cum tuis ſolatiis procul eras. *Mentis ægra.*] Quas meæ menti triſti allaturus fueras, ſi affuiſſes.

17. *Fer opem precor eminus unam.*] Malim *unum.* quod unum ſupereſt. Superiori verſu rectius unus Vaticanus *Magnaque pars animæ*, quam *animi.* quod eſt in vulgatis. infra Eleg. IX.

*Accipe pars animæ magna, Severe, meæ.*

Pont. III. Eleg. IV. ut ſcribendum & illic,

*Magnaque pars animæ mecum vixiſtis amici.*

Metam. VIII.

*——ô me mihi carior, inquit,*
*Pars animæ conſiſte meæ.*

lib. III. Eleg. I.

*Ultima pars animæ dum mihi reſtat ades.* Heinſ.

*Eminus.*] Procul à mea regione.

18. *Tuo alloquio.*] Tuis verbis & literis.

Quæ (non mendaci ſi quidquam credis amico)
Stulta magis dici, quàm ſcelerata, decet.
Nec leve, nec tutum, peccati quæ ſit origo,
Scribere, tractari vulnera noſtra timent.
Qualicunque modo mihi ſint ea facta, rogare
Deſine. non agites, ſi qua coïre velis.
Quicquid id eſt, ut non facinus, ſic culpa vocandum.
Omnis an in magnos culpa Deos, ſcelus eſt?
Spes igitur menti pœnæ, Græcine, levandæ
Non eſt ex toto nulla relicta meæ.
Hæc Dea, cum fugerent ſceleratas numina terras,
In Dîs inviſa ſola remanſit humo.
Hæc facit, ut vivat vinctus quoque compede foſſor;
Liberaque à ferro crura futura putet.
Hæc facit, ut, videat cum terras undique nullas,
Naufragus in mediis brachia jactet aquis.
Sæpe aliquem ſollers medicorum cura reliquit;
Nec ſpes huic venâ deficiente cadit.
Carcere dicuntur clauſi ſperare ſalutem:

At-

21. *Nec breve, nec tutum eſt.*] *Neve leve nec tutum* veteres nonnulli, Adl Notas Triſt. lib. I. El. VI. *Heinſ.*

25. *Si culpa vocanda eſt.*] *Vocandum eſt* præſtat cum altero Thuaneo. *Idem.*

26. *Omnis an in magnos culpa deos ſcelus eſt?* Quis dubitet? ſed ſcripſerat Naſo, *ad magnos Deos.* vel, quod magis arridet,

*Omnis an ad magnos turba ſceleſta Deos?*

*ad Deos.* vide Notas Faſt. IV. vſ. 310. Triſt. lib. II.

*Scilicet in Superis etiam Fortuna luenda eſt;*
*Nec veniam læſo numine caſus habet.*

Idem. *Omnis at in magnos culpa.*] At, inquit, ſolent dii magni culpam omnem, hoc eſt, minimum quodque crimen, ſcelus maximum ducere. Vel blandiendo Auguſto dicit, ne quidem leviter errandum eſſe dominis: una enim quæque culpa in eos vel levicula, habetur pro magna.

28. *Ex toto.*] Prorſus.

30. *Remanſit ſola.*] Quod ideo fingunt poëtæ, quia neminem unquam deſtituit ſpes.

31. *Hæc facit.*] Οὗτος δ᾽ ἀνὴρ ἄριστος, ὅστις ἐλπίσιν πέποιθεν αἰεί. Eurip. Her. Fur. Cic. ad Famil. *Optare optima, cogitare difficillima, ferre quæcunque erunt.* Et Senec.

*Nemo confidat nimium ſecundis,*
*Nemo deſperet meliora lapſis.*
*Jam lentas remos, poſt tibi ventus erit.*

Κάλλιμος οὖρος. Homer.

33. *Hoc facit ut videat.*] Spes etiam facit, ut naufragus in medio mari deſtitutus, quamvis nullas videat terras, ſperet ſe evaſurum.

36. *Vena deficiente.*] Viribus collapſis. Id enim inter ſigna mortis enumerat Plin. in 7.

42. Ar-

Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
Hæc Dea quam multos laqueo ſua colla ligantes
Non eſt propoſitâ paſſa perire nece!
Me quoque conantem gladio finire dolorem
Arcuit, injectâ continuitque manu.
Quidque facis? lacrymis opus eſt, non ſanguine, dixit:
Sæpe per has flecti Principis ira ſolet.
Quamvis eſt igitur meritis indebita noſtris,
Magna tamen ſpes eſt in bonitate Dei.
Qui ne difficilis mihi ſit, Græcine, precare:
Confer & in votum tu quoque verba meum.
Inque Tomitanâ jaceam tumulatus arenâ,
Si te non nobis iſta vovêre liquet.
Nam prius incipiant turres vitare columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas;
Quam male ſe præſtet veteri Græcinus amico.
Non ita ſunt fatis omnia verſa meis.

42. *Arguit.*] *Arcuit* rectius tres ſcripti. quod Fabricius damnare non debuit. *arcere* pro prohibere. infra l. III. Eleg. III.

*Quam lex furtivos arcet habere viros.*

Heinſ.

46. *In bonitate dei.*] In Auguſti clementia. *Mer.*

47. *Qui ne difficilis mihi ſit, Græcine, precare.*] *Labora* Feſchianus. quod placet. deinde *Qua ne* alter Thuani, ut ad bonitatem referatur. *Heinſ.* *Qui ne difficilis mihi ſit.*] Ita eſt humanus & miſericors Cæſar, ut tamen rogari velit. Ergo roga eum pro me, &c. *Pont.*

48. *Confer & in votum tu quoque verba meum.*] *Tu quoque vota* Moreti liber. Puto *tu tua verba* vel *vota.* mox *incipiant* pro *incipient* duo veteres. *Heinſ.*

49. *Inque Tomitana.*] Senſus eſt: Et nunquam reditum in patriam impetrem, ſed moriar in exilio Tomitano, ſi non eſt mihi exploratum, te deſiderare reditum meum. *Inque Tomitana jaceam tumulatus.*] Locus hic ſuſpicione mendæ non caret. Neque enim hæc cum præcedentibus ſatis cohærent. Quare aut deeſſe aliquid putamus, aut verbis ipſis vitium ineſſe aliquod, aut eoſdem hos verſus ad finem referendos eſſe.

50. *Si non liquet.*] Si non eſt manifeſtum. *Vovere.*] Vovendo optare.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA VII.

# MESSALLINO.

### ARGUMENTUM.

Littera pro verbis.] *E Ponto ad Meſſallinum hanc ſcripſit Epiſtolam Ovidius; docetque ſimul ejus patris fratriſque amorem. Loquitur deinde de pœna, qua eum affecit Auguſtus: cujus cauſa ſe ab eo minime rejiciendum eſſe colligit. Oſtendit poſtremo, ſe officioſum ſemper fuiſſe in ejus domum.*

LIttera pro verbis tibi, Meſſalline, ſalutem,
  Quam legis, à ſævis attulit uſque Getis.
Indicat auctorem locus? an, niſi nomine lecto,
  Hæc me Naſonem ſcribere verba latet?
Ecquis in extremo poſitus jacet orbe tuorum,
  Me tamen excepto, qui precor eſſe tuus?
Dî procul à cunctis, qui te venerantur amantque,
  Hujus notitiam gentis abeſſe velint.
Nos ſatis eſt inter glaciem Scythicaſque ſagittas
  Vivere: ſi vita eſt mortis habenda genus.
Nos premat aut bello tellus, aut frigore cælum:
  Truxque Getes armis, grandine pulſet hyems:
Nos habeat regio nec pomo fœta nec uvis;
  Et cujus nullum ceſſet ab hoſte latus,
Cætera ſit ſoſpes cultorum turba tuorum;
  In quibus, ut populo, pars ego parva fui.
Me miſerum, ſi tu verbis offenderis iſtis:

Noſ-

4. H*Æc me Naſonem.* ] Malim *Hac tibi Naſonem.* Heinſ.

5. *Ecquis tuorum.* ] Nunquis tuorum amicorum aut clientum. *In extremo orbe.* ] In ultima ſeptentrionis plaga. *Jacet.*] Aut habitat; aut revera tanquam mortuus & proſtratus jacet. Hoc autem dicit non ſine magno dolore.

6. *Qui precor eſſe tuus.* ] Qui Ovidius cupio ut ſim tuus, nec à te deſtituar. *Mer.*

7. *Dii procul à cunctis.* ] Faxint dii, ne quiſquam cultorum tuorum has gentes præſens noverit. *Pont.*

8. *Gentis abeſſe velint.* ] *Habere* Sarravianus, Argent. Combii, & Moreti. hoc eſt procul habeant. *Heinſ.*

10. *Si genus mortis eſt habenda vita.* ] Si exilium meum debet appellari vita.

12. *Grandine pugnet hyems.* ] *Pulſet* rectius decem ſcripti. ſic *verberata grandine vinea* apud Horatium. *Heinſ.*

13. *Nec pomis fœta nec uvis.* ] Sarrav. Argent. pri. Med. Feſch. multique alii *pomo.* & verſu proximo *ceſſet* pro *eſſet* meliores. *Idem.*

17. *Verbis iſtis.* ] Quibus dixi me olim fuiſſe in turba tuorum cultorum.

19. Ut-

Digitized by Google

Noſque negas ulla parte fuiſſe tuos!
Idque ſit ut verum, mentito ignoſcere debes.
Nil demit laudi gloria noſtra tuæ.
[Quis ſe Cæſaribus notus non fingit amicum?
Da veniam faſſo; tu mihi Cæſar eris.]
Nec tamen irrumpo, quo non licet ire: ſatiſque eſt,
Atria ſi nobis non patuiſſe negas.
Utque tibi fuerit mecum nihil amplius; uno
Nempe ſalutaris, quam prius, ore minus.
Nec tuus eſt genitor nos inficiatus amicos,
Hortator ſtudii cauſſaque faxque mei.
Cui nos & lacrymas, ſupremum in funere munus,
Et dedimus medio ſcripta canenda foro.
Adde quod eſt frater tanto tibi junctus amore,
Quantus in Atridis Tyndaridiſque fuit.
Is me nec comitem nec dedignatus amicum eſt:
Si tamen hæc illi non nocitura putas.



19. *Utque ſit hec verum.*] *Idque ſit ut verum* plerique. quidam *Utque ſit id verum.* Malim, *Sed ſit ut id verum.* Heinſ. *Mentito.*] Quod me tuum eſſe ſcripſi. Hoc autem dicit, ne amicum offendat, timentem Auguſtum lædere.

20. *Gloria noſtra.*] Si glorior me fuiſſe tibi amicum.

21. *Notum non fingit amicum.*] *Notus* ſcripti. Diſtichon etiam hoc eſt ex dubiæ fidei pluribus unum. *Heinſ.* *Notus Caſaribus.*] Cognitus Cæſari Auguſto, & ejus liberis: Potentium enim amicitiam conſectantur omnes.

23. *Nec tamen irrumpo.*] Nec tamen illuc accedo, quo non licet: hoc eſt, non te adeo, niſi verecunde: te enim venerari ſoleo. Itaque nil faciam te invito.

25. *Utque tibi fuerit.*] Quamvis nihil amplius habueris, quam quod atria tua frequentaverim ſalutandi gratia. *Utque mihi fuerit tecum nihil amplius.*] Honeſta locutio. Ter. Andr. *Num quidquam amplius tibi cum illa fuit, Charine?*

26. *Minus uno ore.*] Minus uno homine. *Quam prius.*] Quam antea. *Mer.*

28. *Studii cauſaque faxque mei.*] Malim *duxque.* nam in Combiano *fixa.* lib. II. Eleg. III.

*Primus ut auderem committere carmina famæ.*
*Impulit. ingenii dux fuit ille mei.*

Heinſ. *Faxque.*] Et lumen, ſplendor. aut certe ardor & incitator.

29. *Et lacrymas.*] Et ſubaudi, *dedimus*, hoc eſt, deflevimus carmine, ſeu oratione.

30. *Et dedimus medio.*] Mox in funeribus laudandi defunctos, Romanis vetuſtiſſimus.

31. *Tanto mibi junctus amore.*] Scribe *tibi* cum Sarraviano, Combiano, Twiſdeniano, & Vaticano primæ notæ. Verſus ſubſequens confirmat. Præcedenti forſan legendum *medio ſcripta canenda rogo*, vel, *toro.* hoc eſt feretro. non *fore.* de epicedio enim agit. *Heinſ.*

32. *In Atridis.*] In Agamemnone & Menelao. *Tyndaridiſque.*] Et in Caſtore & Polluce.

Si minus, hac quoque me mendacem parte fatebor.
   Clauſa mihi potius tota ſit iſta domus.
Sed neque claudenda eſt; & nulla potentia vires
   Præſtandi, ne quid peccet amicus, habet.
Et tamen ut cuperem, culpam quoque poſſe negari;
   Sic facinus nemo neſcit abeſſe mihi.
Quod niſi delicti pars excuſabilis eſſet;
   Parva relegari pœna futura fuit.
Ipſe ſed hoc vidit, qui pervidet omnia, Cæſar;
   Stultitiam dici crimina poſſe mea.
Quaque ego permiſi, quaque eſt res paſſa, pepercit:
   Uſus eſt & modicè fulminis igne ſui.
Nec vitam, nec opes, nec ademit poſſe reverti:
   Si ſua per veſtras victa ſit ira preces.
At graviter cecidi. quid enim mirabile, ſi quis
   A Jove percuſſus non leve vulnus habet?
Ipſe ſuas ut jam vires inhiberet Achilles.

Miſſa

35. *Si minus.*] Si putas hæc nocitura: hoc eſt, ſi arbitraris, hoc quod dico, fratri obeſſe poſſe. *Hac quoque me, &c.*] Profitebor, inquit, hac in re mentitum me fuiſſe: quemadmodum etiam de te dixi, quod fueris mihi amicus.

36. *Potius.*] Quam, ſubaudi, velim quicquam ſcribere, & affirmare quod obſit fratri.

37. *Et nulla potentia vires.*] Nam cum nulla potentia tanta ſit, quæ poſſit prohibere, ſive facere, quo minus alicujus alterius amicus aliquando peccet: neque Auguſtus ita inhumanus, aut ſævus erit, ut propterea fratrem tuum perſequi aut odiſſe velit, quia ego, amicus illius, aliquando peccavi.

41. *Excuſabilis.*] Quia imprudenter peccavi. *Quod niſi delicti.*] Senſus eſt: Si delicti mei magnitudo tanta eſſet, ut non poſſet excuſari, Auguſtus me occidiſſet, & non relegaſſet.

42. *Parva relegari.*] *Relegari* cum ſcriptis. & *iſta domus* paulo ante pro *illa.* Heinſ.

43. *Qui prævidet omnia Cæſar.*] *Pervidet* lege vel contra libros. Puteaneus *provides.* ſequenti Elegia,

*Cunctaque mens oculis pervidet illa ſuis.*

quomodo & illic ſcribendum. Met. XIV. ubi ſimiliter erat peccatum,

——*ſocerum, qui pervidet omnia, ſolem*

*Accipe.*

Horatius,

*Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis.*

quanquam *prævideas* illic ſunt qui legant. non male. mox *Stultitiam meam* Sarrav. Argent. & tres alii. *Idem.*

45. *Quaque ego permiſi, &c.*] Hoc eſt, Pepercit mihi catenus, ſive quantum cum ipſe merito atque delicto meo permiſi illum, tum etiam cauſæ qualitas paſſa eſt. *Micyl.*

50. *A Jove.*] *Ab Jove* puto. ut ſemper alibi. Vide lib. I. Faſt. vſ. 236. *Heinſ.* *Ab Jove.*] Ab Auguſto.

51. *Ipſe ſuas quamvis vires inhiberet Achilles.*] *Ipſe ſuas etiam* Sarrav. & alii multi ex vetuſtioribus. Lege *ut jam* infra

Miſſa graves ictus Pelias haſta tulit.
Judicium nobis igitur cum vindicis adſit,
Non eſt cur tua me janua noſſe neget.
Culta quidem (fateor) citra, quam debuit, illa:
Sed fuit in fatis hoc quoque, credo, meis.
Nec tamen officium ſenſi magis altera noſtrum.
Hic illic veſtro ſub Lare ſemper eram.
Quæque tua eſt pietas; ut te non excolat ipſum,
Jus aliquod tecum fratris amicus habet.
Quid, quod, ut emeritis referenda eſt gratia ſemper,
Sic eſt fortunæ promeruiſſe tuæ?

Quod

fra lib. IV. Eleg. VIII.

*Ut jam nil praſtes, animi ſum factus amici*
*Debitor.*

Epiſtola Cydippes,

*Durius ut ferro jam ſit tibi pectus, Aconti,*
*Tu veniam noſtris vocibus ipſe petas.*

qui locus etiam peſſime erat habitus. In Amoribus,

*Ut jam ſervaris bene corpus, adultera mens eſt.*

& initio,

*Ut jam nulla tibi nos ſit legiſſe voluptas.*

Artis lib. I.

*Ut jam fallaris, tuta repulſa tua eſt.*

lib. III.

*Ut jam decipiant, quid perditis?*

ſequenti verſu pro *dabat* Feſchianus & quatuor alii *tulit*. Heinſ. *Quamvis inhiberet ſuas.*] Quamvis non magno impetu eam emitteret.

52. *Pelias.*] Haſta Achillis fraxinea.

53. *Judicium vindicis.*] Judicium ultoris Auguſti intellige, quod ultus fuit crimen meum admiſſum, me relegando.

56. *Hoc quoque.*] Hoc etiam, ut domum tuam minus colerem, quam deberem: quemadmodum etiam fuit in meis fatis, ut relegarer.

57. *Nec tamen officium ſenſit domus altera noſtrum:*
*Hic illic veſtro ſub Lare ſemper eram.*] Hæc mendoſiſſima ſunt. Priori verſu bene Puteaneus & Thuaneus alter, *ſenſit magis altera.* niſi mavis,

*Nec tantum officii ſenſit domus altera noſtri.*

Quatuor veteres *noſtro ſub Lare.* unus Mediceus & pri. editio *Illic hic.* alii non pauci *Huc illuc*, vel *Hinc illinc.* Scribebam aliquando,

*Illic, ceu noſtro ſub Lare, ſemper eram.*

vel *multus eram.* nam libri quinque ex ſcriptis *tutus eram.* Nihil opus tamen mutatione. *Hic illic* ſive in tua ſive in fratris tui domo. Nam de fratre Græcini ante egerat. *Heinſ.*

59. *Qua tua eſt pietas.*] Et cujuſmodi tuus eſt amor erga fratrem. Oſtendit autem, Meſſalino ſe amicum eſſe debere cauſa fratris, quo cum magnam ſibi fuiſſe amicitiam docet.

61. *Emeritis.*] Amicis jam functis officio erga amicum, & poſteà quieſcentibus; vel valde meritis. Virg. *Edura coryli naſcuntur.* ut ſit ſenſus: Quod ſi de nobis bene meritis debemus ſemper gratiam referre; ad fortunam tuam fœlicem pertinet novos amicos parare, etiam ſi nihil de te meriti ſunt. quaſi innuat debere Meſſalinum poëtam ſibi novum amicum conciliare, & ipſi favere.

62. *Sic eſt tua fortuna.*] Sic ad te, qui es potens, & uteris fœliciori fortuna



quam

Digitized by Google

Quod ſi permittis nobis ſuadere, quid optes:
  Ut des, quam reddas, plura, precare Deos.
Idque facis, quantumque licet meminiſſe, ſolebas
  [Officii cauſſa pluribus eſſe dati.]
Quo libet in numero me, Meſſalline, repone:
  Sim modo pars veſtræ non aliena domûs.
Et mala Naſonem (quoniam meruiſſe videtur)
  Si non ferre doles, at meruiſſe dole.

quam ego, hoc pertinet. *Promeruiſſe.*] Beneficiis conciliaſſe & juviſſe,

63. *Quod optas.*] *Optes* multi veterum. Lege *quid optes* cum Sarrav. Argent. pri. Medic. & tribus aliis. *Heinſ.*

64. *Ut des.*] Dandis magis quam accipiendis beneficiis amicos paret.

66. *Officii cauſa.*] *Cauſam* Argent. & alii quinque. pro *dati* Combianus *data*. Sarravianus *dari*. Latet ulcus. aut verſus eſt ſpurius. *Heinſ.* *Eſſe cauſam officii dati pluribus.*] Te eſſe cauſam, quod plures beneficia conſecuti fuerint. *Mer.* *Officii cauſam.*] Alii legunt, *Officii cauſa, &c.* ut ſit ſenſus & ordo verborum: Idque facis (ſcilicet, ut plura des beneficia, quam accipias) & quantum meminiſſe licet, ſolebas pluribus eſſe cauſa officii dati: hoc eſt, de pluribus bene mereri. *Micyl.*

67. *Quolibet.*] Vel in numero amicorum tuorum, vel amicorum fratris tui.

69. *Si non doles Naſonem ferre mala.*] Si non triſtaris me Ovidium in exilio inquietiſſimo, verſari.

70. *At meruiſſe dole.*] Saltem dole quod meritus ſum relegari ab Aug. quaſi dicat, ſaltem dole quod fuerim infelix.

## EPISTOLA VIII.

# SEVERO.

### ARGUMENTUM.

A tibi dilecto.] *Severo amico exponit ſe cinctum hoſtibus, in aſſiduis ſemper præliis verſari, miroque amicorum, conjugis, filiæ, & patriæ deſiderio teneri. Simul dolet, quod cum careat prædiolo & hortis, arando, ſeminando, curas imminuat. Colligit tamen præ hoſtium multitudine, quæ Tomitanam civitatem ſemper infeſtant, non poſſe id ſibi præſtari. Poſtremo lætatur quod contra in Severo ſint omnia ſecunda: monetque, ut impetret locum aliquem magis propinquum dari ſibi ab Auguſto.*

A Tibi dilecto miſſam Naſone ſalutem
  Accipe, pars animæ magna, Severe, meæ.
Neve roga, quid agam: ſi perſequar omnia, flebis.
  Summa ſatis noſtri ſi tibi nota mali.

Vivi-

3. N*Eve roges.*] *Roga* cum plurimis ſcriptis. *Heinſ.*

4. *Summa ſatis noſtri ſit tibi nota mali.*] Scribe *ſi tibi*. atque ita Sarravianus. *ſatis*, pro ſatis eſt. Superiori Elegia,

*Nec tamen irrumpo, quo non licet ire, ſatiſque.*

*Atria ſi nobis non patuiſſe negas.*

ita plurimi ex ſcriptis. *Idem.*

6. *Duro*

Vivimus aſſiduis expertes pacis in armis,
Dira pharetrato bella movente Getâ.
Deque tot expulſis ſum miles in exſule ſolus:
Tuta (nec invideo) cætera turba jacet.
Quoque magis noſtros veniâ dignere libellos,
Hæc in procinctu carmina facta leges.
Stat vetus urbs, ripæ vicina binominis Iſtri,
Mœnibus & poſitu vix adeunda loci.
Caſpius Ægypſos (de ſe ſi credimus ipſis)
Condidit; & proprio nomine dixit, opus.
Hanc ferus Odryſiis inopino Marte peremtis
Cepit, & in Regem ſuſtulit arma Getes.

Ille

6. *Dura bella.*] *Dira* Feſchianus. *Idem. Geta pharetrato.*] Geta populo ſagittifero, Sagittis enim veneno illitis in bello Getæ utebantur.

7. *Deque tot expulſis.*] Et de tot civibus exulantibus. *Solus ſum miles in exule.*] Solus ſum miles pariter & exul; bello ſcilicet & exilio damnatus.

8. *Catera turba latet.*] *Jacet* Politiani codex & ſeptem ex Noſtris. recte. Adi Notas Triſt. lib. III. Eleg. I. vſ. 50. mox *facta ſcias* pro *leges* Gottorph. & Rottendorph. *Heinſ. Catera turba.*] Reliqui Romani exules præter me. *Jacet turba.*] Non armis vexatur.

11. *Iſtri binominis.*] Iſtri habentis duo nomina. *Danubius* enim uſque ad Axium oppidum appellatur: Inde vero uſque ad mare *Iſter* dicitur.

12. *Et poſitu loci.*] Et ipſius loci ſitu. *Mer.* In arduo ſcil. & ſaxoſo loco & prope inacceſſo. *Pont.*

13. *Caſpius Ægypſus, de ſe ſi creditur ipſis, Condidit.*] Multo veteres *Ægyſſus.* Argent. & quidam alii *Ægiſſus.* *Ægiſos* Combianus. *Ægiros* unus Vaticanus. alius *Egitos.* alius *Ægirus.* *Caſpios Ægiſos* Sarravianus. ſic & lib. IV. Pont. El. VI. ubi bis meminit ejuſdem civitatis, *Non negat Ægypſos.* ubi *Ægiros* vetuſtiores. vel, *Ægyros.* quinque alii *Ægiſſos*, vel *Ægiſos*, Conſtantino Porphyriogenetæ Themat. l. II. c. I. *αἴγισσος* eſt. Procopio lib. IV. de ædificiis Juſtiniani *ἄγισος*. In Itinerario Antonini & Imperii notitia *Ægyſſos* eſt. quanquam apud Antoninum codices quidam *Ægiſos*, & *Ægyſos.* & *credimus* plerique veteres. *Heinſ. Ægypſus.*] Ægypſus è gente Caſpia, quæ nomen portis & mari dedit: ut eſt auctor Plin. lib. 6.

14. *Proprio nomine dixit.*] Hoc eſt, Ægypſum. *Opus.*] Urbem à ſe conditam.

15. *Hanc trux Odryſiis.*] *Hanc ferus* ſcripti omnes, utrumque rectum. ſuperiori Elegia,

*Truxque Getes armis, grandine pulſet hyems.* Heinſ.

*Ferus Getes.*] Crudelis & immitis ille populus. *Peremptis Odryſiis.*] A Getis interfectis incolis ejus oppidi, qui erant ab Odryſia Thraciæ urbe oriundi. *Inopino Marte peremtis.*] Incautis ferro ſuperatis.

16. *Et ſuſtulit arma in regem.*] Et intulit ac cepit arma in regem civitatis. Vel certe ademit ſubmovitque arma, illum enim noluit interficere, cum reliquas ejus copias in bello occidiſſet. Vel *ſuſtulit*, hoc eſt, diſtulit arma. nam capta urbe, regem fugientem inſequi noluit.



17. *Ille*

Ille memor magni generis, virtute quod auget,
Protinus innumero milite cinctus adeſt,
Nec prius abſceſſit, meritâ quam cæde nocentum
Se nimis ulciſcens extitit ipſe nocens.
At tibi, Rex ævo, detur, fortiſſime noſtro,
Semper honoratâ ſceptra tenere manu.
Teque, quod & præſtat, (quid enim tibi plenius optem?)
Martia cum magno Cæſare Roma probet.
Sed memor unde abii, queror, ô jucunde ſodalis,
Accedant noſtris ſæva quod arma malis.
Ut careo vobis Stygias detruſus in oras,
Quattuor autumnos Pleïas orta facit.
Nec tu credideris urbanæ commoda vitæ
Quærere Naſonem. quærit & illa tamen.
Nam modo vos animo dulces reminiſcor amici;
Nunc mihi cum carâ conjuge nata ſubit:
Eque domo rurſus pulcræ loca vertor ad Urbis,
Cunctaque mens oculis pervidet illa ſuis.
Nunc fora, nunc ædes, nunc marmore tecta theatra,

Nunc

17. *Ille memor magni generis.* ] *Generis magni* in nonnullis. Twiſdenianus non male,

*Ille memor generis, magnâ virtute quod auget.* Heinſ.

*Ille.* ] Rex ſcilicet. *Quod auget virtute.*] Quod genus propria virtute ille magis clarum facit.

18. *Adeſt.* ] Cum magno exercitu ad oppidum captum revertit.

19. *Merita cæde nocentum.* ] Morte quam meriti fuerant nocentes Getæ, à quibus oppidum improviſo captum dixerat: nam ad unum omnes interemit.

21. *At tibi rex.* ] Nunc vertit ſermonem ad regem qui virtute oppidum Tomo finitimum recepit.

23. *Teque quod & præſtat.* ] Optat etiam Ovidius ut rex ille ſit charus Romanæ civitati & Cæſari.

25. *Sed memor unde abii.* ] Quia aliquantulum digreſſus fuerat ab eo quod ſuperius ſcripſerat, à diverticulo ad rem redit.

27. *Scythicas detruſus in oras.* ] *Stygias oras* Sarravianus, Polit. Argent. Combii, & tres alii. ſic infra,

*A Stygiis quantum ſors mea diſtat aquis?* Heinſ.

33. *Atque domo rurſus.* ] *Eque domo* bene Argent. & tres alii. Multi *Deque.* ſequenti verſu pro *pravides* reponendum eſſe *pervides*, cum *provides* ſit in nonnullis ſcriptis, ſuperiori Elegia monuimus. Arondelianus *mens oculis pravidet uſa ſuis*, non *illa.* Idem.

35. *Nunc marmore tecta.* ] Vitruvius lib. 5. Poſt ſcœnam porticus ſunt conſtituendæ, uti cum imbres repentini interpellaverint, habeat populus quo ſe recipiat ex theatro. Potes etiam per theatra tecta marmore, intelligere theatrum

Digitized by Google

Nunc ſubit æquatâ porticus omnis humo.
Gramina nunc Campi pulcros ſpectantis in hortos,
Stagnaque & Euripi, Virgineuſque liquor.
At, puto, ſic Urbis miſero eſt erepta voluptas,
Quolibet ut ſaltem rure frui liceat.
Non meus amiſſos animus deſiderat agros,
Ruraque Peligno conſpicienda ſolo:
Nec quos piniferis poſitos in collibus hortos
Spectat Flaminiæ Clodia juncta viæ.
Quas ego neſcio cui colui, quibus ipſe ſolebam
Ad ſata fontanas (nec pudet) addere aquas.
Sunt ibi, ſi vivunt, noſtrâ quoque conſita quondam,
Sed

trum M. Scauri, quod maximum omnium, quæ unquam fuere humana manu facta.

37. *Gramina nunc campi.* ] Herbas campi proximi campo Martio.

38. *Stagnaque & Euripi.* ] Et aquæ ſtantes in Euripis. Hoc dicit: Et canales ac ductus aquarum, qui *Euripi* appellantur, mihi ſubeunt: quas res Romani maximo impendio parabant. *Stagnaque & Euripi, &c.* ] Aquam virginem intellige, quam Agrippa ædilis in agro Luculliano collectam, Romam perduxit, Coſſ. C. Sentio & Sp. Lucretio. *Virgo* autem appellata fuit, quod quærentibus aquam militibus puella virguncula quaſdam venas monſtravit, quas ſecuti qui foderant ingentem aquæ modum invenerunt. *Micyl.*

41. *Amiſſos agros.* ] Agros relictos, non autem ereptos ab Auguſto: quod exulibus fieri ſolebat, non relegatis.

42. *Solo Peligno.* ] In terra Pelignæ regionis. in agro Sulmonenſi.

43. *Nec quos pomiferis poſitos in montibus hortos*
*Spectat Flaminia Claudia juncta via.* ]
*Piniferis in collibus* ſcripti præſtantiores magno numero. Columellæ lib. x. *dumoſis poſiti ſub collibus horti.* Idem alibi collibus inſitos monet debere eſſe hortos. pro *Claudia* recte *Clodia* Sarravianus. prima editio *Cludia. Clodia* enim appellabatur hæc via, per quam iter Romá, Lucam, Piſtorium & Florentiam fiebat, ut ex Itinerario Antonini diſcimus. hoc eſt, per Apenninum. ut jam conſtet, quinam piniferi colles ſint Nasoni, cum Apenninus pinum etiamnum frequentiſſimam ferat. In Tabula Peutingeriana, *Ad ſextum viá Clodia.* In Gruteri Inſcriptionibus pag. CCCXCIX. & pag. CCCCXLVI. mentio fit CURATORIS. VIÆ. CLODIAE. ANNIÆ. CASSIAE. GIMINIAE. ſeu CIMINAE. *Heinſ.*

44. *Spectat Flaminia Claudia.* ] Alia hoc loco Claudia accipienda videtur, quam quæ Appia via alias dicta fuit. Et videndum, num potius de ea via hoc loco intelligendum ſit, quæ proprie Claudia dicta fuit, in parte Hetruriæ, non procul à lacu Cimino, ubi & præfecturæ Claudii, & forum Claudii aliquando fuere. De quibus locis & Plinius meminit l. 3. p. 5. Ut ſit ſententia Poëtæ: Se jam neque hortos, ſive agros, quos in Pelignis habuit, deſiderare: neque eos quos juxta Flaminiam coluit, eo loco, ubi Flaminia & Claudia via junguntur. Vide *Micyl.*

47. *Conſita quadam.* ] Malim *quondam.* atque ita unus Vaticanus. mox *contingere poſſis* meliores. *Heinſ.*



Digitized by Google

Sed non & noſtrâ poma legenda manu.
Pro quibus amiſſis utinam contingere poſſit
Hic ſaltem profugo gleba colenda mihi!
Ipſe ego pendentes (liceat modo) rupe capellas,
Ipſe velim baculo paſcere nixus oves.
Ipſe ego, ne ſolitis inſiſtant pectora curis,
Ducam ruricolas ſub juga panda boves.
Et diſcam Getici quæ norint verba juvenci:
Aſſuetas illis adjiciamque minas.
Ipſe manu capulum prenſi moderatus aratri
Experiar motâ ſpargere ſemen humo.
Nec dubitem longis purgare ligonibus arva:
Et dare jam, ſitiens quas bibat hortus, aquas.
Unde ſed hoc nobis, minimum quos inter & hoſtem
Diſcrimen murus clauſaque porta facit?
At tibi naſcenti (quod toto pectore lætor)
Nerunt fatales fortia fila Deæ.
Te modo campus habet, denſâ modo porticus umbrâ:
Nunc, in quo ponis tempora rara, Forum.

Um-

52. *Nixus baculo.*] Hærens baculo de more paſtorum.

54. *Sub juga panda.*] Sub curva juga.

55. *Quæ norunt verba.*] Malim *norint* cum uno Vaticano. & verſu præcedenti *Ducere* pro *Ducam*, ſi per ſcriptos codices liceat, ut referatur ad Tò *velim*, quod præceſſerat. *Heinſ.*

56. *Minas aſſuetas illis.*] Minas quibus aſſueverunt uti Getæ.

57. *Capulum preſſi moderatus aratri.*] *Prenſi aratri* Sarrav. Polit. & multi alii. ſed & vulgata ſcriptura ferri poteſt. Triſt. III. Eleg. x.

*Nec quiſquam preſſo vomere ſulcat humum.* Heinſ.

*Capulum.*] Stivam. *Aratri preſſi.*] Aratri depreſſi.

58. *Mota humo.*] Proſciſſa terra.

59. *Purgare arva.*] Malas herbas evellere, *Longis ligonibus.*] Ligonibus habentibus longum capulum.

60. *Et dare aquas.*] Et irrigare. *Jam bibat hortus aquas.*] Meliores omnes.

*Et dare jam, ſitiens quas bibat hortus, aquas.*

unus tamen Vatic. *quas ſitiens combibat.* Heinſ.

61. *Unde ſed hoc nobis.*] Subaudi, opto. *Inter quos.*] Inter nos Tomitanos. *Et hoſtem.*] Et Getas qui Tomon infeſtant.

62. *Facit diſcrimen minimum murus.*] Sic Virg. *Leti diſcrimine parvo.*

64. *Fortia fila.*] Proſperam vitam, cujus fila non facile rumpuntur.

65. *Campus.*] Campi Martii certamina & exercitationes. *Denſa modo porticus.*] Aliquando tenet te, inquit, porticus aliqua cum hortis nemoroſis.

66. *In quo ponis rara tempora.*] In quo raro cauſas defendis: quam rem felicitati aſcribit. Mart. *Lis nunquam, toga rara, mens quieta,*

67. Vr-

Digitized by Google

Jmbria nunc revocat: nec non Albana petentem
Appia ferventi ducit in arva rotâ.
Forſitan hîc optes, ut juſtam ſupprimat iram
Cæſar; & hoſpitium ſit tua villa meum.
Ah nimium eſt, quod, amice, petis! moderatius opta;
Et voti, quæſo, contrahe vela tui.
Terra velim propior, nullique obnoxia bello
Detur: erit noſtris pars bona demta malis.

67. *Umbria te revocat, nec non Albana petentem,*
*Appia ferventi ducit ab urbe rota.*] *Ducit in arva rota* meliores. & *Umbria nunc revocat.* pro *nec non* duo *nunc non.* Forte,
*Umbria nunc revocat, te nunc Albana petentem.* Heinſ.
*Umbria te revocat.*] In Umbriam revertis, quæ in medio Sabiniæ ac Thuſciæ olim jacebat. *Petentem Albana.*] Te euntem in Albanum prædium: Alba autem Marſis finitima fuit in excelſo ſaxo locata.

68. *Ferventi rota.*] Veloci curru.

69. *Forſitan hoc optes.*] Scribe *hîc optes* cum Sarraviano, Politian. & tribus aliis, ac primâ editione. *Heinſ.*

71. *Ah nimium eſt quod, amice, petis.*] Tò *eſt* multi non agnoſcunt. Puto,
*Ah nimium quid amice, petis?*
Idem. *Ah nimium eſt.*] Quia nunquam tibi præſtabit Auguſtus, ut relegatus in agrum tuum perveniam.

72. *Et contrahe vela tui voti.*] Et voti tui deſiderium reſtringe.

74. *Pars bona.*] Magna pars. Terentius utrumque jungit. Eunuch. I. 2. *Nam hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit.*

## EPISTOLA IX.

## MAXIMO.

### ARGUMENTUM.

Quæ mihi de rapto.] *Factus certior Poëta literis Maximi, de obitu Celſi amici, à quo unice amabatur: ſperabatque ejus precibus Maximum daturum operam, ut reduceretur in patriam: dicit ſe eam epiſtolam lacrymis madefeciſſe: nec acerbius ſibi quicquam ea re contigiſſe eo toto tempore quo fuit in Ponto, ſimul ejus erga ſe, ac etiam Maximum fidem & amorem exponit. Quam ob cauſam fatetur velle ſe quoquo poteſt modo ejus funus decorare, ſibi quoque haud ſecus ac mortuo ut opem ferat precatur.*

QUæ mihi de rapto tua venit epiſtola Celſo,
Protinus eſt lacrymis humida facta meis.
Quodque nefas dictu, fieri nec poſſe putavi,
Invitis oculis littera lecta tua eſt.
Nec quidquam ad noſtras pervênit acerbius aures
Ut ſumus in Ponto; perveniatque precor.
Ante meos oculos tanquam præſentis imago



Digitized by Google

Hæret: & exſtinctum vivere fingit amor.
Sæpe refert animus luſus gravitate carentes:
Seria cum liquidâ ſæpe peracta fide.
Nulla tamen ſubeunt mihi tempora denſius illis,
Quæ vellem vitæ ſumma fuiſſe meæ.
Cum domus ingenti ſubito mea lapſa ruinâ
Concidit, in domini procubuitque caput.
Adfuit ille mihi, cum pars me magna reliquit,
Maxime; Fortunæ nec fuit ipſe comes.
Illum ego non aliter flentem mea funera vidi,
Ponendus quam ſi frater in igne foret.
Hæſit in amplexu, conſolatuſque jacentem eſt:
Cumque meis lacrymis miſcuit uſque ſuas.
O quoties vitæ cuſtos inviſus amaræ
Continuit promtas in mea fata manus!
O quoties dixit, Placabilis ira Deorum eſt,
Vive, nec ignoſci tu tibi poſſe nega.
Vox tamen illa fuit celeberrima, Reſpice quantum
Debeat auxilii Maximus eſſe tibi.
Maximus incumbet; quaque eſt pietate, rogabit,
Ne ſit ad extremum Cæſaris ira tenax.
Cumque ſuis fratris vires adhibebit, & omnem,

Quo

9. SÆpe refert.] Sæpe repræſentat. *Luſus gravitate carentes.*] Jocos ejus minime ſeveros.

10. *Cum liquida fide.*] Cum pura & certa fide.

11. *Denſius iſtis.*] *Illis* ſcripti meliores, & poſtea, *nec fuit ipſe comes* pro *ille*. Heinſ. *Denſius.*] Crebrius. *Iſtis.*] Id eſt, temporibus Celſi, quando una eramus Romæ.

12. *Fuiſſe ſumma.*] Fuiſſe poſtrema.

14. *Concidit.*] Corruit. Deſignat autem tempus quo juſſit eum Auguſtus in exilium ire. *In caput domini.*] In caput & perniciem meam.

16. *Fortuna nec fuit ille comes.*] Ille à me diſcedentem fortunam ſecutus eſt. Illi enim ſunt fortunæ comites, qui quo ſe illa, eo & ipſi, & eorum *favor* inclinat.

17. *Mea funera.*] Meam calamitatem exiliumque.

21. *Cuſtos inviſus.*] Celſus mihi infeſtus, quod cuſtodiebat ne me interficerem.

22. *Continuit.*] Remoratus eſt. *Promptas in mea fata.*] Expeditas & paratas ad me interficiendum.

23. *Ira deorumque.*] Ira Auguſti & ejus liberorum.

25. *Quantum debeat auxilium.*] *Quantum auxilii* in uno Vaticano. rectius *Heinſ.*

29. *Cum ſuis.*] Subaudi *viribus*. *Fratris vires.*] Vires fratris Maximi, qui Auguſto quoque erat charus.

34. Niſi

Quo levius deleas, experietur opem.
:c mihi verba malæ minuerunt tædia vitæ.
Quæ tu, ne fuerint, Maxime, vana, cave.
ıc quoque venturum mihi ſe jurare ſolebat;
Non niſi te longæ jus ſibi dante viæ.
ım tua non alio coluit penetralia ritu,
Terrarum dominos quam colis ipſe Deos.
:ede mihi: multos habeas cum dignus amicos,
Non fuit è multis quolibet ille minor.
modo nec cenſus, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos ingeniumque facit.
ıre igitur lacrymas Celſo libamus ademto;
Cum fugerem, vivo quas dedit ille mihi.
;armina jure damus raros teſtantia mores;
At tua venturi nomina, Celſe, legant.
Ioc eſt, quod poſſum Geticis tibi mittere ab arvis:
Hoc ſolum eſt iſtic, quod liquet eſſe meum.
Funera nec potui comitare, nec ungere corpus:
Aque tuis toto dividor orbe rogis.
Qui potuit, quem tu pro numine vivus habebas,

Præ-

34. *Niſi te dante jus.*] Niſi te ei concedente, ut longa navigatione me adiret. [Vel etiam: Non alio, ſeu nemine niſi te dante jus longæ viæ, ut ſit in gratiam Maximi dictum.]

36. *Deos dominos terrarum.*] Auguſtum ac ejus liberos.

39. *Si modo non cenſus.*] *Nec* nonnulli. *Heinſ.* *Si modo non cenſus.*] Quia dixerat. Celſum non fuiſſe minorem aliquo ex amicis Maximi, oſtendit id verum eſſe ſi hominum ingenia & mores conſideramus, non fortunas, aut majores. *Si modo non cenſus.*] ——ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα. Theocrit. Idyl. 15. πολλοὶ γὰρ πλουτεῦσι κακοὶ, ἀγαθοὶ δὲ πένονται. ——ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα ——τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδόν ἐστι, χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει. Solonis vſ. apud Plutarchum, in ejuſdem vita.

40. *Sed probitas.*] Sed virtus. Sic Juven. *Nobilitas ſola eſt atque unica virtus.*

42. *Cum fugerem.*] Cum in exilium proficiſcerer. *Quas dedit ipſe mihi.*] *Ille* meliores. *Heinſ.*

43. *Raros mores.*] Mores nobiles, qui in raris eſſe ſolent.

44. *Venturi.*] Τοῖς ἐσσομένοισι πυθέσθαι Hom.

46. *Hoc ſolum eſt iſthic, quod licet eſſe meum.*] Ita & ſcripti. Sed *liquet eſſe* reponendum. ſic Triſt. lib. 1. Eleg. 1. ſimili modo peccatur in libris vetuſtis,
*Diſſimulare velis, tu liquet eſſe meam.*
Heinſ.

47. *Ungere corpus.*] *Tarquinii corpus bona fœmina lavit & unxit.* Ennius.

49. *Quod potuit.*] *Qui potuit* caſtigatiores. *Heinſ.*

51. *Ma-*

Digitized by Google

Præſtitit officium Maximus omne tibi.
Ille tibi exſequias, & magni funus honoris
Fecit; & in gelidos verſit amoma ſinus.
Diluit & lacrymis mœrens unguenta profuſis;
Oſſaque vicinâ condita texit humo.
Qui quoniam exſtinctis, quæ debet, præſtat amicis,
Et nos exſtinctis annumerare poteſt.

51. *Magni funus honoris.*] Τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

52. *In gelidos fudit amoma ſinus.*] *Vertit* meliores magno numero. Lege *verſit* aut *vertit*. quod eſt apud Diomedem. Gronovius *vergit* Obſervat. l. II. c. VII. qui videatur. ſic Met. IV. vſ. 506. ſcribendum monuimus ex ſententia doctiſſimi Grævii,

—— *vergit furiale venenum*
*Pectus in amborum.*

ita utuntur plerumque in ſacris inferis hoc verbo ſcriptores. Male etiam multi ex ſcriptis *aroma*. Juvenal.

*Et matutino ſudans Criſpinus amomo*
*Quantum non redolent duo funera.*

Perſius Sat. III.

—— *tandemque beatulus alto*
*Compoſitus lecto craſſiſque lutatus amomis.*

Noſter Triſt. III. Eleg. III.

*Oſſaque cum foliis & amomi pulvere miſce.*

Idem.

54. *Humo vicina.*] Terra ſepulcro ſuo contigua, vel Romæ proxima.

## EPISTOLA X.

## FLACCO.

### ARGUMENTUM.

Naſo tuus profugus.] *Ad Flaccum ſcribens Poëta, corporis languorem, ejuſque voi cauſam exponit, eumque rogat cum fratre, ut ſibi opem ferat, Auguſtumque ei mitiorem reddat.*

NAſo ſuo profugus mittit tibi, Flacce, ſalutem:
Mittere rem ſi quis, qua caret ipſe, poteſt.
Longus enim curis vitiatum corpus amaris
Non patitur vires languor habere ſuas.
Nec dolor ullus adeſt, nec febribus uror anhelis;
Et peragit ſoliti vena tenoris iter.
Os hebes eſt, poſitæque movent faſtidia menſæ:
Et queror, inviſi cum venit hora cibi.

Quod

6. S*Ed peragit.*] *Et* cum melioribus. pro *febribus anhelis* Twiſdenus *acutis*. quod placet. vox medicis familiaris. *Heinſ.*

7. *Os hebes.*] Os eſt tardum & impotens ad conficiendum cibum.

11. *La*

Quod mare, quod tellus, appone, quod educat aër;
Nil ibi, quod nobis eſuriatur, erit.
Nectar & ambroſiam, latices epulaſque Deorum,
Det mihi formoſa nava Juventa manu;
Non tamen exacuet torpens ſapor ille palatum:
Stabit & in ſtomacho pondus inerte diu.
Hæc ego non auſim, cum ſint veriſſima, cuivis
Scribere; delicias ne mala noſtra vocent.
Scilicet is ſtatus eſt, ea rerum forma mearum,
Deliciis etiam poſſit ut eſſe locus.
Delicias illi precor has contingere, ſi quis,
Ne mihi ſit levior Cæſaris ira, timet.
Is quoque, qui gracili cibus eſt in corpore, ſomnus,
Non alit officio corpus inane ſuo.
Sed vigilo, vigilantque mei ſine fine dolores;
Quorum materiam dat locus ipſe mihi.
Vix igitur poſſis viſos agnoſcere vultus:
Quoque ierit, quæras, qui fuit ante, color.
Parvus in exiles ſuccus mihi pervenit artus:
Membraque ſunt cerâ pallidiora novâ.
Non hæc immodico contraxi damna Lyæo:
Scis mihi quam ſolæ pæne bibantur aquæ

Non

11. *Latices epulaſque deorum.*] Hic exprimit quid ſit nectar & ambroſia.

12. *Gnava juventa.*] Scripti plerique *grata*, vel *Graja.* quod poſterius amplexus eſt doctiſſimus Gronovius unus ex noſtris *flava.* alius *gnara.* Sarrav. Scaligeri & Argent. *nava Juventa.* recte. ita enim ſcribebant ut paſſim in veterrimo codice Silii Italici. Seneca Hercule OEtæo,

*In tempore ipſo gnavus occurrit Lichas.*

ubi veterrimus Mediceus *novus.* hoc eſt *navus.* Vide Notas Triſt. lib. v. Eleg. III. vſ. 37. *Heinſ. Juventa.*] Grati miniſtri. Imo Hebe, quæ Latinis *Juventa* dicitur. fingunt autem Poëtæ Heben diis miniſtrare pocula. *Formoſa manu.*] Candida & pulchra manu. *Mer.*

16. *Delicias ne mala noſtra vocet.*] Lege *vocent.* cum duobus antiquis. *Heinſius.*

17. *Scilicet is ſtatus eſt.*] Ironice hoc dictum eſt, ex quo deſignat ſe præ nimio dolore non poſſe deliciis vacare.

21. *Qui eſt cibus.*] Somnus enim corpori multum conducit. unde Ovid. Metam. ita cecinit, *Somne, quies rerum. placidiſſime Somne deorum, Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris Feſſa miniſteriis mulces, reparaſque labori.*

24. *Quorum materiam dat.*] Locus ubi exulo, eſt aſper, & ideo mihi præbet materiam dolorum.

27. *Parvus in exiles ſuccus mihi pervenit artus.*] Malim *Parcus* vel *Rarus.* deinde *permanet* multi veteres. Forte *permeat* Heinſ. *Parvus ſuccus.*] Modicus humor & ſanguis.

35. *Ve-*

Digitized by Google

Non epulis oneror: quarum ſi tangar amore,
Eſt tamen in Geticis copia nulla locis.
Nec vires adimit Veneris damnoſa voluptas.
Non ſolet in mœſtos illa venire toros.
Unda locuſque nocent: & cauſſa valentior iſtis;
Anxietas animi, quæ mihi ſemper adeſt.
Hanc niſi tu pariter ſimili cum fratre levares,
Vix mens triſtitiæ mœſta tuliſſet onus.
Vos eſtis fragili tellus non dura phaſelo:
Quamque negant multi, vos mihi fertis opem.
Ferte, precor, ſemper, quia ſemper egebimus illa;
Cæſaris offenſum dum mihi numen erit.
Qui meritam nobis minuat, non finiat iram,
Suppliciter veſtros quiſque rogate Deos.

35. *Unda locuſque nocent.*] Nocet, inquit, aqua & aër, vel loci aſperitas.

38. *Vix mens triſtitia noſtra tuliſſet onus.*] Malim *mens mœſta* cum quinque ſcriptis, & priſcis editionibus. *Heinſ.*

39. *Fracta phaſelo.*] *Fragili* Barberin. bene. apud Horat. lib. III. Od. II.

——— *fragilemque mecum*
*Solvat Phaſelum.*

Prudentius lib. II. contra Symmach.

*Inſtar erant tenuis cymba fragiliſque phaſeli.*

ſupra Eleg. v.

*Nos fragili ligno vaſtum ſulcavimus æquor.*

Horatius Od. III. lib. I.

*Illi robur & æs triplex*
*Circa pectus erat, qui fragilem truci*
*Commiſit pelago ratem.*

& illum imitatus Seneca Medea,

*Audax nimium, qui freta primus*
*Rate tam fragili perfida rupit.*

Idem. *Tellus non.*] Terra mollis, cujus illiſu non poteſt navis frangi: hoc eſt, locus tutus.

43. *Non finiat.*] Non finiat me ſemper eſſe exulem.] Non finiat iram: id eſt, det ſaltem mitius exilium.



Digitized by Google

# P. OVIDII NASONIS EPISTOLARUM EX PONTO

## LIBER II.

## EPISTOLA I.

### GERMANICO CÆSARI.

ARGUMENTUM.

Huc quoque Cæſarei.] *Tiberii Neronis ovationem, quam hic digniori nomine* triumphum *appellat poëta, ad ſe in Scythiam fama pertulerat, quam dicit ſibi magnam lætitiam attuliſſe: ejuſque formam deſcribens, Cæſaris clementiam laudat, qui cum hoſtibus in bello captis vitam concesſerit, ſperat quoque majorem in modum illum uſurum in ſe eadem clementia. Deinde deos precatur, ut Tiberio longiorem vitam concedant.*

HUc quoque Cæſarei pervênit fama triumphi,
Languida quo feſſi vix venit aura Noti.
Nil fore dulce mihi Scythicâ regione putavi.
Jam minus hic odio eſt, quam fuit ante, locus.
Tandem aliquid pulſa curarum nube ſerenum
Vidi; Fortunæ verba dedique meæ.
Nolit ut ulla mihi contingere gaudia Cæſar,

Velle

1. H*Uc quoque, &c.*] Diſputat hoc loco Merula de Tiberiine ovatione, an de Germanici triumpho, eleg. hæc intelligenda ſit. Scripſit enim hæc Ovid. prox. ante obitum Auguſti anno, cum jam quadriennium in Ponto fuiſſet. Tiberius autem ovavit prox. poſt cladem Varianam anno, tertio antequam hæc ab Ovidio ſcriberentur; id quod ex Suetonio apparet. Et de triumpho Illyrico, elegiam hanc intelligimus, qui eodem anno, quo hæc à poëta ſcripta ſunt, geſtus fuit, proximo ſcilicet ante mortem Auguſti: id quod ex Suetonio colligitur. Et vide Micyllum hac de re latius diſſerentem. *M.*

2. *Vix venit.*] Vix accedit. quaſi dicat, in Scythiam, quo vix ventus Notus poteſt pervenire, acceſſit fama Cæſaris triumphi.

6. *Fortunæ verba dedique meæ.*] Et decepi fortunam meam.

7. *Nolit ut illa.*] *Ulla* cum tribus ſcriptis legendum. *Heinſ.*

11. *Quod*

Velle poteſt cuivis hæc tamen una dari.
Dî quoque, ut à cunctis hilari pietate colantur,
Triſtitiam poni per ſua feſta jubent.
Denique, quod certus furor eſt audere fateri,
Hæc ego lætitiâ, ſi vetet ipſe, fruar.
Jupiter utilibus quoties juvat imbribus agros,
Mixta tenax ſegeti creſcere lappa ſolet.
Nos quoque frugiferum ſentimus inutilis herba
Numen; & invitâ ſæpe juvamur ope.
Gaudia Cæſareæ mentis pro parte virili
Sunt mea: privati nil habet illa domus.
Gratia, Fama, tibi: per quam ſpectata triumphi
Incluſo mediis eſt mihi pompa Getis.
Indice te didici, nuper viſenda coîſſe
Innumeras gentes ad Ducis ora ſui.
Quæque capit vaſtis immenſum mœnibus orbem,
Hoſpitiis Romam vix habuiſſe locum.
Tu mihi narraſti, cum multis lucibus ante
Fuderit aſſiduas nubilus Auſter aquas,
Lumine cæleſti Solem fulſiſſe ſerenum,
Cum populi vultu conveniente die.

Atque

11. *Quod certus furor eſt audere fateri.* ] Quam rem, ut fruatur hac lætitia Poëta invito Cæſare, cum audeam profiteri, inſania quædam videtur.

12. *Si vetat.* ] *Vetet* meliores & *juvat* pro *rigat* verſu proximo. de quo dictum Art. Amor. lib. 1. vſ. 647. *Heinſius.*

14. *Tenax lappa.* ] Herba illa adhærens. Quod autem inter ſegetes naſcatur lappa, docet etiam Maro, cum inquit, *Subit aſpera ſylva, Lappaque, tribulique, interque nitentia culta.*

15. *Numen frugiferum.* ] Numen Cæſaris, quale eſt Jovis irrigantis & bonas & malas herbas. Per quod victoriam Cæſaris intelligit.

16. *Invita ope.* ] Gaudio quo nollet me Cæſar affici.

17. *Gaudia Cæſareæ mentis.* ] *Gentis* videtur ſcribendum, cum ſubjungatur, *privati nil habet illa domus. Cæſarea gens*, quomodo *gens Flavia, gens Claudia, gens Æmilia.* Heinſ.

18. *Privati nil habet illa domus.* ] Cæſarum domus nil habet proprium, ſed cum omnibus commune. quaſi dicat, Victoriam Cæſar patriæ, & civibus ſuis, non ſibi, comparare ſolet.

19. *Gratia, Fama, tibi.* ] Famæ gratias agit, quod per eam factus eſt certior de pompa Cæſarei triumphi.

21. *Indice te.* ] Te fama indicante *Ad viſenda ora ducis.* ] Ad videndum Cæſaris conſpectum.

27. *Numine cæleſti.* ] *Lumine* ex tribus ſcriptis. *Heinſ. Numine cæleſti.* ] Voluntate divina.

28. *Cum populi vultu, &c.* ] Sic ut aſpectus cæli ſereniſſimus & jucundiſſimus,

Atque ita victorem, cum magno vocis honore,
Bellica laudatis dona dediſſe viris:
Claraque ſumturum pictas inſignia veſtes,
Thura prius ſanctis impoſuiſſe focis:
Juſtitiamque ſui caſtè placaſſe Parentis;
Illo quæ templum pectore ſemper habet.
Quaque ierit, felix adjectum plauſibus omen;
Saxaque roratis erubuiſſe roſis.
Protinus argento verſos imitantia muros
Barbara cum victis oppida lata viris.
Fluminaque, & montes, & in altis paſcua ſilvis;
Arma-

mus, cum hilariſſimis populi vultibus congrueret & quaſi conſpiraret. *Pont.*

29. *Cum magna vocis honore.* ] *Magno* unus Vaticanus. *Heinſ.* *Cum magna vocis honore.* ] Cum laude eorum militum, quorum virtutes magna voce laudavit imperator, deinde etiam donis militaribus de more donavit.

30. *Bellica dona.* ] Dona militaria: ut armillas, haſtas puras, torques, phaleras, & alia id genus.

31. *Pictas veſtes.* ] Veſtes triumphales, quibus triumphantes imperatores utebantur.

33. *Juſtitiaque ſui caſtos placaſſe parentes.* ] Nemo intelligit, ut opinor, quid hæc ſibi velint. Sarravianus, Combianus, & unus Mediceus, cum prima editione & Scaligeri excerptis.

*Juſtitiamque ſui caſte placaſſe parentis.* optime. niſi quod priores duos *caſta* mendoſe. *caſte placare Deos*, ut *caſte colere Deos* Ciceroni Epiſt. ad Terentiam, *caſte Deos adire* in leg. XII. Tabb. *caſte ſacra facere*, & ſimilia paſſim in ſacris. vide Notas Faſt. IV. vſ. 726. Cæterum unice hanc emendationem illuſtrat Noſter ipſe infra l. III. Eleg. VI. de Auguſto,

*Principe nec noſtro Deus eſt manſuetior ullus:*
*Juſtitiâ vires temperat ille ſuas.*
*Nuper eram Cæſar facto de marmore templo,*
*Jam pridem poſuit Mentis in æde ſua.*

unde liquet verſu proximo ſcribendum, *Illo qua templum pectore ſemper habet.* nempe Juſtitia. Vulgati & ſcripti *quo templum.* niſi quod Arondelianus pro diverſa lectione *Illa qua.* Hæc prælo commiſſurus eram, cum incidi in magni Scaligeri ad Propertium animadverſiones, ubi pari modo Naſonianum locum caſtigatum offendi, idque ſub finem libri tertii. *Heinſ.* *Parentis.* ] Auguſtum vitricum: quem patrem appellat, per adoptionem, & Liviam matrem deſignat.

36. *Roſis roratis.* ] Roſis rore aſperſis, & recentibus, aut mane cum rore collectis.

37. *Protinus argento.* ] Portata ſunt, inquit, de more in ea ovatione triumpho ſimili, oppida ex argento, ad ſimilitndinem captarum civitatum, una cum viris ſuperatis ab ipſo Tiberio. *Veros imitantia muros.* ] *Verſos* Sarravianus & plerique alii. recte. Sequenti verſu idem Sarrav. & tres alii *pictis viris.* Excerpta Voſſii *vinctis.* Puto *fictis* ex argento videlicet. *Heinſ.*

39. *Fluminaque & montes, & in altas profluа ſilvas.* ] *In altis ſilvis* plerique vetetes. Excerpta Scaligeri, Combianus, & tres alii, *in altis paſcua ſilvis.* quod placet. niſi mavis,

Armaque cum telis in ſtrue miſta ſuis.
Deque triumphato, quod Sol incenderit, auro
Aurea Romani tecta fuiſſe fori.
Totque tuliſſe duces captivis addita collis
Vincula, pæne hoſtes quot ſatis eſſe fuit.
Maxima pars horum vitam veniamque tulêrunt:
In quibus & belli ſumma caputque Bato.
Cur ego poſſe negem minui mihi Numinis iram,
Cum videam mites hoſtibus eſſe Deos?
Pertulit huc idem nobis, Germanice, rumor,

Op-

*Fluminaque in montes & in altas profluа ſilvas.*
nam Junianus *in montes.* Arondelianus,

*Fluminaque & fontes & latis profluа ſilvis.* Idem.

40. *Cum ſtrua juncta ſuis.* ] *Mixta ſua* plerique veteres, niſi quod nonnulli *miſta ſuis.* recte. *Heinſ.*

41. *Deque tropæorum, quod Sol incenderat, auro.* ] *Incenderet* Sarrav. Argent. aliique nonnulli. Baſileenſis recte *incenderit.* Præterea unus Vaticanus: *Deque triumphato auro:* quomodo in Faſtis,

*Deque triumphato viſcera ſecta bove.*
Idem.

42. *Tecta Romani fori.* ] Domus finitimæ foro Romano: vel re vera trabes & tecta atrii, quod Cæſar Romanum forum eſſe voluit, ut eo ad jura ſimul convenirent, ut docet Appianus. Sane laquearia, quæ poſtea & in privatis domibus auro tegebantur, poſt Carthaginem everſam.

43. *Tuliſſe vincula addita collis.* ] Tuliſſe catenas, quibus eorum colla alligata erant. *Mer.*

44. *Pene hoſtes quot ſatis eſſe fuit.* ] Hoc eſt, tot numero, quot in toto aliquo exercitu hoſtium ſatis eſſet, fuiſſe: ſive qui juſtum exercitum complere ac facere potuiſſent. *Micyl.*

46. *In quibus & belli ſumma caputque fuit.* ] *Summa caputque Bato,* Sarrav. & Scaligeri codex. optime. intellige Batonem Pannoniorum, vel ut alii, Dalmatarum ducem, cujus Dio, Paterculus, Suetonius, alii meminerunt. Veram lectionem jam vidit Scaliger, qui adducit ad annum XXXIII. Chronici Euſebiani *[illegible]* pro *[illegible]* verſu ſuperiori ſcriptum. *Heinſ.*

47. *Cur ego poſſe negem minui.* ] Capta occaſione, hoſtium exemplo docet ſibi etiam ſperandum eſſe. Auguſtum iratum poſſe placari, & leniorem fieri *Cæſaris iram.* ] *Numinis* Sarrav. Scaliger. Argent. & multi alii. Polit. cum quibuſdam, *principis.* Idem.

48. *Deos.* ] Auguſtum & Tiberium. *M.*

49. *Pertulit hoc.* ] *Huc* Polit. & ſex alii. reliqui magna ex parte *hic.* Heinſ.
*Pertulit hoc idem nobis Germanice rumor.* ] Tiberio aſcribuntur à Merula falſo, quæ de Germanico ejus filio adoptivo, & ex fratre Druſo, nepote, à Poëta dicuntur. Eſt enim hæc apoſtrophe ad ipſum Germanicum, quo Poëta velut alloquens illum, oſtendit ſe eadem fama, qua de Tiberii triumpho [illegible], etiam de Germanici expeditione in Germaniam, & de oppidis ab eo [illegible] jam captis, audiviſſe: Vaticinatur [illegible] & illi ſimilem triumphum de [illegible]nis, ei quem Tiberius de Illyricis [illegible] geſſit, &c. Quare quæcunque deinceps ad finem uſque dicuntur, omnia ad Germanicum referenda erunt. Cui [illegible] & longos annos optat, victoremque [illegible]

Cap-

Oppida ſub titulo nominis iſſe tui.
Atque ea te contra, nec muri mole, nec armis,
Nec ſatis ingenio tuta fuiſſe loci.
Dî tibi dent annos! à te nam cætera ſumes;
Sint modo virtuti tempora longa tuæ.
Quod precor eveniet. ſunt quiddam oracula vatum.
Nam Deus optanti proſpera ſigna dedit.
Te quoque victorem Tarpeias ſcandere in arces
Læta coronatis Roma videbit equis.
Maturoſque Pater nati ſpectabit honores,
Gaudia percipiens, quæ dedit ipſe ſuis.
Jam nunc hæc à me; juvenum belloque togâque
Maxime, dicta tibi vaticinante nota.
Hunc quoque carminibus referam fortaſſe triumphum;
Sufficiet noſtris ſi modo vita malis.

Im-

Capitolium ſcanſurum dicit, eademque gaudia exhibiturum patri (adoptivo ſcilicet Tiberio, nam verus pater Druſus jam multo ante in Germania perierat) quæ ille antea ſuis parentibus, Auguſto ſcilicet & Liviæ exhibuiſſet. Atque eum ſe triumphum carmine tum celebraturum ait, itidem ut hunc Tiberii, de quo in præſentia agitur, ſi modo vitam eo uſque perduxerit. Ex quo loco etiam illud non obſcure colligi poteſt, Ovidium ante mortuum eſſe, quam Germanicus de Cheruſcis & Chattis triumphavit. Triumphavit autem Germanicus Coſſ. C. Cælio & L. Pomponio Flacco, qui annus poſt obitum Auguſti quartus fuit. *M.*

50. *Oppida ſub titulo nominis eſſe tui.*] *Sub titulos* caſtigabat Muretus. male. nam illa Tibulli.

*Ite ſub imperium ſub titulumque lares*,

& Noſtri Remed. Amoris,

*Sub titulum noſtros miſit avara lares*,

longe alia ſignificatione dicuntur. *Heinſ.*
*Iſſe ſub titulo.*] Eſſe ſubjectos titulo, in quo erat tuum nomen.

52. *Ingenio loci.*] Natura loci, ut puta in montibus ſita.

53. *Cætera.*] Omnes virtutes intellige, & bellicas artes.

55. *Sunt quædam oracula vatum.*] Repone vel ſine auctoritate veterum librorum, *ſunt quiddam*, hoc eſt, ſunt aliquid. Vide Notas Art. Amator. lib. III. vſ. 755. proximo verſu pro *Nam* malim *Jám.* Heinſ.

57. *Tarpeias ſcandere in arces.*] *Scandere turres* quinque veteres. Forte *rupes*. Propert.

*Tarpeium nemus & Tarpeiæ in rupe ſepulchrum.*

Ita legebat parens meus, non *Tarpeiæ turpe.* Idem.

58. *Equis.*] Equis triumphalibus. Quatuor enim equi albi currum triumphalem trahentes, etiam lauro coronabantur.

61. *Jam nunc hæc à me.*] Ordo eſt: O maxime juvenum & bello & toga, jam nunc nota quæ à me vaticinante dicta ſunt. Vel manda memoriæ hoc meum vaticinium.

64. *Sufficiet.*] *Sufficit* meliores. *Heinſ.*

 65. *Im-*

Imbuero Scythicas ſi non prius ipſe ſagittas:
Abſtuleritque ferox hoc caput enſe Getes.
Quod ſi, me ſalvo, dabitur tibi laurea templis;
Omina bis dices vera fuiſſe mea.

65. *Imbuero Scythicas ſagittas.* ] *Induero* Leidenſis, *Induere pectora telis* habes Amor. lib. II. Eleg. X. *Idem. Imbuero Scythicas ſagittas.* ] Madefecero Scytharum jacula meo ſanguine.

67. *Me ſalvo.* ] Me in patriam reducto per te: vel me incolumi, & non interempto à Scythis. *Dabitur templis.* ] Templis dicabitur. Coronæ enim triumphatoris in templis deponebantur. *Dabitur tua laurea templis.* ] *Dabitur tibi* Cuncinnius multi ex ſcriptis, à te vel per te dabitur. *Heinſ.*

68. *Omina mea.* ] Mea vaticinia: *L. dices, &c.* ] Narrabis me bis vera tibi vaticinatum fuiſſe, & quod triumphum adeptus fueris, & quod me ſervaveris. de triumpho Tiberii, de quo eleg. 2. lib. 4. & de tuo, Germanice, qui eventurus eſt.

## EPISTOLA II.

## MESSALLINO.

### ARGUMENTUM.

Ille domus veſtræ. ] *Meſſallinum rogat, ut eo quo ſolebat vultu, ſalutem accipiat miſſam vel ab ipſo mari Euxino, ubi Poëta exulabat. Eumque monet, ut lecto ejus nomine, non dubitet etiam legere totam epiſtolam: quandoquidem non perpetravit tot ac tanta mala, ut ejus carmina non poſſint ab eo legi. Deinde illum artificioſe precatur, ut quum tempus ad id idoneum extet, ſibi Auguſtum reconciliet. Poſtremo monet, ut hoc tentet ea lege, ſi viderit ſibi id minime nociturum.*

ILle domûs veſtræ primis venerator ab annis
Pulſus ad Euxini Naſo ſiniſtra freti;
Mittit ab indomitis hanc, Meſſalline, ſalutem,
Quam ſolitus præſens eſt tibi ferre, Getis.
Hei mihi, ſi lecto vultus tibi nomine non eſt
Qui fuit, & dubitas cætera perlegere!
Perlege, nec mecum pariter mea verba relega:
Urbe licet veſtrâ verſibus eſſe meis.
Non ego concepi, ſi Pelion Oſſa tuliſſet,

Clara

2. *PUlſus ad ſiniſtra Euxini.* ] Relegatus in Pontica regione, quæ ingredientibus in parte ſiniſtra apparet.

8. *Licet.* ] Quia ſi Poëta eſt exul, ejus carmina non ſunt relegata cum Poëta.

9. *Non ego concepi.* ] Non cogitavi, non in animum induxi: Rationem autem aſſignat Poëta, qua oſtendit non tanta eſſe ejus crimina, ut mereantur cum eo carmina ſua relegari: ſiquidem non bella geſſit contra Jovem, quemadmodum gigantes. Eſt autem ordo: Non ego concepi clara ſidera poſſe tangi mea manu, ſi Oſſa tuliſſet Pelion, hoc eſt, ſi

Oſſa

Digitized by Google

Clara meâ tangi ſidera poſſe manu.
Nec nos, Enceladi dementia caſtra ſecuti,
In rerum dominos movimus arma Deos.
Nec, quod Tydidæ temeraria dextera fecit,
Numina ſunt telis ulla petita meis.
Eſt mea culpa gravis, ſed quæ me perdere ſolum
Auſa ſit, & nullum majus adorta nefas.
Nil niſi non ſapiens poſſum timiduſque vocari:
Hæc duo ſunt animi nomina vera mei.
Eſſe quidem fateor, meritam poſt Cæſaris iram,
Difficilem precibus te quoque jure meis.
Quæque tua eſt pietas in totum nomen Iüli,
Te lædi, cum quis læditur inde, putas.
Sed licet arma feras, & vulnera ſæva mineris;
Non tamen efficies, ut timeare mihi.
Puppis Achæmeniden Grajum Trojana recepit:
Profuit & Myſo Pelias haſta duci.

Con-

Oſſa mons habuiſſet Pelion montem ſuperimpoſitum.

10. *Poſſe tangi.* ] Poſſe violari, quemadmodum voluere gigantes.

11. *Nec nos Enceladi.* ] Enceladus Terræ filius fuit: quem fulmine ictum, Ætnæque ſuppoſitum ſcribit Virgil. in 3. Æneid.

13. *Nec quod Tydidæ.* ] Nec etiam Venerem violavi, quemadmodum Diomedes.

15. *Sed quæ me perdere ſolum Auſa ſit.* ] Sed quod crimen mihi tantum nocuerit, non aliis. Nam quæ aliis nocent, majora ſunt crimina, quam ea quæ ſibi tantum. Ex quo deſignat, ut ſæpius dixit, peccatum ſuum errorem potius dicendum, & ideo dignum venia.

16. *Nullum majus adverſa nefas.* ] Recte. *adorta* Sarrav. Argent. Combii; Twiſd. aliique nonnulli ut apud Virgil.

*——ſimulato numine Bacchi*
*Majus adorta nefas.* Heinſ.

18. *Hæc duo nomina.* ] Imprudentis ſcilicet & timidi.

21. *In totum nomen Iuli.* ] In omnes ex gente Julia.

23. *Sed licet arma feras.* ] Malim *ferox*, ut ad τὸ *mineris* referatur. pro *efficies* verſu proximo Polit. & Arondel. *efficias.* Heinſ.

25. *Puppis Achæmeniden.* ] Notum eſt quemadmodum Achæmenides comes infelicis Ulyſſis in Sicilia Æneæ navem aſcendit, ſeque ac Trojanos omnes liberavit à Cyclopum ſævitia, ut elegantiſſime deſcribit Virgil.

26. *Myſo duci.* ] Telepho regi Myſiæ, provinciæ Phrygiæ, quæ adjacet Helleſponto: cujus hiſtoriam abunde diximus in primo de Remedio amoris. *Pelias haſta.* ] Haſta Achillis. Hoc igitur & ſequenti exemplo Auguſtum ſibi inimicum minime timendum eſſe colligit Poëta: ſiquidem hoſtes ſæpenumero etiam benigni extitere in eos, quos oderant.



27. *Tem-*

Confugit interdum templi violator ad aram,
Nec petere offenſi numinis horret opem.
Dixerit hoc aliquis tutum non eſſe; fatemur.
Sed non per placidas it mea puppis aquas.
Tuta petant alii. Fortuna miſerrima tuta eſt:
Nam timor eventûs deterioris abeſt.
[Qui rapitur fatis, quid præter fata requirat?
Sæpe creat molles aſpera ſpina roſas.
Qui rapitur ſpumante ſalo, ſua brachia cauti
Porrigit; & ſpinas duraque ſaxa capit.]

Acci-

27. *Templi violator.*] *Temerator* Feſchianus. rectius. Feſtus, *Temerare, violare ſacra & contaminare, dictum videlicet à temeritate.* apud Virgil.

*Ultus aves Troja, templa & temerata Minerva.*

Propert. lib. II. Eleg. x. de ara Herculis.

*Hæc nullis unquam pateat temeranda puellis.*

Ita ſcribe. *veneranda* male illic extat. Tibullus lib. III. Eleg. v.

*Non ego tentavi nulli temeranda virorum*
*Audax laudanda ſacra docere Dea.*

Noſter Faſt. I. ex veſtigiis vetuſtiſſimi libri,

*Ne temerent pueros exanimata faces.*

Ita ibidem tamen.

*Utque Jovis Libyci templum violare parentes:*

apud Vellejum quoque l. II. *Omnia pro tito temerata vendente rem publicam conſul* ubi *temperata* nunc legitur. *temerare*, corrumpere. ſic *fluvios temerare venenis* Noſtro Met. VII. & *corpora infandis dapibus temerare* Met. XV. Tacitus Hiſtor. IV. cap. LIII. *injectæ fundamentis argenti aurique ſtipes, & metallorum primitiæ nullis fornacibus victæ. Prædixere haruſpices, ne temeraretur opus ſaxo aurove in aliud deſtinato.* Adi Notas ad Amor. l. I. Eleg. VIII. v. 19. *Heinſius.*

29. *Dixerit hoc aliquis.*] Reſpondet huic quæſtioni. Poſſet enim aliquis dicere: Exemplis probas poëta: minime timendum eſſe offenſum Auguſti numen: ego vero conſilium tuum cenſeo non eſſe tutum, ab inimico ſalutem & bona petere. Quod & fatetur Ovidius; ſed addit, ſe cogi quaſi in tempeſtate in quemvis portum confugere. *Pont.*

30. *Mea navis.*] *Puppis* Polit. & ſex alii. *Heinſ.*

31. *Fortuna miſerrima tuta eſt.*] Quia nihil miſeriæ accedere ad ſummam poteſt, nec enim ſumma foret. *Pont.*

33. *Qui rapitur fatis,*] Nonnulli ex antiquis omittunt hoc diſtichon, quidam proximum. Alii ex ambobus unum faciunt, utroque mediorum verſuum omiſſo. Ego utrumque diſtichon ſuperfluum & tollendum eſſe cenſeo. Certe in Sarraviano ita legebatur,

*Qui rapitur....*
*Porrigit ſpinas duraque ſaxa....*

hiatu in priore ac poſteriore verſu relicto. *Heinſ.*

34. *Porrigit ad ſpinas duraque ſaxa manus.*] Qui, inquit, fatis rapitur, ſolet cuicunque loco etiam aſpero manus admovere, ut majus periculum effugiat. In vetuſtiſſimo exemplari hoc carmen ita legitur: *Sæpe creat molles aſpera ſpina roſas*, ut ſit ſenſus: Ex ſpinis ſæpe naſcunt roſæ, hoc eſt, ex triſti fato plerumque naſcitur lætum. Quibus verbis deſignat poſſe accidere, ut adverſa poëtæ fortuna, ſi confugerit ad hoſtes offenſos, mutetur in melius.

37. Acci-

Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales
  Audet ad humanos feſſa venire ſinus.
Nec ſe vicino dubitat committere tecto,
  Quæ fugit infeſtos territa cerva canes.
Da, precor, acceſſum lacrymis, mitiſſime, noſtris:
  Nec rigidam timidis vocibus obde forem.
Verbaque noſtra favens Romana ad Numina perfer,
  Non tibi Tarpejo culta tonante minus.
Mandatique mei legatus ſuſcipe cauſſam:
  Nulla meo quamvis nomine cauſſa bona eſt.
Jam prope depoſitus, certè jam frigidus æger,
  Servatus per te, ſi modo ſerver, ero.
Nunc tua pro lapſis nitatur gratia rebus;
  Principis æterni quam tibi præſtat amor.
Nunc tibi & eloquii nitor ille domeſticus adſit,
  Quo poteras trepidis utilis eſſe reis.
Vivit enim in vobis facundi lingua parentis;
  Et res hæredem repperit illa ſuum.
Hanc ego non, ut me defendere tentet, adoro.
  Non eſt confeſſi cauſſa tuenda rei.
Num tamen excuſes erroris imagine factum,

An

37. *Accipitrem metuens.*] *Accipitrem* quartinnus vetuſtiores. ſed ſi ſuperiores verſus tollantur, vulgatæ lectioni non eſt movenda controverſia. *Heinſ.*

38. *Audet ad humanos.*] *Ad humanos* ſcripti. *Idem.*

40. *Infeſtos canes.*] *Infeſtas* Combii & Ferſchii ut ſæpe alibi Noſter. Vide Notas Met. III. vſ. 140. *Idem.*

42. *Vocibus obde forem.*] *Obde ſeram* veteres quinque. Vide Notas Art. Am. II. vſ. 636. *Idem.*

44. *Tarpejo tonante.*] Jove Capitolino.

45. *Legatus.*] Vel nuncius, vel orator.

47. *Jam prope depoſitus.*] Confectus, exanimatus, ſepultus. ſic Plaut. *Vino depoſitus*: id eſt, Vino ſopitus.

48. *Si modo ſerver.*] *Server* nonnulli. *Heinſ.*

49. *Pro rebus.*] Pro rebus meis afflictis.

50. *Principis æterni quam tibi præſtet amor.*] Aut *præſtat* legendum cum Argent. aliiſque plurimis; aut *æternum præſtet*, vel *æternam*. niſi mavis *Principis alterni quam tibi præſtat amor*. ut de Tiberio etiam intelligatur. ſed verius alterum. *Heinſ.* *Principis æterni.*] Auguſti immortalis.

51. *Nunc tibi.*] Malim *mibi*. Nunc mihi adſit eloquium tuum. *Heinſ.*

56. *Non eſt confeſſi.*] Cauſam aſſignat, cur non tentet ſe à Meſſallino defendi, ut ex eo probet ſe non ob eam cauſam venerari hominis linguam. *Cauſa rei confeſſi.*] Cauſa mea, quam confeſſus ſum eſſe infirmam.

57. *Erroris origine factum.*] *Imagine* reſtituo multi; ſic lib. III. Eleg. III.

An nihil expediat tale movere, vide.
Vulneris id genus eſt, quod cum ſanabile non ſit,
Non contrectari tutius eſſe putem.
Lingua, ſile: non eſt ultra narrabile quidquam.
Poſſe velim cineres obruere ipſe meos.
Sic igitur, quaſi me nullus deceperit error,
Verba face, ut vitâ, quam dedit ipſe, fruar.
Cumque ſerenus erit, vultuſque remiſerit illos,
Qui ſecum terras imperiumque movent;
Exiguam ne me prædam ſinat eſſe Getarum,
Detque ſolum miſeræ mite, precare, fugæ.
Tempus adeſt aptum precibus. valet ipſe, videtque
Quas fecit vires, Roma, valere tuas.
Incolumis conjux ſua pulvinaria ſervat:
Promovet Auſonium filius imperium,
Præterit ipſe ſuos animo Germanicus annos,
Nec vigor eſt Druſi nobilitate minor.

Ad-

*Tu licet erroris ſub imagine crimen obumbres.* Heinſ.

58. *Tale monere.* ] *Movere* cum melioribus pleriſque. *Idem.*

59. *Vulneris id genus eſt.* ] Cauſam aſſignat, cur inter excuſandum erroris mentionem fieri non utile eſſe innuat. Appellat autem *crimen*, quo Auguſtum læſit. *vulnus*, idque inſanabile eſſe dicit.

60. *Tutius eſſe puto.* ] *Putem* cum Hafnienſi. ſequens diſtichon nonnihil eſt ſuſpectum. *Heinſ.*

62. *Meos cineres.* ] Quaſi dicat, velle poſſe celari cineres ſuos, ut ejus crimen etiam cum eo lateat.

64. *Quaſi me nullus deceperit error.* ] Fatendum eſt me peccaſſe. *Ut fruar vita.* ] Fortaſſe Auguſtus iratus, mihi vitam, quam conceſſit, adimeret.

65. *Vultuſque remiſerit illos.* ] Hoc eſt, vultus illos ſeveros & graves, quorum nutu ſive intuitu totum imperium commovetur, depoſuerit atque exhilararit. *Micyl.*

71. *Pulvinaria.* ] Accipe pro thalamo, ſive conjugio, quod pulvinariorum nomine appellat, adulandi gratia, tanquam de diis loquens, quibus in templis pulvinaria ſterni ſolebant. *Micyl.*

72. *Filius.* ] Tiberius Liviæ filius & Auguſti per adoptionem. Hic autem (ut diximus) domuit totum Illyricum, quod intra Italiam, regnumque Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interque Danubium flumen, & ſinum maris Hadriatici patet. Quas ob res triumphus ei decretus eſt, quem diſtulit, mœſta civitate clade Variana.

73. *Præterit ipſe ſuos.* ] Aliam cauſam aſſignat, ob quam Auguſtum lætum eſſe docet. Animum, inquit, majorem annis gerit Germanicus nepos Tiberii ex fratre Druſo, ſed filius per adoptionem. Is poſtea annum agens quartum atque tricesimum, diuturno morbo Antiochiæ obiit, non ſine veneni ſuſpicione, fraude Tiberii, miniſterio vero & opera Ca[illegible]ſonis, qui ſub idem tempus Syriæ præerat. auctor Tranquil.

74. *Nec vigor eſt Druſi.* ] *Druſo* [illegible]lim. *Heinſ. Nec vigor eſt Druſi nobilitate.* ] Fortior atque animoſior eſt quam [illegible]

[illegible]

Digitized by Google

Adde nurus nepteſque pias: natoſque nepotum,
 Cæteraque Auguſtæ membra valere domûs:
Adde triumphatos modo Pæonas, adde quieti
 Subdita montanæ brachia Dalmatiæ.
Nec dedignata eſt abjectis Illyris armis

Cæ-

ætate ſua. Nec Druſus nobilior eſt quam fortior, ſed pariter excellit animo ac nobilitate. Druſum autem intellige, non patrem Germanici, fratrem Tiberii, is enim multis ante annis perierat in Germania: ſed Druſum Tiberii ex Agrippina filium, cujus uxor Livia fuit, Germanici ſoror. Vide Tacitum lib. 4. Mox per *Nurus*, intellige Agrippinam Germanici, & Liviam Druſi, uxores: per neptes & nepotes, Germanici ac Druſi Junioris liberos. ut fuere, ex Germanico quidem Caligula, qui Tiberio ſucceſſit: Agrippina, quæ primum Domitio nupſit, unde Nero natus fuit, mox Claudio imperatori cohabitavit. item Nero & Druſus, qui poſt à Tiberio interempti: Julia & Druſilla, de quibus Tacitus lib. 2.

75. *Adde nurus, nepteſque pias, charoſque nepotes.*] *Adde nurum neptemque pias natoſque nepotum* Sarravianus. Polit. & tres quatuorve alii. Argent. Scaliger. multique præterea recte,

*Adde nurus, nepteſque pias, natoſque nepotum.*

quidam etiam *natoſque nepotis*, vel *nepotes*. Juliæ in Pandataria exulantis non meminit, nec Juliæ neptis: neptes intellige Agrippinam Germanici uxorem, & Livillam Druſi filiam. nurus intellige Antoniam Druſi uxorem, Livillam, quam dixi, filiam Druſi. utpote Caji Cæſaris uxorem, & Æmiliam Lepidam Lucio Cæſari deſtinatam, quæ & *nurus Cæſaris* propterea in veteri inſcriptione Bergomenſi appellatur. *nati nepotum* ſunt, quos Auguſtus videre potuit, Germanici liberi & Druſi, quorum ante meminit. Plinius lib. v. cap. XIII: auctor eſt Auguſtum eo, quo ſupremum obiit diem, anno M. Junium Syllanum neptis ſuæ nepotem jam vidiſſe genitum. *Heinſ. Charoſque nepotes.*] Cajum, Lucium, & Agrippam, Juliæ & Agrippæ filios intellige. vel Germanici junioris liberos accipe, ſub nepotum nomine, ut crebro reperies apud auctores.

76. *Cæteraque Auguſtæ membra.*] Per membra domus Auguſtæ, cæteros propinquos & familiares intelligit. *Membra domus.*] Plinius etiam eleganter membra domus appellat *partes domus*.

77. *Adde quieti ſubdita montana brachia Dalmatiæ.*] Parum Latine dicitur *Dalmatia quieti ſubdita.* quare aut *Quiriti ſubdita* ſcribendum aut *Pineti*, quicquid pro vulgata lectione ſtant membranæ veteres. Codex Regius *quieto.* Sarrav. *quietis.* Pines dux Dalmatarum à Batone proditus. Sed cum *Pinnetem* vocet Velleius, πίννην Dio, priorem conjecturam duco veriorem. *Heinſius. Pæonas.*] Hi *Pæones* à Græcis, à Romanis *Pannonii* dicebantur, & ab illis inter Illyrios numerabantur. *Adde triumphatos.*] Non de Dalmatico Auguſti triumpho accipi debet. qui ſtatim poſt devictum Antonium & Cleopatram actus fuit, annis prope quadraginta antequam hæc ab Ovidio ſcripta ſunt: ſed de Illyrico Tiberii, qui proximo ante obitum Auguſti anno geſtus eſt. id quod & particula *Modo* innuit, quod Pæonas modo triumphatos inquit: quaſi dicas, nuper, aut etiam eodem hoc anno.

79. *Nec dedignata eſt.*] Illyrii quoque ſub Alpibus agebant, imaſque valles earum, & quædam quaſi clauſtra cuſtodiebant, abruptis torrentibus implicati. In hos expeditionem ſuſcepit ipſe Auguſtus, fierique pontem imperavit. Vide Florum.

Cæſareum famulo vertice ferre pedem.
Ipſe ſuper currum placido ſpectabilis ore
  Tempora Phœbeâ virgine nexa tulit.
Quem pia vobiſcum proles comitavit euntem,
  Digna parente ſuo, nominibuſque datis.
Fratribus aſſimilis, quos proxima templa tenentes
Divus

80. *Vertice famulo.*] Capite ſubdito: ad pedes Tiberii ſe poſternere & victum fateri.

82. *Tempora Phœbêa virgine nexa tulit.*] Scribendum eſt, utcunque membranis diſſentientibus, *Penêa virgine.* Nam Daphne Penei fluminis filia. Noſter Met. 1.

*Nympha precor Penêa mane. non inſequor hoſtis.*

Doctiſſimus Gronovius ad Statium ex Pirckheimeriano codice, *Phœbeâ conjuge.* at Phœbus ipſe Met. 1. ad Daphnen,

*—— quoniam conjux mea non potes eſſe,*
*Arbor eris certe dixit mea.*

Martialis ad Apollinem,

*Fer rata vota patri. ſic te tua diligat arbor.*

Sic legendum ex optimis membranis, non *uxor*. Heinſ. *Tempora nexa.*] Caput circumdatum. *Phœbea virgine.*] Laurigera corona. Alludit autem ad Daphnem virginem amatam à Phœbo, quæ poſtea mutata fuit in laurum.

83. *Quem euntem.*] Quem Auguſtum triumphantem, & proficiſcentem ad Capitolium. *Vobiſcum.*] Cum ſua prole, & te Meſſallino, quem tanquam unum ex ducibus Auguſti, hic Poeta innuit tunc proſequutum fuiſſe triumphantem imperatorem. *Mer. Quem pia vobiſcum.*] Per prolem, Tiberii filium accipio, Druſum, qui currum patris comitatus fuerit, cum cæteris ducibus, quos hic ſub voce *Vobiſcum* intelligit. Nam ut de Tiberio & Actiaco triumpho accipiamus, repugnat temporum ratio, id quod ſupra quoque monui: & item quod ſequitur, *Digna parente ſuo, nominibuſque datis.* Neque enim adhuc nomina Cæſaris aut Auguſti acceperat Actiaco triumpho Tiberius. At ſi de Druſo intelligamus, tam de Cæſaris appellatione, quam de proprio nomine intelligere licet, quaſi qui ſe dignum Druſo patruo, & item Cæſarum gente gereret. Quare & ſuperius *Cæſareum pedem*, non Auguſti pedem; ſed Tiberii expono, qui cum Cæſaris nomen, ab Auguſto jam pridem adoptatus, gerebat. *Comitavit euntem.*] Malim *ovantem*. Suetonius in Tiberio; *Rhætico atque Vindelico bello gentes Alpinas, Pannonico Breucos & Dalmatas ſubegit. Germanico quadraginta millia dedititiorum trajecit in Galliam, quas ob res & ovans & curru urbem ingreſſus eſt.* Rem habes apud Dionem lib. IV. *Heinſ.*

84. *Nominibuſque datis.*] Malim *ratis*. Germanicus nomen ſuum non una de Germanis victoria ratum fecit. Hunc atque Druſum una cum Tiberio triumphaſſe poſt bellum Pannonicum confectum ex Dione diſcimus, etſi Druſus ipſi bello non interfuiſſet. *Idem. Nominibuſque datis.*] Et digna nominibus ab Auguſto ipſis impoſitis. Omnes ſiquidem Cæſares dicebantur, tam filii, quam nepotes.

85. *Fratribus aſſimilis.*] Proles ſimilis Cupidinibus, qui inter ſe ſunt fratres. Intelligit enim Cupidinum ſimulacra, qui fuere in æde Veneris Genitricis. Sunt tamen qui per fratres, naturalium filiorum Auguſti, Caji & Lucii ſimulacra intelligant, qui tanquam nepotes & ſucceſſores Julii Cæſaris, in æde Veneris Genitricis, ſub ipſius Cæſaris ſimulacro locati fuere, & per piam prolem accipiant Tiberium ac Druſum privignum adhuc infantes. Vel ut alii volunt, ſimilis Caſtori ac Polluci fratribus.

86. Di-

Divus ab excelſa Julius æde videt.
His Meſſallinus, quibus omnia cedere debent,
Primum lætitiæ non negat eſſe locum.
Quicquid ab his ſupereſt, venit in certamen amoris:
Hac hominum nulli parte ſecundus eris.
Hunc colis, ante diem per quem decreta merenti
Venit honoratis laurea digna comis.
Felices, quibus hos licuit ſpectare triumphos,
Et Ducis ore Deos æquiparante frui.
At mihi Sauromatæ pro Cæſaris ore videndi,

Ter-

86. *Divus Julius.*] Appianus lib. 2. de Bellis civilibus auctor eſt, Julium Cæſarem erexiſſe Veneri Genitrici templum. Hic per *Julium* intelligimus ejus ſimulacrum fuiſſe in aliquo loco eminentiori ipſius templi Veneris: aut certe ſtatuam ejus equeſtrem, quæ erat ſupra limen ædis Veneris Genitricis.

87. *His.*] Subaudi, Auguſti conjugi, liberis, & cæteris. *Quibus omnia cedere debent.*] Quaſi dicat, quibus neminem magis lætari victoria parta & triumpho credendum eſt.

89. *Venit in certamen amoris.*] Certat in amando Cæſare, hoc eſt, cum reliquis de amore contendit erga Auguſtum, & nemini concedit in amore Meſſallinus,

90. *Hac parte.*] In hoc certamine. *Parte ſecundus erit.*] *Eris* multi veteres. *Heinſ.*

91. *Hanc colit ante diem per quam decreta merenti.*] *Colet* Sarrav. & *quamque decreta.* plurimi *quamquam.* Argent. *quamquam decreta parenti.* nonnulli etiam *Hanc colis* vel *Hunc.* Forte,

*Hunc colis, ante diem per quem decreta merenti.*

ut de Tiberio intelligatur, qui Meſſallino lauream ante diem decreverit. Certe Valerium Meſſallinum Pannoniæ præfectum huic bello interfuiſſe Dio teſtatur. nec dubium quin inter legatos Tiberii fuerit, quibus hoc bello confecto ornamenta triumphalia impetrarit ab Auguſto, teſte Suetonio & Dione, hoc eſt quod *vobiſcum comitavit ovantem* paulo ante dixerat, tecum nempe & cum cæteris legatis. nam & Meſſalam Corvinum Meſſallini patrem jam ſenem à Tiberio adoleſcente obſervatum fuiſſe teſtis eſt Suetonius. ut veriſimile ſit, ipſi quoque Meſſallino eum faviſſe. *Idem.* *Hanc colit.*] Hanc Auguſti prolem veneratur Meſſallinus. Vel hanc, lauream & victoriam Auguſti, ſeu lætitiam. ut dicat: Ipſe Meſſallinus colit hanc lætitiam, per quam & ipſe poſtea etiam lauream meruit. quaſi dicat, ipſum quoque lætum debere ſibi etiam opem ferre in hujuſmodi lætitia apud Auguſtum, cujus & ipſe particeps fuit. *Ante diem, per quem decreta.*] Ante tempus & annos Meſſallini: juvenis enim admodum triumphavit. Ordo eſt: Per quam laurea decreta merenti ante diem venit comis honoratis.

93. *Felices, quibus hos.*] *Quibus O* Sarrav. & unus Vatic. *Heinſ.*

94. *Ore ducis.*] Ore Auguſti *Æquiparante deos.*] Diis ſimili. Triumphantes enim Jovis optimi maximi ornatu decorati, ſellis curulibus, toga prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali, laureaque, curru aurato per urbem vecti, in Capitolium aſcendebant. *Mer.*

95. *Si tamen hoc audis.*] *Hac* meliores. *Heinſ.*

96. Pa-

Terraque pacis inops, undaque vincta gelu.
Si tamen hæc audis, & vox mea pervenit iſtuc;
Sit tua mutando gratia blanda loco.
Hoc pater ille tuus, primo mihi cultus ab ævo,
Si quid habet ſenſûs umbra diſerta, petit.
Hoc petit & frater: quamvis fortaſſe veretur,
Servandi noceat ne tibi cura mei.
Tota domus petit hoc. nec tu potes ipſe negare,
Et nos in turbæ parte fuiſſe tuæ.
Ingenii certè, quo nos male ſenſimus uſos,
Artibus exceptis, ſæpe probator eras.
Nec mea, ſi tantum peccata noviſſima demas,
Eſſe poteſt domui vita pudenda tuæ.
Sic igitur veſtræ vigeant penetralia gentis;
Curaque ſit Superis Cæſaribuſque tui:
Mite, ſed iratum meritò mihi Numen, adora;
Eximat ut Scythici me feritate loci.
Difficile eſt, fateor, ſed tendit in ardua virtus:
Et talis meriti gratia major erit.
Nec tamen Ætnæus vaſto Polyphemus in antro
Accipiet voces Antiphateſve tuas:

Sed

96. *Pacis inops.* ] Hoſtilibus incurſionibus obnoxia. *Juncta gelu.* ] Perpetua glacie concreta.

101. *Hoc petit & frater, quamvis.* ] Hoc eſt, Idem hoc etiam, videlicet ut pro me Auguſtum depreceris, frater tuus abs re petit. niſi quod aperte hoc non facit, illud metuens, ne ea deprecatio tibi fraudi ſit apud Auguſtum. *Micyl.*

104. *In parte tua turba.* ] In parte tuorum clientum.

105. *Male uſos.* ] Quia ingenii & carminum cauſa relegatus ſum.

106. *Artibus exceptis.* ] Exceptis libris de Arte amandi, quaſi innuat, Meſſallinum in reliquis ejus ingenium probaſſe; in artibus vero amatoriis componendis damnaſſe ſemper.

109. *Sic igitur veſtra vigeant.* ] *Vivant* Barberin. malo *vireant*. Vide Notas ad lib. 1. Raptus Proſerpinæ Claudiani. *Heinſius. Penetralia.* ] Sacra & dii.

110. *Cæſaribuſque.* ] Et Auguſto, Tiberio, Druſo, Germanico, & reliquis.

112. *Eximat ut Scythici de feritate loci.* ] *Eximat* Sarrav. aliique nonnulli. *Eximat me* Argent. Lege, *Eximat ut Scythici me feritate loci.* Heinſ.

113. *Sed tendit in ardua virtus.* ] Malim *tendat.* Idem.

115. *Nec tamen, &c.* ] Facultatem impetrandi demonſtrat ex humanitate & facilitate Cæſaris, quam è contrario exaggerat. Non ages cum homine fero & inhumano, quales Polyphemus & Antiphates. *Pont.*

116. *Antiphateſve.* ] Antiphates fuit Læſtrygonum rector.

123. Sed

Sed placidus faciliſque Parens, veniæque paratus;
Et qui fulmineo ſæpe ſine igne tonat.
Qui, cum triſte aliquid ſtatuit, fit triſtis & ipſe:
Cuique ferè pœnam ſumere pœna ſua eſt.
Victa tamen vitio eſt hujus clementia noſtro:
Venit & ad vires ira coacta ſuas.
Qui quoniam patriâ toto ſumus orbe remoti;
Nec licet ante ipſos procubuiſſe Deos;
Quos colis, ad Superos hæc fer mandata ſacerdos:
Adde ſed & proprias in mea verba preces.
Sic tamen hæc tenta, ſi non nocitura putabis.
Ignoſcas: timeo naufragus omne fretum.

123. *Qui quoniam patria.* ] Malim à *patria*, & ſuperiori verſu *Venit & ad partes*, pro *vires*. Heinſ.

124. *Ante ipſos deos.* ] Ante Auguſtum & liberos.

126. *Quos colis ad ſuperos.* ] Singulis familiis dii peculiares & peculiaria ſacra erant. Sacerdotum autem partes orare pro aliis. *Pont.* *Perfer mandata.* ] *Hac fer* rectius plerique veteres. & mox *in mea verba* pro *ad* Polit. & Moret. *Heinſ.* *Sacerdos.* ] Amicus & charus Auguſto, uti ſacerdotes diis. *Mor.*

# EPISTOLA III.

## MAXIMO.

### ARGUMENTUM.

Maxime qui claris, &c. ] *Maximi fidem & conſtantiam in rebus ſuis miſeris & perditis laudat Poëta, qui non nobilitate, ut vulgus ignobile, ſed honeſtate & virtute eos probat, quos ſemel amandos ſuſcepit, hortaturque illum ut in fide perſtet, & ſibi quantum poteſt opem ferat.*

MAxime, qui claris nomen virtutibus æquas,
Nec ſinis ingenium nobilitate premi;
Culte mihi (quid enim ſtatus hic à funere differt?)
Supremum vitæ tempus aduſque meæ:

Rem

1. N*Omen virtutibus aquas.* ] *Imples* Scaligeri codex, & alii nonnulli. ut lib. 1. Eleg. 11.
*Maxime, qui tanti menſuram nominis imples.* Heinſ.

3. *Quid enim ſtatus hic à funere differt.* ] Quid enim hæc conditio exulis aliud eſt, quam mors quædam? Eſt autem hoc per parentheſin dictum. quia ſtatim ſubjungit ſe Maximum coluiſſe uſque ad extremum vitæ, hoc eſt, uſque ad tempus illud quo relegatus fuit.

5. *Non*

Digitized by Google

Rem facit, afflictum non averſatus amicum,
Qua non eſt ævo rarior ulla tuo.
Turpe quidem dictu, ſed (ſi modo vera fatemur)
Vulgus amicitias utilitate probat.
Cura quid expediat prius eſt, quam quid ſit honeſtum:
Et cum Fortunâ ſtatque caditque fides.
Nec facile invenias multis è millibus unum,
Virtutem pretium qui putet eſſe ſui.
Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint,
Non movet, & gratis pœnitet eſſe probum.
Nil, niſi quod prodeſt, carum eſt: i, detrahe menti
Spem fructus avidæ, nemo petendus erit.
At reditus jam quiſque ſuos amat, & ſibi quid ſit
Utile, ſollicitis ſupputat articulis.
Illud Amicitiæ quondam venerabile numen
Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet.
Quo magis admiror, non, ut torrentibus undis,

Com-

5. *Non averſatus.*] *Non inficiatus* alter Medonii. mox pro *ſi modo vera fatemur* forte rectius reponatur *fatendum*. in qua locutione multus eſt Lucretius. aliique optimæ notæ auctores. *Heinſ.* *Non averſatus.*] Non rejiciens, *M.* Dum me quamvis relegatum & calamitoſum pro amico agnoſcis. *Pont.*

9. *Cura quid expediat prior eſt.*] *Prius* ſcripti. *Heinſ.*

11. *Nec facile invenies.*] *Invenias* Argent. & ſex alii. *Idem.*

12. *Virtutem pretium, &c.*] Qui exiſtimet virtutem eſſe per ſe expetendam, non autem præmii gratia. Quam rem Juvenal. ita reprehendit: *Quis enim virtutem amplectitur ipſam, Præmia ſi tollas.*

13. *Ipſe decor recti.*] Ipſa virtutis pulchritudo. *Facti ſi præmia deſint.*] Lege *factis* vel *facto* ut κακοφωνία vitetur. *Heinſ.*

15. *En detrahe menti.*] *Et* Argent. & duo alii. quinque cum Twiſdenio *nil*. Scribe, *i*, *detrahe*. ut monui lib. III. Eleg. III. Amor. pro *quod prodeſt* ſi reſinxeris *quo proſit*, reddideris verſum molliorem. Amoribus,

*Me miſerum monui, quo paucas proſit in horas.*

Idem.

16. *Nemo petendus erit.*] Nemo invenietur qui velit virtutem colere.

18. *Computat articulis.*] *Supputat* ſcripti meliores. *Heinſ.* *Sollicitis articulis.*] Digitis hominis ſolliciti & curioſi in ratiocinando. In digitis enim computatio fieri ſolebat.

19. *Illud amicitia quondam venerabile numen.*] Sic Cicero, *Fructum*, inquit, *amicitia, ipſam intelligo amicitiam.* *Venerabile nomen.*] *Numen* Sarrav. *Heinſ.*

20. *Proſtat.*] Venale eſt tanquam meretrix. non enim homines amicitia ducti, amicos eligunt, ſed utilitate: & eo pacto videntur amicitiam proſtituere, hoc eſt, ad meretricandum præbere.

21. *Non ut torrentibus undis.*] *Non cum* Barberin. Lege *non, cen torrentibus undis.* Heinſ.

26. *Dum*

Communis vitii te quoque labe trahi.
Diligitur nemo, niſi cui Fortuna ſecunda eſt.
Quæ ſimul intonuit, proxima quæque fugat.
En ego, non paucis quondam munitus amicis,
Dum flavit velis aura ſecunda meis;
Ut fera nimboſo tumuerunt æquora vento,
In mediis lacerâ puppe relinquor aquis.
Cumque alii nolint etiam me noſſe videri,
Vix duo projecto treſve tuliſtis opem.
Quorum tu princeps. nec enim comes eſſe, ſed auctor,
Nec petere exemplum, ſed dare dignus eras.
Te, nihil exacto, niſi nos peccaſſe fatentem *
Sponte ſuâ probitas officiumque juvant.
Judice te mercede caret, per ſeque petenda eſt
Externis virtus incomitata bonis.
Turpe putas abigi, quia ſit miſerandus, amicum;
Quod-

26. *Dum flavit velis.* ] *Favit* legi præſtiterit. hinc *venti faventes* paſſim apud poëtas. *Heinſ.* *Aura ſecunda.* ] Sic Horat. 1. lib. carm. od. 5.

— *neſcius auræ fallacis.*

27. *Tumuerunt æquora vento.* ] Unus Voſſ. *notho*. unus Hafnienſ. *morbo*. Forte *Coro*. Heinſius.

29. *Noſſe fateri.* ] *Videri*. meliores. *Idem.*

33. *Te nihil exacto, niſi nos peccaſſe fatentem.* ] Locus mendoſiſſimus. nec juvant libri veteres. niſi quod *me* pro *nos* in nonnullis. Tanaquillo Fabro in Epiſtolis nuper editis, videbatur ſcribendum eſſe,

*Te nihil ex acto niſi te feciſſe petentem.*

quam ille caſtigationem ſuam pluribus aſtruxit in iiſdem Epiſtolis. Sed inconcinna eſt repetitio τῦ *Te*. Quid ſi reponas?

*Et nihil è facto, niſi te feciſſe, petentem.*

Longius quidem à vulgata ſcriptura hæc abeunt. ſed nil occurrit melius, verſu proximo *juvant* pro *juvat* meliores. *Id.*

*Te nihil exacto.* ] Ordo eſt, Probitas & officium ſua ſponte juvant te fatentem, exacto nihil niſi nos peccaſſe. *Exacto.* ] Alicui exigenti an ego peccaverim. Vel certe adverb. ut *exacte*, pro Exacto accipias: & eſt magna laus Maximi: quod poëta amici crimen quantum poteſt nititur celare: nec niſi inſtanter requiſitus etiam eum peccaſſe afferit. *Exigere* enim eſt per vim aliquid petere. Vel, *peccaſſe exacto*, hoc eſt, per vim erraſſe: quaſi aliqua vi me ad peccandum impulſum. Vel peccaſſe, *exacto*, ſcilicet tempore, hoc eſt, præterito. Alii legunt *Ex acto* hoc eſt, ex facto tantum peccaſſe, non voluntate.

34. *Officiumque.* ] Et officium tuum erga amicos. Senſus eſt: Verum eſt quod dixi te eſſe dignum non petere ab aliis exemplum permanendo in fide erga me, ſed dare aliis: quia te juvant & probitas & officium erga amicos: quod ſponte ſua præſtatur, non precibus, aut præmio aliquo.

37. *Turpe putas abici.* ] *Abigi* ſcribendum vel contra fidem membranarum. *Heinſ.*

41. *Corne-*

Digitized by Google

Quodque ſit infelix, deſinere eſſe tuum.
Mitius eſt laſſo digitum ſupponere mento;
Mergere quam liquidis ora natantis aquis.
Cerne, quid Æacides poſt mortem præſtet amico:
Inſtar & hanc vitam mortis habere puta.
Pirithoum Theſeus Stygias comitavit ad undas:
A Stygiis quantum ſors mea diſtat aquis!
Adſuit inſano juvenis Phocæus Oreſtæ:
Et mea non minimum culpa furoris habet.
Tu quoque magnorum laudes admitte virorum;
Utque facis, lapſo, quam potes, affer opem.
Si bene te novi; ſi, quod prius eſſe ſolebas,
Nunc quoque es, atque animi non cecidêre tui.
Quo Fortuna magis ſævit, magis ipſe reſiſtis:
Utque decet, ne te vicerit illa, caves.
Et bene uti pugnes, bene pugnans efficit hoſtis.
Sic eadem prodeſt cauſſa, nocetque mihi.

Sci-

41. *Cerne quid Æacides.*]

*Ingemit Æacides, pleneque affuſus amore,*
*Omnia, ait, ſolvam, dulcis amice tibi.*
*Teque colam inferiis, non mortis honore carebis.*
*Attollam factis digna tropæa tuis.*

Adi Homer. Iliad. ψ.

42. *Inſtar & hanc vitam.*] Puta igitur, & meam hanc vitam inſtar mortis eſſe: hoc eſt, me quoque pro mortuo habe: & ut Achilles Patroclo, ita tu mihi officium amicitiæ præſta. *Micyl.*

43. *Pirithoum.*] Hujus meminit Virg. 6.

*Nec vero Alciden me ſum lætatus euntem*
*Accepiſſe lacu, nec Theſea Pirithoumque,*
*Hi dominam ditis thalamo deducere adorti.*

44. *A Stygiâ quantum mors mea diſtat aquâ.*] *Stygiis aquis* pleríque veteres. Scribe,

*A Stygiis quantum ſors mea diſtat aquis.*

nil certius. In Triſtibus,

*Sorte nec ulla mea durior eſſe poteſt.*

atque ita alibi paſſim. Val. Flaccus l. II.

*Dictor, ait, quod, virgo, tibi nomenque genuſque*
*Quæ ſors iſta, doce.*

ſimili errore *mors* & illic nunc legitur. *Heinſ.*

45. *Juvenis Phocæus.*] Pylades Strophii Phocenſis filius.

47. *Phocæus Oreſti.*] *Oreſtæ* Sarrav. & unus Vatican. bene. Vide Notas Epiſt. Hermiones. *Heinſ.*

49. *Qui prius eſſe ſolebas.*] *Quid* Sarrav. Argent. & tres alii. duo *quod.* recte. Adi Notas ad Epiſt. Medeæ. *Idem.*

54. *Sic eadem prodeſt cauſa.*] Sic eadem cauſa prodeſt mihi, quia mihi ſuccurris defendendo, nec tanquam victum me deſeris, ſed magis reluctaris & illi repugnas. *Nocet vero.*] Quia illa mihi adverſatur & ſuperat, tenetque in cauſa.

55. In-

Digitized by Google

Scilicet indignum, juvenis rariſſime, ducis
  Te fieri comitem ſtantis in orbe Deæ.
Firmus es; &, quoniam non ſunt ea qualia velles,
  Vela regis quaſſæ qualiacunque ratis.
Quæque ita concuſſa eſt, ut jam caſura putetur,
  Reſtat adhuc humeris fulta ruina tuis.
Ira quidem primò fuerat tua juſta, nec ipſo
  Lenior, offenſus qui mihi jure fuit.
Quique dolor pectus tetigiſſet Cæſaris alti,
  Illum jurabas protinus eſſe tuum:
Ut tamen audita eſt noſtræ tibi cladis origo;
  Diceris erratis ingemuiſſe meis.
Tum tua me primùm ſolari littera cœpit;
  Et læſum flecti ſpem dare poſſe Deum.
Movit amicitiæ tum te conſtantia longæ;
  Ante tuos ortus quæ mihi cœpta fuit.
Et quod eras aliis factus, mihi natus amicus:
  Quodque tibi in cunis oſcula prima dedi.
Quod, cum veſtra domus teneris mihi ſemper ab annis
  Culta ſit, eſſe vetus nunc tibi cogor onus.

Me

55. *Juvenis rariſſime.*] *Cariſſime* plerique veteres, ſeptem *juvenum cariſſime*, Lege *juvenum rariſſime*, vel cum Politiani codice, *juvenum clariſſime*. Heinſ.

56. *Dea ſtantis in orbe.*] Fortunæ ſuperpoſitæ rotundo lapidi. quoniam inſtabilia ſunt ejus munera.

57. *Non ſunt hac.*] *Non ſunt ea* meliores. *Heinſ.*

60. *Humeris fulta carina tuis.*] *Ruina* bene Sarrav. Argent. & ſex alii. ut in illo apud Noſtrum,

*Te mea ſuppoſita veluti trabe fulta ruina eſt.*

atque ea lectio priorem editionem meam jam occuparat. tamen alius eam ſibi poſtea vindicavit. Lucanus l. VIII.

*Tu Ptolemae potes Magni fulcire ruinam.*

ſic *carina* pro *rapina* nunc legitur perperam in Elegia de obitu Mæcenatis inter Catalecta Scaligeri,

*Irreligata ratis nunquam defeſſa rapina*
*It redit in vaſtos ſemper onuſta lacus.*

Val. Flaccus libro VII.

*——ratis infandis quos ſola rapinis*
*Sævaque paſcit hyems.* Idem.

63. *Cæſaris alti.*] Ad altitudinem ſeu faſtigium imperii referendum eſt. *Pont.*

67. *Tua littera.*] Tua epiſtola. *Mer.* *Tunc tua me primum.*] Non antea. Quid enim ſolaretur, quem nondum ſontem comperiſſet. *Mer.*

68. *Deum læſum.*] Auguſtum offenſum.

70. *Ante tuos ortus.*] Antequam naſcereris. tunc enim patre tuo utebar familiariter.

74. *Nunc tibi cogor onus.*] *Me tibi cogit* veteres plerique. ſed non probo. *Heinſ.* *Vetus onus.*] Vetus amicus tibi moleſtus & oneroſus: qui tuis in pueritia mea fui oblectationi.

Me tuus ille pater Latiæ facundia linguæ,
Quæ non inferior nobilitate fuit,
Primus ut auderem committere carmina Famæ
Impulit. ingenii dux fuit ille mei.
Nec, quo ſit primùm nobis à tempore cultus,
Contendo fratrem poſſe referre tuum.
Te tamen ante omnes ita ſum complexus, ut unus
Quolibet in caſu gratia noſtra fores.
Ultima me tecum vidit, mœſtiſque cadentes
Excepit lacrymas Æthalis Ilva genis.
Cum tibi quærenti, num verus nuntius eſſet,
Attulerat culpæ quem mala fama meæ;
Inter confeſſum dubiè dubiéque negantem
Hærebam pavidas dante timore notas:

Exem-

76. *Qui non inferior.* ] *Quæ* meliores. *Heinſ.*

77. *Ut auderem committere carmina famæ.* ] Ut auderem carmina mea in publicum edere.

79. *Nec quod ſit primo nobis à tempore cultus*
*Contendo fratrem poſſe referre tuum.* ] *Poſſe negare* ſcribendum olim cenſebam. At Sarravianus, Twiſdenius, & Argent. *Nec quo ſit primum.* ut ſenſus ſit, Contendo fratrem tuum meminiſſe non poſſe, quo primum tempore a nobis cultus ſit. quaſi velit jam à longo tempore & à prima infancia fuiſſe cultum, aut ante cunas, ut ſupra dixerat. Neque aliter codex Berſmanni. eamque veram eſſe ſcripturam in epiſtolis jam vidit Tanaquillus Faber. codex Arondelianus,
*Nec quo ſit nobis à primo tempore cultus.* quo etiam in multis aliis. tres *quia* Heinſ.

81. *Ut una.* ] *Ut unus* meliores. & recte. *Idem.*

83. *Ultima te mecum vidit; mœſtiſque cadentes*
*Excepit lacrymas Italis ora genis.* ] Quid hoc eſt monſtri? Italia te ultima mecum vidit? atqui locum certum debebat deſignare, ſive Romam, ſive alium quemcunque. Scaligeri codex *Itali ſilva.* unde Avunculus meus Rutgerſius conjectura indubitata reponebat, *Æthalis Ilva.* nam *Ilva Æthalia* teſte Plinio dicta. Argent. & Barberin. *Itala ſilva.* Combii *Æthala ſilva.* unus Varic. *Æthalis ora.* at omnium veterrimus Sarravianus *Æthali ſilva.* ut nihil verius ac certius ſit hac reſtitutione. Ilva Tyrrheni maris inſula ob copiam ferri celebertiſſima. quare Virgilio dicitur, *inexhauſtis Chalybum generoſa metallis.* ubi videndus Servius. apud quem mendoſe *Quidam Ilvam Ithacam dictam volunt* pro *Æthalen.* hanc Græci Αἰθάλην & Αἰθαλίαν vocant. Vide Stephanum in Αἰθάλη. *Idem.* *Ultima ora Italiæ.* ] Ubi navem conſcendi. Significat autem Brundiſium, vel aliud oppidum.

87. *Inter confeſſum medius dubiéque negantem Hærebam.* ] Τὸ *medius* abeſt à Sarraviano & duobus aliis. Voſſ. *dubius* alius *medie.* Lege cum Argent. & Barber. *Inter confeſſum dubie dubieque negantem.* Heinſ. *Inter confeſſum.* ] Nec affirmabam, nec negabam verum eſſe quod ad te de caſu meo rumor pertulerat.

89. Interea

Exemploque nivis, quam ſolvit aquaticus Auſter,
Gutta per attonitas ibat oborta genas.
Hæc igitur referens; & quod mea crimina primi
Erroris veniâ poſſe latere vides;
Reſpicis antiquum lapſis in rebus amicum;
Fomentiſque juvas vulnera noſtra tuis.
Pro quibus optandi ſi nobis copia fiat,
Tam bene promerito commoda mille precer.
Sed ſi ſola mihi dentur tua vota; precabor,
Ut tibi ſit ſalvo Cæſare ſalva parens.
Hæc ego, cum faceres altaria pinguia thure,
Te ſolitum memini prima rogare Deos.

89. *Exemploque nivis, quam mollit aquaticus Auſter.*] Diu eſt quod *ſolvit* ſcribendum vidi. idque fragmentum Vaticanum confirmat. Metam. III.

*Quippe color nivis eſt, quam nec veſtigia duri*
*Calcavere pedis, nec ſolvit aquaticus Auſter.*

hinc & *nives ſolutæ* paſſim apud Noſtrum. Lucanus libro IX.

*—— calido non ocyus Auſtro*
*Nec reſoluta cadit.*

libro IV.

*Riphæas huc ſolve nives.*

ſic & alibi idem. *Heinſ.*

91. *Hæc igitur referens.*] *Repetens* velit reponi vir doctus. hoc eſt recordatus, ut ille interpretatur. atqui vulgata ſcriptura eundem ſenſum habet. Vide quæ notamus ad Epiſtolam Œnones. idem vir doctus in epiſtolis paulo poſt caſtigandum cenſebat;

*Reſpicies veterem lapſis in rebus amicum.*

nihilo felicius. nam *Reſpicis antiquum amicum*, quod in vulgatis eſt, minime ſollicitari debet. *Antiquus amicus* enim idem, qui & *vetus*, optimis ſcriptoribus dicitur. ſic proxima elegia,

*Tu comes antiquus, tu primis junctus ab annis.* Idem.

*Hæc referens.*] Hæc igitur animo tuo ſubjiciens tecumque reputans. *Pont.*

93. *Lapſis in rebus.*] *Laſſis* meliores omnes hoc loco, vide Notas Triſt. lib. I. Eleg. VIII. vſ. 35. *Heinſ.*

95. *Optandi.*] Eligendi pro tuis commodis.

96. *Commoda mille precor.*] Scribe *precer.* Heinſ.

97. *Sed ſi ſola mihi dentur tua vota.*] Sed ſi ſolum mihi daretur optandi copia ejus rei quam cupis.

100. *Hæc prima.*] Scilicet, ut eſſet parens ſalva cum Cæſare.



Digitized by Google

## EPISTOLA IV.

# ATTICO.

### ARGUMENTUM.

Accipe colloquium.] *Attico veterem amicitiam, ejuſque fructus ultro citroque jucundiores commemoras: quibus fretus dicit ſibi perſuadere, illum quamvis abſentem, adhuc in fide permanere: quod ut faciat, hortatur.*

ACcipe colloquium gelido Naſonis ab Iſtro,
  Attice, judicio non dubitande meo.
Ecquid adhuc remanes memor infelicis amici?
  Deſerit an partes languida cura ſuas?
Non ita Dî triſtes mihi ſunt, ut credere poſſim,
  Faſque putem jam te non meminiſſe mei.
Ante meos oculos tua ſtat, tua ſemper imago eſt:
  Et videor vultus mente videre tuos.
Seria multa mihi tecum collata recordor;
  Nec data jucundis tempora pauca jocis.
Sæpe citæ longis viſæ ſermonibus horæ:
  Sæpe fuit brevior, quam mea verba, dies.
Sæpe tuas factum venit modo carmen ad aures;
  Et nota judicio ſubdita Muſa tuo eſt.
Quod tu laudaras, populo placuiſſe putabam:
  Hoc pretium curæ dulce recentis erat.
Utque meus limâ raſus liber eſſet amici,

Non

2. JUdicio non dubitate meo.] *Dubitante* plerique. ſed *dubitande* ſcribendum cum primo Mediceo & ſex aliis. *Heinſ.*

4. *An cura languida.*] An amor debilitatus longo tempore? *Deſerit ſuas partes.*] Suum officium. *Mer.*

7. *Ante meos oculos præſto tua ſemper imago.*] *Præſens tua* quatuor libri. tres *viſa eſt.* alius *vera eſt.* Sarrav. mendoſe,

*Ante oculos noſtros tua eſt tua ſemper imago.*

Argentin.

*Ante oculos noſtros tua ſtat tua ſemper imago.*

Lege *tua ſtat, tua ſemper imago eſt. noſtros oculos* præterea plerique. *Eſſe & ſtare ante oculos* elegante dictum. Vide Notas Triſt. III. Eleg. IV. vſ. 57. Met. XI.

*Ante oculos ſtat & ille meos.* Heinſ.

16. *Erat cura.*] Nam in eo laborabas, ut putarem mea carmina à te emendata populo placere, & tuum judicium tanti facere, quanti judicium totius populi. *Mer. Hoc pretium curæ.*] Recentes labores meos in carminibus, hoc dulci pretio, approbatione videlicet tua, compenſabam & ſolabar.

17. *Lima raſus liber eſſet amici.*] *Amice* quinque aut ſex veteres. in duobus ultimis

Digitized by Google

Non ſemel admonitu facta litura tuo eſt.
Nos fora viderunt pariter, nos porticus omnis,
Nos via, nos junctis curva theatra locis.
Denique tantus amor nobis, cariſſime, ſemper,
Quantus in Æacide Neſtorideque fuit.
Non ego, ſi biberes ſecuræ pocula Lethes,
Excidere hæc credam pectore poſſe tuo.
Longa dies citius brumali ſidere, noxque
Tardior hibernâ ſolſtitialis erit.
Nec Babylon æſtum, nec frigora Pontus habebit,
Calthaque Pæſtanas vincet odore roſas:

Quam

ultimæ duæ literæ τῷ *amici* eraſæ. Scribe *limâ amicâ*, & adi Notas Triſt. lib. I. Eleg. VIII. vſ. 65. *Heinſ. Lima amici.*] Tua & amici hominis caſtigatione ac judicio.

18. *Litura non ſemel eſt facta.*] Non ſemel, ſed ſæpius expunxi quæ tu non probabas.

19. *Nos fora viderunt pariter.*] Nos eodem tempore in forum deſcendimus, auſpicaturi cauſas forenſes. Solebant enim adoleſcentuli Romani togam ſumere, & barbam ponere, eloquentiamque in foro auſpicari. Dicebantur ipſi *tyrones*, & illa actio *tyrocinium. Nos porticus omnis.*] Una etiam deambulabamus ſub porticibus Romanis.

20. *Nos cunctis curva theatra locis.*] *Junctis locis* reponendum: ut plerique ſcripti. Proximi ſedebamus in theatris. prior Thuanus *terna theatra.* ſic ſupra Triſt. IV. Eleg.

*Proque tribus reſonant terna theatra locis.*

Heinſ. *Nos via.*] Sacram viam intellige. *Curva theatra.*] Theatra ſinuoſa. *Junctis locis.*] Locis finitimis.

22. *Quantus in Æacide Actorideque fuit.*] Hic hiatus inſolens eſt Naſoni. Nec conſtant ſibi ſcripta exemplaria. Regius *Æacida Neſtorideque.* Polit. Argent. & ſeptem alii *Æacide Neſtorideque.* Antilochus certe Achilli familiaris & amicus fuit. quatuor alii cum Twiſdeniano *Æacide Teſtorideque.* ſed Calchas inter amicos Achillis nuſquam recenſetur. quanquam propter illum rixæ inter hunc & Agamemnonem exortæ. tres *Atride Tyndarideque.* duo *Atridis Tyndaridiſque.* ſed de fratrum pari Noſter hic non agit. ſeptem *Æaciden Actoridenque* Sarrav. *Æaciden Neſtorideque.* ſi quid mutandum, legam,

*Quantus in Æacidis Actoridiſque fuit.*

nam Achillis & Patrocli amicitia nobiliſſima, ſic *Hectoreis* dixit epiſtola Laodamiæ. *Heinſ.*

25. *Longa dies citior.*] *Citius* Sarrav. Argent. & ſex alii, & pro *tempore*, iidem *ſidere.* Idem.

26. *Erit.*] Nonnulli *erat.* Puto, *eat.* ſic Met. I.

—— *euntem*
*Detinuit ſermone diem.* Idem.

27. *Nec Babylon æſtus.*] *Æſtum* ſcripti potiores. *Idem. Nec Babylon æſtum.*] Nec in Babylonia civitate calor ingens erit, quam Semiramis condidiſſe dicitur, fuitque caput Chaldæarum gentium: ibi eſt maximus calor propter auſtralem & orientalem plagam finitimam.

28. *Calthaque.*] Caltha, violæ genus eſt gravis odoris, & Maro Caltham luteolam appellant; quam & eandem eſſe cum calendula crediderim. *Pæſtanas roſas.*] Roſas naſcentes apud Pæſtum oppidum, quæ ſunt gravioris odoris quam caltha. *Pæſtum* enim oppidum fuit Lucaniæ, à Græcis Poſidonia appellatum, à Dorienſibus conditum, ut docet Pli-

S s 3 nius,

Digitized by Google

Quam tibi noſtrarum veniant oblivia rerum,
  Non ita pars fati candida nulla mei.
Ne tamen hæc dici poſſit fiducia mendax,
  Stultaque credulitas noſtra fuiſſe, cave:
Conſtantique fide veterem tutare ſodalem,
  Qua licet, & quantum non oneroſus ero.

nius. Virgilius: *Biferique roſaria Paſti.* Mer.

30. *Non ita pars fati.*] Hoc eſt, pars aliqua meæ fortunæ proſpera, non ita periit, ut credam te mei oblivionem cepiſſe.

33. *Tutare ſodalem.*] *Tutare* meliores omnes. *Heinſ.*

## EPISTOLA V.

## SALANO.

### ARGUMENTUM.

Condita diſparibus numeris.] *Ad Salanum ſcribit, agitque illi gratias, quandoquidem tam moleſte tulerit relegationem ſuam, quamvis modico amicitiæ uſu illi junctus fuerit: dicitque ſibi gratum fuiſſe, carmina ſua à ſe laudata fuiſſe. Eum deinde rogat, ut ſi ad ejus aures liber de triumpho Germanici pervenerit, ejus tutelam ſuſcipiat. Poſtremo docet quandam eſſe conjunctionem ingeniorum.*

CONdita diſparibus numeris ego Naſo Salano
  Præpoſitâ miſi verba ſalute meo.
Quæ rata ſit cupio, rebuſque ut comprobet omen,
  Te precor à ſalvo poſſit, amice, legi.
Candor, in hoc ævo res intermortua pæne,
  Exigit, ut faciam talia vota, tuus.
Nam fuerim quamvis modico tibi cognitus uſu,
  Diceris exſiliis ingemuiſſe meis.
Miſſaque ab extremo legeres cum carmina Ponto;
  Illa tuus juvit qualiacunque favor.
Optaſtique brevem ſalvi mihi Cæſaris iram;

Quod

SALANO.] Ita ſcripti potiores. cum SOLANO perperam legatur hactenus. quatuor veteres SALINO. *Heinſ.*

1. *Condita verba.*] Verba compoſita. *Diſparibus numeris.*] Verſibus elegis.

7. *Ab modico uſu.*] A parva conſuetudine.

9. *Euxino Ponto.*] *Extremo* Polit. Combii, & multi alii. mox paulo ante pro *junctus ab uſu* duo veteres *cognitus uſu.* Heinſ.

11. *Brevem fieri, mihi Cæſaris iram.*] *Salvi Cæſaris* Sarrav. Argent. prim. Med. aliique complures. ſic ſupra Eleg. III. ſub finem,

*Ut tibi ſit ſalvo Cæſare ſalva parens.*

tres alii *ſalvo mihi* cum Twiſdeniano. *Idem.*

13. Tui

Quod tamen optari, ſi ſciat, ipſe ſinat.
Moribus iſta tuis tam mitia vota dediſti:
Nec minus idcirco ſunt ea grata mihi.
Quoque magis moveare malis, doctiſſime, noſtris,
Credibile eſt fieri conditione loci.
Vix hac invenias totum (mihi crede) per orbem
Quæ minus Auguſtâ Pace fruatur, humum.
Tu tamen hîc ſtructor inter fera prælia verſus
Et legis, & lectos ore favente probas.
Ingenioque meo, venâ quod paupere manat,
Plaudis; & è rivo flumina magna facis.
Grata quidem ſunt hæc animo ſuffragia noſtro;
Vix ſibi cum miſeros poſſe placere putes.
Dum tamen in rebus tentamus carmina parvis,
Materiæ gracili ſufficit ingenium.
Nuper ut huc magni pervênit Fama triumphi;
Auſus ſum tantæ ſumere molis opus.

Obruit

13. *Tuis moribus.* ] Tuæ benignitati. hujuſmodi enim vota manant à benignis moribus.

15. *Doctiſſime.* ] Malim *mitiſſime* cum fragmento Vaticano. *juſtiſſime* Arondel. *Heinſ.*

17 *Vix hac invenias totum (mihi crede.)* ] Auguſtam pacem non tantum, quæ ab Auguſto parta ſit, accipio, ut Merula, ſed & ſacram venerabilemque: perinde ut auguſta templa, auguſta loca, dicimus, hoc eſt, ſacra & veneratione digna. *Mic.*

18. *Pace fruatur humus.* ] Concinnius *humum* veteres decem & Gryphii editio. *Heinſ.*

19. *Tu tamen hic ſcriptos.* ] *Huc ſtructos* Sartav. duo *inſtructos.* tres *hos ſtructos.* Reliqui omnes fere, *hic ſtructos.* Scribe *hic ductos. Ducere & deducere verſum* Noſtro familiare. Triſt. v. Eleg. I.

*Ipſa nos emendo. ſed ut hic deducta leguntur.*
*Non ſunt illa ſuo barbariora loco.*

ſupra,

*Inque tot adverſis carmen mirabitur ullum*
*Ducere languenti me potuiſſe manu.*

& lib. I. Triſt. Eleg. x.

*Sæpe maris pars intus erat. tamen ipſe trementi*
*Carmina ducebam qualiacunque manu.*

Pont. IV. Eleg. II.

*Ducitur & digitis littera rara meis.*

*deductum carmen* Noſtro Pont. IV. El. I. & Virgilio in Bucolicis. *Idem.*

22. *Plaudis.* ] Gratularis. *E rivo.* ] Ex parva poëticæ facultate. *Magna facis.* ] *Trahis* eleganter unus Vatican. *Heinſius.*

24. *Vix ſibi cum miſeros.* ] Senſus eſt: Grata ſunt & læta quæ pro me facis: quamvis vix credibile ſit, miſerum quemque poſſe ulla re gaudere, & illi eam placere. Vel hoc dicit: Gratum eſt à te probari carmen meum, quod tuo judicio aliquid eſſe exiſtimo. nam meo judicio nihil eſt quod credam. Vix enim in hac miſeria mihi ipſi placeo, nedum carmina mea.

28. *Tantæ ſumere molis onus.* ] *Opus* meliores plerique. *Heinſ.*



Digitized by Google

Obruit audentem rerum gravitaſque nitorque:
Nec potui cœpti pondera ferre mei.
Illic quam laudes, erit officioſa voluntas.
Cætera materiâ debilitata jacent.
Quod ſi forte liber veſtras pervênit ad aures;
Tutelam mando ſentiat ille tuam.
Hoc tibi facturo, vel ſi non ipſe rogarem,
Accedat cumulus gratia noſtra levis.
Non ego laudandus, ſed ſunt tua pectora, lacte
Et non calcatâ candidiora nive.
Mirariſque alios, cum ſis mirabilis ipſe;
Nec lateant artes, eloquiumque tuum.
Te juvenum Princeps, cui dat Germania nomen,
Participem ſtudii Cæſar habere ſolet.
Tu comes antiquus, tu primis junctus ab annis,
Ingenio mores æquiparante, places.
Te dicente prius fit protinus impetus illi:
Teque habet, elicias qui ſua verba tuis.
Cum tu deſîſti, mortaliaque ora quierunt,
Clauſaque non longâ conticuêre morâ;

Sur-

29. *Gravitaſque nitorque.* ] Gravitas ad rerum magnitudinem, *nitor* vero ad pulchritudinem & nobilitatem illarum refertur.

30. *Nec potui ferre pondera mei cœpti.* ] Nec potui æquare verſu meo rerum magnitudinem: quia non reſpondebat carmen meum rebus geſtis, quæ erant majores meo verſu.

31. *Illic quam laudes.* ] In deſcribendo tamen hujuſmodi triumpho, quamvis non ita eleganter rei magnitudinem aſſecutus ſit, laudandam tamen eſſe dicit voluntatem officioſam.

32. *Materiâ debilitante jacent.* ] *Debilitata* meliores. & *Quod ſi forte liber* non *Qui.* & *Hoc tibi facture* pro *Hac.* Heinſ.

33. *Liber.* ] Carmen meum de triumpho Germanici.

37. *Non ego laudandus.* ] Docet, ne videatur arrogans, libellum ſuum non eſſe laude dignum: ſed ſi qua laus acceſſerit hujuſmodi operi, id adſcribendum eſſe candori & ingenio ipſius Salani.

42. *Participem ſtudiis.* ] *Studii* meliores. neque aliter ſcriptores *Latini.* & verſu proximo iidem codices *comes antiquus* pro *antiquis.* Heinſ.

45. *Te dicente prius.* ] Te prius declamante. *Fit protinus impetus illi.* ] Vis eloquentiæ ſubito in Germanico exoritur: & excitatur cupiditas dicendi & te æquandi. *Teque habet.* ] Et habet in te ſtudiis prævium & ducem quaſi alterum præceptorem.

47. *Cum tu deſiſtis.* ] *Deſiſti* cum melioribus pro *deſiiſti.* Heinſ. *Mortaliaque ora quierunt.* ] *Mortalia* appellat, ut oſtendat Salanum mortalem, Germanicum vero Cæſarem divum fuiſſe.

48. *Tectaque ora.* ] *Clauſaque* veteres multi: cum nonnullis editionibus. *Heinſ.*

49. In-

Surgit Iülêo juvenis cognomine dignus,
Qualis ab Eöis Lucifer ortus aquis.
Dumque ſilens adſtat, ſtatus eſt vultuſque diſerti,
Spemque decens doctæ vocis amictus habet.
Mox, ubi pulſa mora eſt, atque os cæleſte ſolutum,
Hoc Superos jures more ſolere loqui.
Atque, Hæc eſt, dicas, facundia Principe digna:
Eloquio tantum nobilitatis ineſt.
Huic tu cum placeas, & vertice ſidera tangas,
Scripta tamen profugi vatis habenda putas.
Scilicet ingeniis aliqua eſt concordia junctis,
Et ſervat ſtudii fœdera quiſque ſui.
Ruſticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ navita puppis amat.
Tu quoque Pïeridum ſtudio, ſtudioſe, teneris;
Ingenioque faves, ingenioſe, meo.
Diſtat opus noſtrum; ſed fontibus exit ab iſdem:
Artis & ingenuæ cultor uterque ſumus.
[Thyrſus enim vobis, geſtata eſt laurea nobis;

Sed

49. *Juvenis.*] Germanicus.

52. *Spemque decens docta vocis amicus habet.*] Hæc nihili ſunt. quinque veteres *decens.* Scribe *Spemque decens docta vocis amictus habet.* In ipſo amictu ac toga decenter complicata jam ſpes eſt eruditæ vocis. Quintilianus aliique artis oratoriæ magiſtri non minimum referre nos docent ad commendationem oratoris, ut togam decenter componat. Superiori etiam verſu recte libri veteres *ſilens adſtat*, non *ſilent*. Hæc jam ante multos annos in codice meo caſtigaram, quem poſtea peregrinatione à me ſuſcepta, dum domo abſum, ſororis meæ maritus Gulielmus Gœſius vir ordinis apud Batavos noſtros Senatorii Typographis edendum tradidit. Ut mirer extitiſſe nuper, qui ſibi vindicaret hanc caſtigationem. *Idem.*

53. *Ubi pulſa mora eſt.*] Quando ſilentium quod aliquandiu tenuit, rupit. *Atque os cæleſte ſolutum.*] Et Germanici divinum os loqui cœpit.

59. *Ingeniis junctis.*] Ingeniis conjunctis & colligatis in aliqua diſciplina. Ingeniorum enim ſimilitudo amicitias conglutinat.

60. *Servat fœdera ſui ſtudii.*] Et retinet conjunctionem illam quæ eſt in ipſis ſtudiis & diſciplinis.

65. *Diſtat opus noſtrum.*] Quia tu vacas eloquentiæ, ego vero poëticæ facultati. *Ab iiſdem fontibus.*] Ab iiſdem Muſis.

67. *Thyrſus enim vobis, geſtata eſt laurea nobis.*] Mihi totum diſtichon hoc dubiæ fidei eſt ſuſpectum. Κακοφωνία enim iſta, *vobis, nobis, ambobus* mire offendit aures. deinde vix eſt aſſequi quid velit. Nam in ſcriptis codicibus monſtra lectionum comparent. Sarravianus,

*Thyrſus ſubleſtate geſtata eſt laurea nobis.*

Combianus *Thyrſus ubi eſt à te.* Polit. & fragmentum Vaticanum cum Rottendorphiano,

*Delphica non æque geſtata eſt laurea nobis.*

Sed tâmen ambobus debet ineſſe calor.]
Utque meis numeris tua dat facundia nervos;
Siç venit à nobis in tua verba nitor.
Jure igitur ſtudio confinia carmina veſtro,
Et commilitii ſacra tuenda putas.
Pro quibus ut maneat, de quo cenſeris, amicus
Comprecor ad vitæ tempora ſumma tuæ:
Succedatque tuis orbis moderator habenis.
Quod mecum populi vota precantur idem.

tres *Thyrſus ineſt vobis.* duo, *adeſt.* pro *ſed tamen* unus Medic. *ſed favor.* Puto *ſed par.* Heinſ. *Thyrſus enim vobis.*] Per *thyrſum*, oratoriam facultatem intelligit: per *lauream*, poëticam. Quaſi dicat, Vos Bacchi ſtimulis agitamini, nos Apollinis: quibus tamen utriſque ſuus calor eſt, ſuuſque impetus. *Micyl.*

70. *Sic venit à nobis in tua verba nitor.*] Ab arte poëtica: à qua non alienus eſt orator. Ita enim Cic. 1. de Oratore. *Eſt enim finitimus oratori poëta, numeris aſtrictior paulò, verborum autem licentia liberior, multis verò ornandi generibus ſocius, ac pene par.* &c.

72. *Sacra commilitii.*] Carmina confinia veſtro ſtudio. ut ſit ſenſus: Jure igitur defendis carmina confinia & quaſi cognata veſtro, id eſt, oratorio ſtudio: & ſacra & commilitii, hoc eſt, in quibus iidem quaſi commilitones ſumus. *Micyl.*

73. *Pro quibus ut maneas.*] Sit ſenſus: Pro quibus comprecor, ut ille de quo cenſeris, hoc eſt, in cujus amicitia ac familiaritate tanquam certa aliqua claſſe cenſeris ac numeraris. ſive de cujus fama ac dignitate, tua quoque dignitas augetur ac creſcit, tibi amicus maneat ad finem vitæ uſque tuæ: idemque ſuccedat in imperio ſuis habenis, hoc eſt, ſibi debitis ac deſtinatis non Auguſto, cui jam tum ſucceſſor deſtinatus erat Tiberius: ſed vel Tiberio ipſi, vel ipſius filio Druſo. Vel rurſum; *De quo cenſeris*, pro, quem modo poſſides, qui nunc tuus eſt, & velut pars quædam cenſus tui, ſive earum rerum de quibus cenſeris. Vel, de cujus gratia & favore tua dignitas & æſtimatio pendet. *Mic. Pont.*

75. *Succedatque ſuis orbis moderator habenis.*] *Tuis habenis* magna ex parte veteres, pro *moderator* unus Haſnienſis *moderamen.* argute. ut imperium Germanico voveat ac apprecetur. ſuccedat tuis habenis ac regimini orbis moderamen. Putean. & unus Thuan. *moderandus.* vetuſtiſſimus Sarravianus *moderatus.* Heinſ.

## EPISTOLA VI.

## GRÆCINO.

### ARGUMENTUM.

Carmine Græcinum.] *Ad Græcinum ſcribens Poëta, cum monet ut crimen admiſſum culpet, quandoquidem præterita mutari non poſſunt. Illum poſtremo monet, ut malit ſibi lapſo opem aliquam ferre, ut facit, quam condemnare quæ potius excuſanda ſunt.*

CArmine Græcinum, qui præſens voce ſolebat,
Triſtis ab Euxinis Naſo ſalutat aquis.

Ex-

1. *Quem præſens.*] Qui Sarrav. & Patav. *Heinſ.*

3. Pro-

Exſulis hæc vox eſt. præbet mihi littera linguam:
Et, ſi non liceat ſcribere, mutus ero.
Corripis, ut debes, ſtulti peccata ſodalis:
Et mala me meritis ferre minora doces.
Vera facis, ſed ſera, meæ convicia culpæ.
Aſpera confeſſo verba remitte reo.
Cum poteram recto tranſire Ceraunia velo,
Ut fera vitarem ſaxa, monendus eram.
Nunc mihi naufragio quid prodeſt diſcere facto,
Quam mea debuerit currere cymba viam?
Brachia da laſſo potius prendenda natanti:
Nec pigeat mento ſuppoſuiſſe manum.
Idque facis, faciſque precor. ſic mater & uxor,
Sic tibi ſint fratres, totaque ſalva domus.
Quodque ſoles animo, quod ſemper voce precari,
Omnia Cæſaribus ſic tua facta probes.
Turpe erit in miſeris veteri tibi rebus amico
Auxilium nullâ parte tuliſſe tuum.
Turpe referre pedem, nec paſſu ſtare tenaci:
Turpe laborantem deſeruiſſe ratem.
[Turpe ſequi caſum, & fortunæ cedere, amicum
Et, niſi ſit felix, eſſe negare ſuum.]

Non

3. *Præbet mihi littera linguam.*] Carmen meum eſt mihi loco linguæ, ad ſalutandum amicos.

6. *Et mala me meritis ferre minora doles.*] Ita ſcripti conſtanter. neque tamen conveniens homini amico eſt, iſta tam immanis aſperitas mentis, ut doleat pœnam Naſoni ab Auguſto irrogatam eſſe infra ejus meritum. Quare aſſentior Tanaquillo Fabro reponenti *doces* pro *doles*. Heinſ.

7. *Vera facis, ſed ſera mea.*] Ordo verborum ſic habet: Facis tu quidem convicia vera culpæ meæ, ſed ſera tamen. Quare remitte aſpera verba, hoc eſt, deſine crimen objicere mihi confeſſo, &c. *Micyl.*

9. *Ceraunia.*] Ceraunia montes ſunt altiſſimi Epiri. Dicuntur quoque *Acroceraunia.* Lucanus libro quarto: *Scopuloſa Ceraunia nautæ Summa timent.*

11. *Quid prodeſt dicere.*] Imo *diſcere* cum Sarrav. & aliis quinque. *Heinſius.*

12. *Qua mea debuerit currere cymba via.*] *Quam viam* unus Hafnienſis & unus Voſſianus recte. Vide Notas Triſt. v. Eleg. VII. vſ. 36. *Idem.*

17. *Quod ſoles ſemper precari animo.*] Quam rem ſemper mente & corde oras: ut ſcilicet probes omnia tua facta Cæſaribus.

18. *Cæſaribus.*] Auguſto, Tiberio, Druſo, ac cæteris.

23. *Turpe ſequi caſum.*] Diſtichon Ovidianæ venæ nil habet. pro *fortunæ cedere* Argent. Sarrav. & tres alii *fortunæ accedere*, Heinſ.

25. Non

Non ita vixerunt Strophio atque Agamemnone nati:
Non hæc Ægidæ Pirithoïque fides.
Quos prior eſt mirata, ſequens mirabitur ætas:
In quorum plauſus tota theatra ſonant.
Tu quoque, per durum ſervato tempus amico,
Dignus es in tantis nomen habere viris.
Dignus es: & quoniam laudem pietate mereris,
Non erit officii gratia ſurda tui.
Crede mihi, (noſtrum ſi non mortale futurum
Carmen) in ore frequens poſteritatis eris.
Fac modo permaneas lapſo, Græcine, fidelis;
Duret & in longas impetus iſte moras.
Quæ tu cum præſtes, remo tamen utor in aurâ.
Nil nocet admiſſo ſubdere calcar equo.

25. *Non ita vixerunt.* ] Non ita ſequuti ſunt caſum, deſerendo ſe in adverſis. *Nati Strophio atque Agamemnone.* ] Pyladem & Oreſtem optimos & charos amicos deſignat: Fuit enim Pylades Strophii Phocenſis filius.

26. *Ægidæ.* ] Theſei filii Ægei, Pirithoi amiciſſimi.

28. *In quorum plauſus.* ] In quorum lætitiam & favores. *Tota theatra ſonant.* ] Tota theatra reſonant, quum de illis tragœdiæ compoſitæ recitantur.

32. *Non erit ſurda.* ] Intelliget gratitudinem meam, aut intelliget ſe laudari à me; Vel non fruſtra officioſus in me eris.

35. *Lapſo Græcine fidelis.* ] Meliores *laſſo*. Heinſ.

36. *Iſte impetus.* ] Iſte ardor mihi favendi. *In longas moras.* ] In longum tempus.

37. *Quæ tu cum præſtes, remo tamen utar & aura.* ] *Quem tu* Combii, & quinque alii, tres *Quid*, duo *Quam*. Scribe, *Quem te cum præſtes*, hoc eſt fidelem, quod præceſſerat. deinde multi veteres *utor in auras* vel *utar*. Sarrav. Polit. & duo alii, *utor in aura*. quod verum eſt. Heinſ. *Remo tamen utar & aura.* ] Tamen tuo auxilio & favori addam etiam preces & exhortationes meas.

38. *Admiſſo ſubdere calcar equo.* ] *Alterno equo* Argent. ut de equis deſultoriis agat. Propertii Vertumnus lib. IV.

*Eſt etiam aurigæ ſpecies Vertumnus, & ejus*
*Trajicit alterno qui leve pondus equo.*

Manilius,

*Nec non alterno deſultor ludere dorſo*
*Quadrupedum, & ſtabiles poterit defigere plantas,*
*Per quos vadit equos.*

Lucifero alternus equus dabatur. Caſſiodorus: *Equi deſultorii per quos Circenſium miniſtri miſſus denuntiant cuiſores, Luciferi præcurſorias velocitates imitantur.* Heinſ.

EPI-

# EPISTOLA VII.

## ATTICO.

### ARGUMENTUM.

Eſſe ſalutatum.] *Ad Atticum ſcribens, primo eum ſalutat. Deinde percunctatur quid agat, & an eum amet: queriturque de fortuna, ac mala ſua breviter commemorat, & innumerabilia eſſe dicit. Poſtremo in tot tantiſque malis ſolam ſibi ſpem relictam ſolatio eſſe aſſerit: precaturque, in fide priſtina permaneat, nec ſe amicum deſerat.*

ESſe ſalutatum vult te mea littera primùm
A male pacatis, Attice, miſſa Getis.
Proxima ſubſequitur, quid agas, audire voluptas.
Et ſi, quicquid agas, ſit tibi cura mei.
Nec dubito quin ſit: ſed me timor ipſe malorum
Sæpe ſupervacuos cogit habere metus.
Da veniam, quæſo, nimioque ignoſce timori.
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo,
Omnibus unca cibis æra ſubeſſe putat.
Sæpe canem longè viſum fugit agna, lupumque
Credit; & ipſa ſuam neſcia vitat opem.
Membra reformidant mollem quoque ſaucia tactum:
Vanaque ſollicitis incutit umbra metum.
Sic ego Fortunæ telis confixus iniquis,
Pectore concipio nil niſi triſte meo.
Jam mihi fata liquet cœptos ſervantia curſus
Per ſibi conſuetas ſemper itura vias.



3. QUid agas audire voluntas.] *Voluptas* ex melioribus. *Heinſ.*

4. *Et modo quicquid agas ſit tibi cura mei.*] Sarrav. & duo alii, *Et ſi quid agis ſit.* omiſſo τῷ *modo.* pro quo alii *bene* cum Argentinenſi. alii, *jam*, vel *tu*, vel *nunc*, & ſimilia. Scribe, *Et ſi, quicquid ages, ſit tibi cura mei.* Atque ita tres ſcripti niſi quod in iis *agas.* poſſet etiam reponi,

*Eſt bene, quicquid agas, ſi tibi cura mei eſt.* Idem.

5. *Sed me timor ipſe malorum, &c.*] Non de præſentibus malis exilii tantum intelligendum, ſed de quibuſcunque. ut ſit ſenſus: Sed timor, quo ſubinde alia atque alia mala, eaque ex omni parte timeo, facit ut multos ſupervacaneos metus habeam. *Micyl.*

14. *Incitat umbra metum.*] Scribo *incutit.* neque aliter pro diverſa lectione Barberinianus. Sarravii codex *immutat.* mendoſe. *terrorem, timorem, pavorem, metum incutere* paſſim apud Ciceronem & Livium. *Heinſ.*



Digitized by Google

Obſervare Deos, ne quid mihi cedat amicè;
Verbaque Fortunæ vix puto poſſe dari.
Eſt illi curæ me perdere, quæque ſolebat
Eſſe levis, conſtans & bene certa nocet.
Crede mihi, ſi ſum veri tibi cognitus oris,
Nec fraus in noſtris caſibus eſſe poteſt;
Cinyphiæ ſegetis citius numerabis ariſtas,
Altaque quam multis floreat Hybla thymis:
Et quot aves motis nitantur in aëra pennis;
Quotque natent piſces æquore, certus eris:
Quam tibi noſtrorum ſtatuatur ſumma laborum,
Quos ego ſum terrâ, quos ego paſſus aquâ.
Nulla Getis toto gens eſt truculentior orbe:
Sed tamen hi noſtris ingemuêre malis.
Quæ tibi ſi memori coner perſcribere verſu,
Ilias eſt fatis longa futura meis.
Non igitur vereor, quod te rear eſſe verendum,
Cujus amor nobis pignora mille dedit:
Sed quia res timida eſt omnis miſer; & quia longo
Tempore lætitiæ janua clauſa meæ eſt.
Jam dolor in morem venit meus: utque caducis
Percuſſu crebo ſaxa cavantur aquis;
Sic ego continuo Fortunæ vulneror ictu:

Vixque

19. *Obſervare deos, ne quid.*] Puto deos obſervare, ne quid mihi amice, hoc eſt, proſpere atque feliciter, cedat. *Fortunæque vix poſſe verba dari*, hoc eſt, imponi. ut verbum *Puto*, ad utrumque commun adhibeatur. *Micyl.*

22. *Conſtans & bene certa nocet.*] Nunc non eſt amplius mutabilis aut levis, ſed conſtans & firma in nocendo mihi.

23. *Cognitus oris.*] *Creditus* in Arondeliano. *Heinſ.*

24. *Nec numerus noſtris caſibus eſſe poteſt.*] *Nec fraus in noſtris caſibus* Argent. & decem alii. quæ lectio magis arridet. Serrav. mendoſe, *Nec plenis noſtris caſibus eſſe potes.* Id.

25. *Cinyphiæ ſegetis.*] Cinyps fluvius eſt Garamantum, Mela ſcribit fluvium eſſe in Libya, per uberrima arva cadentem, à quo Cinyphiæ ſegetes appellantur à poëtis, hoc eſt, Libycæ. Libya enim ob maximam frumenti copiam, horreum fuit Romanorum.

33. *Perſcribere verſu.*] *Deſtringere* Twiſdenianus. pro ſtrictim recenſere eleganter. Gloſſa ejus, *i. e. exprimere & narrare.* Heinſ.

34. *Longa Ilias.*] Longum opus, ut eſt Homeri Ilias de bello Trojano.

35. *Non igitur vereor, quod te rear eſſe verendum.*] *Quo te non ſolum vererer ut verear qua terrear* Serrav. & Scaliger. ut *quia.* Heinſ.

41. *Vulneror ictu.*] *Verberor* Argent. & Fr-

Vixque habet in nobis jam nova plaga locum.
Nec magis aſſiduo vomer tenuatur ab uſu,
Nec magis eſt curvis Appia trita rotis;
Pectora quam mea ſunt ſerie cæcata laborum:
Et nihil inveni, quod mihi ferret opem.
Artibus ingenuis quæſita eſt gloria multis:
Infelix perii dotibus ipſe meis.
Vita prior vitio caret, & ſine labe peracta:
Auxilii miſero nil tulit illa mihi.
Culpa gravis precibus donatur ſæpe ſuorum:
Omnis pro nobis gratia muta fuit.
Adjuvat in duris alios præſentia rebus:
Obruit hoc abſens vaſta procella caput.
Quæ non horruerint tacitam quoque Cæſaris iram?
Addita ſunt pœnis aſpera verba meis.
Fit fuga temporibus levior: projectus in æquor
Arcturum ſubii Pleiadumque minas.

Sæpe

& Feſchii. *Idem.*

44. *Appia,* ] Via illa ab Appio cenſore ſtrata & cognominata.

45. *Serie calcata malorum.* ] *Cacata* meliores omnes magno numero. *laborum* etiam Argent. & duo alii. *Heinſ.*

49. *Et ſine labe peracta eſt.* ] Tò *eſt* abeſt à Sarrav. Argent. Twiſden. & quatuor allis. *Idem.*

52. *Fuit muta pro nobis.* ] Quia nemo amicus pro me imperatorem oravit, ut ignoſceret. *Mer.* Vel deprecatio & ſupplicatio meorum nihil effecit, ac veluti muta ac nulla fuit. *Pont.*

53. *Adjuvat aliquos.* ] *Aliquem* meliores. *aliquid* pri. Medic. Thuan. *alios.* etiam bene. Sarrav. *aliquo.* Scribe, *aliquos.* Vide Notas Triſt. III. Eleg. IV. vſ. 75. verſu proximo pro *hoc abſens* quatuor *abſentis caput.* Heinſ.

55. *Quem non obrueret taciti quoque Caſaris ira.* ] *Obruerit* multi. *Qua non obruerit* Combii. *Quod non obruerit iram* Voſſian. alius *erruerit iram.* veterrimus Sarravianus,

*Qua non horruerit tacitam quoque Caſaris iram.*

recte, ſi *horruerint* reponas. alii multi, *Quis non horruerit.* nam *Obruit* cum præceſſerit verſu ſuperiori, hic ferri non poteſt. *Idem.*

57. *Fit fuga temporibus levior.* ] Levius ſolet eſſe ſupplicium, quando exules abeunt expectato tempore navigationi apto. Aliis vero incommodis meis hoc etiam acceſſit, quod fugatus ſum triſti ſidere.

58. *Arcturum ſubii.* ] Tempore quo Arcturus magnos imbres parabat, cœpi navigare. *Arcturus* autem ſtella eſt, in cauda majoris Urſæ locata. Exoritur undecim diebus ante autumni æquinoctium, octavo calendas Octobris, id eſt, die vigeſimoquarto Septembris. *Pleiadumque minas.* ] Dictas autem putant ab eo quod eſt πλεῖν, id eſt, navigare: Hæ numero ſeptem dicuntur. *Vergilias* autem noſtri dixere, quod poſt ver exoriuntur. Oriuntur autem quarto nonas Apriles.

59. Pla-

Sæpe ſolent hyemem placidam ſentire carinæ:
Non Ithacæ puppi ſævior unda fuit.
Recta fides comitum poterat mala noſtra levare:
Ditata eſt ſpoliis perfida turba meis.
Mitius exſilium faciunt loca: triſtior iſtâ
Terra ſub ambobus non jacet ulla polis.
Eſt aliquid patriis vicinum finibus eſſe:
Ultima me tellus, ultimus orbis habet.
Præſtat & exſulibus pacem tua laurea, Cæſar:
Pontica finitimo terra ſub hoſte jacet.
Tempus in agrorum cultu conſumere dulce eſt:
Non patitur verti barbarus hoſtis humum.
Temperie cæli corpuſque animuſque juvantur:
Frigore perpetuo Sarmatis ora riget.
Eſt in aquâ dulci non invidioſa voluptas:
Æquoreo bibitur cum ſale miſta palus.
Omnia deficiunt: animus tamen omnia vincit.
Ille etiam vires corpus habere facit.
Suſtineas ut onus, nitendum vertice pleno eſt;
At flecti nervos ſi patiare, cadet.
Spes quoque, poſſe morâ miteſcere Principis iram,

Vi-

59. *Placidam hyemem.* ] Placidam tempeſtatem.

62. *Spoliis meis, &c.* ] De comitibus itineris ſive profectionis intelligo hunc locum, quorum perfidia bonis aut rebus quibuſdam ſuis ſpoliatus fuerit Poëta: Nam alibi ſatis clare ſignificat, nihil ſibi à Cæſare præter patriam, ademptum fuiſſe. *Micyl.*

64. *Sub ambobus polis.* ] Sub polo arctico & antarctico.

66. *Ultima tellus.* ] Tellus Pontica. *Mer.*

68. *Jacet ſub hoſte finitimo.* ] Manet ſub hoſte vicino. Quaſi innuat, ubique terrarum eſſe pacem à Cæſare partam, præterquam in terra, ubi exulabat.

71. *Temperie cæli corpuſque animuſque.* ] Oportet locum eligere temperatum, ad ſalubritatem corporis conſervandam, & per conſequens etiam mentis.

74. *Palus.* ] Aqua paluſtris: vel quæ defluit ex Mæotide palude, eaque ſalſa.

75. *Animus tamen omnia vincit.* ] Tamen omnia hæc incommoda ſupero animi fortitudine.

77. *Suſtineas ut onus.* ] Generaliter & γνωμικῶς dictum puto, ut ſit quaſi quædam illatio ad ſuperiora, perinde ac ſi dicat: Quare cum tanta mala mea ſint, neceſſe eſt ut ſim erecto animo ac forti, propterea quod pondera ſive onera gravia ſuſtineri aliter non poſſint, quam ſi quis erecto vertice connixus, ea in ſe ſuſcipiat. *Micyl.* *Nitendum vertice recto eſt.* ] *Vertice pleno eſt*, Sarrav. Scalig. Argent. & octo alii. recte. vide Notas Amor. II. El. XI. vſ. 41. *cades* etiam pro *cadet* verſu proximo ex ſcriptis plurimis & recte. de onere loquitur. *Heinſ.*

8 c. Fr-

Vivere ne nolim deficiamque, cavet.
Nec vos parva datis pauci ſolatia nobis,
Quorum ſpectata eſt per mala noſtra fides.
Cœpta tene, quæſo; nec in æquore deſere navem:
Meque ſimul ſerva, judiciumque tuum.

80. *Vivere ne nolim deficiamque facit.* ] *Cavet* repone ex melioribus. *Idem.*

81. *Nec vos parva datis.* ] Acquieſcimus etiam, inquit, veſtris ſolatiis ô amici, quorum præſidia & fidem in malis meis & rebus dubiis cognovi.

83. *Nec in æquore deſere navem.* ] *Deſine* veteres quatuor. adi Notas Art. Am. II. vſ. 725. *Heinſ.*

84. *Judiciumque.* ] Quia judicaſti me dignum venia, aut défenſione tua, & tua amicitia: vel quod Cæſar mihi ignoſceret.

## EPISTOLA VIII.

## MAXIMO COTTÆ.

### ARGUMENTUM.

Redditus eſt nobis. ] *Hanc epiſtolam ſcribit ad Cottam, eique gratias agit, quod ad ſe miſerit Auguſti Cæſaris, Liviæ, ac etiam Tiberii imagines: quos quoniam præſentes & aliter videre non poterat, pro diis venerabatur. Rogat deinde eos, ut ſibi mitius exilium concedant: nec patiantur eorum imagines, quas habet ſemper ſecum, eſſe in hoſtili & inviſo loco.*

REdditus eſt nobis Cæſar cum Cæſare nuper;
Quos mihi miſiſti, Maxime Cotta, Deos.
Utque tuum munus numerum, quem debet, haberet,
Eſt ibi Cæſaribus Livia juncta ſuis.
Argentum felix, omnique beatius auro,
Quod fuerit pretium cum rude, numen habet.
Non mihi divitias dando majora dediſſes,
Cælitibus miſſis noſtra ſub ora tribus.
Eſt aliquid ſpectare Deos, & adeſſe putare;
Et quaſi cum vero numine poſſe loqui.
Præmia quanta, Dei! nec me tenet ultima tellus:
Ut-

[E]ST *redditus.* ] Eſt datus. *Cæſar cum Cæſare.* ] Auguſtus cum Tiberio. Sunt [q]ui non Tiberii, ſed Druſi majoris ima[g]inem cum Auguſti imagine miſſam in[te]lligant.

5. *Argentum felix, omnique beatius auro, Quod fuerit pretium.* ] Senſus eſt. O [fe]lix argentum, & ipſi auro præferendum, quia cum per ſe, ac rude pretium ſit, hoc eſt, pretioſum & charum, nunc etiam habet numen, hoc eſt, Cæſarum imagines impreſſas, ſive cælatas. *Micyl.*

8. *Cælitibus tribus.* ] Duobus Cæſaribus & Livia. *Noſtra ſub ora.* ] Sub noſtrum conſpectum.

11. *Quantum ad me redii.* ] Decem vete-

Utque prius mediâ ſoſpes in Urbe moror.
Cæſareos video vultus, velut ante videbam:
  Vix hujus voti ſpes fuit ulla mihi.
Utque ſalutabam, numen cæleſte ſaluto.
  Quod reduci tribuas, nil (puto) majus habes.
Quid noſtris oculis niſi ſola Palatia deſunt?
  Qui locus, ablato Cæſare, vilis erit.
Hunc ego cum ſpectem, videor mihi cernere Romam.
  Nam patriæ faciem ſuſtinet ille ſuæ.
Fallor? an irati mihi ſunt in imagine vultus;
  Torvaque neſcio quid forma minantis habet?
Parce, vir immenſo major virtutibus orbe,
  Juſtaque vindictæ ſupprime lora tuæ.
Parce, precor, ſæcli decus indelebile noſtri;

Terra-

veteres *Quos poſtquam vidi.* quinque *Eſſe liber videor.* duo *Quando ad me redii.* Politiani codex *Præmia quanta, Dei!* eleganter. Sarravianus, *Quanta meridi.* mendoſe. alii aliter. *Heinſ.*

15. *Ut ſalutabam.*] Ut antequam relegarer, ſolitus eram de more mane ſalutare: quod fieri ſolebat prima & ſecunda hora. *Numen cæleſte.*] Auguſtum deum.

17. *Quid noſtris oculis niſi ſola palatia deſunt.*] Duo *deſint.* unus Medon. *deſit.* Scribe *deſit.* Virgil.

*Lac mihi non æſtate novum nec frigore deſit.* Heinſ.

18. *Ablato Cæſare.*] Amoto Auguſto. cujus præſentia nobilitat Romana Palatia, & totam urbem.

22. *Minantis habet.*] *Minacis* unus Medic. *Heinſ.*

24. *Supprime frena tua.*] *Lora* Polit. & quinque alii. *Idem.* *Supprime frena.*] Coërce iracundiam tuam qua videris exardeſcere ad me acerbius puniendum. *Pont.*

25. *Parce puer ſæcli decus admirabile noſtri.*] *Parce precor* unus Voſſ. probe. duo noſtri To *puer* non agnoſcunt: alius, *Per.* & ſane ſequentia ſatis evincunt ad Auguſtum hæc eſſe referenda, non ad Tiberium, quem poſtea eſt allocuturus. Scaliger conjiciebat, *Parce pater.* neque aliter in epiſtolis Tanaquillus Faber. Deinde *decus indelebile* reponendum ex melioribus, niſi quod Sarrav. Scaliger, & duo alii *indeflebile* mendoſe. Met. xv. *Nomenque erit indelebile noſtrum.* Poſſet etiam legi, *Parce vir, ô ſæcli.* ſic Triſt. v. Eleg. 11. ad eundem Auguſtum,

*O vir, non ipſo, quem regis, orbe minor.*

Heinſ. *Parce puer, ſecli decus.*] *Puerum* accipiamus non ætatis ratione dictum, ut qui jam prope quinquagenarius eſſet, quum Ovidius relegaretur, ſed vel propter picturæ ſpeciem: vel quod probabilius, propterea quod nuper adeo poſt mortem L. & C. Cæſarum ſcilicet, in filii locum ab Auguſto adoptatus fuiſſet. Ut puerum accipiamus, quaſi filium alterius Cæſaris, hoc eſt, Auguſti, appellatum. *Micyl.* *Puer.*] More Græco, qui etiam adultos, παῖδας vocant. Quod Latinis familiare. Virgil. 6. Æneid. *Ne pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella.* Et 5. *Niſus amore pio pueri*, nempe Euryali: —— *qui forma inſignis, viridique juventa* & alibi. Cicero Octavianum etiam appellat Puerum. proinde & honoris eſt nomen. *Puer regius.* Virg. 5. Æn. Et 9. *Venerande puer.* Aſcanius ad Euryalum.

27. Pr

Terrarum dominum quem ſua cura facit.
Per patriæ nomen, quæ te tibi carior ipſo eſt;
Per nunquam ſurdos in tua vota Deos;
Perque tori ſociam, quæ par tibi ſola reperta eſt,
Et cui majeſtas non oneroſa tua eſt;
Perque tibi ſimilem virtutis imagine natum,
Moribus agnoſci qui tuus eſſe poteſt;
Perque tuos vel avo vel dignos patre nepotes,
Qui veniunt magno per tua vota gradu;
Parte leva minimâ noſtras & contrahe pœnas;
Daque, procul Scythico qui ſit ab hoſte, locum.
Et tua, (ſi fas eſt) à Cæſare proxime Cæſar,
Numina ſint precibus non inimica meis.
Sic fera quamprimum pavido Germania vultu
Ante triumphantes ſerva feratur equos.
Sic pater in Pylios, Cumæos mater in annos
Vivant; & poſſis filius eſſe diu.
Tu quoque, conveniens ingenti nupta marito,
Accipe non durâ ſupplicis aure preces.
Sic tibi vir ſoſpes, ſic ſint cum prole nepotes,
Cumque bonis nuribus quas peperêre nurus.
Sic, quem dira tibi rapuit Germania, Druſus



27. *Per patria numen, quod te tibi carius ipſo eſt.* ] Meliores, *qua te tibi carior ipſo eſt.* tres cum Arondeliano *patrium numen.* malo *patria nomen.* ut Rottendorphianus exhibebat. *Heinſ.*

30. *Et cui majeſtas.* ] Et quæ, inquit, majeſtatem tuam poteſt ferre. Vel quæ ſe nuribus tuis belle attemperat.

34. *Qui veniunt magno per tua juſſa gradu.* ] Puto *per tua geſta. jeſta* ſcriptum fuerat, unde *juſſa* factum. Patav. *verſa.* unus Vatican. *per tua vota.* etiam bene. *Heinſ.*

36. *Daque locum Scythico qui ſit ab hoſte procul.* ] *Daque, procul Scythico qui ſit ab hoſte, locum* meliores. duo etiam *Scythico orbe.* Idem.

37. *A Caſare proxima Caſar.* ] Rectius *proxime Caſar* in Puteaneo. *Idem.*

46. *Ante triumphales equos.* ] *Triumphantes* eſt in vetuſtioribus. *Idem. Ante equos triumphantes.* ] Ante equos Tiberii, de Germania devicta triumphum agentis.

42. *Vivant, & ô poſſis filius eſſe diu.* ] *Vivum & ut* Barberin. *Vivat & huic poſſis* unus Vatic. *vivant ut poſſis* unus Medon. Puto ſcribendum,

*Vivat, & ô poſſis filius eſſe diu.*

Vide Notas ad Epiſt. Penelopes vſ. 101. *Heinſ.*

46. *Cumque bonis nuribus quas peperere nurus.* ] *Quos peperere* plerique veteres. nepotes innuit. Sarravianus & octo alii, *quod.* pro *quot.* ut Combianus. *Idem.*

Pars fuerit partûs ſola caduca tui.
Sic tibi fraterni maturè funeris ultor
Purpureus niveis filius inſtet equis.
Annuite ô timidis mitiſſima numina votis.
Præſentes aliquid proſit habere Deos.
Cæſaris adventu totâ gladiator arenâ
Exit; & auxilium non leve vultus habet.
Nos quoque veſtra juvet quod, qua licet, ora videmus:
Intrata eſt Superis quod domus una tribus.
Felices illi, qui non ſimulacra, ſed ipſos,
Quique Deûm coram corpora vera vident.
Quod quoniam nobis invidit inutile fatum;
Quos dedit ars votis, effigiemque colo.
Sic homines novêre Deos, quos arduus æther
Occulit: & colitur pro Jove forma Jovis.
Denique, quæ mecum eſt, & erit ſine fine, cavete,
Ne ſit in inviſo veſtra figura loco.
Nam caput è noſtra citius cervice recîdi,
Et patiar foſſis lumen abire genis:

Quam

50. *Purpureus filius.*] Tiberius Liviæ filius, paludamento imperatorio & purpureo indutus.

52. *Præſentes aliquid proſit habere Deos.*] *Aliquos* unus Vatic. Scribe *aliqua proſit*. Vide Notas Triſt. lib. III. El. IV. vſ. 75. *Idem.* *Deos præſentes.*] Auguſti, Tiberii, & Liviæ imagines miſſas Roma.

53. *Cæſaris adventu.*] Cæſare in arenam veniente. Nam Gladiatores, qui ſervi erant, victi confugiebant ad pedes Cæſaris, & incolumes dimittebantur. Et ſi confugientes ad ſtatuam, liberi erant, multo magis confugientes ad ipſum imperatorem. *Vultus:* id eſt, Cæſaris præſentia habet non modicum, ſed magnum auxilium, quia illa liberatur. *Tota gladiator arena.*] *Tota* plerique veterum. *Heinſ.*

55. *Nos quoque veſtra juvet.*] Ordo ſt: Nos quoque juvet, quod videmus veſtra ora, &c. Quemadmodum gladiatori profuit vidiſſe in arena Cæſarem.

56. *Intrata eſt ſuperis quod domus.*] *Facta quod eſt ſuperis jam domus* in Regio. Scribe *Tacta.* verſu proximo malim *Felices illos.* Heinſ.

60. *Quos dedit ars vultus.*] *Votus* Sarrav. Argent. *votis* placet. *Idem.*

61. *Sic homines novere deos.*] Hoc pacto, ſcilicet per imagines & ſimulacra, deos immortales cognoſcimus: nam propriam eorum formam nulli licet videre.

64. *In inviſo loco.*] In terra hoſtili. *Veſtra figura.*] Veſtrum ſimulacrum.

65. *Nam caput è noſtrâ citius cervice recedet.*] Scribe *recidi*, & refer ad *To patiar*, quod ſequitur. Epiſtola tamen Paridis,

*Ante receſſiſſet caput hoc cervice cruenta.*

Propert. lib. II. Eleg. VII.

*Nam citius paterer caput hoc diſcedere collo.*

quare, ſi vulgatam ſcripturam tuemur, *recedat* malo quam *recedet*. Heinſ.

68. *Per-*

Quam caream raptis, ô publica numina, vobis,
Vos eritis noſtræ portus & ara fugæ.
Vos ego complectar, Geticis ſi cingar ab armis:
Voſque meas Aquilas, vos mea ſigna ſequar.
Aut ego me fallo, nimiâque cupidine ludor:
Aut ſpes exilii commodioris adeſt.
Nam minus & minus eſt facies in imagine triſtis;
Viſaque ſunt dictis annuere ora meis.
Vera precor fiant timidæ præſagia mentis:
Juſtaque quamvis eſt, ſit minor ira Dei.

68. *Portus & aura fuga.*] Sarrav. Argent. prim. Medic. & ſex alii *ara.* recte. quod & Cioſanus in ſuis invenerat. Adeantur Notæ ad Epiſt. Penelopes v. 110. *Idem. Portus & aura.*] Salus & favor.

70. *Utque meas aquilas veſtra ego ſigna ſequar.*] *Vos mea ſigna* Argent. & ſeptem alii. codex Moreti *Voſque meas aquilas veſtra ego.* Scribe,
*voſque meas aquilas, vos mea ſignâ ſequar.* Heinſ.

*Ut meas aquilas.*] Tanquam mea vexilla Romana, quæ aquilas pictas habebant. Lege Alexandr. ab Alex. lib. 2. cap. 2. *Veſtra ſigna.*] Veſtras imagines.

73. *In imagine.*] In ſigno Auguſti. *Viſaque ſunt dictis.*] Imagines iſtæ viſæ ſunt mihi aſſentire, ut velint concedere locum exilii magis commodum.

76. *Juſtaque quamvis eſt.*] *Juſtaque quantumvis* malim. *Heinſ.*

# EPISTOLA IX.

## COTYI REGI.

### ARGUMENTUM.

Regia progenies.] *Ad Cotium filium Coti regis Thraciæ hanc epiſtolam ſcribit, laudatque illum à generis origine: monetque, regium ac divinum eſſe, miſeris ſuccurrere, & ſibi potiſſimum, ob ſtudia poëticæ facultatis: ſi quidem illa quaſi quoddam amicitiæ vinculum habent. Poſtremo eum rogat, ut oranti terra ſua bellicoſa, in qua exulabat, ſit ei fida & amica.*

REgia progenies, cui nobilitatis origo
Nomen in Eumolpi pervenit uſque, Coty;
Fama loquax veſtras ſi jam pervenit ad aures,

Me

C*Oti regia progenies.*] Hunc Cotium filium regis Thraciæ & Getarum fuiſſe libet ſuſpicari, quem Tranquillus *Cotiſonem* appellat. *Mer. Pervenit uſque Coti.*] Varie inſcribitur hæc elegia. Alii ad *Cotium* habent. Infra eadem elegia ponitur. *O Coty; progenies digna parente tuo.* ubi vocativus *Coty*, non à recto Cotius, ſed à *Cotys* tertii ordinis flectitur.

2. *Pervenit uſque, &c.*] Deſcendit uſque ab Eumolpo. Eumolpus enim Neptuni & Chiones Boreæ & Orithyæ filiæ filius fuit, & ex Thracia in Atticam venit. Eum ſane Homerus carmine ſuo fortem appellat. *Mer.*



7. *Me*

Me tibi finitimi parte jacere ſoli;
Supplicis exaudi, juvenum mitiſſime, vocem:
Quamque potes profugo (nam potes) affer opem.
Me Fortuna tibi (de qua ne conquerar, hoc eſt)
Tradidit; hoc uno non inimica mihi.
Excipe naufragium non duro littore noſtrum,
Ne fuerit terrâ tutior unda tuâ.
Regia (crede mihi) res eſt, ſuccurrere lapſis:
Convenit & tanto, quantus es ipſe, viro.
Fortunam decet hoc iſtam: quæ maxima cum ſit,
Eſſe poteſt animo vix tamen æqua tuo.
Conſpicitur nunquam meliore potentia cauſsâ,
Quam quoties vanas non ſinit eſſe preces.
Hoc nitor ille tui generis deſiderat: hoc eſt
A Superis ortæ nobilitatis opus.
Hoc tibi & Eumolpus generis clariſſimus auctor,
Et prior Eumolpo ſuadet Erichthonius.
Hoc tecum commune Deo: quod uterque rogati
Supplicibus veſtris ferre ſoletis opem.
Numquid erit, quare ſolito dignemur honore
Numina, ſi demas velle juvare Deos?

Ju-

7. *Me fortuna tibi, de qua quod non queror, hoc eſt, Tradidit.*] Tres *quod conqueror.* ſex *non conqueror.* unus Vatican. *non conquerar.* Lege *ne conquerar.* deinde *Prodidit* Argentinus. eleganter. hoc eſt expoſuit, objecit. *Heinſ.*

8. *Non duro littore.*] Non aſpero, ſed benigno, placido, & propitio ſolo, quaſi dicat, Ego relegatus tanquam naufragus, ſupplex ad littus tuum confugio, precorque ut me benigne excipias.

10. *Nec fuerit terra.*] Ex quo Poëta innuit, illic tutiorem ſedem ſperandam, quam in mari. Quod ſi ſibi tam longa navigatione pepercit, multo magis ejus terram intelligit debere ei parcere.

11. *Succurrere lapſis.*] Cic. pro Ligario confirmat, nulla re homines propius ad deos accedere, quam ſalutem hominibus dando. *Pont.*

18. *A ſuperis orta nobilitatis.*] Nobilitatis à diis originem ducentis. Hoc autem dicit propter Eumolpum filium Neptuni & Chiones filiæ Boreæ, generis ſui auctorem, ut diximus.

20. *Erichthonius.*] Erichthonius ſeu Erechtheus rex fuit Athenarum, quem Minerva è rure ubi natus erat, ſuſcepit, educavitque, & Athenienſi populo pro rege tradidit. ideoque illi annua ſolennia Athenienſes agunt taurorum agnorumque ſacrificiis. Vide Natal. l. 4. c. 5.

21. *Hoc tecum commune Deis.*] *Deus* Sarrav. Argent. *decus.* Lege *Deo* cum Puteaneo, vel *Deo eſt.* Heinſ. *Hoc tecum commune deis.*] Hoc eſt, tibi cum diis commune, quod preces exaudias, quemadmodum & illi.

27. *Nat-*

Jupiter oranti ſurdas ſi præbeat aures;
Victima pro templo cur cadat icta Jovis?
Si pacem nullam Pontus mihi præſtet eunti,
Irrita Neptuno cur ego thura feram?
Vana laborantis ſi fallat vota coloni,
Accipiat gravidæ cur ſuis exta Ceres?
Nec dabit intonſo jugulum caper hoſtia Baccho,
Muſta ſub adducto ſi pede nulla fluant.

Cæ-

27. *Nulla pacem.* ] Nullam tranquillitatem. *Mihi eunti.* ] Mihi naviganti.

28. *Cur ego dona feram.* ] *Thura* ſcripti plerique. *Heinſ.*

29. *Si fallant vota coloni.* ] *Fallat* meliores. Ceres nimirum. in Faſtis,

*Sæpe ſeges primis dominum fallebat in herbis.*

Prudentius. l. II. contra Symmachum,

*Nec vernas infudit aquas creberrimus imber*
*Fruge nova, & viridis ſi meſſis adulta priusquam*
*Conceptas tenero ſolidaret lacte medullas,*
*Afflatum calido ſuccum contraxit ab Euro,*
*Jejunoſque tulit calamos, atque irrita vota*
*Agricolæ ſterilis ſtipularum ſilva fefellit.*

ſic & *decipere* & *mentiri* & *eludere meſſis* dicebatur. Symmachus pro ara Victoriæ, *Spem provinciarum omnium meſſis ægra decepit.* Noſter Amor. libro III. Eleg. x.

*Cum bene jactati pulſarant arva ligones,*
*Irrita decepti vota colentis erant.*

apud Horatium *fundus mendax* lib. III. Od. I. & *ſpem mentita ſeges.* lib. I. Epiſt. VII. apud Tibullum libro II. El. I.

*Neu ſeges eludat meſſem fallacibus herbis.*

Propertius libro II. Eleg. XV.

*Terra prius falſo partu deludet arantes.*

Valerius Flaccus libro VII. vſ. 229.

*——patriam inde vocato,*
*Qua redis itque dies, nec nos dis nata malignis*
*Luſerit hoc uno ſemper ſub frigore meſſis,*
*Fas mihi non ſtabiles, fas & tibi linquere Colchos.*

ita locum mendoſiſſimum reſtituo. *Non ſtabiles Colchi*, in quibus ſedes certa non figitur. pari modo Plautus Mercatore *ſtabilem patriam & domum* dixit,

*Quis modus tibi exilio tandem? eveniet qui finis fugæ?*
*Quæ patria aut domus tibi ſtabilis eſſe poterit? dic mihi.*

Perperam *non habiles Colchos* & *Cluſerit meſſis* in Valerio hactenus legebatur. *Accipiat* mox meliores verſu proximo pro *Accipiet.* Idem.

30. *Accipiet gravida.* ] Cur, inquit, ſacrificabitur Cereri porca, ſi preces agricolarum incaſſum fundentur. *Suis gravida.* ] Initium immolandi à ſuillo genere ſumptum exiſtimat Ovidius Cujus rei cauſa in Faſtis, & in Metamorph. *Prima putatur Hoſtia ſus meruiſſe mori, quia ſemina pando Eruerit roſtro ſpemque interceperit anni.* Mactabatur autem porcus Cereri, quia hoc animal frugibus nocet. Solebant enim victimæ pro qualitate numinum immolari: & vel cædebantur, quæ obſunt eorum muneribus: ut caper Libero, quia vitibus nocet, & in omnibus ſacris fœminini generis victimæ potiores ſunt.

31. *Intonſo Baccho.* ] *Immerito* multi veterum. utrumque rectum. ſic contra in Triſt. *merita cadet agna Minerva.* & ſæpe alibi. *Heinſ.*

32. *Inducto ſub pede.* ] *Adducto* ſcripti fere omnes. recte. ſic *adducta clava* Faſt. I. *adducto nervo arcus.* & *adductus ramus* Pont. III. Eleg. V. & ſimilia paſſim apud Noſtrum. id eſt, contracto. ſic Epiſt. Canaces *macies adduxerat artus.* & Met. III. *Adducitque cutem macies* Val. Flac-



cus

Cæſar ut imperii moderetur fræna precamur,
 Tam bene quo patriæ conſulit ille ſuæ.
Utilitas igitur magnos hominesque Deoſque
 Efficit; Auxiliis quoque favente ſuis.
Tu quoque fac proſis intra tua caſtra jacenti,
 O Coty, progenies digna parente tuo.
Conveniens homini eſt, hominem ſervare, voluptas:
 Et melius nullâ quæritur arte favor.
Quis non Antiphaten Læſtrygona devovet? aut quis
 Munifici mores improbat Alcinoi?
Non tibi Caſſandreus pater eſt, gentiſve Pheræ;

Quive

cus lib. v.

*Vincula prenſa manu ſaxis adduxerat imis.*

id eſt, attraxerat. *abduxerat* minus bene vulgati, cum *abducta flumina* mox ſequantur. idem libro vi.

*—— extremas laqueis adducere turmas.*

& apud Noſtrum Met. viii.

*—— adductaque funibus arbor.*

Statius Theb. ix. ubi pari modo peccatur,

*Ter Cadmea Phalanx torvum adduxere cadaver,*
*Ter retrahunt Danai.* Idem.

34. *Tam bene quam patria conſulit ipſe ſua.*] *Quod* Argent. & primæ editiones. Lege *quo.* nempe imperio. deinde *ille* meliores. *Idem.*

35. *Utilitas igitur magnos hominesque deoſque, &c.*] Senſus eſt: Ex eo igitur quod proſunt ac juvant, tam homines quam dii magni ſunt, & coluntur, videlicet dum unuſquiſque illorum ea parte, iiſque auxiliis favet, ac prodeſt nobis, quibus ſolet ac poteſt ut Ceres & Bacchus proventu ac fertilitate frugum ac vini, Cæſar imperando & conſulendo patriæ, &c *Micyl.*

36. *Auxiliis quoque favente ſuis.*] Unoquoque utilitatem ſuam amante. Ex quo colligit, utilitatis propriæ gratia hæc fieri. *Mer.*

37. *Intra tua caſtra jacenti.*] Mihi in terra Tomitana tuo imperio ſubjecta relegato. *Mic.*

38. *O Coti progenies.*] Ordo eſt: O Coti, progenies digna, & reliqua. Cæterum ſive *Coti* ſcribas, ut Aldina editio habet: ſive *Coty*, ut Strabo & Tacitus, brevis eadem ſyllaba erit. Sic enim & *Tiphy*, & ſimilia corripiuntur.

41. *Quis non Antiphaten Læſtrygona.*] Læſtrygones populi fuere in extremo Italiæ Siciliam verſus, efferis moribus, habitantes prius urbem Formiarum inter Terracinam & Sinueſſam. Eorum rex fuit Antiphates. Homerus docet Antiphatem unum ex Ulyſſis ſociis devoraſſe.

42. *Munifici Alcinoi.*] Liberalis Alcinoi. Fuit enim Alcinous rex Phæacum juſtiſſimus, Nauſithoi filius, apud quem Ulyſſes naufragus divertit: ubi regio convivio honorifice ſuſceptus, errores ſuos exponebat. *Munifici Alcinoi.*] Videntur autem Phæaces ex Homer. Odyſſ. nimium indulſiſſe genio: id quod & Horatius Epiſtol. 15. lib. 1. notat. *Pinguis ut inde domum poſſim Phæaxque reverti.* Horum etiam mentionem facit Athenæus lib. 12. c. 21. Apollon. in Argonautis ita illos prædicat.

*Αἵματος οὐρανίοιο γένος γένος Φαί-*
*ηκες ἔασι.* lib. 4. vs 982.

43. *Non tibi Caſſandrus pater eſt, dorsſve Capharens.*] Inepte Caphareus ſcopulus cum Caſſandro componitur. multi ex ſcriptis *genitorve Caphareus.* Argentinus, qui eſt inter optimos, *dorsſve Cpherea.*

Quive repertorem torruit arte ſuâ:
Sed quàm Marte ferox, & vinci neſcius armis,



*reus.* Sarravianus omnium veterrimus *gentiſve Pheræa.* eleganter & vere. Alexandrum enim Pheræorum in Theſſalia crudeliſſimum tyrannum innuit, quem ab uxore Thebe ejuſque fratribus obtruncatum in cubiculo fuiſſe ex Xenophonte partim lib. VI. de rebus Græcorum, Diodoro Siculo, lib. XVI. bibliothecæ, Plutarcho ac Cornelio Nepote in Pelopida, Conone apud Photium, partim ex Cicerone, Valerio Maximo, aliis, diſcimus. ac ejus rei Noſter quoque meminit in Ibibe,

*Inque tuo thalamo ritu jugulere Pheræi,*
*Qui datus eſt letho conjugis enſe ſua.*

De inſigni ejus crudelitate apud Polyænum libro VI. Stratagem. & Ælianum varia Hiſtoria nonnihil occurrit. quod vero præmittit Noſter, *Non tibi Caſſandrus pater eſt*, perperam de Caſſandro Rege Macedoniæ interpretantur. *Caſſandreus* enim legendum. quomodo Sarravianus diſerte, aliique nonnulli codices ex caſtigatioribus, ut de Apollodoro Caſſandriæ Tyranno longe immaniſſimo intelligatur, qui Caſſandreus proinde dictus. Nam Caſſandriæ tyrannum fuiſſe ex Pauſania Meſſeniacorum l. IV. Polyæno, & Prologo l. XXV. Trogi Pompeji docemur. Teſtantur id ipſum quoque excerpta Diodori Siculi Valeſiana pag. 356. Epitome Stephani Byzantii, Κασσάνδρεια πόλις Μακεδονίας, πρὸς τῇ Θρᾴκῃ, ἡ ποτὲ Ποτίδαια λεγομένη, ἀπὸ Κασσάνδρου, τοῦ Ἀντιπάτρου. ὁ πολίτης, Κασσανδρεύς. Meminit ſævitiæ ejus inter alios complures Ælianus Variæ Hiſtoriæ libro XIV. cap. XLI. meminerunt & excerpta Diodori Siculi, quæ diximus jam, Valeſiana lib XXII. p. 264. De eo copioſe Polyænus libro VI. Stratagem. ubi inter cætera, καὶ τύραννος ἐγένετο φονικώτατος πάντων· ὅσοι γὰρ Ἕλλησιν ἢ παρὰ βαρβάροις ἐτυράννησαν. initio autem narrationis pro Ἀπολλόδωρος ὁ Κασσάνδρου ſcribendum, Κασσανδρεύς. Hunc ab Antigono Rege Macedoniæ oppreſſum expugnata Caſſandria idem Polyænus libro IV. copioſe narrat. De violenta ejus morte ex Plutarchi libello de tarda Dei vindicta poteſt colligi: nec dubito Noſtrum in Ibide eo reſpexiſſe, etſi loco inſigniter depravato,

*Aut ut Caſſandri dominus non mitior illo,*
*Saucius ingeſta contumuleris humo.*

Herculem Alexandri Magni filium intelligunt interpretes à Caſſandro interfectum. Sed quis veterum crudelitatem Herculi unquam objecit? Priori verſu multum variant codices vetuſti, quorum major pars *Caſſandra*. *Caſſandrus* nonnulli. *Caſſandris* unus. tres *Caſſandrei.* quos inter & Moreti liber ſatis antiquus, qui pro diverſa lectione *Caſſandreus*. *Caſſandrei* quoque liber Juretì vetuſtiſſimus. præterea quinque aut ſex noſtri *domino* non *dominus*. Scribe:

*Aut Caſſandrea domino non mitior urbis*
*Saucius ingeſta contumuleris humo.*

Quanquam enim ex ipſius Apollodori apud Plutarchum ſomnio deprehendi quodammodo poteſt, poſt detractam vivo pellem in lebete elixum fuiſſe; nihil impedit tamen poſt has pœnas adhuc ſpirantem terra quoque ingeſta fuiſſe obrutum. Idque Tò *Saucius* utcunque deſignat. Illud præterea in tranſcurſu monendum, ſcriptores antiquos hunc Apollodorum cum Phalaride frequenter conjungere, quod & à Noſtro hic factum videmus. ita certe Plutarchus & Suidas in Ἰερώνυμος, Polybius lib. VI. in excerptis Valeſianis, Diodorus Siculus in iiſdem, Dio Chryſoſtomus Oratione ſecunda, Themiſtius oratione nona, Cicero lib. III. de Natura Deorum, Seneca de Beneficiis lib. VII. cap. XIX. & lib. II. de Ira, cap. IV. Atque hæc de Apollodoro dicenda videbantur: quæ obſcuro hactenus nec intellecto Naſonis loco lucem allatura confido. *Heinſius.*



Digitized by Google

Tam nunquam factâ pace cruoris amans.
Adde, quod ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.
Nec Regum quiſquam magis eſt inſtructus ab illis,
Mitibus aut ſtudiis tempora plura dedit.
Carmina teſtantur; quæ, ſi tua nomina demas,
Threïcium juvenem compoſuiſſe negem.
Neve ſub hoc tractu vates foret unicus Orpheus;
Biſtonis ingenio terra ſuperba tuo eſt.
Utque tibi eſt animus, cum res ita poſtulat, arma
Sumere, & hoſtili tingere cæde manum;
Atque ut es excuſſo jaculum torquere lacerto,
Collaque velocis flectere doctus equi;
Tempora ſic data ſunt ſtudiis ubi juſta paternis,
Utque ſuis humeris forte quievit opus;
Ne tua marceſcant per inertes otia ſomnos,
Lucida Pieriâ tendis in aſtra viâ.
Hæc quoque res aliquid tecum mihi fœderis adfert:
Ejuſdem ſacri cultor uterque ſumus.
Ad vatem vates orantia brachia tendo,
Terra ſit exiliis ut tua fida meis.

Non

53. *Foret unicus vates.* ] Foret ſolus poëta. Orpheus enim Thrax fuit, poëtaque & Theologus excellentiſſimus.

54. *Biſtonis terra.* ] Terra Thraciæ, ſic dicta à Thraciæ ſtagno Biſtonio Abderæ urbi vicino. *Eſt ſuperba.* ] Eſt nobilis. *Mer.*

59. *Tempora ſic ſtudiis.* ] Quando, inquit, patris tui ſtudiis & bellicæ exercitationi operam dediſti, & humeris tuis ſuſtentaſti molem & negotia regni paterni; ne per ſomnum, aut ignaviam corpus marceſcat, poëtica facultate tibi immortalitatem comparas. *Ubi juſta.* ] *Ut juſta* duo veteres. *Heinſ.*

60. *Atque tuis humeris forte quievit opus.* ] *Utque* rectius veteres quatuor. & *ſuis humeris*, Sarrav. Argent. & Combii. *onus* præterea in antiquis octo aut decem. ſed fruſtra. Triſt. III.

*Ut via finita eſt, & opus requievit eundi.*

Scribe,

*Utque ſuis numeris forte quievit opus.*

vel, *Atque ſuis numeris. numeri operis* hic dicuntur. ut Met. VII. *numeri laborum.*

*Lexque datur numeris magnorum horrenda laborum.* quæ ibi vera eſt ſcriptura *per numeros.* Met I.

*Perque ſuos intus numeros componitur infans.*

ita enim ſcribendum. in Triſt.

—— *cumque*
*Per numeros omnes hoc tueare caput.*

*numeros ſceleris* dixit in Ibide vſ. 126.

*Ut careant numeris tempora prima ſuis.*

Triſt. I. Eleg. VII. vſ. 48. *Idem.*

66. *Ut tua terra.* ] Ut Tomitana ſit relegationis meæ ſedes.

67. In

on ego cæde nocens in Pontica littora veni;
 Miſtave ſunt noſtrâ dira venena manu:
ec mea ſubjectâ convicta eſt gemma tabellâ
 Mendacem linis impoſuiſſe notam.
ec quidquam, quod lege veter committere, feci.
 Et tamen his gravior noxa fatenda mihi eſt.
eve roges quid ſit; ſtultam conſcripſimus Artem.
 Innocuas nobis hæc vetat eſſe manus.
cquid præterea peccarim, quærere noli:
 Ut pateat ſolâ culpa ſub Arte mea.
Quidquid id eſt, habui moderatam vindicis iram:
 Qui niſi natalem nil mihi demſit humum.
Hac quoniam careo; tua nunc vicinia præſtet,
 Inviſo poſſim tutus ut eſſe loco.

67. *In Ponti littora veni.* ] *In Pontica* Polit. unus Voſſ. & unus Vatic. bene. ic *Pontica tellus*, lib. III. Eleg. I. *Pontica terra* lib. II. Eleg. VII. & lib. IV. Eleg. IX. *Ponticus Iſter* l. III. Eleg. II. vſ. 44. ut illic opinor caſtigandum. vide Notas. *Heinſ.*

68. *Non mea ſubjecta convicta eſt gemma tabella*
*Mendacem ceris impoſuiſſe notam.* ] *Linis impoſuiſſe* ſcribendum cum Sarrav. Scaligeri codice, Argent. & uno Vaticano. vincula linea intelligit quæ tabellis obſignandis adhiberi ſolita. lini enim uſus in obſignandis tabellis notus, multi veterum *lignis.* quod Cujacio Obſervat. lib. XI. cap. XIV. placebat. alii, *ſignis:* Barberin. *tabulis.* alius *chartis.* præterea priori verſu *fallaci convicta eſt gemma ſigillo* Scaligeri codex. quod & Cujacius in ſuis videbatur inveniſſe. *Idem.* *Gemma mea.* ] Meus annulus & ſigillum, tanquam falſo ſignaverim teſtamenta. *Subjecta tabella.* ] Suppoſita teſtamentaria tabella.

70. *Mendacem notam.* ] Falſum ſigillum. Hi autem à Romanis deprehenſi, & convicti, mittebantur in exilium.

71. *Quod lege veter.* ] *Veter* ex melioribus. *Heinſ.*

72. *Eſt tamen his gravior noxa fatenda mihi.* ] *Et tamen noxa fatenda mihi eſt*, rectius tres veteres. *Idem.*

73. *Neve roges quæ ſit ſtultam quam ſcripſimus Artem.* ] Malo cum quatuor antiquis,
*Neve roges quid ſit; ſtultam conſcripſimus Artem.*
Idem.

75. *Et quid.* ] *Ecquid* Sarrav. Medonii unus cum primâ editione. *Idem.*

77. *Quidquid id eſt.* ] Qualecunque eſt id, cujus cauſa relegatus ſum. *Habuit moderatam vindicis iram.* ] *Habui* præſtat cum nonnullis. *Heinſ.*

78. *Nil.* ] Nihil aliud. Intelligit autem fortunas, quæ exulibus adimebantur, ſibi relictas. *Niſi natalem humum.* ] Niſi ſolum Romanum, ubi educatus ſum, mittendo me in exilium.

79. *Tu vicinia.* ] Tui populi vicini Tomitanæ urbi. *Mer.* *Tua nunc vicinia.* ] Propter vicinitatem hoc mihi præſta beneficium. *Pont.*



Digitized by Google

# EPISTOLA X.

## MACRO.

### ARGUMENTUM.

Ecquid ab impreſſæ.] *Ad Macrum poëtam ſcribens; multis indi- oſtendit, debere eum eſſe memorem ſui, & priſtinæ amicitiæ: cu- fructus & amoris ſigna, ſi illi in mentem venerint, dicit ſe a- tem futurum illi tanquam præſentem ſemper ante oculos: quod ipſe quoque efficiat impenſe precatur Poëta.*

ECquid ab impreſſæ cognoſcis imagine ceræ
Hæc tibi Naſonem ſcribere verba, macer?
Auctoriſque ſui ſi non eſt anulus index,
Cognitane eſt noſtrâ littera facta manu?
An tibi notitiam mora temporis eripit horum?
Nec repetunt oculi ſigna vetuſta tui?
Sis licet oblitus pariter gemmæque manûſque,
Exciderit tantum ne tibi cura mei.
Quam tu vel longi debes convictibus ævi,
Vel mea quod conjux non aliena tibi;
Vel ſtudiis, quibus es, quam nos, ſapientius uſus;
Utque decet, nullâ factus es Arte nocens.
Tu canis æterno quicquid reſtabat Homero,
Ne careant ſummâ Troïca bella manu.
Naſo parum prudens, Artem dum tradit amandi,
Doctrinæ pretium triſte magiſter habet.
Sunt tamen inter ſe communia ſacra poëtis;
Diverſum quamvis quiſque ſequamur iter.
Quorum te memorem (quamquam procul abſumus) eſſe

Su-

6. N*Ec repetunt.* ] Nec memoriam reducunt. *Signa vetuſta.* ] Antiquam imaginem annuli mei.

11. *Vel ſtudiis.* ] Subaudi, vel quam curam mei debes communibus ſtudiis: (ut diximus) homines invicem conciliare ſolent ac debent.

13 *Quidquid reſtabat.* ] Quicquid poſt ea quæ ipſe compoſuit, permanebat. Homerus enim bellum Trojanum deſcripſit uſque ad mortem Hectoris.

14. *Troïca bella.* ] *Facta* duo veteres. Forte *Troïa fata.* ut, *Illi victa ſuis Troïa fata canunt.* Heinſ.

18. *Diverſum iter.* ] Quia Macer heroïco carmine, Ovidius elego ſtudebat.

19. *Eſſe memorem.* ] Quia Macer viderat Ovidii poëmata, & illum ejuſdem ſtudii, & ſacrorum cultorem audierat antequam in exilium proficiſceretur. M. *Quorum te memorem.* ] Sive quarum rerum, videlicet, quod ſacra poëtis inter ſe

Suſpicor; & caſus velle levare meos.
'e duce magnificas Aſiæ perſpeximus urbes:
Trinacris eſt oculis te duce nota meis.
'idimus Ætnæâ cælum ſplendeſcere flammâ;
Suppoſitus monti quam vomit ore gigas:
Iennæoſque lacus, & olentia ſtagna Palici,
Quaque ſuis Cyanen miſcet Anapus aquis.
Nec procul hinc Nymphen, quæ, dum fugit Elidis amnem,
Tecta ſub æquoreâ nunc quoque currit aquâ.
Hîc mihi labentis pars anni magna peracta eſt.
Eheu, quam diſpar eſt locus ille Getis!

Et

e communia ſunt, etiam ſi ipſi inter ſe diverſa ſcribendi genera ſequuntur, te memorem eſſe puto, eoque velle caſus meos levare. *Micyl.*

21. *Te duce.* ] Cum Macro enim in Aſiam navigavit Poëta, & in Siciliam.

22. *Te duce viſa meis.* ] *Nota* meliores conſtanter. *Heinſ.*

24. *Suppoſitus monti.* ] Fingunt poëtæ à Jove fulminatum Typhœum; & ut cecinit in lib. 5. Metamorph. *Vaſta gigantais injecta eſt inſula membris Trinacris, & magnis ſubjectum molibus urget Æthereas auſum ſpectare Typhoëa ſedes: Nititur ille quidem, pugnatque reſurgere ſape, &c. ſed Degravat Ætna caput: ſub qua reſupinus arenas Ejectat, flammaſque fero vomit ore Typhoëus.*

25. *Ætnaeoſque lacus & olentia ſtagna Palici.* ] *Hennaeoſque* Sarrav. Argent. & unus Vatic. duo alii *Ennaeoſque*. dictum de hac voce multis ad Raptum Proſerpinæ Claudiani. præterea ſcribendum *Palicos*. ut ſit appoſitio. vidimus Palicos ſtagna olentia. *Stagna Palicorum* dixit Met. v. ſic apud Græcos ſemper Λίμνη Παλίκων, & κρατῆρες Παλίκων. etiam Παλικίνη κρήνη. nam duos fratres Deos Palicos fuiſſe conſtat. Virgilio tamen Æn. IX. *placabilis ara Palici*. ſed & illic quoque per appoſitionem ſumi poteſt. Poſſet & legi *olentia ſtagna Palicen*. ut ad oppidum Παλίκην ſtagno vicinum innuat. Adi Siciliam accuratiſſimi Cluverii. *Heinſ.*

26. *Quaque ſuis Cyanen.* ] Per omnia ſubauditur, *Vidimus*. Cyane autem nympha fuit Sicula, ſocia Proſerpinæ, quæ ob raptam à Plutone Proſerpinam adeo flevit, ut in fontem ſui nominis mutata fuerit: Fabulam plenius refert Ovid. l. 5. Metam.

27. *Nec procul hinc Nymphe.* ] *Nymphen* ſcribe. præcedenti verſu *Anapis* quidam veteres. ſic &, libro v. Met. & alibi variant. Græcis tamen Ἄναπος conſtanter dicitur. *Heinſ. Nec procul hinc nympha.* ] Arethuſam dicit. Arethuſa autem virgo fuit venatrix, comes Dianæ, quæ cum æſtu fatigata, ſe in Alpheo flumine lavaret, dum deus illa amata potiri cupit, aufugit. Ille vero dum pertinacius inſequitur, Arethuſa implorato Dianæ ſubſidio, in fontem ſui nominis converſa eſt. Cujus undis quum Alpheus commiſcere ſe vellet, illa vero per ſubterraneos meatus diffugeret, uſque in Siciliam proſecutus eſt.

28. *Currit aqua.* ] *Manat* prior Thuaneus. *Heinſ.*

30. *Heu quantum diſpar.* ] Multi veteres. *Heu heu quam diſpar. Eheu quam diſpar* Sarrav. Arg. & decem alii. totidem, *Hei mihi quam diſpar*. ut Epicedio Druſi.

*Hei*

Digitized by Google

Et quota pars hæc ſunt rerum, quas vidimus ambo,
Te mihi jucundas efficiente vias!
Seu rate cæruleas pictâ ſulcavimus undas:
Eſſeda nos agili ſive tulêre rotâ.
Sæpe brevis nobis vocibus via viſa loquendi;
Pluraque, ſi numeres, verba fuêre gradu.
Sæpe dies ſermone minor fuit; inque loquendum
Tarda per æſtivos defuit hora dies.
Eſt aliquid, caſus pariter timuiſſe marinos;
Junctaque ad æquoreos vota tuliſſe Deos:
Et modo res egiſſe ſimul; modo rurſus ab illis,
Quorum non pudeat, poſſe referre jocos.
Hæc tibi ſi ſubeant, (abſim licet) omnibus horis
Ante tuos oculos, ut modo viſus, ero.
Ipſe quidem extremi cum ſim ſub cardine mundi,
Qui ſemper liquidis altior extat aquis;
Te tamen intueor, quo ſolo pectore poſſum:
Et tecum gelido ſæpe ſub axe loquor.

Hic

*Hei mihi, quam diſpar huic fuit illud iter!*

35. *Vicibus loquendi.* ] Alternatim ſermonem habendo; fecit ut iter nobis breve videretur.

36. *Fuere plura gradu.* ] Fuere numeroſiora ipſis greſſibus & gradibus noſtris. *Mer.*

37. *Sæpe dies ſermone minor fuit.* ] Dies ſæpe viſus fuit brevior ſermone. *Inque loquendo.* ] *Loquendum* Sarrav. Argent. & quinque alii. *Heinſ.*

38. *Dies tarda.* ] Dies ipſa, quæ æſtate eſt tardior & longior.

39. *Caſus pariter timuiſſe marinos.* ] Simul fuiſſe in aliquo mortis periculo, ut nos, qui inter navigandum in Aſiam pene naufragium fecimus.

40. *Juncta vota.* ] Vota ſimul facta in ea tempeſtate.

43. *Hæc tibi ſi ſubeant.* ] Hæc ſupradicta ſimul acta ſi tibi in mentem veniant. *Hic ſim licet omnibus annis.* ] *Abſens* nonnulli veteres. *abſim* Junianus, recte. Sarrav. *ipſam* mendoſe. Argent. *licet hic ſim*. malo præterea cum Rottendorph. & duobus aliis, *omnibus horis*. ſic lib. III. Eleg. v.

*Teniſſimomentis video pene omnibus abſens.* Heinſ.

44. *Ut modo viſus.* ] Ita memineris mei, quaſi paulo ante abs te diſceſſerim. *Pont.*

45. *Ipſe quidem certe cum ſim ſub cardine mundi.* ] Sic Sarrav. cum vulgatis & ex ſcriptis multi. mendoſe haud dubie. Twiſdenius *toto*. quinque *certe*. excerpta Scaligeri & duo ex noſtris *extrema* etiam bene. unus cum Arondeliano, *extremo* quatuor *poſitus*. de quo vide Notas noſtras ſupra lib. I. Eleg. v. vſ. 79 *Heinſ.*

46. *Altior extat aquis.* ] Hoc eſt, qui nunquam mergitur Oceano, aut occidit. quemadmodum & de ſtellis, quæ circa eundem ſunt, diximus ſupra lib. Hinc & Vergilius dixit, *Hic vertex nobis ſemper ſublimis, at illum Sub pedibus Styx atra videt*, Georg. I. *Mic.*

50. Mſſ.

Digitized by Google

Hîc es, & ignoras: & ades celeberrimus abſens:
Inque Getas mediâ viſus ab Urbe venis.
Redde vicem: &, quoniam regio felicior iſta eſt,
Illic me memori pectore ſemper habe.

50. *Miſſus ab urbe venis.*] *Juſſus* Sarrav. Argent. & octo alii. plurimi *viſus.* quod ſequor. ſuperiori verſu pro *ſed ades.* meliores *&* *ades.* Heinſ.

## EPISTOLA XI.

## RUFO.

### ARGUMENTUM.

Hoc tibi Rufe brevi.] *Ad Rufum Fundanum uxoris ſuæ avunculum hanc epiſtolam ſcribit Poëta: cujus merita dicit ſe habere in memoria, quamvis ſit longiſſimo intervallo remotus. Demum deos precatur, ut illi meritas gratias referant.*

HOc tibi, Rufe, brevi properatum tempore mittit
Naſo parum fauſtæ conditor Artis opus:
Ut, quanquam longè toto ſumus orbe remoti,
Scire tamen poſſis nos meminiſſe tui.
Nominis ante mei veniant oblivia nobis,
Pectore quàm pietas ſit tua pulſa meo.
Et prius hanc animam vacuas reddemus in auras,
Quàm fiat meriti gratia vana tui.
Grande voco lacrymas meritum, quibus ora rigabas,
Cum mea concreto ſicca dolore forent.
Grande voco meritum, mœſtæ ſolatia mentis;
Cum pariter nobis illa tibique dares.
Sponte quidem, per ſeque mea eſt laudabilis uxor;
Admonitu melior fit tamen illa tuo.
Namque quod Hermiones Caſtor fuit, Hector Iüli,

Hoc

5. V*Enient oblivia nobis.*] *Veniant* octo veteres. *Heinſ.*

11. *Mæſtæ ſolatia mentis.*] Conſolationes tuas adhibitas conturbatæ & conſternatæ menti meæ propter relegationem.

14. *Admonitu tuo.*] Tuo conſilio. *Fit melior.*] Redditur magis pudica hoc tempore quo ab urbe abſumus.

15. *Namque quod Hermione Caſtor fuit.*] Hermione filia fuit Helenæ ſororis Caſtoris. Caſtor ergo avunculus fuit Hermiones. *Hector Iülo.*] Hector frater fuit Creüſæ, uxoris Æneæ, avunculus Aſcanii: qui etiam Iulus appellatus fuit. *Hermiona Caſtor fuit, Hector Iülo.*] *Hector illi* Sarrav. Lege *Iüli.* quomodo Argent. & Combii, cum Twiſdenio & Barberino. *Hermiones* præterea ſcribendum cum Barberin. & Juniano. *Heinſ.*

17. Qua

Digitized by Google

Hoc ego te lætor conjugis eſſe meæ.
Quæ, ne diſſimilis tibi ſit probitate, laborat;
Seque tui vitâ ſanguinis eſſe probat.
Ergo, quod fuerat ſtimulis factura ſine ullis,
Plenius auctorem te quoque nacta facit.
Acer, & ad palmæ per ſe curſurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.
Adde, quod abſentis cura mandata fideli
Perficis, & nullum ferre gravaris onus.
O referant grates, quoniam non poſſumus ipſi,
Dî tibi: qui referent, ſi pia facta vident.
Sufficiatque diu corpus quoque moribus iſtis,
Maxima Fundani gloria, Rufe, ſoli.

17. *Quæ ne diſſimilis tibi ſit.* ] Quæ mea uxor, ut mores tuos imitetur.

18. *Eſſe tui ſanguinis.* ] Eſſe tui generis. *Vita.* ] Vitæ honeſtate, & recte vivendo, ut tu facis.

19. *Sine ullis ſtimulis.* ] Sine tuo aut cujuſquam ſuaſu & hortamine.

21. *Ad honores palmæ.* ] Ad victoriam curulem.

23. *Mandata abſentis.* ] Quæ à me abſente tibi mandantur,

25. *Ore ferant grates.* ] *O referant* cum ſcriptis. Argent. *Et referant.* Forte *At referant.* Heinſ.

26. *Si pia fata vident.* ] Si videat quæ à te pie pro me geruntur.

27. *Sufficiat diu.* ] Diu duret & ſubminiſtret.

28. *Soli Fundani.* ] Fundi oppidum fuit Campaniæ, patria hujus Rufi, ad quem ſcribit Ovidius.

P. OVI-

# P. OVIDII NASONIS EPISTOLARUM EX PONTO

## LIBER III.

### EPISTOLA I.

### UXORI.

ARGUMENTUM.

Æquor Jaſonio pulſatum remige.] *Hanc hujus libri primam epiſtolam ad uxorem mittit, cui Ponticæ regionis, ubi exulabat, incommoda narrat. quibus dicit debere illi minime mirum videri, ſi mitioris ſoli exilium petit: qua in re ipſa pro marito debet præ cæteris laborare, ſi vult bonæ uxoris officio fungi. Docet deinde id ſibi præſtari poſſe, ſi ad Liviæ Auguſti uxoris præſidium confugerit: cujus clementiam ac benignitatem exponit. ad quam rem peragendam eligendum eſſe tempus idoneum admonet. quo pacto autem id agendum, quidve petendum ſit, elegantiſſime colligit Poëta.*

ÆQuor Iäſonio pulſatum remige primùm,
Quæque nec hoſte fero, nec nive terra cares;
Ecquod erit tempus, quo vos ego Naſo relinquam,
In minus hoſtilem juſſus abire locum?
An mihi Barbariâ vivendum ſemper in iſta?
Inque Tomitanâ condar oportet humo:
Pace tua, ſi pax ulla eſt tibi, Pontica tellus,
Finitimus rapido quam terit hoſtis equo;
Pace tuâ dixiſſe velim; tu peſſima duro
Pars es in exſilio, tu mala noſtra gravas.
Tu neque ver ſentis cinctum florente coronâ:
Tu neque meſſorum corpora nuda vides.



Æ*Quor pulſatum.*] O mare Ponticum remis erutum & agitatum *Iaſonio remige.*] Nautis Jaſonis, qui per mare Ponticum primum navigavit, cum Argo navi profectus eſt ad rapiendum aureum vellus. *Iaſonio remige primum æquor pulſatum.*] Amor. l. 2. Eleg. 11. vſ. 1. *Prima pinus.* Eſt epiſt. 12. Heroid. vſ. 13. *Nova pinus.* Quod, quomodo ſit accipiendum, invenies in annotatis noſtris.

7. *Si pax ulla eſt tua.*] *Eſt tibi* rectius nonnulli. *Heinſ.*

Nec tibi pampineas autumnus porrigit uvas:
Cuncta ſed immodicum tempora frigus habent.
Tu glacie freta vincta tenes: & in æquore piſcis
Incluſus tectâ ſæpe natavit aquâ.
Nec tibi ſunt fontes. laticis niſi pæne marini:
Qui potus dubium ſiſtat alatne ſitim.
Rara, neque hæc felix, in apertis eminet arvis
Arbor; & in terrâ eſt altera forma maris.
Non avis obloquitur: ſilvis niſi ſi qua remotis
Æquoreas rauco gutture potat aquas.
Triſtia per vacuos horret abſinthia campos,
Convenienſque ſuo meſſis amara loco.
Adde metus, & quod murus pulſatur ab hoſte;
Tinctaque mortiferâ tabe ſagitta madet.
Quod procul hæc regio eſt, & ab omni devia curſu:
Nec pede quo quiſquam, nec rate tutus eat.

Non

14. *Tempora frigus habent.* ] *Habet* cum quibuſdam. *Idem.*

15. *In æquore piſcis incluſus.* ] In ore paludis Mæoticæ (ut eſt auctor Strabo) tanta eſt glaciei vis, ut deſtituti in glacie piſces ligonibus effodiantur.

19. *Fœlix.* ] Fœcunda, & ferens fructus. *Mer.*

20. *Et in terrâ eſt altera forma maris.* ] Non ſatis hoc adſequor. niſi reponendum eſt forſan *æmula forma mari.* ſic apud Martialem,

*Pæſtanis æmula labra roſis.* Heinſ.

*Et in terra eſt altera forma maris.* ] Hoc eſt, Ita ſterilis & vacua ipſa terra eſt, ut formam ac ſpeciem maris intuentibus præbeat, in quo neque arbores, neque fruges ullæ naſcuntur. Non enim ad planiciem tantum reſpexiſſe Poëtam, ſed ad ſterilitatem & vacuitatem magis exiſtimo. *Micyl.*

21. *Non avis obloquitur ſylvis.* ] Expono, Nec avis ulla obloquitur ſylvis, hoc eſt, cantat niſi ſi qua forte in extremis, & ab uſu hominum remotis ſylvis, hoc eſt, in ſolitudinibus potando aquam marinam, edit ſonitum aliquem gutture. Ex quo illud intelligi Poëta videtur velle, Nullas omnino aves illic eſſe, præter maritimas eaſque circa [illegible] littora & ſolitudines verſari. *Mic.*

22. *Potat aquas.* ] *Potat* [illegible]. Vide Notas Epiſt. IV, vſ. 111. *Heinſ.*

23. *Triſtia abſynthia.* ] Amaræ [illegible] herbæ, quarum copia maxima eſt [illegible] Ponto. Et Ovid. etiam ſcribit, herbas veneficiis aptas in Ponto lectas [illegible] *Horrent.* ] Horrida videntur, ſqualida & inculta. *Per campos vacuos.* ] Per campos ſine ullis arboribus.

24. *Conveniens ſuo loco.* ] Conveniens regioni Ponticæ infructuoſæ.

25. *Murus.* ] Lapideus ambitus Tomitanæ civitatis.

27. *Quam procul hæc regio eſt.* ] [illegible] Sarrav. Scribe *Quod* cum [illegible] quatuor aliis, & primâ editione. [illegible] *Et ab omni devia curſu.* ] Et remota [illegible] omni navigatione: nemo enim ſe [illegible] vigat in plagam illam ſeptentrionalem [illegible] incultam, & deſertam.

28. *Nec pede quo quiſquam nec rate tutus eat.* ] Propter latrocinia. [illegible] enim, ſive mari, ſive terra in [illegible]

Non igitur mirum, finem quærentibus horum
Altera ſi nobis uſque rogatur humus.
Te magis eſt mirum non hoc evincere, conjux;
Inque meis lacrymas poſſe tenere malis.
Quid facias, quæris? quæras hoc ſcilicet ipſum;
Invenies, verè ſi reperire voles.
Velle parum eſt: cupias, ut re potiaris, oportet;
Et faciat ſomnos hæc tibi cura breves.
Velle reor multos. quis enim mihi tam ſit iniquus,
Optet ut exſilium pace carere meum?
Pectore te toto cunctiſque incumbere nervis,
Et niti pro me nocte dieque decet.
Utque juvent alii, tu debes vincere amicos,
Uxor; & ad partes prima venire tuas.
Magna tibi impoſita eſt noſtris perſona libellis:
Conjugis exemplum diceris eſſe bonæ,
Hanc cave degeneres. ut ſint præconia noſtra

Vera

perveniunt, ab incolis feris & immanibus trucidantur.

30. *Altera humus.* ] Altera terra & mitius exilium.

31. *Hæc non evincere te.* ] Hæc mala, quæ patior, non flectere animum tuum ad miſericordiam: & ideo mitiorem ab imperatore pro me exilii locum petere deberes.

33. *Quid facias quæris.* ] Quid pro me agendum ſit, interrogas.

35. *Cupias, ut re potiaris, oportet.* ] Scribe, *ut ſpe potiaris*, vel contra libros veteres. ſic & *potiri votis* paſſim apud Noſtrum. Adi Notas Faſtor. VI. vſ. 126. *Heinſ. Cupias, ut re potiaris, oportet.* ] Non ſatis, inquit, fuerit velle pro me aliquid, niſi etiam optaveris. Eſt autem ordo: Oportet cupias, ut potiaris re, hoc eſt, ut rem aſſequaris, ut ſcilicet transferar in mitius exilium.

36. *Et faciat ſomnos hæc.* ] Et oportet, ut noctu invigiles quid die pro me faciundum ſit.

37. *Velle reor multos qui.* ] Arbitror multos quidem eſſe, qui ſi voluntate poſſent, aut ea ſola ſufficeret, me juvare vellent. ſed non ſatis eſt velle: verum oportet toto pectore in hanc rem te incumbere, omnemque operam ac diligentiam advertere, &c. *Micyl.*

38. *Carere pace.* ] Carere animi tranquilitate & his curis, in quibus aſſidue verſor.

43. *Magna perſona.* ] Quaſi dicat, magnum nomen.

45. *Nec cave degeneres.* ] Scripti meliores conſtanter *Hanc cave degeneres.* quod verum eſt. Metam. VII.

*Acer equus quondam, magnaque in pulvere fama:*
*Degenerat palmas.*

ſic & ibi veterrimi codices. ut & apud Propertium l. IV. membranæ, quas magno numero inſpexi, conſtanter,

*Di mihi ſunt teſtes, non degeneraſſe propinquos.*

nam perperam *propinquis* nunc legitur. Statius lib. III. Sylv. de Hercule Surrentino,

*Nam capit, & tantum non degenerabit honorem.*

 Vix.

Vera fide; Famæ quo tuearis opus.
Ut nihil ipſe querar; tacito me Fama queretur,
Quæ debet, fuerit ni tibi cura mei.
Expoſuit mea me populo Fortuna videndum;
Et plus notitiæ, quam fuit ante, dedit.
Notior eſt factus Capaneus de fulminis ictu:
Notus humo merſis Amphiaraus equis.
Si minus erraſſet, notus minus eſſet Ulyſſes;
Magna Philoctetæ vulnere fama ſuo eſt.
Si locus eſt aliquis tanta inter nomina parvis;
Nos quoque conſpicuos noſtra ruina facit.
Nec te neſciri patitur mea pagina; qua non
Inferius Coâ Battide nomen habes.
Quicquid ages igitur, ſcenâ ſpectabere magnâ:
Et pia non parvis teſtibus uxor eris.

Crede

Virgil. Georg. II. quanquam dubie,

*Pomaque degenerant ſuccos oblita priores.*

Columella libro VII. cap. XII. *Venus ſi teneris conceditur, carpit & corpus & vires, animoſque degenerat. Degenerare nomen* Capitolinus in Opilio Macrino. ubi perperam Salmaſius *Degeniare* Animadverſionum p. 170. Statius Theb. IV.

*——famamque immanis alumni*
*Degenerat.*

ita cenſeo ſcribendum. *famaque* nunc circumfertur. Monuit jam de ſcriptura codicum Ovidianorum Zinzerlingus Promulſ. Critic. cap. XIII. *Heinſ.*

46. *Fama opus.* ] Malim *onus.* præcedenti verſu *ut ſint* rectius vetuſti codices, quam *& ſint.* Idem.

47. *Tacito me fama queretur, Quæ debet.* ] Juſte enim incuſamus uxorem, quum ab ea conſpicimus maritum deſeri.

48. *Fuerit ni tibi cura mei.* ] Ni mihi opitulari curaveris. *Mer. Quæ debet, fuerit ni tibi cura mei.* ] Tu ſic conſtrue: Ut ego taceam, tamen fama queretur & loquetur & de te niſi tibi cura ea, quæ debet, de me fuerit. ut comma, Quæ debet, ad ſequentia referatur. Eſt enim ὑπέρβατον, quod commentatori impoſuiſſe videtur. *Micyl.*

49. *Expoſuit meme et populis fortuna videndum.* ] *populo* ſcripti. *Expoſuit male populo.* Argent. quidam *meme.* Scribe.

*Expoſuit mea me populo fortuna videndum.* Heinſ.

50. *Et dedit plus notitiæ.* ] Et tribuit mihi plus famæ: me enim hæc mea calamitas magis notum fecit, quam prius fuerim.

51. *Notior eſt factus Capaneus.* ] *Es factus Capaneus* alter Medonii. *Heinſ.*

52. *Notus humo merſis Amphiaraus equis.* ] Amphiarai fabulam refert Diodorus: & nos in Ovidium de Arte amandi. *Merſis humo.* ] Terræ enim hiatu Amphiaraus cum equis & curru abſorptus eſt.

57. *Qua non.* ] *Qua non* cum ſcriptis. *Heinſ.*

58. *Coa Battide.* ] Philetas ex Coo inſula oriundus, quem Strabo aliorum ſcriptorum judicem ſeveriſſimum fuiſſe tradit, Battida amavit, & eam carmine laudavit.

59. *Scena magna.* ] Magno theatro, & hominum frequentia.

60. *Non paucis teſtibus.* ] Quia multos habebis teſtes tuæ erga me fidei. *Parvus*

*teſti-*

Crede mihi; quoties laudaris carmine noſtro,
Qui legit has laudes, an mereare rogat.
Utque favere reor plures virtutibus iſtis,
Sic tua non paucæ carpere facta volent.
Quare, tu præſta, ne livor dicere poſſit;
Hæc eſt pro miſeri lenta ſalute viri.
Cumque ego deficiam, nec poſſim ducere currum;
Fac tu ſuſtineas debile ſola jugum.
Ad medicum ſpecto venis fugientibus æger:
Ultima pars animæ dum mihi reſtat, ades.
Quodque ego præſtarem, ſi te magis ipſe valerem,
Id mihi, cum valeas fortius, ipſa refer.
Exigit hoc, ſocialis amor, fœduſque maritum:
Moribus hoc, conjux, exigis ipſa tuis.
Hoc domui debes, de qua cenſeris, ut illam
Non magis officiis, quam probitate, colas.
Cuncta licet facias; niſi ſis laudabilis, uxor,
Non poterit credi Marcia culta tibi.
Nec ſumus indigni; nec (ſi vis vera fateri)
Debetur meritis gratia nulla meis.

Reddi-

*teſtibus.*] Alii *paucis.* nil muta. ſic Faſtor. IV.

*—— pro magnâ teſte vetuſtas*
*Creditur.*

Heinſ.

65. *Quarum tu præſta.*] Scribe cum uno Vaticano,

*Quare tu præſta, ne livor dicere poſſit.*

Heinſ.

67. *Quumque ego deficiam.*] Et quum mihi vires deſint. *Nec poſſim ducere currum.*] Tanquam auriga; hoc eſt, nec poſſim rebus meis præeſſe, quia ab urbe abſim.

68. *Debile jugum.*] Res meas debiles & afflictas.

69. *Ad medicum ſpecto.*] Ad te confugio, tanquam ægroti ad medicum. *Venis fugientibus.*] Deficiente ſpiritu & ſanguine. Qua ſimilitudine dicit parum vitæ ſibi ſupereſſe. *Mer.*

75. *Hoc domui debes.*] Familiæ tuæ, quæ erga ſuos officioſa eſt, fidem debes imitari. *De qua cenſeris.*] De qua numeraris in cenſu. Unaquæque enim familia, & totus populus cenſebatur. *Mer.*

76. *Non minus officiis.*] *Non magis* plerique veteres. quod verum eſt. *Heinſ.* *Non minus officiis.*] Pro eo quod eſt, Non ſolum proba, ſed & officioſa erga me eſſe debes. *Micyl.*

77. *Niſi eris laudabilis uxor.*] Paulo durius hoc. Scribe *niſi ſis laudabilis* & *Marcia* mox pro *Martia.* atque ita Arondelianus. *Heinſ.*

78. *Non poterit credi Martia culta tibi.*] Martia filia fuit Philippi, quam Cato poſterior uxorem duxit poſt divortium Attiliæ. Eam deinde ille Q. Hortenſio conceſſit: de qua multa Lucanus. Hanc igitur ut caſtiſſimam matronam coluit uxor Ovidii. *Mer.*



82. *Ru-*

Digitized by Google

Redditur illa quidem grandi cum fœnore nobis.
Nec te, ſi cupiat lædere, livor habet.
Sed tamen hoc factis adjunge prioribus unum;
Pro noſtris ut ſis ambitioſa malis.
Ut minus infeſtâ jaceam regione, labora:
Clauda nec officii pars erit ulla tui.
Magna peto, ſed non tamen invidioſa roganti.
Utque ea non teneas, tuta repulſa tua eſt.
Nec mihi ſuccenſe, toties ſi carmine noſtro,
Quod facis, ut facias, teque imitere, rogo.
Fortibus aſſuevit tubicen prodeſſe; ſuoque
Dux bene pugnantes incitat ore viros.
Nota tua eſt probitas, teſtataque tempus in omne:
[Sit virtus etiam non probitate minor.]
Non tibi Amazonia pro me ſumenda ſecuris,
Aut excisa levi pelta gerenda manu.
Numen adorandum eſt; non ut mihi fiat amicum,
Sed ſit ut iratum, quam fuit ante, minus.
Gratia ſi nulla eſt, lacrymæ tibi gratia fient.



82. *Rumor habet.* ] *Livor* rectius multi veteres. *Heinſ.*

84. *Ut ſis ambitioſa.* ] Ut ſis captatrix favoris & miſericordiæ. *Mer.* Vel ut in obtinenda mihi exilii mutatione omnibus laudem præripias, & videare ejus rei affectare principatum. *Pont.*

86. *Clauda nec officii pars erit ulla tui.* ] Si hoc mihi, inquit, præſtiteris, nullam officii tui partem deſiderabo. & omni ex parte perfectum erit officium tuum.

87. *Sed non tamen invidioſa roganti.* ] Sed tamen nullam tibi invidiam & detrectationem, ſeu odium conciliatura.

88. *Utque ea non teneas.* ] Et quamvis non obtineas quæ pro me petes. *Tuta repulſa tua eſt.* ] Si recteris re infecta, nihil ob id tibi mali continget.

90. *Ut facias quod facis.* ] Ut mihi opituleris, quemadmodum facis. *Teque imitere.* ] Et rogo etiam, ut velis mores & naturam tuam imitari, qua ſoles ſponte ſemper de omnibus bene mereri.

91. *Fortibus aſſuevit tubicen prodeſſe.* ] Quemadmodum in bello tubicen cantu fortes milites accendit, & bonus etiam imperator oratione alacriores reddit: ſic ſe dicit eo modo uxorem ſponte incitatam etiam hortari.

94. *Sit virtus etiam non probitate minor.* ] Verſus merito ſuſpectus mihi. *Heinſ.*

95. *Nec tibi Amazonia eſt.* ] Τὸ *eſt* multi codices non agnoſcunt. Forte *Amazonias ſecuris.* Græca enuntiatione. *Idem.*

96. *Aut pelta exciſa.* ] Aut ſcuto ad ſimilitudinem lunæ jam mediæ, quo Amazones utebantur.

97. *Numen adorandum eſt.* ] Per numen, Auguſtum intellige. Docet autem, quid ab uxore fieri debeat.

99. *Gratia fiant.* ] *Fient* ſcripti meliores, & mox *Meque viro* pro *Deque.* *Heinſ.*

Hac potes, aut nullâ, parte movere Deos.
Quæ tibi ne deſint, bene per mala noſtra cavetur:
Meque viro flendi copia dives adeſt.
Utque meæ res ſunt; omni (puto) tempore flebis.
Has Fortuna tibi noſtra miniſtrat opes.
Si mea mors redimenda tuâ (quod abominor) eſſet:
Admeti conjux, quam ſequereris, erat.
Æmula Penelopes fieres, ſi fraude pudicâ
Inſtantes velles fallere nupta procos.
Si comes exſtincti manes ſequerere mariti,
Eſſet dux facti Laodamia tui.
Iphias ante oculos tibi erat ponenda, volenti
Corpus in accenſos mittere forte rogos.
Nil opus eſt letho, nil Icariotide telâ.
Cæſaris at conjux ore precanda tuo.
Quæ præſtat virtute ſuâ, ne priſca vetuſtas
Laude pudicitiæ ſæcula noſtra premat.

Quæ

*Lacrymæ tibi gratia fient.*] Incipias lacrymis apud Imperatorem agere, quæ erunt loco gratiæ: tunc enim flectetur ad miſericordiam, & eo pacto omnia quæ voles, obtinebis.

101. *Quæ tibi ne deſint.*] Ne illæ lacrymæ deficiant. *Bene per mala noſtra cavetur.*] Quæ ſi in memoria habueris, & ante oculos, ſuppetent tibi lacrymarum flumina.

106. *Admeti conjux, &c.*] Alceſtis Peliæ filia, uxorque Admeti regis, ita maritum amavit, ut pro eo mori non dubitarit.

107. *Æmula Penelopes fieres.*] Fieres ejuſdem rei ſtudioſa, cujus fuit Penelope. *Fraude pudica.*] Penelope coacta multis procis eam uxorem petentibus, abſente marito alicui nubere, ſe id quidem facturam recepit, ni Ulyſſes veniret toto eo tempore, quo telam cœptam abſolviſſet. Hac autem arte eos eluſit: quicquid enim die toto laboraverat, id nocte retexebat, Interim Ulyſſes rediit, & Penelope eo actu fidem marito ſervavit, & habita fuit pudiciſſima.

108. *Inſtantes.*] Procos te uxorem petentes, quemadmodum Penelopen.

109. *Manes extincti mariti.*] Manes mortui Proteſilai.

111. *Iphias ante oculos.*] Evadne, Iphiæ filia ſe in ardentem Capanei mariti rogum ob nimium amorem præcipitavit. *Tibi erit ponenda.*] *Erat* rectius nonnulli. *Heinſ.*

113. *Morte nihil opus eſt.*] Ne peccetur in leges metri, ſcribe cum tribus codicibus, *Nil opus eſt letho.* Vide Notas Triſt. lib. v. Eleg. ult. vſ. 41. ubi monui poſſe etiam non inconcinne legi, *Morte tibi haud opus eſt.* Duo alii codices *Nil opus eſt morte.* Idem. *Icariotide tela.*] Tela & fraude Penelopes Icarii filiæ.

114. *Cæſaris conjux.*] Livia Auguſti uxor.

116. *Premat noſtra ſecula.*] Vincant noſtrum ævum.

 117. *Quæ*

Digitized by Google

Quæ Veneris formam, mores Junonis habendo,
  Sola eſt cœleſti digna reperta toro.
Quid trepidas, & adire times? non impia Progne,
  Filiave Æëtæ voce movenda tuâ eſt:
Nec nurus Ægypti, nec ſæva Agamemnonis uxor;
  Scyllaque, quæ Siculas inguine terret aquas:
Telegonive parens vertendis nata figuris;
  Nexaque nodoſas angue Meduſa comas.
Fœmina ſed Princeps; in qua Fortuna videre
  Se probat, & cæcæ crimina falſa tulit.
Qua nihil in terris, ad finem Solis ab ortu
  Clarius, excepto Cæſare, mundus habet.
Eligito tempus captatum ſæpe rogandi,
  Hæreat adversâ ne tua navis aquâ.

[Non

117. *Quæ Veneris formam.* ] Subaudi *habendo.* Eſt autem magna Liviæ laus, quum eam dicat pulchritudine Veneri, moribus vero Junoni comparandam.

118. *Toro cœleſti.* ] Lecto Divi Auguſti.

119. *Impia Progne.* ] Crudelis Progne Terei uxor, quæ filium Itym patri epulandum appoſuit, in ultionem ſororis Philomelæ, quam ille violaverat.

120. *Filia Æëtæ.* ] Medea filia Æetæ regis Colchorum. *Non eſt monenda tua voce.* ] Quaſi dicat, Alloquêris tu quidem fœminam prorſus ab omni crudelitate alienam.

121. *Nec nurus Ægyſthi.* ] *Ægypti* ſcribendum cum Sarraviano. qui Danai frater fuit. Noſter alibi,

*Exulis Ægypti turba cruenta nurus,*

Heinſ. *Nec nurus Ægypti.* ] Nec aliqua Danaidum, quæ maritos omnes una nocte occiderunt, præter Hypermneſtram, quæ maritum ſervavit. *Nec ſæva Agamemnonis uxor.* ] Nec crudelis Clytæmneſtra, quæ Agamemnonem maritum occidit.

122. *Scyllaque.* ] Subaudi, non eſt roganda. *Terret inguine.* ] Virgil. *Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris Dulichias vexaſſe rates, & gurgite in alto Ah timidos nautas canibus laceraſſe marinis.*

123. *Telegonive parens.* ] Circen deſignat. *Vertendis figuris.* ] Mutandis hominibus in monſtra. *Vertendis nata figuris.* ] Præſtantiores omnes *nata.* probe. Vide Notas Remed. Amor. vſ. 220, *Heinſ.*

125. *In qua fortuna videre Se probat.* ] In qua Fœmina, Fortuna oſtendit ſe non cæcam eſſe. Quam quidem fœminam dignam probitate, & non temere ad principatum evexit: & in quam videns & ſciens Fortuna tot & tam ampla bona congeſſerit.

126. *Et tulit falſa crimina cæca.* ] Falſo cæca appellata fuit.

128. *Clarius.* ] Nobilius ipſa Livia. *Excepto Cæſare.* ] Excepto Auguſto.

129. *Captatum ſæpe roganti.* ] Rogandi meliores. *Heinſ.* *Captatum ſæpe.* ] Hac in re ſæpius à te captatum, & quaſi tentatum.

130. *Exeat adverſa ne tua navis aqua.* ] Imo, ut exeat. quomodo lib. IV. Eleg. IX.

*——jactate rudentes,*

*Exeat è Stygiis ut mea navis aquis.*

*Extet in adverſa* Thuan. forte *Poſt.* Arondel. *Extat in adverſa ne tibi* [illegible]

[Non ſemper ſacras reddunt oracula ſortes;
 Ipſaque non omni tempore fana patent.]
Cum ſtatus Urbis erit, qualem nunc auguror eſſe;
 Et nullus populi contrahet ora dolor;
Cum domus Auguſti, Capitolî more colenda,
 Læta, quod eſt, & ſit, plenaque pacis erit;
[Tum tibi Dî faciant adeundi copia fiat,
 Profectura aliquid tum tua verba puta.]
Si quid aget majus, differ tua cœpta; caveque
 Spem feſtinando præcipitare meam.
[Nec rurſus jubeo, dum ſit vacuiſſima quæras.]
 Corporis ad curam vix vacat illa ſui.
[Curia cum patribus fuerit ſtipata verendis;
 Per rerum turbam tu quoque oportet eas.]
Cum tibi contigerit vultum Junonis adire,
 Fac ſis perſonæ, quam tueare, memor.

Nec

Vatic. *Ereat*, hoc eſt, *Hereat*. quod ſenſus requirit. *Heinſ.*

131. *Non ſemper ſacras.*] Diſtichon dubiæ fidei. niſi *Clarias ſortes* fortaſſis reponi placet. *Idem.* *Sacras ſortes.*] Sacra reſponſa.

135. *Cum domus Auguſti Capitoli more colenda.*] Ut κακοφωνία vitetur, malim,

*Cumque Auguſta domus Capitoli more colendi.*

nam *colendi* Argentinus. Vide Notas Triſt. III. Eleg. VIII. poſſet & *Capitoli in mole colendi*. Heinſ. *Capitoli more.*] Eo modo quo Capitolium: quod non colebatur, niſi quum triumphabant, aut in publica aliqua lætitia. ex quo deſignat, tunc tempus fore verba de ſe faciendi apud Liviam, quum viderit in ædibus Auguſti eſſe lætitiam aliquam, qualis eſſe ſolet in Capitolio.

137. *Tum tibi Di faciant adeundi copia fiat.*] Etiam hic verſus mendoſus eſt. Sarrav. *Tum tibi deficiant.* quinque alii *di faveant*, *di facerit* Argentin. alius Tò *di* non agnoſcit. *Heinſ.*

138. *Profectura aliquid cum tua verba putes.*] *Tum* meliores. Sarravianus quoque *putas*, ut & alii nonnulli. tres *puta* bene. niſi *putem* mavis cum Rottendorphiano. *Idem.*

139. *Si quid aget.*] *Ages* Argent. *Idem.*

141. *Nec rurſus jubeo.*] Duo *rurſum*. Latet ulcus. *Idem.*

142. *Corporis ad cultum.*] *Ad curam* Sarrav. Scaliger. Argent. Feſchii. Arondel. & duo alii. Medicamine faciei,

*Diſcite quæ faciem commendet cura puellæ.*

Idem.

144. *Per patrum turbam.*] *Per rerum turbam* eleganter. Sarrav. quo populi confluxum deſignat. *Per patriam turbam* Arondel. *Idem.* *Per turbam patrum.*] Per ſenatorum multitudinem, dum ad Liviam vadis.

146. *Perſona quam tueare.*] Memento te eſſe uxorem meam, cui præ omnibus pro me laborandum, & cauſa mea fideliſſime agenda ſit. *Pont.*

Nec factum defende meum: mala cauſſa ſilenda eſt.
  Nil niſi ſollicitæ ſint tua verba preces.
Tum lacrymis demenda mora eſt: ſubmiſſaque terræ
  Ad non mortales brachia tende pedes.
Tum pete nil aliud, ſævo niſi ab hoſte recedam:
  Hoſtem Fortunam ſit ſatis eſſe mihi.
Plura quidem ſubeunt: ſed jam turbata timore
  Hæc quoque vix poteris ore tremente loqui.
Suſpicor hoc damno tibi non fore: ſentiat illa
  Te majeſtatem pertimuiſſe ſuam.
[Nec tua ſi fletu ſcindentur verba, nocebit.
  Interdum lacrymæ pondera vocis habent.]
Lux etiam cœptis facito bona talibus adſit:
  Horaque conveniens, auſpiciumque favens.
Sed prius impoſito ſanctis altaribus igni,
  Thura fer ad magnos vinaque pura Deos.
E quibus ante omnes Auguſtum numen adora;
  Progeniemque piam, participemque tori.
Sint utinam mites ſolito tibi more; tuaſque
  Non duris lacrymas vultibus aſpiciant.

148. *Nec niſi ſollicita.*] *Nil niſi* meliores. *Heinſ.*

151. *Tu pete nil aliud, niſi ſævo ut ab hoſte recedam.*] *Sævo niſi ab hoſte* iidem, & *Tum pete.* Idem.

152. *Fortunam eſſe mihi hoſtem.*] Habere fortunam ſolam inimicam, & non Scythas etiam: Vel calamitas mea ſatis hoſtiliter me habet.

153. *Sed tu turbata timore.*] Multi *ſed ſunt turbata. conturbata* in fragmento Boxhorniano. *Heinſ.*

154. *Voce tremente.*] *Ore* prima editio & quinque ſcripti. *Idem.*

155. *Suſpicor hac.*] *Hoc* meliores, & *ſentiat.* Idem.

157. *Nec tua ſi fletu.*] Etiam hoc diſtichon vix pro genuino habendum, ne bis idem dicat. jam enim præceſſerat, *Nec lacrymis demenda mora eſt. ſcinduntur* pro *ſcindentur* ſex ſcripti. poſterior verſus ex epiſtola Briſeidis conflatus, *Sed tamen & lacrymæ pondera vocis habent.* Idem.

162. *Ad magnos deos.*] Ad Auguſtum & Liviam.

163. *Auguſti numen adora.*] *Auguſtum numen* meliores. recte. vide Notas Triſt. III. Eleg. VIII. verſ. 13. *Heinſ.*

165. *Sint utinam mites ſolito tibi more.*] Duo *ſolito mihi.* Puto *ſolito ſibi more.* ut in Epiſt. Cydippes. *More bonis ſolito.* Adi Notas Epiſt. XX. vſ. 144. *Idem.*

EPI-

## EPISTOLA II.

# COTTÆ.

## ARGUMENTUM.

Quam legis à nobis.] *Ad Cottam Romanum ſcribens, ejus fidem laudat Poëta: quod cum alii amicum in rebus adverſis deſeruerint, ipſe ſemper in amicitia firma opinione permanſerit, cujus merita dicit futura ſibi ſemper in memoria, quoad vixerit, ac etiam poſt ejus mortem, ſi modo ejus ſcripta ad poſteros pervenerint.*

QUam legis à nobis miſſam tibi, Cotta, ſalutem,
Miſſa ſit ut verè, perveniatque, precor.
Namque meis ſoſpes multum cruciatibus aufers;
Utque ſit è nobis pars bona ſalva, facis.
Cumque labent alii, jactataque vela relinquant;
Tu laceræ remanes anchora ſola rati.
Grata tua eſt igitur pietas. ignoſcimus illis,
Qui cum Fortunâ terga dedêre fugæ.
Cum feriant unum, non unum fulmina terrent:
Junctaque percuſſo turba pavere ſolet.
Cumque dedit paries venturæ ſigna ruinæ,
Sollicito vacuus fit locus ille metu.
Quis non è timidis ægri contagia vitat,
Vicinum metuens ne trahat inde malum?
Me quoque amicorum nimio terrore metuque,
Non odio, quidam deſtituêre mei.
Non illis pietas, non officioſa voluntas
Defuit: adverſos extimuêre Deos.
Utque magis cauti poſſunt timidique videri,

Sic

2. M*iſſa ſit ut vere.*] Salus vere dicitur mitti, quum ille ad quem ſcribimus, recte valet, quemadmodum optamus.

4. *Atque ſit ut nobis.*] Tò *ut* Sarrav. non agnoſcit. Argent. & ſex alii ex melioribus, *Utque ſit in nobis.* Lege,

*Utque ſit è nobis pars bona ſalva facis.* Heinſ.

5. *Jactataque vela relinquant.*] Et deſerant vela à ventis agitata. Per *vela* autem, amicitiæ fidem & officium intellige.

8. *Qui cum Fortuna terga dedere fugæ.*] Scribe vel invitis ſcriptis codicibus, *cum Fortuna terga dedere mea. terga dare* profugere, uſitatum Noſtro, & melioris ævi ſcriptoribus. *Heinſ.* *Qui cum fortuna.*] Qui ubi me à fortuna proſtratum & relegatum videre, cœperunt fugere.

19. *Utque magis cauti poſſunt timidique*

Sic appellari non meruêre mali.
At meus excuſat caros ita candor amicos;
Utque habeant de me crimina nulla, favet.
Sint hac contenti veniâ, ſignentque licebit
Purgari factum me quoque teſte ſuum.
Pars eſtis pauci potior, qui rebus in arctis
Ferre mihi nullam turpe putaſtis opem.
Tunc igitur meriti morietur gratia veſtri,
Cum cinis abſumto corpore factus ero.
Fallar, & illa meæ ſuperabit tempora vitæ.
Si tamen à memori poſteritate legar.
Corpora debentur mœſtis exſanguia buſtis:
Effugiunt ſtructos nomen honorque rogos.
Occidit & Theſeus, & qui comitavit Oreſten:
Sed tamen in laudes vivit uterque ſuas.
Vos etiam ſeri laudabunt ſæpe nepotes;
Claraque erit ſcriptis gloria veſtra meis.

Hic

*que vocari.*] *Timidique videri* Sarrav. Argent. Polit. & quinque alii. Præterea videtur ſcribendum, *Utque nimis.* vel *ſatis cauti.* Heinſ.

22. *At meus excuſat caros ita candor amicos,*
*Utque habeant de me crimina nulla facit.*]
Puto,
*At meus excuſat caros mihi candor amicos.*
ut alibi,
*Excuſemne te ſemper, amice, mihi.*
deinde pro *facit* Sarrav. & tres alii ex melioribus *favet.* *habeat favet* Argent. *ex me* etiam unus. Twiſdenius codex *cavet.* Scribe,
*Utque habeant per me crimina nulla, cavet.* Idem.

23. *Sint hi contenti venia ſignantque licebit.*] Scribe, *Sint hac contenti veniâ,* cum Moreti codice. pro *ſignentque.* Sarrav. *ſientque.* Argent. *fugiaque.* reliqui, *fugiantque.* niſi quod Arondelianus, *veniaque fugaque.* Nil muto. *fugiantque* perperam occupavit multas editiones, etiam noſtram. *ſignare* verbum juris. Pont. IV. Eleg. XV.
*Confiteor: teſtere licet. ſignate, Quirites.* Idem.

26. *Turpe putatis.*] *Putaſtis* meliores. & præcedenti verſu pro *pars melior* unus Vatic. & Patav. *pars potior.* Idem.

27. *Morietur gratia veſtri meriti.*] Similiter Virg. 7. Æneid.
*—— nec veſtra feretur ——*
*Fama levis, tantique aboleſcet gratia facti.*

29. *Fallor & illa mea ſuperabit tempora vita.*] *Fallor* fragmentum Boxhornii rectius. *Heinſ.*

30. *Legar.*] Legentur monumenta & carmina mea, veſtra in me merita teſtatura.

33. *Et qui comitavit Oreſtem.*] Ex Pyladem, qui Oreſtem in Tauricam regionem proſequutus eſt.

34. *In ſuas laudes.*] In gloriam tantæ amicitiæ, quæ fuit inter eos. Vel in laudes utriuſque, ſcilicet Theſei & Pyladis.

37. San-

Digitized by Google

Hîc quoque Sauromatæ jam vos novêre Getæque:
Et tales animos barbara turba probat.
Cumque ego de veſtrâ nuper probitate referrem,
(Nam didici Getice Sarmaticeque loqui)
Forte ſenex quidam, cœtu cum ſtaret in illo,
Reddidit ad noſtros talia verba ſonos:
Nos quoque amicitiæ nomen bene novimus, hoſpes,
Quos procul à vobis frigidus Iſter habet.
Eſt locus in Scythiâ, (Tauros dixêre priores)
Qui Geticâ longe non ita diſtat humo.
Hac ego ſum terrâ (patriæ nec pœnitet) ortus.
Conſortem Phœbi gens colit illa Deam.
Templa manent hodie vaſtis innixa columnis:
Perque quater denos itur in illa gradus.
Fama refert illic ſignum cæleſte fuiſſe.
Quoque minus dubites, ſtat baſis orba Dea.

Ara-

37. *Sauromatæ.*] Populi illi Scythici, qui ita à Græcis, alias *Sarmatæ* appellantur.

38. *Tales animos.*] Animos tam fidos & conſtantes.

41. *In illo cœtu.*] In ea virorum corona, ubi amicitiæ veſtræ conſtantiam prædicabam. *Mer.*

42. *Reddidit ad ſonos.*] Excepit verba mea tali narratione. Vel, laudes à me vobis tributas, ut amicis optimis, jucunda duorum amicorum hiſtoria confirmavit. *Pont.*

43. *Hoſpes.*] O peregrine Ovidi.

44. *Quos procul à vobis alter & orbis habet.*] Tò *alter & orbis habet* erat omiſſum in Sarraviano. Argent. Twiſd. Arondel. & quatuor alii *ultimus orbis habet.* Scaligeri codex *Geticus orbis.* mendoſe. Polit. & octo alii *frigidus Iſter habet.* tres *frigidus orbis.* totidem *frigidus axis.* multi *dividit Iſter aquis.* quinque *barbara terra tenet.* pri. Mediceus *Pontus & Iſter habet.* Forte *Ponticus Iſter.* ſic *Ponticus Caſtor* elegia de Nuce. Vide Notas ſupra lib. II. Eleg. IX. vſ. 67. *Heinſ.*

45. *Eſt locus in Scythia.*] Hæc eſt narratio ſenis cujuſdam, quem Poëta inducit referentem amicitiam Pyladis & Oreſtis, quos in Tauricam regionem veniſſe dicit, ubi regnabat Thoas. *Tauros dixere priores.*] Taurica regio (auctore Plinio) in Scythia eſt, & à Carcinite incipit, quondam mari circumfuſa & ipſa, quaque nunc jacent campi, deinde vaſtis attollitur jugis.

48. *Conſortem Phœbi.*] Sororem Phœbi, Dianam.

50. *Per quaterdenos gradus.*] Per gradus quadraginta. Ex quo templi altitudinem & magnificentiam demonſtrat.

51. *Signum cæleſte.*] Statua Dianæ.

52. *Stat baſis orba Dea.*] *Orba Dea* malim reponi. ſic *luminis orbus* & ſimilia apud Noſtrum paſſim. *Heinſ.* *Stat baſis orba dea.*] Baſis reſtat ſola, orbata ſimulacro Dianæ, quod abſtulit Oreſtes fugiens cum Iphigenia, & Ariciam portavit, ut Servius docet.

53. Na-

Araque, quæ fuerat naturâ candida ſaxi,
  Decolor affuſo tincta cruore rubet.
Fœmina ſacra facit tædæ non nota jugali:
  Quæ ſuperat Scythicas nobilitate nurus.
Sacrificî genus eſt; (ſic inſtituêre priores)
  Advena virgineo cæſus ut enſe cadat.
Regna Thoas habuit Mæotide clarus in orâ:
  Nec fuit Euxinis notior alter aquis.
Sceptra tenente illo, liquidas feciſſe per auras
  Neſcio quam dicunt Iphigenian iter.
Quam levibus ventis ſub nube per æquora vectam
  Creditur his Phœbe depoſuiſſe locis.
Præfuerat templo multos ea rite per annos,
  Invitâ peragens triſtia ſacra manu.
Cum duo veliferâ juvenes venere carinâ;
  Preſſeruntque ſuo littora noſtra pede.
Par fuit his ætas, & amor: quorum alter Oreſtes,
  Alter erat Pylades. nomina fama tenet.
Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram,
  Evincti geminas ad ſua terga manus.

Spar-

53. *Natura ſaxi.* ] E marmore.

54. *Decolor.* ] *Diſcolor* Puteani. ſuperiori verſu pro *natura candida ſaxi* malim *nativi candida ſaxi*. Heinſ.

55. *Tæda non nota jugali.* ] *Nupta* decem veteres. *tæda non nota* Sarrav. Argent. multique alii. Lege *tædæ non nata*, & adi Notas noſtras Rem. Amor. vſ. 220: niſi malis reponi, *tæda non vota jugali*. recurre ad Notas Met. XIII. vſ. 634. *Heinſ.*

56. *Quæ ſuperat nobilitate.* ] Quæ eſt nobilior genere. Hujuſmodi enim eligebatur Dianæ ſacerdos in Taurica regione.

57. *Sic inſtituere parentes.* ] *Priores* Polit. & multi alii. quod etiam in ſuis Naugerius invenit & Pierius Valerianus ad lib. I. Æneid. Virgilii. Vide Notas ad lib. XV. Metam. vſ. 104. *Heinſ.*

58. *Enſe virgineo.* ] Cultro virginis ſacerdotis.

59. *Thoas.* ] Adi Eurip. Fab. 10. *Curſus Thoanti fecit hoc nomen pedum.*

61. *Per liquidas auras.* ] Per purum aëra. Nota eſt fabula, ereptam Iphigeniam Dianæ ſacrificandam, & à dea delatam per aëra in Tauricam regionem, cervamque pro ea ſuppoſitam, ut Servius docet.

63. *Per aëra vectam.* ] *Per æquora* ſcripti fere omnes. nam de aëre jam dixerat. *Heinſ.*

64. *Phœbe.* ] Diana.

65. *Præfuerat.* ] Præpoſita fuerat Iphigenia templo illi Tauricæ Dianæ.

66. *Invita manu.* ] —— *nec planus* —— *Foci, cruore diffluentes hoſpitum.* Ex Eurip. fab. 10.

72. *Evincti geminas.* ] Erat enim conſuetudo, ut ita victimæ, & homines præſertim ligarentur.

73. *Spar-*

Spargit aquâ captos luſtrali Graja ſacerdos;
Ambiat ut fulvas infula longa comas.
Dumque parat ſacrum, dum velat tempora vittis;
Dum tardæ cauſſas invenit uſque moræ;
Non ego crudelis, juvenes ignoſcite, dixit;
Sacra ſuo facio barbariora loco.
Ritus is eſt gentis. qua vos tamen urbe venitis?
Quove parum fauſtâ puppe petiſtis iter?
Dixit: &, audito patriæ pia nomine virgo,
Conſortes urbis comperit eſſe ſuæ;
Alteruter votis, inquit, cadat hoſtia ſacris;
Ad patrias ſedes nuntius alter eat.
Ire jubet Pylades carum periturus Oreſten.
Hic negat: inque vicem pugnat uterque mori.
Exſtitit hoc unum, quo non convenerit illis.

Cæ-

73. *Sparſit aqua.* ] *Spargit* meliores. *Heinſ. Sparſit captos luſtrali, &c.* ] Luſtralem aquam intelligit, quæ luſtrandis ac purgandis hoſtiis adhibebatur: non molam. neque enim mola aqua conſtabat, ſed hordeo & ſale: quæ antequam hoſtiæ jugularentur, aſpergi illis atque offerri ſolebant. *Micyl.*

74. *Ut infula longa ambiat.* ] Ut infula circundet. Erat enim *infula* faſcia in modum diadematis, & à qua vittæ ab utraque parte dependebant.

76. *Invenit ipſa mora.* ] Rectius Leidenſis *uſque.* Heinſ.

78. *Sacra ſuo facio barbariora loco.* ] Forte,

*Sacra meo facio barbariora ſolo.*

nam in uno Voſſiano *ſolo* pro *loco.* Idem. *Suo loco.* ] Hac terra Taurica, quæ eſt crudelis: & ideo ſacra etiam crudelia celebrantur à me tamen non crudeli.

79. *Ritus is eſt gentis.* ] Malim *genti*, Heinſ. *Ritus is eſt gentis.* ] Talis mos eſt Tauricis populis, Dianæ hoſpites immolare.

80. *Quodque parum.* ] *Quoque* vel *Quaque* plerique. *Heinſ.*

81. *Nomine patria.* ] Nomine Mycenarum.

83. *Alter ut è nobis inquit cadat hoſtia ſacris.* ] Verſus mendoſus. nec juvant libri veteres. Scribe,

*Alteruter votis, inquit, cadat hoſtia ſacris.*

*vota ſacra*, ut *templa & delubra vota*, *vota laurea*, *votus ſanguis*, *vota victima* & ſimilia paſſim apud Noſtrum. Met. IX. quoque *vota ſacra* habes,

*Victor ab Oechalia Cenæo ſacra parabat*
*Vota Jovi.* Heinſ.

84. *Ad ſedes patrias.* ] In Græciam, Mycenas.

86. *Inque vicem pugnat uterque mori?* ]
*Hic veri amoris dulce certamen vides;*
*Servare Oreſten ſtrio Pylades ſtudet,*
*Pyladenque Oreſtes; mutuus ſenſus movet:*
*Neuter ſuperſtes eſſe ſuſſert alteri.*
Ex Eurip. fab. 10.

87. *Exſtitit hoc unum, quod non convenerat illis:*
*Cætera pars concors & ſine lite fuit.* ] *Quod non convenerit* Argent. aliique complures. Lege, *quo non convenerit illis.* ut jam monui Remed. Amor. vſ. 471. Deinde *par concors* ſcribendum, ut Naugerius jam vidit. *Cætera concors* eleganti Græciſmo, ut *cætera Gratus* Virgilio, & noſtra *cætera ſoſpes*, Metam. VIII. *Heinſ.*

Quod

Cætera par concors & ſine lite fuit.
Dum peragunt pulchri juvenes certamen amoris;
Ad fratrem ſcriptas exarat illa notas.
Ad fratrem mandata dabat, cuique illa dabantur,
(Humanos caſus aſpice) frater erat.
Nec mora; de templo rapiunt ſimulacra Dianæ:
Clamque per immenſas puppe feruntur aquas.
Mirus amor juvenum, quamvis abiêre tot anni,
In Scythiâ magnum nunc quoque nomen habet.
Fabula narrata eſt poſtquam vulgaris ab illo;
Laudarunt omnes facta piamque fidem.
Scilicet hac etiam (qua nulla ferocior) orâ
Nomen amicitiæ barbara corda movet.
Quid facere Auſoniâ geniti debetis in Urbe,
Cum tangant diros talia facta Getas?
Adde, quod eſt animus ſemper tibi mitis; & altæ
Indicium mores nobilitatis habet;
Quos Voleſus patrii cognoſcat nominis auctor;
Quos Numa maternus non neget eſſe ſuos:
Adjectique probent genitiva ad nomina Cottæ,

Si

*Quod non convenerat illis.* ] In quo non fuerant concordes. *Mer.*

90. *Ad fratrem ſcriptas.* ] Quem putabat jam è Phocide quo puer delatus erat, rediiſſe & Argis manere. Ad eum conſcribit epiſtolam, & fratri, (quod neſciebat) portandum committit. *Pont.*

96. *Nomen habent.* ] *Habet* ex ſcriptis. *Heinſ.*

99. *Scilicet hic etiam.* ] *Hac etiam* meliores. deinde Tò *eſt* cum Feſchiano & tribus aliis delendum. *Idem.*

104. *Indicium mores nobilitatis habent.* ] *Habet* Polit. recte: animus nimirum. *Idem.*

105. *Quos Voleſus.* ] *Valeſus* multi veteres cum Argentino, duo *Valerus.* apud Rutilium *Voluſus* vulgo legitur,

*Qui Voluſi antiquo derivas ſtemmate nomen.*

ut & apud Silium,

*Poplicola ingentis Voluſi Spartana propago.*

atque ita in Faſtis Capitolinis, ſed fragmentum termini vetuſtiſſimi Romæ apud Maffeios.

P. VALESIUS VOLESI. F. POPLICOLA. quam ſcripturam Dionyſius Halicarnaſſeus quoque & Plutarchus agnoſcunt. poſtea Voluſi & Valerii dicti; qui Voleſii & Valeſii primo. *Heinſ.* *Voleſus auctor patrii nominis.* ] A Voleſo enim paternum genus traxit Cotta. Fuit autem Voleſus Sabinus, qui cum Tatio Romam venit.

106. *Quos Numa maternus.* ] *Materni* Naugerii poſtrema editio. *Heinſ.* *Numa maternus.* ] Secundus rex Romanorum Numa Pompilius: à quo per matrem ducebat originem Cotta. *Eſſe ſuos.* ] Quia Cotta erat religioſus, & vir bonus, quemadmodum fuit Numa rex.

107. *Genitiva agnomina Cottæ.* ] *Adnomi-*

Si tu non eſſes, interitura domus.
Digne vir hac ſerie, lapſo ſuccurrere amico
Conveniens iſtis moribus eſſe puta.

*nomina* veteres plerique. & recte. Innuit etiam adoptione in Aureliam Cottarum familiam tranſiſſe. *Heinſ.*

109. *Hac ſerie.*] Hoc virtutum tuarum ordine: vel (quod magis placet) hac majorum origine.

## EPISTOLA III.

## FABIO MAXIMO.

### ARGUMENTUM.

Si vacat exiguum.] *Ad Fabium Maximum ſcribens, fingit ſibi in lecto cubanti ſeſe obtuliſſe Cupidinem, poëtamque de illo queſtum, quod quum ejus cauſa in exilium ejectus ſit, velit etiam efficere, ut Auguſtus placatus, mitius exilium concedat. Poſtremo inducit etiam Cupidinem ad ea reſpondentem.*

SI vacat exiguum profugo dare tempus amico,
O ſidus Fabiæ Maxime gentis, ades:
Dum tibi quæ vidi referam; ſeu corporis umbra,
Seu veri ſpecies, ſeu fuit ille ſopor.
Nox erat: & bifores intrabat Luna feneſtras,
Menſe ferè medio quanta nitere ſolet.
Publica me requies curarum ſomnus habebat,
Fuſaque erant toto languida membra toro:
Cum ſubito pennis agitatus inhorruit aër;
Et gemuit parvo mota feneſtra ſono.
Territus in cubitum relevo mea membra ſiniſtrum:
Pulſus & è trepido pectore ſomnus abit.
Stabat Amor vultu, non quo prius eſſe ſolebat,
Fulcra tenens læva triſtis acerna manu.
Nec torquem collo, nec habens crinale capillis;
Nec bene diſpoſitas comtus, ut ante, comas.
Hor-

7. PUblica requies curarum.] Requies quæ communis eſt omnibus. *Curarum ſomnus habebat.*] *Alebat* Medonianus alter. vide Notas ad Epiſt. Medeæ, ſ. 170. *Heinſ.*

14. *Sceptra tenens læva triſtis acerna manu.*] *Fulva* Argent. & codex Scaliger. unde *Fulcra* is conjiciebat. quod Vaticanus Primæ notæ confirmat. *Fulcrum* pro baculo poſuit ῥάβδον ὑακίνθινον dat Amori Anacreon Od. VII. *Heinſ.*

*Acerna.*] De acere facta. Eſt enim genus ligni. Virgil. *Trabibus contextus acernis.* Mer.

Horrida pendebant molles ſuper ora capilli;
Et viſa eſt oculis humida penna meis.
Qualis in aëriæ tergo ſolet eſſe columbæ,
Tractantum multæ quam tetigêre manus.
Hunc, ſimul agnovi, (neque enim mihi notior alter)
Talibus affata eſt libera lingua ſonis:
O puer, exſilii decepto cauſſa magiſtro,
Quem fuit utilius non docuiſſe mihi;
Huc quoque veniſti, pax eſt ubi tempore nullo,
Et coït adſtrictis barbarus Iſter aquis?
Quæ tibi cauſſa viæ? niſi uti mala noſtra videres?
Quæ ſunt, ſi neſcis, invidioſa tibi.
Tu mihi dictaſti juvenilia carmina primus:
Appoſui ſenis te duce quinque pedes.
Nec me Mæonio conſurgere carmine, nec me
Dicere magnorum paſſus es acta ducum.
Forſitan exiguas, aliquas tamen, arcus & ignis
Ingenii vires comminuêre mei.
Namque ego dum canto tua regna, tuæque parentis,
In nullum mea mens grande vacavit opus.
Nec ſatis id fuerat; ſtultus quoque carmina feci,
Artibus ut poſſes non rudis eſſe meis.
Pro quibus exſilium miſero mihi reddita merces:
Id quoque in extremis, & ſine pace, locis.
At non Chionides Eumolpus in Orphea talis;

17. *Horrida pendebant.*] Repetitur ea vox verſu proximo, quare malim *Squallida ora* hic legi. Vide Notas in Epicedion Druſi vſ. 86. niſi verſu proximo *ſordida pluma* reponas. *Heinſ.*

18. *Penna.*] Alæ. *Horrida.*] Aſperæ & impexæ propter aquilonem: qui ad ea loca volantem Cupidinem afflaverat, & impexum reddiderat. [Vel etiam mœrore & luctu, propter poëtæ calamitatem.]

20. *Tractatam.*] *Tractantum* Polit. & tres alii. *Heinſ.*

22. *Talibus effata eſt.*] *Affata eſt* ex ſcriptis. *Idem.*

37. *Stultus quoque carmina feci.*] *Stulto quoque carmine* Argentinus & Rottendorph. ſic ſupra lib. II. Eleg. IX. *ſtulto conſcripſimus artem.* Idem.

41. *At non Chionides Eumolpus.*] Libri multi *non Echionides* vel *nec Echionides.* Sed vulgata lectio bene ſe habet. Εὔμολπος Ποσειδῶνος καὶ Χιόνης Pauſaniæ. at Theocrito Idyll. XXV. Φιλαμμωνίδης Eumolpus dicitur. Mater autem Philammonis Chione ut Noſter ipſe Met. lib. XI. memorat. Docuit hic Eumolpus cithara Herculem canere,

Digitized by Google

In Phryga nec Satyrum talis Olympus erat.
Præmia nec Chiron ab Achilli talia cepit,
Pythagoræque ferunt non nocuiſſe Numam.
Nomina neu referam longum collecta per ævum,
Diſcipulo perii ſolus ab ipſe meo.
Dum damus arma tibi, dum te, laſcive, docemus;
Hæc te diſcipulo dona magiſter habet.
Scis tamen; ut liquido juratus dicere poſſis,
Non me legitimos ſollicitaſſe toros.
Scripſimus hæc iſtis, quarum nec vitta pudicos
Contingit crines, nec ſtola longa pedes.
Dic, precor, ecquando didiciſti fallere nuptas;
Et facere incertum per mea juſſa genus?
An ſit ab his omnis rigidè ſubmota libellis,
Quam

canere, teſte ibidem Theocrito. Argent. *At non crudes Eumolpus.* mendoſe. mox *Achilli* pro *Achille* veteres. *Idem.* *Eumolpus Chionides.*] Eumolpus, Neptuni & Chiones filius. *In Orphea.*] Erga præceptorem Orpheum. *Mer. Eumolpus.*] Plerique non Thracium Eumolpum, ſed Eleuſinium, ex Deiope Triptolemi natum, myſteria Cereris Eleuſine docuiſſe volunt, ejuſque rei auctorem Iſtrum citant. Hinc & Eumolpi, qui tradita ab Eumolpo ſacra, Eleuſine procurarunt. *Mic.*

42. *In Phryga, nec Satyrum.*] Nec etiam Olympus talis fuit in Satyrum Marſyam, ut tu in me fuiſti.

43. *Præmia nec Chiron.*] Notum eſt Statii & aliorum monumentis, Achillem ſub Chironis diſciplina maxima benevolentia nutritum.

44. *Pythagoræque ferunt.*] Hic loquitur ex eorum opinione qui credidere Numam Pompilium regem Pythagoræ philoſophi diſcipulum fuiſſe.

47. *Cum damus.*] Dum tibi ſignificamus quomodo expugnandæ ſunt puellæ.

48. *Et gaudere aliquid.*] Malim *aliqua.* vide Notas Triſt. III. Eleg. IV. vſ. 75. *Heinſ.*

49. *Et liquido juratus dicere poſſis.*] *Ut poſſis* Argentinus. *Idem.*

51. *Quarum nec vitta.*] Quæ non ſunt virgines, aut Veſtales quæ vitta peculiariter utebantur. *Quarum nec vitta pudicos contingit crines.*] *Matrona magis conducibile eſt unum amare —— Et cum eo ætatem exigere, cui nupta eſt ſemel.* Plaut. Ciſtellar. I. I. vſ. 80. Et in Milite, 4. I. vſ. 196. *Matrona crines & vittas habent.*

52. *Contingit crines.*] Multi *contigerit.* duo *Contingunt.* totidem *Attigerit.* tres *Attingit.* quomodo & minor Gryphii. Unde Scaliger *Aſtringit.* probe. alibi,

*Vitta nec aſtrictas impedit alba comas.*

Lucanus libro V.

*—— tum torta priores*
*Stringit vitta comas.*

Arondelianus *conſtringit*, etiam bene. *Heinſ.* *Nec ſtola longa.*] Nec ſunt matronæ, quæ ſtola utebantur. Ea enim veſtis erat, quæ ad imos pedes defluebat.

54. *Incertum genus.*] Nempe conventitiis ſati: Plaut. Ciſtellar. I. I. ἰφάπτωρ vocatur ejuſmodi contrectator. Æſchil. Supplic. vſ. 314.

55. *An ſit ab his omnis.*] *Abſit ab his* Argent. & duo alii. *An ſas ab his*

Quam lex furtivos arcet habere viros?
Quid tamen hoc prodeſt, vetiti ſi lege ſeverâ
Credor adulterii compoſuiſſe notas?
At tu ſic habeas ferientes cuncta ſagittas;
Sic nunquam rapido lampades igne vacent;
Sic regat imperium, terraſque coërceat omnes
Cæſar, ab Æneâ qui tibi fratre nepos;
Effice, ſit nobis non implacabilis ira;
Meque loco plecti commodiore velit.
Hæc ego viſus eram puero dixiſſe volucri.
Hos viſus nobis ille dediſſe ſonos.
Per mea tela faces, & per mea tela ſagittas,
Per matrem juro, Cæſareumque caput;
Nil, niſi conceſſum, nos te didiciſſe magiſtro;
Artibus & nullum crimen ineſſe tuis.
Utque hóc, ſic utinam defendere cætera poſſes!
Scis aliud, quod te læſerit, eſſe magis.
Quicquid id eſt (neque enim debet dolor ille referri)
Non potes à culpâ dicere abeſſe tuâ.
Tu licet erroris ſub imagine crimen obumbres;
Non gravior merito vindicis ira fuit.
Ut tamen aſpicerem, conſolarerque jacentem,
Lapſa per immenſas eſt mihi penna vias.
Hæc loca tum primùm vidi, cum matre rogante

Pha-

*omnis* Berſmanni codex. Forte,
*Nam ſat ab his omnis rigide ſubmota libellis.* ſublata interrogationis notâ. vel *At ſatis his.* Heinſ.

56. *Quam lex arcet.* ] Lex Julia.

60. *Lampades.* ] Faces. Ovid. *Altera tela arcus, altera tela faces.* His enim amantum quoque pectora feriebat Cupido, & injiciebat ardorem & ignem.

62. *Ab Ænea fratre.* ] Æneas enim & Cupido ambo matrem Venerem habuere.

64. *Meque loco plecti.* ] *Poni* Thuan. Vide Notas lib. 1. Eleg. v. vſ. 79. *Heinſ.*

70. *Tuis actibus.* ] Tuis carminibus & præceptis de Arte amandi.

71. *Defendere cætera poſſes.* ] *Poſſent* nonnulli. Forte *defendi cætera poſſent.* Heinſ. *Cætera.* ] Quæ læſerunt Auguſtum.

72. *Aliud magis eſſe.* ] Aliud magis nocere, quam carmina amatoria. Quibus verbis liquido apparet, exilii Poëtæ cauſam aliam fuiſſe, quam carmina amatoria.

74. *Non potes à culpa dicere abeſſe tua.* ] *Liber abeſſe* quatuor. unus *liber adeſſe.* alius *libera eſſe.* Latet aliquid mendi. *Heinſ.*

78. *Eſt mea penna.* ] *Mihi penna* duo libri. *Idem.*

80. *Puella*

Phaſias eſt telis fixa puella meis.
Quæ nunc cur iterum poſt ſecula longa reviſam,
Tu facis, ô caſtris miles amice meis.
Pone metus igitur; miteſcet Cæſaris ira:
Et veniet votis mollior hora tuis.
Neve moram timeas, tempus, quod quærimus, inſtat:
Cunctaque lætitiæ plena triumphus habet.
Dum domus, & nati, dum mater Livia gaudet:
Dum gaudes Patriæ magne Duciſque Pater:
Dum tibi gratatur populus, totamque per Urbem
Omnis odoratis ignibus ara calet:
Dum faciles aditus præbet venerabile templum;
Sperandum noſtras poſſe valere preces.
Dixit; & aut ille eſt tenues dilapſus in auras,
Cœperunt ſenſus aut vigilare mei.
Si dubitem, quin his faveas, ô Maxime, dictis,
Memnonio cygnos eſſe colore putem.
Sed neque mutatur nigrâ pice lacteus humor:
Nec, quod erat candens, fit terebinthus, ebur.
Conveniens animo genus eſt tibi; nobile namque
Pectus & Herculeæ ſimplicitatis habes.

Livor

80. *Puella Phaſias.*] Medea ſic dicta, à Phaſi Colchorum fluvio. *Mer.*

84. *Et veniet votis mollior hora tuis.*] *Aura* nonnulli. Vide Notas Epiſt. III. vſ. 42. codex Moreti *velis mollior aura tuis.* Heinſ.

86. *Triumphus habet.*] Triumphum Tiberii de Dalmatis & Illyriis actum intellige. *Micyl.*

87. *Et nati.*] Et filii Auguſti. Tiberius ſcilicet & reliqui.

88. *Magne pater patriæ.*] Auguſtum denotat, qui pater patriæ dictus eſt. *Duciſque.*] Et imperatoris qui triumphabit. Tiberium autem deſignat.

89. *Dum ſibi gratatur populus.*] *Tibi* rectius quidam. eſt enim ſermo ad Auguſtum. *Heinſ.*

90. *Odoratis ignibus.*] Ignibus thuricremis.

96. *Memnonio colore.*] Colore nigro, quali fuit Memnon, quem Tithonus Laomedontis filius in Aſia orientem verſus uſque in Æthiopiam militans, dicitur genuiſſe ex Ida: qui cum Trojanis præſidium tuliſſet, poſtea ab Achille eſt interfectus.

98. *Candens ebur.*] Candidum ebur. *Terebinthus.*] Arbor eſt, quæ in Syria naſcitur, ejus materies admodum lenta eſt, ac fidelis ad vetuſtatem, eximii ac nigri ſplendoris, ut docet Plinius libro decimo tertio.

99. *Conveniens animo genus eſt tibi. nobile namque Pectus.*] Ita hæc diſtinguenda. *Heinſ.*

100. *Pectus & Herculea.*] Nam, inquit, obtines animum nobilem ac candorem, & ſimplicitatem illam, quæ in Hercule progenitore dicitur fuiſſe.

 101. *Li-*

Digitized by Google

Livor iners vitium mores non exit in iſtos;
Utque latens imâ vipera ſerpit humo.
Mens tua ſublimis ſupra genus eminet ipſum:
Grandius ingenio nec tibi nomen ineſt.
Ergo alii noceant miſeris, optentque timeri:
Tinctaque mordaci ſpicula felle gerant.
At tua ſupplicibus domus eſt aſſueta juvandis;
In quorum numero me precor eſſe velis.

101. *Livor iners vitium.* ] Ὁ φθόνος ἐςὶ κάκιςον, ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ. Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην. *Mores non exit in iſtos.* ] Plerique veteres *alios*. ſed fruſtra. ſupra Eleg. 11.

*—— lapſo ſuccurrere amico*
*Conveniens iſtis moribus eſſe puta.*

lib. 1. Eleg. 6.

*Non cadit in mores feritas inamabilis*
*iſtos*. Heinſ.

## EPISTOLA IV.

# RUFINO.

## ARGUMENTUM.

Hæc tibi non vanam. ] *Tiberii ovationem ſeu triumphum de Germania, vel potius de Illyrico, Romam mittens Poëta Rufino amico & doctiſſimo viro commendat. Excuſatque ſe multis rationibus, quod non ita eleganter materiam iſtam abſolvat, ut æquum fuerat. Poſtremo vertit ſermonem ad Liviam Cæſaris matrem, vaticinaturque fore, ut brevi alterum etiam triumphum de Germania ipſa conſequatur, ut inferius dicemus.*

HÆc tibi non vanam portantia verba ſalutem,
Naſo Tomitanâ mittit ab urbe tuus;
Utque ſuo faveas mandat, Rufine, Triumpho;
In veſtras venit ſi tamen ille manus.
Eſt opus exiguum, vaſtiſque paratibus impar.

Quale

1. N*On vanam ſalutem.* ] Ex animo tibi optatam; quia precor ut ſis ſalvus, ut es.

3. *Triumpho.* ] De Illyrico triumpho & hæc & ſuperiora illa accipienda. Nuſquam enim alibi reperio, de Germanis triumphaſſe Tiberium: ſed devictis Illyriis, decretoque illi eam ob rem triumpho, in præſens quidem tum ob mœſtam Variana clade civitatem, ovantem, ſed laureatum tamen, urbem eſſe ingreſſum; Triumphavit enim Tiberius prox. anno ante mortem Auguſti, quo tempore & hæc à poëta ſcripta videntur, quum jam quartum in Ponto annum degiſſet. *Micyl.*

5. *Veſtriſque paratibus impar.* ] *Vaſtiſque* Combianus. ut infra,

*Ferre etiam molles elegi tam vaſta triumphi*
*Pondera diſparibus non potuere rotis.*

Heinſ.

7. Firma

Quale tamen cunque eſt, ut tueare rogo.
Firma valent per ſe, nullum Machaona quærunt:
Ad medicam dubius confugit æger opem.
Non opus eſt magnis placido lectore poëtis:
Quamlibet invitum difficilemque tenent.
Nos, quibus ingenium longi minuêre labores,
Aut etiam nullum forſitan ante fuit,
Viribus infirmi, veſtro candore valemus.
Quem mihi ſi demas, omnia rapta putem.
Cunctaque cum mea ſint propenſo nixa favore,
Præcipuum veniæ jus habet ille liber.
Spectatum vates alii ſcripſêre triumphum.
Eſt aliquid memori viſa notare manu.
Nos ea vix avidam vulgo captata per aurem
Scripſimus: atque oculi fama fuêre mei.
Scilicet affectus ſimiles, aut impetus idem,
Rebus ab auditis conſpicuiſque venit?
Nec nitor argenti, quem vos vidiſtis, & auri,
Quod mihi defuerit, purpuraque illa, queror.
Sed loca, ſed gentes formatæ mille figuris
Nutrîſſent carmen, præliaque ipſa, meum.

Et

7. *Firma valent per ſe, &c.* ] Senſus eſt: Corpora firma ac valida per ſe conſiſtunt, neque opus medico habent, qui ea conſervat: ſic & boni ac præſtantes Poëtæ non indigent favore lectoris, quando ipſorum carmina per ſe commendabilia ſunt. *Micyl.*

9. *Non opus eſt magnis placido.* ] Poëtis excellentibus non eſt opus, ut lectores concilient: quia eorum opera per ſe favorem contrahunt.

10. *Quemlibet invitum difficilemque tenent.* ] *Quamlibet* quatuor libri. Vide Notas Epiſt. VI. vſ. 140. *Heinſ.*

15. *Cunctaque cum mea ſunt.* ] *Sint* ex ſcriptis. *Idem.*

16. *Iſte liber.* ] Libellus ille quem mitto, ubi deſcribitur Cæſaris triumphus materia ampla & magna, quæ aliud expoſceret ingenium, quam meum.

19. *Vulgi captata per aurem.* ] *Vulgo* ſcripti. & verſu proximo pro *vidimus*, multi *ſcripſimus*. Heinſ.

24. *Quod mihi defuerit.* ] *Defuerint* fragmentum Vaticanum, paulo elegantius. *Idem.*

25. *Sed loca, vel gentes.* ] *Sed gentes* ſex ſeptemve veteres. nervoſe. *Idem.* *Sed loca.* ] Sed locorum deſcriptiones & picturæ, quæ triumphantes imperatores præcedebant. Per loca autem, aut urbes, aut campos ubi partæ fuerant victoriæ pugnando. & quia hujuſmodi prælia picta præibant, & in pugnantum corporibus variæ erant vulnerum & cadentium formæ: ideo ſubjungit, vel gentes formatæ mille figuris.

26. *Nutriſſent carmen, &c.* ] Carmini



meo

Digitized by Google

Et Regum vultus, certiſſima pignora mentis,
 Juviſſent aliquâ forſitan illud opus.
Plauſibus ex ipſis populi lætoque favore
 Ingenium quodvis incaluiſſe poteſt.
Tamque ego ſumſiſſem tali clangore vigorem,
 Quam rudis auditâ miles ad arma tubâ.
Pectora ſint nobis nivibus glacieque licebit,
 Atque hoc, quem patior, frigidiora loco:
Illa Ducis facies in curru ſtantis eburno
 Excuteret frigus ſenſibus omne meis.
His ego defectus, dubiiſque auctoribus uſus,
 Ad veſtri venio jure favoris opem.
Nec mihi nota ducum, nec ſunt mihi nota locorum
 Nomina: materiam vix habuêre manus.
Pars quota de tantis rebus, quam Fama referre,
 Aut aliquis nobis ſcribere poſſet, erat?
Quo magis, ô lector, debes ignoſcere, ſi quid
 Erratum eſt illic, præteritumve mihi.
Adde, quod aſſiduam domini meditata querelam
 Ad lætum carmen vix mea verſa lyra eſt.
Vix bona poſt tanto quærenti verba ſubibant:

Et

meo gratiam attuliſſent. *Præliaque ipſa meum.*] Et ipſæ præliorum deſcriptiones.

27. *Et regum vultus certiſſima pignora gentis.*] Ita quidem vulgo: ſed alii, *Pignora mentis* legunt, quæ lectio eſt verior. ut ſit, *Pignora mentis*, indicia & ſignificationes. Eſt enim vultus, quaſi quidam tacitus animi index, qui pro eo atque illa affecta eſt, ipſe quoque lætus, triſtis, placidus aut torvus eſt. *Micyl.*

29. *Lætoque favore.*] *Fragore* malim, vel *canore*. nam *favoris* paulo poſt ſequitur. *Heinſ.*

31. *Tali clamore vigorem.*] *Clangore* fragmentum Lovanienſe. *Idem.*

32. *Rudis miles.*] Tyro & belli inexpertus. ἀπόλεμος. Homer.

35. *In curru eburno.*] Triumphalia ornamenta fuere, toga prætexta tunica palmata, toga picta, corona laurea, ſcipio eburneus, & ſella curulis eburnea, de qua hic Ovid. intelligit.

40. *Materiam non habuere.*] *Vix habuere* Thuan. *Heinſ.*

44. *Præteritumve mihi.*] Aut à me prætermiſſum.

45. *Aſſiduas querelas domini.*] Continuos fletus meos, propter hanc relegationem. *Aſſidue domini meditata querelam.*] *Aſſiduam querelam* duo Argent. & octo alii: *aſſiduas querelas.* quomodo & Arondelianus. *Heinſ.*

46. *Ad lætum carmen vix mea Muſa venit.*] *Vix mea verſa lyra eſt*, pleriquè veteres. quod à Fabricio mutari non debuit. *Idem.*

51. Ar-

Et gaudere aliquid, res mihi viſa nova eſt.
tque reformidant inſuetum lumina Solem,
Sic ad lætitiam mens mea ſegnis erat.
ſt quoque cunctarum novitas cariſſima rerum:
Gratiaque officio, quod mora tardat, abeſt.
ætera certatim de magno ſcripta triumpho
Jam pridem populi ſuſpicor ore legi.
Illa bibit ſitiens, lector mea pocula plenus:
Illa recens pota eſt, noſtra tepeſcit aqua.
Non ego ceſſavi, nec fecit inertia ſerum:
Ultima me vaſti ſuſtinet ora freti.
Cum venit huc rumor, properataque carmina fiunt,
Factaque eunt ad vos, annus abîſſe poteſt.
Nec minimum refert, intacta roſaria primus,
An ſerâ carpas pæne relicta manu.
Quid mirum, lectis exhauſto floribus horto,
Si Duce non facta eſt digna corona ſuo?
Deprecor, hæc vatum contra ſua carmina ne quis

Dicta

51. *Novitas gratiſſima rerum.* ] Rectius cum Argent. aliiſque nonnullis *cariſſima.* quia *Gratia* ſequitur. *Idem.*

52. *Officio.* ] Rei illi quam facimus, ut puta ſcribendo triumphum, aut aliud aliquid ſimile.

55. *Illa.* ] Scilicet carmina aliorum. *Lector ſitiens.* ] Lector deſiderans. *Plenus.* ] Jam ſatur: & ideo faſtidiens. *Mea pocula.* ] Subaudi, *bibit.* hoc eſt, legit meum carmen. *Noſtra tepeſcit.* ] Carmen meum ſerum nullam habebit gratiam poſt aliorum carmina prius compoſita.

56. *Noſtra tepebit aqua.* ] *Tepeſcit* Polit. & Barberin. *Heinſ.*

58. *Suſtinet ora freti.* ] *Submovet* Putean. & Vatic. Vide Notas Triſt. III. Eleg. IV. vſ. 41. *Idem.*

62. *Sera manu.* ] Manu tarda ad decerpendos hujuſmodi flores. Quaſi dicat, ego ſcripſi poſtremus, tanquam qui relictas roſas colligit. Roſæ enim quæ primo leguntur, quia pulchriores deliguntur, magis delectant, quam aliæ: ſic ergo qui primo materiam triumphi Cæſaris deſcripſere, magis placent, quam ego.

63. *Lectis exhauſto floribus horto.* ] *Sertis floribus* Hafnienſis. eleganter. Recurre ad Notas Triſt. IV. Eleg. II. vſ. 56. *Heinſ.*

65. *Deprecor hæc, vatum contra ſua carmina ne quis*
*Dicta putet.* ]

*Deprecor hoc* Argent. aliique nonnulli. Forte,

*Ne, precor, hæc vatum contra ſua carmina ne quis*
*Dicta putet.*

de qua venuſtâ repetitione τȢ *ne* dixi Notis ad Claudianum. *Heinſius.* *Deprecor hæc vatum.* ] Ne poëta videatur queſtus de poëtis, qui hujuſmodi quoque triumphum ſcripſerant, hic ſe excuſat.

Dicta putet. pro ſe Muſa locuta mea eſt.
Sunt mihi vobiſcum communia ſacra, poëtæ;
In veſtro miſeris ſi licet eſſe choro.
Magnaque pars animæ mecum vixiſtis, amici:
Hac ego vos abſens nunc quoque parte colo.
Sint igitur veſtro mea commendanda favori
Carmina, non poſſum pro quibus ipſe loqui.
Scripta placent à morte ferè: quia lædere vivos
Livor, & injuſto carpere dente ſolet.
Si genus eſt mortis male vivere; terra moratur:
Et deſunt fatis ſola ſepulcra meis.
Denique opus noſtræ culpetur ut undique curæ,
Officium nemo qui reprehendat erit.
Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas:
Hac ego contentos auguror eſſe Deos.
Hæc facit, ut veniat pauper quoque gratus ad aras;
Et placeat cæſo non minus agna bove.
Res quoque tanta fuit, quantæ ſubſiſtere ſummo
Æneïdos vati grande fuiſſet onus.

Ferre

66. *Pro ſe.*] Pro utilitate ſua, non ut aliquem culparem.

67. *Communia ſacra.*] Quia poëtæ omnes ſunt Phœbi ſacerdotes, ideo ejus ſacra ſunt illis cum Ovidio etiam poëta communia.

69. *Magnaque pars animi.*] *Anima* ſcribendum cum ſex ſcriptis. *animo* Argent. & quinque alii. Adeantur Notæ Pont. lib. I. Eleg. VI. *Heinſ.* *Magna pars amici.*] Amici enim eleganter nunc pars, nunc dimidium animæ amicorum eſſe dicuntur.

71. *Veſtro mea commendata favore.*] Malim *favori*, & ſic à manu ſecunda Arondelianus. *Heinſ.*

73. *Quia lædere vivos livor.*] Sic alibi, *Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit.*

75. *Terra moratur.*] Sepulcrum me expectat.

77. *Opus noſtra curæ.*] Opus hoc de triumpho in quo magnam curam adhibui.

84. *Æneidos vati.*] *Æneados* unus Voſſianus. Puto *Iliados* vati. Quippe ut ſummum vatem Virgilium appellarit, atque adeo ipſi Homero prætulerit, vix fit veriſimile. Nam Propertianum illud, *Neſcio quid majus naſcitur Iliade*, viventis adhuc Virgilii auribus datum eſt. Deinde Tò *Æneïdos* ſecunda ſyllaba correpta vix legi apud alios. niſi quod in veteri epigrammate Maronis laudibus dato codex antiquiſſimus exhibet ſcriptum,

*Æneïdemque ſuam fac major nominis ornet.*

*Fac laudes Italum, fac tua facta legi.*

cum *Æneamque ſuum* in vulgatis exemplaribus legatur, & quidem rectius. Sed quod monere propemodum neglexeram, iiſdem verſibus nævus fœdiſſimus inhæret, cum pro *major nominis ornet*

erre etiam molles elegi tam vaſta triumphi
Pondera diſparibus non potuêre rotis.
Quo pede nunc utar, dubia eſt ſententia nobis.
Alter enim de te, Rhene, triumphus adeſt.
rrita verorum non ſunt præſagia vatum.
Danda Jovi laurus, dum prior illa viret.
Nec mea verba legis, qui ſum ſubmotus ad Iſtrum,
Non bene pacatis flumina pota Getis:
Iſta Dei vox eſt: Deus eſt in pectore noſtro.
Hæc duce prædico vaticinorque Deo.
Quid ceſſas currum pompamque parare triumphis,
Livia? jam nullas dant tibi bella moras.
Perfida damnatas Germania projicit haſtas.
Jam pondus dices omen habere meum.
Crede, brevique fides aderit; geminabit honorem
Filius, & junctis, ut prius, ibit equis.
Prome, quod injicias humeris victoribus, oſtrum.
Ipſa poteſt ſolitum noſſe corona caput.

Scu-

*net* reponendum ſit *major Mincius.* ut fluvium agri Mantuani poſuerit pro ipſa Mantua. *Heinſ.*

85. *Rotis diſparibus.*] Imparibus verſibus.

89. *Irrita verorum non ſunt præſagia vatum.*] Argent. prim. Medic. plurimique alii *veterum vatum.* nonnulli *notorum.* an *motorum?* hoc eſt, afflatorum? ſic Pythagoras Met. xv.

*Et quoniam Deus ora movet, ſequar ora moventem*
*Rite Deum.*

ſic & ſæpe alibi. quatuor *magnorum.* Heinſ.

90. *Danda Jovi laurus.*] Triumphus dandus eſt Jovi Capitolino, cui imperatores lauro coronati ibant ſacrificatum. Vel dicit ponendam eſſe lauream de more poſt triumphum in æde Jovis Capitolini. *Dum prior illa viret.*] Dum corona illa Tiberii, qua paulo ante ovans ob debellatum Illyricum, coronatus urbem intravit, adhuc eſt recens & viridis. Ex quo innuit poſt illum triumphum alterum etiam propediem deberi Tiberio.

91. *Qui ſum ſubmotus ad Iſtri.*] *Iſtrum* meliores. *Heinſ.* *Qui ſum ſummotus ad Iſtrum.*] Qui ſum à patria in Pontum miſſus, in quem defluit Iſter.

94. *Hoc duce prædico.*] *Hac* meliores. *Heinſ.* *Hoc.*] Hunc alterum triumphum.

97. *Perfida Germania.*] Germania quæ fidem rupit Romanis, cæſo Varo, & tribus legionibus. *Damnatas haſtas.*] Bella & arma, quæ deteſtatur & damnat. *Projicit.*] Abjicit tanquam pene victa.

92. *Geminabit honorem filius.*] Tiberius alium conſequetur triumphum: & ita duplici triumpho erit glorioſus, altero parto de Illyria, altero vero de Germanis. Tiberius enim vaſtata Germania, Imperator appellatus fuit.

104. *Stem-*

Scuta, ſed & galeæ gemmis radientur & auro,
  Stentque ſuper vinctos trunca tropæa viros.
Oppida turritis cingantur eburnea muris:
  Fictaque res vero more putetur agi.
Squallidus immiſſos fracta ſub arundine crines
  Rhenus, & infectas ſanguine portet aquas.
Barbara jam capti poſcunt inſignia Reges,
  Terraque fortunâ divitiora ſuâ.
Et quæ præterea virtus invicta tuorum
  Sæpe parata tibi, ſæpe paranda facit.
Dî quorum monitu ſumus eventura locuti,
  Verba (precor) celeri noſtra probate fide.

104. *Stentque ſuper victos trunca tropæa viros.*] Malim *ſuper vinctos viros* cum prim. Mediceo & quinque aliis. In Numiſmatis enim marmoribuſque antiquis apparent paſſim captivi tropæis alligati. *Heinſ. Trunca tropæa.*] Quæ amputatis arboribus figebantur. Amputabant enim ramos arborum, ac deinde armis ſpoliiſque hoſti detractis ornabant. *Trunca tropæa.*] *Ingentem quercum decisis undique ramis —— Conſtituit tumulo, &c. —— tibi magne tropæum —— Bellipotens.* Virg. XI. Æn. in princip.

105. *Oppida eburnea.*] Civitatum ſimulacra ex ebore compacta.

106. *Ficta res.*] Rem fictam appellat urbium pictarum ſimulacra & geſta, quæ præferebantur in eo triumpho.

107. *Squallidus immittat crines.*] *Immiſſos crines* in melioribus. mox pro *potet* Polit. & ſex ſeptemve alii *portet.* Heinſ.

109. *Ponent inſignia reges.*] *Poſcunt* Polit. aliique multi. quidam *poſcent.* utrumque rectum. Nam regalibus ornamentis Reges in triumphum ducendi velabantur. *Idem.*

110. *Textaque.*] Veſtes regias. *Divitiora ſua fortuna.*] Quia reges illi omnia jure belli amiſerant: & eo pacto pretioſiores erant veſtes ipſis regibus.

111. *Virtus tuorum.*] Virtus Auguſti & liberorum.

112. *Sæpe parata tibi.*] Quia ſæpenumero paraſti tuis triumphalia ornamenta. *Spe paranda.*] Quoniam alios etiam triumphos comparabunt, & tu quoque triumphalia ornamenta parabis.

113. *Quorum monitu.*] Apollinem ſignificat, cujus monitu & furore poëtæ vaticinantur,

EPI-

# EPISTOLA V.
## MAXIMO COTTÆ.
### ARGUMENTUM.

Quam legis.] *Ad maximum Cottam hanc epiſtolam mittit, ad quem etiam ſuperius ſcripſerat: laudatque ejus orationem, quam Romæ in foro judiciali habitam, legendam miſerat: precaturque, ut crebro ſtudii ſui hujuſmodi pignora mittat. Deinde dicit ſe abſentem illum tanquam præſentem intueri: viderique cum eo Romæ eſſe, tanquam in cælo. Cum vero meminit ſe eſſe in Scythia, dicit videri ſe ad inferos reverti.*

QUam legis, unde tibi mittatur epiſtola, quæris?
Hinc, ubi cæruleis jungitur Iſter aquis.
Ut regio dicta eſt, ſuccurrere debet & auctor,
Læſus ab ingenio Naſo poëta ſuo.
Qui tibi, quam mallet præſens adferre ſalutem,
Mittit ab hirſutis, Maxime Cotta, Getis.
Legimus, ô juvenis, patrii non degener oris,
Dicta tibi pleno verba diſerta foro.
Quæ, quanquam linguâ mihi ſunt properante per horas
Lecta ſatis multas, pauca fuiſſe queror.
Plura ſed hæc feci relegendo ſæpe; nec unquam

Non

2. *Aquis cæruleis.*] Aquis maris Pontici, quibus regionem Ponticam deſignat.

6. *Ab Getis hirſutis.*] A Getis ſqualidis, barbaris, & impexis. *Mer.* Vel potius *hirſutos* nominat propter pelles hirſutas, quibus ſe adverſus frigora illo ſub cælo pæne perpetua communiant. *Pont.* *maxime Cotta.*] *Maxime.* & ſic initio epiſtolæ *Maximo Cottæ.* Hic Meſſalæ Corvini illius diſertiſſimi filius Meſſalini frater Cottæ nomen mutuatus eſt ab Aureliis avis maternis, ut diſcimus ex Elegia ultima lib. IV. Pont. in quam gentem adoptione tranſiverat. quod ſupra vidimus ſub finem Elegiæ ſecundæ hujus libri. Maximos autem dictos ex Valerii familia quoſdam, quemadmodum Meſſalas, Flaccos, Poplicolas, Voluſos, Catullos, & Aciſculos, certum eſt. Nam bello primo Punico ſub annum V. C. CDXC. M. Valerius Maximus cum M. Otacilio Craſſo conſul perhibetur, qui devicta Meſſana cognomen Meſſalæ primus adſcivit. huc & refer Valerium Maximum ſcriptorem, cujus nonnulla etiamnum extant. *Heinſ.*

7. *O juvenis non degener.*] O Cotta Maxime, qui non degeneras à tuis. *Oris patrii.*] Eloquentiæ patris tui, qui fuit ſummus orator. Vel facie patrem tuum referens. *Mer.* & *Pont.*

8. *Dicta pleno foro.*] Habita frequenti turba, quæ erat in foro judiciali.

10. *Fuiſſe pauca.*] Viſam fuiſſe eam orationem brevem, propter ejus elegantiam, & ſuave dicendi genus.

11. *Plura ſed hæc feci.*] *Hæc* paulo poſt ſequitur. quare ſcribendum *ſed effeci.* Heinſ.

12. Hæc

Non mihi, quam primò, grata fuêre magis.
Cumque nihil toties lecta è dulcedine perdant,
Viribus illa ſuis, non novitate, placent.
Felices, quibus hæc ipſo cognóſcere in actu,
Et tam facundo contigit ore frui!
Nam quanquam ſapor eſt allatâ dulcis in undâ,
Gratius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.
Et magis adducto pomum decerpere ramo,
Quam de cælatâ ſumere lance juvat.
At niſi peccaſſem, niſi me mea Muſa fugaſſet,
Quod legi, tua vox exhibuiſſet opus.
Utque fui ſolitus, ſediſſem forſitan unus
De centum judex in tua verba viris.
Major & impleſſet præcordia noſtra voluptas,
Cum traherer dictis annueremque tuis.
Quem quoniam fatum, vobis patriâque relictis,
Inter inhumanos maluit eſſe Getas:
Quod licet, ut videar tecum magis eſſe, legendo,
Sæpe, precor, ſtudii pignora mitte tui:
Exemploque meo, niſi dedignaris id ipſum,
Utere: quod nobis rectius ipſe dares.
Namque ego, qui perii jam pridem, maxime, vobis,
Ingenio nitor non periiſſe meo.

Redde

12. *Hac mihi quam primo grata fuere minus.* ] *Non mihi quam primo gr. fu. magis* Argent. & decem alii, probe. *Non minus* Scaligeri codex, Polit. & quatuor præterea. *Idem.*

13. *Cumque ſua toties nihil ex dulcedine perdant.* ] Nihil eſt ad quod referatur Tò *toties.* Argent. & quinque alii, *Cumque nihil toties lecta è dulcedine perdant.* niſi quod à tribus abeſt Tò *è.* Idem.

17. *Ablata dulcis in unda.* ] *Allata* Argentinus aliique plurimi. recte. niſi *ablatâ* malis. *Idem.*

20. *Quam de lance calata.* ] Quam de aliqua patina, & vaſe ſculpto.

22. *Tua vox.* ] Tua recitatio. Multo magis enim viva vox afficit. *Exhibuiſſet.* ] Hoc eſt, audiviſſem, non legiſſem orationem tuam.

26. *Dum traherer tuis dictis.* ] Dum dicentem te audirem, & in tua verba & ſententiam adducerer tuis rationibus.

29. *Ut videar tecum magis eſſe legendo.* ] Codex Scaligeri, *loquendo.* ut & alii nonnulli. ſed fruſtra. mox *exemploque mei* pro *meo* decem veteres. *Heinſius.*

32. *Quod nobis rectius.* ] Minores enim à majoribus petere exempla debent. *Pont.*

34. *Ingenio, &c.* ] Scribo ad vos ſæpius, & eo pacto conor vobis abſentibus, tanquam præſentibus frui, & videri eſſe vobiſcum, & non in exilio.

35. Er

Redde vicem; nec rara tui monumenta laboris
    Accipiant noſtræ grata futura manus.
Dic tamen, ô juvenis ſtudiorum plene meorum;
    Ecquid ab his ipſis admoneare mei?
Ecquibus ut recitas factum modo carmen amicis,
    Aut, quod ſæpe ſoles, exigis ut recitent?
Interdum queritur tua mens, oblita quid abſit?
    (Neſcio quid certe ſentit abeſſe ſui.)
Utque loqui de me multùm præſente ſolebas,
    Nunc quoque Naſonis nomen in ore tuo eſt.
Ipſe quidem Getico peream violatus ab arcu,
    (Et ſit perjuri quam prope pœna vides)
Te niſi momentis video pæne omnibus abſens.
    Gratia Dîs, menti quolibet ire licet.
Hac ubi perveni, nulli cernendus, in Urbem,
    Sæpe loquor tecum; ſæpe loquente fruor.
Tam, mihi difficile eſt, quàm ſit bene, dicere; quámque
    Candida judiciis illa ſit hora meis.
Tum me (ſi qua fides) cæleſti ſede receptum,
    Cum fortunatis ſuſpicor eſſe Deis.
Rurſus, ut huc redii, cælum Superoſque relinquo.
    A Styge nec longè Pontica diſtat humus.
Unde ego ſi fato nitor prohibente reverti;
    Spem ſine profectu, Maxime, tolle mihi.

39. *Ecquibus aut recitas.* ] *Ecquid ubi recitas* nonnulli. Scribe *Ecquibus ut recitas.* & pone interrogationis notam poſt illa, *queritur tua mens oblita quid abſint?* metuo tamen ne vel ſic hæc ſatis ſint integra. *Heinſ.*

42. *Neſcio quid certe ſenſit abeſſe mei.* ] *Sentit abeſſe ſui* ex veteribus pleriſque. *Idem.*

46. *Et ſit perjuri quam prope pœna vides.* ] *Per murum* Regius. Scribe *perjurum quam prope pœna.* Adi Notas Triſt. IV. Eleg. III. vſ. 41. *Idem.*

49. *Hanc ubi perveni.* ] *Hac* ex ſcriptis nonnullis. mente nimirum. *Idem.*

50. *Teque loquente fruor.* ] *Sæpe fruor* cum Politiani libro aliiſque multis. *Id.*

55. *Rurſus ubi huc redii.* ] *Ut huc redii* ex Combiano. *Idem.* *Ubi huc redii.* ] Ubi mente & cogitatione videor Roma in Scythiam rediiſſe. *Relinquo.* ] Videor relinquere.

56. *A Styge.* ] Ab inferis. *Non longè diſtat.* ] Non eſt multum diſſimilis. Quaſi dicat, Videor ad inferos perveniſſe.

57. *Unde.* ] A qua terra Pontica. *Si nitor reverti.* ] Si conor Romam redire. *Fato prohibente* ] Diis nolentibus.

58. *Tolle ſpem mihi.* ] Adime hanc mihi ſpem redeundi, oſtendendo per literas non poſſe fieri, ut redeam. *Sine profectu.* ] Quæ ſpes nihil profectura eſt; fruſtra enim reditum ſpero, ſi non poſſum illum conſequi.



Digitized by Google

# EPISTOLA VI.

# AMICORUM CUIDAM.

## ARGUMENTUM.

Naſo ſuo poſuit.] *Ad amicum quendam, qui nolebat à Poëta in ſ ptis ſuis propter Auguſtum nominari, hanc epiſtolam ſcribit collige nihil timendum eſſe, quandoquidem Cæſare nihil ſit clementius, men pollicetur ſe non ulterius ejus nomen monumentis ſuis inſe rum. Poſtremo rogat, ut quandoquidem tutò non poſſit ſe aperte re, latenter ſaltem amicitiæ velit meminiſſe.*

NAſo ſuo, nomen poſuit cui pæne, ſodali
Mittit ab Euxinis hoc breve carmen aquis.
At, ſi cauta parum ſcripſiſſet dextra, quis eſſes,
Forſitan officio parta querela foret.
Cur tamen, hoc aliis tutum credentibus, unus,
Appellent ne te carmina noſtra, rogas?
Quanta ſit in mediâ clementia Cæſaris irâ,
Ex me, ſi neſcis, certior eſſe potes.
Huic ego, quam patior, nil poſſem demere pœnæ,
Si judex meriti cogerer eſſe mei.
Non vetat ille ſui quenquam meminiſſe ſodalis:
Nec prohibet tibi me ſcribere, teque mihi.
Nec ſcelus admittas, ſi conſoleris amicum:
Mollibus & verbis aſpera fata leves.
Cur, dum tuta times, facis ut reverentia talis
Fiat in Auguſtos invidioſa Deos?
Fulminis afflatos interdum vivere telis
Vidimus, & refici non prohibente Jove.
Nec, quia Neptunus navem lacerarat Ulyſſis,
Leucotheæ nanti ferre negavit opem.

Crede

5. A*Liis credentibus eſſe tutum.*] Aliis exiſtimantibus non eſſe timendum. *Hoc.*] Scilicet nomen ponere meis ſcriptis.

9. *Nil poſſem demere.*] Quia Cæſar non potuiſſet me mitius punire.

16. *Fiat invidioſa.*] Invidiam illis & detractionem conciliet. *In deos Auguſtos.*] Auguſtum & ejus filios intellige.

20. *Leucothea.*] *Navigat infelix: & erat jam puppis in alto: En! decima obliquum verberat unda latus. Ennoſigæus adeſt, trifidâque repente profundum Cuſpide ſubvertit. Læſa carina gemit. Conſcius offenſa, morti prætendit Ulyſſes —— Leucothea vittam, &c.* Ex Hom. Od. ε. v. 371.

21. Ne-

Crede mihi, miſeris cæleſtia numina parcunt:
Nec ſemper læſos & ſine fine premunt.
Principe nec noſtro Deus eſt moderatior ullus.
Juſtitiâ vires temperat ille ſuas.
Nuper eam Cæſar facto de marmore templo,
Jampridem poſuit mentis in æde ſuæ.
Jupiter in multos temeraria fulmina torquet,
Qui pœnam culpâ non meruêre pari.
Obruerit ſævis cum tot Deus æquoris undis,
Ex illis mergi pars quota digna fuit?
Cum pereant acie fortiſſima quæque, vel ipſo
Judice, dilectus Martis iniquus erit.
At, ſi forte velis in nos inquirere, nemo eſt
Qui ſe, quod patitur, commeruiſſe neget.
Adde, quod extinctos vel aquâ, vel Marte, vel igni,
Nulla poteſt iterum reſtituiſſe dies.
Reſtituit multos, aut pœnæ parte levavit,
Cæſar; & in multis me velit eſſe precor.
An tu, cum tali populus ſub Principe ſimus,
Alloquio profugi credis ineſſe metum?
Forſitan hæc domino Buſiride jure timeres,
Aut ſolito clauſos urere in ære viros.
Deſine mitem animum vano infamare timore.
Sæva quid in placidis ſaxa vereris aquis?

Ipſe

21. *Numina parcunt.* ] *Parent* Polit. & duo alii hoc eſt obſequuntur. *Heinſ.*

25. *Cæſar facto de marmore templo.* ] De hoc templo nihil legi. Proinde videndum, an ad templum Martis Ultoris alluſerit Poëta, quod ab ultione Caſſii & Bruti appellatum fuit. Eſt enim & ultio ſive vindicta juſtitiæ pars quædam. *Micyl.*

26. *In æde ſua mentis.* ] In theſauro ſui pectoris: hoc eſt, multo antequam ædificaret ædem Romæ, colebat ipſam deam.

28. *Qui pœnam culpâ non meruere pati.* ] *Pari* ſcribendum cum Feſchii codice & Thuaneo. *Heinſ.*

31. *Cum pereant bello fortiſſima pectora.* ] Quod & Priamus deplorat Iliad. ω. *Primi natorum, fortiſſima pectora, cæſi. —— Hei mihi! qui ſuperant? ſemivir iſte Paris.*

32. *Delectus Martis.* ] Nonnulli *dilectus.* Heinſ.

39. *An tu.* ] Multi *At tu* cum priſcis editionibus. *Idem.*

42. *Aut ſolito urere clauſos, &c.* ] Aut domino Phalaride, qui in æreo tauro igni ſubdito homines necabat.

43. *Deſine mitem animum.* ] *Animam* unus Medonii. *Heinſ.*

Ipſe ego, quod primò ſcripſi ſine nomine vobis,
  Vix excuſari poſſe mihi videor.
Sed pavor attonito rationis ademerat uſum:
  Ceſſerat omne novis conſiliumque malis.
Fortunamque meam metuens, non vindicis iram,
  Terrebar titulo nominis ipſe mei.
Hactenus admonitus memori concede poëtæ,
  Ponat ut in chartis nomina cara ſuis.
Turpe erit ambobus, longo mihi proximus uſu,
  Si nullâ libri parte legere mei.
Ne tamen iſte metus ſomnos tibi rumpere poſſit;
  Non ultra, quam vis, officioſus ero.
Teque tegam, qui ſis: niſi cùm permiſeris ipſe.
  Cogetur nemo munus habere meum.
Tu modo, quem poteras vel apertè tutus amare,
  Si res eſt anceps iſta, latenter ama.

49. *Non iram vindicis.*] Non iram Auguſti vindicantis injuriam à me acceptam.

50. *Terrebar titulo.*] Quia non audebam facere mentionem mei nominis in meis libellis.

53. *Ambobus.*] Et tibi & mihi. *Proximus mihi longo uſu.*] Si tu mihi conjunctus longa conſuetudine & amore. *Longo mihi proximus uſu.*] In multis veterum *cognitus.* utrumque rectum. *Heinſ.*

57. *Niſi cum permiſeris ipſe.*] *Permiſeris* unus Vatican. Forte,

*——— niſi quâ permiſeris ipſe,*
*Cogetur nemo munus habere meum.*

ſupra de Auguſto,

*Quaque ego permiſi, quaque eſt res p[...]*
*pepercit.*

Codex Servii *niſi ſi.* vide Notas ad E[...]piſt. IV. *Idem.*

58. *Cogetur nemo.*] In neminem i[...]vitum ac repugnantem conferam m[...]nus. *Pont.* *Munus habere meum.*] F[...] in meis verſibus.

59. *Tu quoque.*] *Tu modo* ex melior[i]bus. *Heinſ.*



Digitized by Google

# EPISTOLA VII.

## AMICIS.

### ARGUMENTUM.

Verba mihi; &c.] *Ad amicos è Ponto ſcribens Poëta, de eis queritur, quod ſuis precibus nullus jam finis imponatur: ſibique, cum antea variis epiſtolis ab eiſdem petierit, ut ſcilicet eorum opera aut reditus, aut mitius exilium ab Auguſto impetretur, dicit jam verba deeſſe: variandamque nunc eſſe materiam, ne illis moleſtus ſit, ac etiam uxori, quæ præ timore non audebat ſibi opem ferre. Ea autem omnia ſibi ferenda æquo animo proponit, quandoquidem majora etiam tulerit. Poſtremo in exilio ſibi moriendum eſſe colligit.*

Verba mihi deſunt eadem tam ſæpe roganti,
Jamque pudet vanas fine carere preces.
Tædia conſimili fieri de carmine vobis,
Quidque petam, cunctos edidiciſſe reor.
Noſtraque quid portet jam noſtris epiſtola, quamvis
Charta ſit à vinclis non labefacta ſuis.
Ergo mutetur noſtri ſententia ſcripti,
Ne toties contra, quam rapit amnus, eam.
Quod bene de vobis ſperavi, ignoſcite, amici:
Talia peccandi jam mihi finis erit.
Nec gravis uxori dicar: quæ ſcilicet in me
Quam proba, tam timida eſt, experienſque parum.
Hæc quoque, Naſo, feres: etenim pejora tuliſti.

Jam

2. F*Ine carere.* ] Nunquam ad exitum & finem perduci, ſed ſemper idem precari.

3. *De conſimili carmine.* ] Ejuſdem ſemper materiæ. nam eadem res ſæpius iterata, & toties inculcata tædium affert. *Pont.*

5. *Noſtra quid apportet.* ] *Noſtraque quid portet* ex ſcriptis compluribus. & mox pro *Charta* codex Polit. *Cera.* quomodo Arondelianus quoque pro diverſa lectione. idem pro *vinclis non labeſacta ſuis*, exhibet *vinclis irreſoluta ſuis.* ut ſupra,

*At ſemel intentus nervo celer arcus equino,*
*Vincula ſemper habens irreſoluta, manet.*

Heinſ.

6. *Quamvis charta ſit à vinclis non labefacta ſuis.* ] Quamvis, inquit, charta, ubi hæc ſcripta ſunt, nondum ſit à vobis recluſa, & ſuis ſolitis vinculis ſoluta.

7. *Scripti ſententia noſtri.* ] Inſtitutum ſcribendi genus, quo hactenus uſus ſum.

8. *Ne toties contra.* ] Πρὸς κῦμα λακτίζειν. Eurip.

11. *Nec gravis uxori dicar.* ] Nec ero ulterius moleſtus uxori meæ, idem etiam ſcribendo.

12. *Experienſque parum.* ] Et parum ſolers.

 14. *Nulla*

Digitized by Google

Jam tibi ſentiri ſarcina nulla poteſt.
Ductus ab armento taurus detrectat aratrum:
Subtrahit & duro colla novella jugo.
Nos, quibus aſſuevit fatum crudeliter uti,
Ad mala jam pridem non ſumus ulla rudes.
Venimus in Geticos fines; moriamur in illis:
Parcaque ad extremum, qua mea cœpit, eat.
Spem juvet amplecti; quæ non juvat irrita ſemper;
Et fieri cupias ſi qua, futura putes.
Proximus huic gradus eſt; bene deſperare ſalutem,
Seque ſemel verâ ſcire periſſe fide.
Curando fieri quædam majora videmus
Vulnera; quæ melius non tetigiſſe fuit.
Mitius ille perit, ſubitâ qui mergitur undâ;
Quam ſua qui tumidis brachia laſſet aquis.
Cur ego concepi Scythicis me poſſe carere
Finibus, & terrâ proſperiore frui?
Cur aliquid de me ſperavi lenius unquam?
An Fortuna mihi ſic mea nota fuit?
Torqueor en gravius; repetitaque forma locorum
Exſilium renovat triſte, recenſque facit.

Et

14. *Nulla ſarcina.*] Nullum onus.

15. *Ductus ab armento taurus.*] Taurus indomitus aratro admotus. *Detrectat aratrum.*] *Detractat* & *ſubtrahit* plerique veteres. *Heinſ.*

21. *Spem juvat amplecti.*] *Juvet* malim. & verſu proximo diſtinguendum:
*Et fieri cupias ſi qua, futura putes.*
Heinſ.

22. *Qua futura putes.*] Senſus eſt: Spem illam amplectendam cenſeo, quæ non eſt irrita, & qua ſperamus id aſſequi, quod optamus fieri.

23. *Proximus huic gradus eſt.*] Primus enim gradus eſt ſperare, quæ aſſequi optamus: ſecundus vero, ea deſperare quæ minime aſſequi confidimus. *Bene deſperare ſalutem.*] Bene deponere ſpem ſalutis irritam.

24. *Sciſſe periſſe fides.*] *Scire* ex melioribus. *Heinſ.*

28. *Liquidis brachia laſſet aquis.*] *Tumidis aquis* melioris notæ libri, & *laſſat.* Idem.

29. *Cur ego concepi.*] Cur cogitavi, *Scythicis me poſſe carere* Finibus.] Poſſe me è Scythia removeri.

30. *Terra proſperiore frui.*] *Proximiore* Thuaneus alter. qua voce uſus etiam Seneca Ep. CIX. *Heinſ.*

32. *Sic fuit nota mihi.*] Sic mihi cognita fuit, ut deberem ſperare nunc eam benignius mecum acturam.

33. *Torqueor en gravius.*] *Heu gravius* tres veteres. Forte *Torqueor heu gravius*, vel *Torquet enim gravius.* Heinſ.

35. Str

Eſt tamen utilius, ſtudium ceſſaſſe meorum:
Quam, quas admôrint, non valuiſſe preces.
Magna quidem res eſt, quam non audetis, amici:
Sed ſi quis peteret, qui dare vellet, erat,
Dummodo non vobis hoç Cæſaris ira negarit;
Fortiter Euxinis immoriemur aquis.

35. *Studium meorum.*] Conſenſum & favorem amicorum. *Ceſſaſſe.*] Nihil tentaſſe de reditu meo apud Auguſtum. *Ceſſare meorum.*] *Ceſſaſſe* Polit. aliique nonnulli. *Heinſ.*

37. *Magna quidem res eſt quam non audetis amici.*] Difficile, inquit, & arduum eſt, quod non audetis pro me petere, quamvis ſit magnum, tamen Auguſtus concederet.

39. *Dummodo non nobis.*] *Vobis* rectius primus Med. & decem alii. *Heinſ.*

## EPISTOLA VIII.

## MAXIMO.

### ARGUMENTUM.

Quæ tibi quærebam.] *Ad Maximum Poëta pharetram cum ſagittis è Scythia mittens, oſtendit ſe nullum aliud munus habere, rogans eum ut id accipiat, & qualecumque boni conſulat. Eſt autem ordo:* Quærebam quæ dona, &c.

QUæ tibi quærebam memorem teſtantia curam
Dona Tomitanus mittere poſſet ager.
Dignus es argento, fulvo quoque dignior auro:
Sed te, cum donas, iſta juvare ſolent.
Nec tamen hæc loca ſunt ullo pretioſa metallo.
Hoſtis ab agricolâ vix ſinit illa fodi.
Purpura ſæpe tuos fulgens prætexit amictus:
Sed non Sarmatico tangitur illa mari.
Vellera dura ferunt pecudes, & Palladis uti
Arte Tomitanæ non didicêre nurus.
Fœmina pro lanâ Cerealia munera frangit;

Sup-

1. *Curam memorem*] Quæ teſtarentur curam hominis tui memoris.

4. *Sed te cum donas, iſta juvare ſolent.*] Sed aurum & argentum magis ſoles donare aliis, quàm accipere.

6. *Vix ſinit.*] Vix permittit loca illa arari. Quaſi dicat: Si in hac regione non poſſunt homines agrum colere ob hoſtilem timorem, & incurſiones, multo minus eam ob cauſam poſſunt æra fodere.

7. *Protexit amictus.*] *Prætexit* ex libro Politiani aliiſque multis. *Heinſ.*

Suppoſitoque gravem vertice portat aquam.
Non hîc pampineis amicitur vitibus ulmus:
Nulla premunt ramos pondere poma ſuo.
Triſtia deformes pariunt abſinthia campi,
Terraque de fructu quam ſit amara docet.
Nil igitur totâ Ponti regione ſiniſtri,
Quod mea ſedulitas mittere poſſet, erat.
Clauſa tamen miſi Scythicâ tibi tela pharetrâ:
Hoſte precor fiant illa cruenta tuo.
Hos habet hæc calamos, hos hæc habet ora libellos.
Hæc viget in noſtris, Maxime, Muſa locis.
Quæ quanquam miſiſſe pudet, quia parva videntur;
Tu tamen hæc, quæſo, conſule miſſa boni.

17. *Ponti ſiniſtri.*] Ponticæ regionis infœlicis: ad lævam Euxini maris ſitæ.

18. *Mea ſedulitas.*] Meum ſtudium & diligentia in perquirendo aliquo munere te digno.

20. *Fiant cruenta.*] Cruore hoſtili madeant, cum in prælium ibis.

21. *Hos calamos.*] Hæc ſcribendi inſtrumenta. nam Romani calamis ſcribunt; Scythæ vero ſagittas faciunt, quas quotidie tractant, ut nos Romani libros & calamos.

## EPISTOLA IX.

## BRUTO.

### ARGUMENTUM.

Quod ſit in his eadem ſententia.] *Ad Ovidium ſcripſerat Brutus, quendam carpere ejus carmina, quod in his nil aliud contineretur, quam querela locorum, in quibus exulabat rogaretque ut frueretur propiore terra: cui Poëta reſpondet, dicens in ſuis carminibus plura eſſe vitia: foreque bene, ſi unum tantum vitium in eis deprehenderetur. Cur autem ea non emendet, cauſas aſſignat. Poſtremo reſpondens ad ea, quæ Brutus ſcripſerat, rationem refert quare idem ſæpius ſcripſerit.*

QUod ſit in his eadem ſententia, Brute, *libellis*,
Carmina neſcio quem carpere noſtra refers:
Nil niſi me terrâ fruar ut propiore rogare;
Et, quàm ſim denſo cinctus ab hoſte, queri.
O quàm de multis vitium reprehenditur unum!

Hoc

1. E*Adem ſententia.*] Eadem materia qua uſus ſum etiam in reliquis hujus operis libellis.

4. *Cinctus ab hoſte loqui.*] Queri rectius nonnulli. *Heinſ.*

5. *Vitium reprehenditur.*] Reprehenderis Polit. *Idem.*

7. *Video*

Hoc peccat ſolum ſi mea Muſa, bene eſt.
Ipſe ego librorum video delicta meorum;
Cum ſua plus juſto carmina quiſque probet.
Auctor opus laudat. ſic forſitan Agrius olim
Therſiten facie dixerit eſſe bonâ.
Judicium tamen hîc noſtrum non decipit error;
Nec quicquid genui, protinus illud amo.
Cur igitur, ſi me videam delinquere, peccem,
Et patiar ſcripto crimen ineſſe, rogas?
Non eadem ratio eſt, ſentire & demere morbos.
Senſus ineſt cunctis, tollitur arte malum.
Sæpe aliquod cupiens verbum mutare, relinquo;
Judicium vires deſtituuntque meum.
Sæpe piget (quid enim dubitem tibi vera fateri?)
Corrigere, & longi ferre laboris onus.
Scribentem juvat ipſe favor, minuitque laborem;
Cumque ſuo creſcens pectore fervet opus.
Corrigere at res eſt tanto magis ardua, quanto
Magnus Ariſtarcho major Homerus erat.

Sic

7. *Video delicta.*] Video plures errores, quam unum illud.

9. *Sic forſitan Accius olim.*] *Agrius* legendum jam monuit in Novis Lectionibus Guilielmus Canterus lib. II. cap. XXX. is enim Therſitæ pater. quam lectionem Vaticanus unus confirmat. Moreti codex *Acrius.* alius *Alcius.* mox *dixerit* pro *dixerat* meliores. *Heinſ.*

11. *Non decipit noſtrum judicium.*] Non fallit meum judicium, quod eſt de carminibus meis. Error enim judicium noſtrum fallit, cum mala noſtra carmina bona eſſe credimus, & ſic erramus.

13. *Cur igitur, ſi me video delinquere.*] *Videam* priſcæ editiones cum ſcriptis nonnullis. *Heinſ.*

15. *Sentire & demere morbos.*] Cognoſcere & curare infirmitates. Hoc eſt, non poſſum errorem corrigere: *Quia carmina lætum Sunt opus, & pacem mentis habere volunt.*

16. *Tollitur arte malum.*] Vitium carminis non indiget ſolum ut deprehendatur, ſed arte opus eſt, quæ non poteſt niſi è læto animo proficiſci.

17. *Relinquo.*] Omitto ſcilicet verbum mutandum in carmine meo. & ſubjungit cauſam.

20. *Onus longi laboris.*] Difficilius eſt enim carmen corrigere, quam componere.

21. *Scribentem juvat ipſe favor.*] Alii *labor.* Forte *calor.* hoc eſt, ut lib. IV. Eleg. II. loquitur,

*Impetus ille ſacer, qui vatum pectora nutrit.*

ſed nil mutandum. Eadem elegia *Excitat auditor ſtudium.* & quæ ſequuntur. *Heinſ.*

24. *Ariſtarcho.*] Homeri interprete. Fuit Ariſtarchus optimus grammaticus Alexandrinus. Ælianus tradit hunc tam caſtigato fuiſſe judicio, ut Homeri verſus non putaretur, quem ipſe non probaret. Hinc ſcriptorum alienorum cen-

Sic animum lento curarum frigore lædit,
Ut cupidi curſor fræna retentat equi.
Atque ita Dî mites minuant mihi Cæſaris iram,
Oſſaque pacatâ noſtra tegantur humo;
Ut mihi conanti nonnunquam intendere curas,
Fortunæ ſpecies obſtat acerba meæ.
Vixque mihi videor, faciam quod carmina, ſanus;
Inque feris curem corrigere illa Getis.
Nil tamen è ſcriptis magis excuſabile noſtris,
Quam ſenſus cunctis pæne quod unus ineſt.
Læta ferè lætus cecini, cano triſtia triſtis.
Conveniens operi tempus utrumque ſuo eſt.
Quid, niſi de vitio ſcribam regionis amaræ?
Utque ſolo moriar commodiore, precer?
Cum toties eadem dicam, vix audior ulli:
Verbaque profectu diſſimulata carent.
Et tamen hæc eadem cum ſint, non ſcribimus îſdem:
Unaque per plures vox mea tentat opem.
An, ne bis ſenſum lector reperiret eundem,
Unus amicorum, Brute, rogandus erat?
Non fuit hoc tanti; confeſſo ignoſcite, docti.
Vilior eſt operis fama ſalute meâ.
Denique materiæ, quam quis ſibi finxerit ipſe,

Arbi-

ſores & judices proverbio Ariſtarchi appellantur.

33. *Nil tamen eſt ſcriptis.* ] *E ſcriptis* cum frag. Lovan. & uno Vaticano, vel *in ſcriptis* cum Gottorphiano. *Heinſ.*

34. *Quam quod unus ſenſus.* ] Quam quod una & eadem ſententia triſtis & lugubris. *Penè ineſt cunctis.* ] Quaſi ineſt omnibus meis ſcriptis: in his enim tractatur pene eadem materia triſtis & mœſta.

40. *Verba diſſimulata.* ] Verba mea, quæ amici diſſimulant: & oſtendunt aut non accepiſſe literas meas, aut verba mea non intellexiſſe. *Carent profectu.* ] Quia nihil mihi proficitur.

42. *Unaque per plures vox mea tentat opem.* ] Malim *Unam per plures opem.* H.

43. *Anne bis ut ſenſum.* ] *An ne bis ſenſum* veteres majori ex parte. & recte. *Idem.* *An ne ut ſenſum.* ] Senſus eſt, ô Brute debuine tantum unum amicum rogare, ut mihi opitularetur, nec ad cæterorum etiam præſidium confugere? idque hanc ob cauſam, ne mihi objiceretur, quod idem ſenſus reperitur in meis carminibus. *Micyl.* *An ne bis.* ] Aldina editio habet, *An, ne bis ut ſenſum, &c.* ut *Ne* ſeorſim, & pro cauſali particula *Bis eundem ſenſum, &c.* pro iterato ac ſæpius repetito accipias. Quæ lectio melior eſt & ſenſum planiorem, minuſque ambiguum reddit. *Micyl.*

47. *Denique materia.* ] *Materiam* plerique

Arbitrio variat multa poëta ſuo.
Muſa mea eſt index, nimium quoque vera malorum;
Atque incorruptæ pondera teſtis habet.
Nec liber ut fieret, ſed uti ſua cuique daretur
Littera, propoſitum curaque noſtra fuit.
Poſtmodo collectas, utcunque ſine ordine, junxi:
Hoc opus electum ne mihi forte putes.
Da veniam ſcriptis, quorum non gloria nobis
Cauſſa, ſed utilitas officiumque, fuit.

rique veteres. Forte *materia ſua.* & *finxerit ipſi* Voſſian. *Heinſ.*

49. *Eſt nimium vera index malorum.* ] Nimis vere mala mea indicat & exponit.

50. *Incorrupti teſtis.* ] *Incorrupta* cum duobus. *Heinſ.*

56. *Sed utilitas.* ] Quia ſcripſi eam ob cauſam, ut ſcribendo reditum procurarem. *Officium.* ] Et ut in re mea facerem quod debeo.

# P. OVIDII NASONIS EPISTOLARUM EX PONTO

## LIBER IV.

### EPISTOLA I.

### SEXTO POMPEIO.

ARGUMENTUM.

Accipe, Pompei.] *Ad Sextum Pompejum ſcribens Poëta, impium eſſe dicit, quod nuſquam illum in ſuis ſcriptis nominaverit: quandoquidem ejus erga ſe beneficia tanta ſint, ut nulli oblivioni tradi debeant. Poſtremo fatetur ſe ſervatum eſſe ejus opera, ejuſque munere ſe vivere.*

ACcipe, Pompeii, deductum carmen ab illo,
Debitor eſt vitæ qui tibi, Sexte, ſuæ.
Qui ſeu non prohibes à me tua nomina poni,
Accedet meritis hæc quoque ſumma tuis.
Sive trahis vultus; equidem peccaſſe fatebor.
Delicti tamen eſt cauſſa probanda mei.
Non potuit mea mens, quin eſſet grata, teneri.
Sit precor officio non gravis ira pio.
O quoties ego ſum libris mihi viſus in iſtis
Impius, in nullo quod legerere loco!
O quoties, alii vellem cum ſcribere, nomen
Rettulit in ceras inſcia dextra tuum!
Ipſe mihi placuit mendis in talibus error;

Et

3. QVi ſi.] *Qui ſeu* veteres plerique. *Heinſ. A me tua nomina poni.*] A me carminibus meis referri nomen tuum.

4. *Accedet tuis meritis.*] Addetur reliquis tuis beneficiis.

5. *Sive trahis vultus.*] Sive frontem contrahis, & iraſceris, quod ponam in meis ſcriptis tua nomina.

9. *O quoties.*] *Di quoties* pri. Medic. *Heinſ. In iſtis libris.*] In hoc de Ponto opere.

10. *In nullo loco.*] In nulla pagina.

12. *Rettulit.*] Poſuit. *In ceras.*] In tabulas ceratas.

13. *Ipſe mihi placuit.*] *Ipſa quidem pi-*

*cis-*

Et vix invitâ facta litura manu eſt.
Viderit ad ſummum, dixi. licet ipſe queratur;
Ah pudet offenſam non meruiſſe prius!
Da mihi, ſi quid ea eſt, hebetantem pectora Lethen;
Oblitus potero non tamen eſſe tui.
Idque ſinas oro; nec faſtidita repellas
Verba: nec officio crimen ineſſe putes.
Et levis hæc meritis referatur gratia tantis.
Sin minus; invito te quoque gratus ero.
Nunquam pigra fuit noſtris tua gratia rebus:
Nec mihi munificas arca negavit opes.
Nunc quoque nil ſubitis clementia territa fatis
Auxilium vitæ fertque feretque meæ.
Unde, roges forſan, fiducia tanta futuri
Sit mihi. quod fecit quiſque tuetur opus.
Ut Venus artificis labor eſt & gloria Coi,
Æquoreo madidas quæ premit imbre comas:
Arcis ut Actææ vel eburna vel ænea cuſtos
Bellica Phidiacâ ſtat Dea facta manu;
Vendicat ut Calamis laudem, quos fecit, equorum;

Ut

editio, & duo ſcripti. Forte, *Ipſe ſibi placuit*. Heinſ.

16. *Ah pudet offenſam.* ] *Hanc pudet* pri. Med. & quatuor alii. *Idem.*

23. *Nunquam pigra fuit.* ] Nunquam defuit. *Noſtris rebus.* ] In noſtris neceſſitatibus.

26. *Fertque refertque.* ] Ad lib. I. Triſt. eleg. VI. monui videri ſcribendum *fertque feretque*. quod ſequentia requirunt. *Heinſ.* *Refertque.* ] Et iterum dat, hoc eſt, cumulate reddit.

27. *Unde rogas forſan.* ] *Roges* Baſil. *Heinſ.* *Futuri.* ] Futuræ opis tuæ. *Quod finxit quiſque tuetur.* ] Reſpondet poëta ſe in eo ideo ſpem habere, quia eſt opus ipſius: & unuſquiſque opus quod fecit, tueri ſolet.

29. *Artificis Coi.* ] Apellis Coi pictoris.

30. *Quæ premit comas.* ] Quæ capillos premere videbatur, & aquam exprimere. *Madidas imbre.* ] Madefactos capillos aqua æquoris, unde videbatur emergere. E mari enim natam Venerem fabulantur poëtæ, & ideo eam Plinius *Anadyomenem* vocatam fuiſſe ſcribit.

31. *Arcis ut Actææ.* ] Phidias præter Jovem, fecit & ex ebore Minervam Athenis, & ex ære tam eximiæ pulchritudinis, ut à forma cognomen acceperit. De quibus hic Poëta intelligit. Fuit & in arce Athenarum Minervæ ſimulacrum, de quo fama increbuit, quod de cælo ceciderit. *Arcis Actææ.* ] Arcis Athenarum. *Cuſtos bellica.* ] Dea belli Minerva, arcium cuſtos, & præſes. *Vel area cuſtos.* ] *Ænea* ſcripti potiores. *Heinſ.*

32. *Stat.* ] Non ſedet, ſed erecta & ſtans poſita fuit. *Manu Phidiaca.* ] Manu Phidiæ Athenienſis, qui floruit olympiade octuageſima tertia circiter trecenteſimo Romanæ urbis anno.

33. *Vendicat ut Calamis.* ] Calamis ſui

tempo-

Ut ſimilis veræ vacca Myronis opus;
Sic ego pars rerum non ultima, Sexte, tuarum;
Tutelæque feror munus opuſque tuæ.

temporis egregius artifex: fecit enim quadrigas maxime celebres. de quo Plinius libro trigeſimo quarto, capite octavo.

34. *Ut ſimilis vera.*] De Myrone ac ejus vacca etiam Plinius ſcribit. *Similis vera.*] Similis vaccæ vivæ.

35. *Sic ego ego ſum rerum.*] Scribe cum Politiani codice & fragmento Vatican. *Sic ego pars rerum.* Met. VIII.

*Et quota pars illi rerum periere suarum.*

niſi mavis cum Arondeliano,

*Sic ego ſum rerum pars non extrema tuarum.* Heinſ.

## EPISTOLA II.

## SEVERO.

### ARGUMENTUM.

Quod legis ô vates magnorum maxime vatum.] *Ad Severum poëtam hanc epiſtolam ſcribit Ovidius, ſe multis rationibus excuſans, quod nondum ejus nomen ſuis ſcriptis celebrarit, quamvis tamen nunquam ceſſaverit ad eum epiſtolas ſoluta oratione ſcriptas mittere.*

QUod legis, ô Vates magnorum maxime Regum,
Venit ab intonſis uſque, Severe, Getis.
Cujus adhuc nomen noſtros tacuiſſe libellos,
Si modo permittis dicere vera, pudet.
Orba tamen numeris ceſſavit epiſtola nunquam
Ire per alternas officioſa vices.
Carmina ſola tibi memorem teſtantia curam
Non data ſunt. quid enim, quæ facis ipſe, darem?
Quis mel Ariſtæo, quis Baccho vina Falerno,

Tri-

1. V*Ates magnorum maxime vatum.*] Multi ex antiquis *maxime regum.* probe. infra Eleg. ult.

*Quique dedit Latio carmen regale Severus.*

Tragœdiarum ſcriptorem fuiſſe deſignat. ſic Triſt. lib. II.

*Et dedimus tragicis ſcriptum regale cothurnis.* Heinſ.

2. *Ab intonſis Getis.*] Ab incultis & impexis illis populis qui capillum & barbam promittebant erantque aſpectu horridi & formidabiles.

5. *Orba numeris.*] Quibus verbis ſe ſoluta oratione ad eum ſcripſiſſe exprimit.

7. *Curam memorem.*] Amorem hominis tui memoris. *Mer.* Vel argumentum memoris animi, quem teſtantur inter abſentes, dona & litteræ. *Pont.*

8. *Quæ facis ipſe darem.*] Cur debeo tibi ea afferre, quorum tu es optimus artifex.

2. *Quis mel Ariſtæo, quis Baccho vina Falerna.*] *Baccho Falerno* multi veteres. & recte. ſic *Falernus ager* & ſimilia. Cæterum corripuit Tò *mel*, raro exemplo, quod ea vox ἀπὸ τοῦ μέλιτος deducatur.

Poſſis

Digitized by Google

Triptolemo fruges, poma det Alcinoo?
Fertile pectus habes, interque Helicona colentes
Uberius nulli provenit iſta ſeges.
Mittere carmen ad hunc, frondes erat addere ſilvis.
Hæc mihi cunctandi cauſſa, Severe, fuit.
Nec tamen ingenium nobis reſpondet, ut ante:
Sed ſiccum ſterili vomere littus aro.
Scilicet ut limus venas excæcat in undis,
Læſaque ſuppreſſo fonte reſiſtit aqua;
Pectora ſic mea ſunt limo vitiata malorum:
Et carmen venâ pauperiore fluit.
Si quis in hac ipſum terrâ poſuiſſet Homerum;
Eſſet, crede mihi, factus & ille Getes.
Da veniam faſſo; ſtudiis quoque fræna remiſi:
Ducitur & digitis littera rara meis.
Impetus ille ſacer, qui vatum pectora nutrit,
Qui prius in nobis eſſe ſolebat, abeſt.

Vix

Poſſet alioquin legi, *Mel quis Ariſtao.* Heinſ. *Quis mel Ariſtao.*] De Ariſtæo Juſtinus libro decimo tertio. Virgilius quarto Georgicorum.

10. *Triptolemo fruges.*] Ceres frumenti, quid forte inter alias herbas naſcebatur ignotum cæteris, prima uſum adinvenit: docuitque homines ſervandi & ſerendi modum. Triptolemo frumenti dediſſe ſemen: mandaſſeque, ut cum omnibus id donum participans, modum ſeminandi monſtraret. *Poma det Alcinoo.*] Alcinous res Phæacum, filius fuit Nauſithoi: hortos habuit cultiſſimos. Unde Maro ita cecinit: *Pomaque & Alcinoi ſylva. Poma det Alcinoo.*] Homer. Od. η. de Alcinoi hortis verſ. 117.

Τάων ὔποτε καρπὸς ἀπόλλυται, ὐδ' ἐπιλείπει.

& deinde vſ. 120.

Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ,

11. *Fertile pectus habes.*] Eſt tibi, inquit, abunde doctrinæ, *Inter colentes Helicona.*] Inter poëtas colentes muſarum loca, ut eſt Helicon, mons Bœotiæ.

12. *Uberius nulli.*] Nulli quam tibi copioſius. *Iſta ſeges.*] Iſta ſcientia artis poëticæ.

16. *Siccum littus.*] Materiam & campum ſine humore. Intelligit autem per ſimilitudinem ſcribendi materiam mœſtam ſe ſumpſiſſe, unde nullus poſſit fructus & honor emanare, neque gloria aliqua provenire.

17. *Scilicet ut limus.*] Quemadmodum limus non permittit aquas ex venis procurrere: ſic mala occludunt & remorantur copiam carminis, & venam poëticæ majeſtatis. *Excæcat venas.*] Venas obturat.

21. *In hac terra.*] In Tomitana civitate.

22. *Eſſet factus Getes.*] Redditus fuiſſet poëtices quaſi expers, ut ſunt Getæ, quorum terras ego incolo.

23. *Studiis quoque frena remiſi.*] Intermiſi etiam ſtudium literarum.

27. *Vix*

Vix venit ad partes, vix ſumtæ Muſa tabellæ
  Imponit pigras pæne coacta manus.
Parvaque, ne dicam ſcribendi nulla voluptas
  Eſt mihi: nec numeris nectere verba juvat.
Sive quod hinc fructus adeò non cepimus ullos,
  Principium noſtri res ſit ut iſta mali:
Sive quod in tenebris numeroſos ponere greſſus,
  Quodque legas nulli, ſcribere carmen, idem eſt.
Excitat auditor ſtudium; laudataque virtus
  Creſcit; & immenſum gloria calcar habet.
Hic mea cui recitem, niſi flavis ſcripta Corallis,
  Quaſque alias gentes barbarus Iſter habet?
Sed quid ſolus agam? quaque infelicia perdam
  Otia materiâ, ſurripiamque diem?
Nam quia nec vinum, nec me tenet alea fallax,
  Per quæ clam tacitum tempus abire ſolet;
Nec me, quod cuperem, ſi per fera bella liceret,
  Oblectat cultu terra novata ſuo:
Quid, niſi Pierides ſolatia frigida, reſtat,
  Non bene de nobis quæ meruêre Deæ?
At tu, cui bibitur felicius Aonius fons,

Uti-

27. *Vix venit ad partes.* ] Hoc eſt, vix ad officium ſuum redit. officium autem Muſæ eſt, Poëtæ invocanti adeſſe. Vel vix venit in partem laboris, tergiverſatur. *Ad partes.* ] Sic Juven. Satyr. 4. ——*Eſt mihi ſæpe vocandus* —— *Ad partes.*

32. *Res iſta.* ] Poëtica facultas.

33. *Numeroſos ponere geſtus.* ] *Greſſus* nonnulli ex antiquis. quod Berſmanno arridebat. fruſtra. Intelligit geſticulationem manuum quæ inter ſaltandum fiebat. Vide Notas noſtras Remed. Amor. vſ. 334. verſu proximo pro *legas* Scaliger *legant*. & ſic Arondelianus. ſed nulla opus mutatione. *Legere* pro recitare dixit. *H. Numeroſos greſſus.* ] Pedes ſuis numeris & greſſibus aſtrictos. *Ponere.* ] Scribendo collocare.

37. *Niſi flavis Corallis.* ] Coralli populi fuêre in ora Pontici maris. *flavis* vel ad comam, ut ξανθὰς intelligat eſſe, & per hoc, feroces: vel ad reliqui corporis colorem alludere *putandum*. *De* Corallis autem & Strabo meminit libro ſeptimo.

40. *Surripiamque diem.* ] Clam rapiam totum diem. Surripimus enim diem quando vacamus alicui rei jocoſæ, ita ut dies elabatur.

41. *Nam neque me vinum.* ] *Nam quia me vinum* meliores. *Heinſ.*

45. *Quid niſi Pierides ſolatia frigida reſtant.* ] *Reſtat* cum quatuor ſcriptis. *Idem.* *ſolatia frigida.* ] Ita & Græci, ψυχρὰ τέρψις. Eurip.

46. *Quæ non bene meruere de nobis.* ] Quæ mihi nocuerunt.

48. *Uti-*

Utiliter ſtudium quod tibi cedit, ama.
Sacraque Muſarum meritò cole: quodque legamus,
Huc aliquod curæ mitte recentis opus.

48. *Studium.*] Studium poëticæ artis. *Quod tibi cedit.*] Quod tibi favet. [Vel, quod tibi ſuccedit utiliter: ſive utilius, hoc eſt, melius, quam mihi.]

## EPISTOLA III.

## AMICO INSTABILI.

### ARGUMENTUM.

Conquerar, an taceam?] *Amicum ſuppreſſo nomine taxat, ejuſque perfidiam ac levitatem oſtendit; quod cum antea à teneris annis ſecum conjunctiſſime ſemper vixerit, tandem in adverſa ejus fortuna non modo eum deſerat, ſed etiam ſimulet ſe non cognoſcere. Poſtremò illum monet, ut fortunæ variantis viciſſitudines, & levitatem, ante oculos ponat.*

COnquerar, an taceam? ponam ſine nomine crimen?
An notum, qui ſis, omnibus eſſe velim?
Nomine non utar, ne commendere querelâ;
Quæraturque tibi carmine fama meo.
Dum mea puppis erat validâ fundata carinâ,
Qui mecum velles currere, primus eras.
Nunc, quia contraxit vultum Fortuna, recedis;
Auxilio poſtquam ſcis opus eſſe tuo.
Diſſimulas etiam, nec me vis noſſe videri:
Quique ſit, audito nomine, Naſo, rogas.
Ille ego ſum, quanquam non vis audire, vetuſtâ
Pæne puer puero junctus amicitiâ.
Ille ego, qui primus tua ſeria noſſe ſolebam,
Qui tibi jucundis primus adeſſe jocis.
Ille ego convictor, denſoque domeſticus uſu:
Ille ego judiciis unica Muſa tuis.
Idem ego ſum, qui nunc an vivam, perfide, neſcis:
Cura

1. P*Onam ſine nomine crimen.*] An debeo tantum crimen tuum ſuppreſſo nomine oſtendere?

10. *Quiſque ſit.*] *Quique* frag. Lovan. & Regius. *Heinſ.*

15. *Denſo uſu.*] Frequenti conſuetudine.

16. *Tuis judiciis.*] Quia ita de me judicabas. *Unica muſa.*] Solus poëticæ artis peritus.

17. *Ille ego ſum.*] *Idem ego* concinnius legas ex quatuor libris. pro *qui nunc an vivam*, Leidenſis *quem nunc.* Forte, *quem nunc an vivas.* verſu proximo pro *cura fuit,*

Cura tibi de quo quærere nulla fuit.
Sive fui nunquam carus, ſimulaſſe fateris:
Seu non fingebas, inveniêre levis.
Eia age dic aliquam, quæ te mutaverit, iram:
Nam niſi juſta tua eſt, juſta querela mea eſt.
Quæ te conſimilem res nunc vetat eſſe priori?
An crimen, cœpi quod miſer eſſe, vocas?
Si mihi rebus opem nullam factiſque ferebas;
Veniſſet verbis charta notata tribus.
Vix equidem credo, ſed & inſultare jacenti
Te mihi, nec verbis parcere, Fama refert.
Quid facis, ah demens? cur ſi Fortuna recedat,
Naufragio lacrymas eripis ipſe tuo?
Hæc Dea non ſtabili quam ſit levis orbe fatetur,
Quem ſummum dubio ſub pede ſemper habet.
Quolibet eſt folio, quamvis incertior aurâ.
Par illi levitas, improbe, ſola tua eſt.

Omni

*fuit*, cum Tò *ſui* mox ſequatur, à Naſone relictum nobis *cura ſubit* opinor. *Heinſ.* *Ille ego ſum qui nunc an vivam.* ] Ordo eſt: O perfide, qui nunc neſcis an vivam, ego ſum ille, de quo nulla cura fuit tibi quærere.

19. *Simulaſſe fateris.* ] Melius cum ſequentibus hæc cohærebunt, ſi legas, *ſimulaſſe fereris.* nam unus ex noſtris *videris*. Heinſ.

21. *Aut age dic aliquam.* ] *Dic age nunc* Polit. alius, *Nunc age dic.* unus Vatic. *Dic age dic.* at uterque Medonii pro diverſa lectione, *Eia age dic.* quod verum eſt. ſic apud Virgil. *Eia age rumpe moras.* Nemeſianus Cunegetico,

*Latonæ magnum, Phœbe, decus, eia age ſuetos*
*Sume habitus.*

Valerius Flaccus lib. VIII.

*——— eia, per ipſum*
*Scande age, & adverſo greſſus, ait, imprime dorſo*

atque ita paſſim poëtæ. *Idem.*

22. *Niſi juſta tua eſt.* ] Niſi querela tua habuerit juſtam mecum ſeceenſendi cauſam. *Querela mea.* ] Mea lamentatio de te, quod me deſerueris.

23. *Quod te nunc crimen ſimilem.* ] Folit. plurimique alii ex caſtigationibus.

*Quæ te conſimilem res nunc vetat eſſe priori.*

recte, utuntur ea voce paſſim Lucretius, Terentius, ac Cicero. Noſter lib. III. Eleg. VII.

*Tædia conſimili fieri de carmine vobis.*

Heinſ.

26. *Veniſſet verbis charta notata.* ] Saltem verba & literas ad me miſiſſes.

29. *Si fortuna recedat.* ] Si fortuna tua ſecunda te quoque deſerat, ut me fecit. *Naufragio tuo.* ] Tuo aliquo infortunio, quod tibi poteſt contingere.

30. *Eripis lacrymas.* ] Amici enim ſi viderint quid contra me feceris, & quam fueris in me crudelis in hac mea calamitate, idem quoque mecum in te efficient.

32. *Qua ſummam.* ] *Quem* repone neque aliter fragmentum Borbonianum. *Heinſ.*

] 35. Om

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo:
  Et ſubito caſu, quæ valuêre, ruunt.
Divitis audita eſt cui non opulentia Crœſi?
  Nempe tamen vitam captus ab hoſte tulit.
Ille Syracoſiâ modo formidatus in urbe,
  Vix humili duram reppulit arte famem.
Quid fuerat Magno majus? tamen ille rogavit
  Submiſſâ fugiens voce clientis opem.
[Cuique viro totus terrarum paruit orbis,
  Indigus effectus omnibus ipſe magis.]
Ille Jugurthino clarus Cimbroque triumpho,
  Quo victrix toties Conſule Roma fuit;
In cœno latuit Marius cannâque paluſtri:
  Pertulit & tanto multa pudenda viro.
Ludit in humanis divina potentia rebus.
  Et certam præſens vix habet hora fidem.

Lit-

35. *Omnia ſunt hominum.*] *Omina* plurimi ex ſcriptis. nil muta. *Idem. Tenui filo.*] Tenui retinaculo & firmamento. Videtur autem Poëta hæc de Dionyſii hiſtoria traxiſſe, & ad eam alludere; quam elegantiſſime Cicero refert in quinto Tuſculanarum quæſtionum libro. *Tenui filo.*] Ἠρτῆσθαι ἐκ λεπτῶν νημάτων. Lucian. Dial. Contemplantes, ſive Charon.

38. *Tulit vitam.*] Vitæ beneficium accepit. *Ab hoſte.*] A Cyro Perſarum rege.

39. *Ille Syracuſia modo formidatus in urbe.*] Dionyſium Siciliæ tyrannum dicit, virum omni turpitudine repletum: qui Syracuſis pulſus, Corinthi ludum aperuit, ac pueros docuit, ſicque imperio carere non potuit. De eo lege Juſtinum in libro 19. *Syracuſia urbe.*] *Syracoſia*, dixi lib. VI. Faſt. duo veteres *Syracuſa*, etiam bene. *Heinſ.*

41. *Quid fuerat Magno majus.*] Pompeji etiam exemplo oſtendit, fortunam in rebus omnibus dominari, nec quicquam certi eſſe in hominum vita. *Tamen ille rogavit.*] Tamen ipſe Pompejus poſt cladem acceptam in campis Pharſalicis à Cæſare in Ægyptum fugit, ad opem Ptolemæi regis, cujus patrem in clientelam ſuſceptum eo tempore, quo Romam venerat, multis beneficiis conciliaverat.

43. *Cuique viro.*] Diſtichon hoc nullius pretii & nugatorium meo periculo ejiciatur. *Heinſ.*

45. *Ille Jugurthino clarus.*] Marium intelligit, qui obſcuro genere ortus in vico Arpinati, præclarus fuit imperator, & Jugurtham Numidiæ regem devicit. Sex conſulatus, quod nemo alius, geſſit, Poſtea à Sylla pulſus ex urbe, in Minturnenſi palude delituit. *Cimbroque triumpho.*] Cimbri populi fuere Germanorum: Hi quum Romanorum fines invaderent, ac magna clade primum Romanos affeciſſent, à Mario in Italia in campo Caudio deleti ſunt: ut Florus ac Plinius docent.

47. *In cœno Marius jacuit.*] *Latuit Marius* quatuor veteres. paulo rectius. *Heinſ. In cœno Marius jacuit.*] Marius in Campania delituit in limo, & in paludibus Minturnarum, quum Syllæ rabiem effugeret.



Digitized by Google

Littus ad Euxinum, ſi quis mihi diceret, ibis,
Et metues arcu ne feriare Getæ;
I, bibe, dixiſſem, purgantes pectora ſuccos:
Quicquid & in totâ naſcitur Anticyrâ.
Sum tamen hæc paſſus: nec ſi mortalia poſſem,
Et ſummi poteram tela cavere Dei.
Tu quoque fac timeas; &, quæ tibi læta videntur
Dum loqueris, fieri triſtia poſſe puta.

52. *Arcu Getæ.* ] Lege *Getæ.* ſic *Partha ſagitta* apud Noſtrum & *Partha manus* in Faſtis. *Scythæ exercitus* apud Claudianum, *equus Aſtur* apud Martialem, & ſimilia paſſim. de quibus hic illic jam egimus. *Heinſ.*

53. *I bibe, dixiſſem.* ] Illum rejeciſſem tanquam inſanum, & dignum purgari elleboro nigro. quæ herba naſcebatur plurima in Anticyra, quæ eſt inſula pertinens ad regionem Phocaicam: lege Gellium libro decimo ſeptimo.

15. *Sum tamen hæc paſſus.* ] Tamen ſum relegatus ad oram Ponticam, quod non credideram.

# EPISTOLA IV.

## SEXTO POMPEIO.

### ARGUMENTUM.

Nulla dies adeo eſt. ] *Ad Sextum Pompejum ſcribens Poëta, nullam rem tam triſtem eſſe dicit, quæ non habeat aliquando aliquid lætitiæ. quod ſibi contigiſſe oſtendit. Quum enim triſtis in littore Pontico ſpatiaretur, fama ei nuntiavit, Sextum Pompejum conſulem deſignatum eſſe. Quam rem dicit maximam ſibi lætitiam attuliſſe. Poſtmodo dolet non poſſe, cum magiſtratum inibit Pompejus, illi intereſſe. Poſtremo illum precatur, ut aliquando ſui recordetur.*

NUlla dies adeo eſt auſtralibus humida nimbis,
Non intermiſſis ut fluat imber aquis.
Nec ſterilis locus ullus ita eſt, ut non ſit in illo
Miſta ferè duris utilis herba rubis.
Nil adeo Fortuna gravis miſerabile fecit,
Ut minuant nullâ gaudia parte malum.
Ecce domo, patriâque carens, oculiſque meorum,
Naufragus in Getici littoris actus aquas;

Qui

4. UTilis herba. ] Herba ferens aliquam utilitatem. *Duris rubis.* ] Duris ſpinis: ut ſunt cardui, &c. De generibus carduorum Plinium legito, & Palladium in libro quarto.

7. *Oculiſque meorum.* ] Et perſonas amicorum. *Oculiſque meorum.* ] Sic Cic. ad Famil. *Oculos ſaltem effugeremus eorum, ſi aures non poſſumus.*

5. Fa-

Qua tamen inveni vultum diffundere cauſſâ
  Poſſem, Fortunæ nec meminiſſe meæ.
Nam mihi cum fulvâ triſtis ſpatiarer arenâ,
  Viſa eſt à tergo penna dediſſe ſonum.
Reſpicio: nec corpus erat, quod cernere poſſem:
  Verba tamen ſunt hæc aure recepta meâ:
En ego lætarum venio tibi nuntia rerum,
  Fama per immenſas aëre lapſa vias.
Conſule Pompeio, quo non tibi carior alter,
  Candidus & felix proximus annus erit.
Dixit: &, ut læto Pontum rumore replevit,
  Ad gentes alias hinc Dea vertit iter.
At mihi, dilapſis inter nova gaudia curis,
  Excidit aſperitas hujus iniqua loci.
Ergo ubi, Jane biceps, longum reſeraveris annum,
  Pulſus & à ſacro menſe December erit;
Purpura Pompeium ſummi velabit honoris:
  Ne titulis quicquam debeat ille ſuis.
Cernere jam videor rumpi penetralia turbâ;
  Et Populum lædi deficiente loco.
Templaque Tarpejæ primùm tibi ſedis adiri;

Et

9. *Vultum diffundere.* ] Gaudium diffundit ſpiritus, & hinc etiam vultum. Triſtitia contra, ſpiritus contrahit cum vultu. *Pont.*

11. *Fulva arena.* ] In littore Tomitano.

23. *Longum annum.* ] *Longum* appellat, ex affectu Poëtæ, cui præ nimio deſiderio tardus & longior videtur incipere. Anni, communi Latinorum ſententia, tres tantummodo numero reperiuntur. *Lunaris* quidem primus, omnium breviſſimus, qui triginta dierum ſpatio curſum perfectè peragit. *Solaris*, de quo ſæpiſſime poëtæ loquuntur, qui per menſes duodecim. Et *magnus*, qui duodecim millia annorum, quingentos & quinquaginta continet.

24. *A ſacro menſe.* ] A' Januario, ſacro Jano deo. *Erit pulſus.* ] Erit exactus, & quaſi finitus & expulſus.

25. *Purpura ſummi.* ] Veſtis purpurea, inſigne ſummorum honorum & magiſtratuum, qualis erat conſulatus.

26. *Ne titulis quicquam debeat ille ſuis.* ] Senſus eſt: Purpuram veſtem ſumet Pompejus, ne quid deſit, quod ab eo præſtari debeat ſuis titulis, & virtutibus, & inſcriptionibus, ſeu titulis ſummi honoris & conſulatus ſui.

27. *Cernere jam video rumpi pene atria turba.* ] Verſus mendoſus. *videor* plerique veteres. rectè. nonnulli etiam *penetralia*. ſed ne ſic quidem locus mihi videtur plane in integrum reſtitutus. *Heinſ.*

29. *Templa Tarpeia ſedis.* ] Templum Capitolinum, ad quod novi Conſules accedebant ſacrificatum Calendis Januar. ut in Faſtis.

Et fieri faciles in tua vota Deos.
Colla boves niveos certæ præbere ſecuri,
Quos aluit campis herba Faliſca ſuis.
Cumque Deos omnes, tum quos impenſius æquos
Eſſe tibi cupias, cum Jove Cæſar erit.
Curia te excipiet, Patreſque è more vocati
Intendent aures ad tua verba ſuas.
Hos ubi facundo tua vox hilaraverit ore:
Utque ſolet, tulerit proſpera verba dies;
Egeris & meritas Superis cum Cæſare grates:
Qui cauſſam, facias cur ita ſæpe, dabit:
Inde domum repetes toto comitante Senatu;
Officium populi vix capiente domo.
Me miſerum, turbâ quod non ego cernor in illâ:
Nec poterunt iſtis lumina noſtra frui!
Quamlibet abſentem, qua poſſum, mente videbo:
Aſpiciet vultus Conſulis illa ſui.
Dî faciant, aliquo ſubeat tibi tempore noſtrum
Nomen; &, Heu, dicas, quid miſer ille facit?
Hæc tua pertulerit ſi quis mihi verba, fatebor
Protinus exſilium mollius eſſe meum.

31. *Colla boves niveos.*] Deſcribit ſacrificium, quod Cal. Januar. fiebat in Capitolio. Cædebantur autem Jovi Capitolino juvenci albi, atque injuges electi ex agro Faliſco. Ibi enim, aqua Clitumni amnis epota boves candidos facit. Faliſci autem populi fuere in Thuſcia haud procul ab urbe.

34. *Cum Jove Cæſar erit.*] Malim *erunt.* & mox *Curiaque excipiet:* pro *Curia te excipiet.* Heinſ.

36. *Ad tua verba.*] Ad tuam orationem. quam habebis in curia poſt ſacrificium Capitolinum. Solebant enim novi conſules gratias pro ſibi delato magiſtratu populo agere, benigneque illum alloqui.

38. *Utque ſolet tulerit.*] Et poſtquam eo die de more proſpera tibi omnia à ſalutantibus nuntiata fuerint. Ovidius de Triſtibus: *Proſpera lux oritur, linguis animiſque favete: Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.*

40 *Qui dabit cauſam.*] Qui Cæſar præbebit materiam. *Cur ita ſæpe facias.*] Cur ita ſæpe gratias agas. *Cauſam dabit.*] *Dabunt* tres ſcripti. ſed rectius cauſam gratias Dis agendi cui Cæſari impetraverit. *Heinſ.*

45. *Quod licet abſentem.*] *Quæ ſunt* multi. fragmentum Boxhorn. *qualibet.* Scribe *Quamlibet abſentem.* Vide Notas Epiſt. VI. *Idem.*

49. *Hæc tua protulerit.*] *Pertulerit* ex ſcriptis. *Idem.*

50. *Exilium mitius.*] *Mollius* iidem ex parte majori. & *eſſe mihi* pro *meum* Arondel. & Rottendorph. *Idem.*

EPI-

## EPISTOLA V.
## EIDEM JAM CONSULI.

### ARGUMENTUM.

Ite leves elegi.] *Alloquitur per proſopopœïam carmen ſuum Poëta: illudque Romam mittit ad Pompejum, ad quem etiam ſcripſit ſuperiorem epiſtolam: mandataque exponit, & perbelle fatetur primo ſe illi ſummopere devinctum, declarans ſe propter ejus beneficia fore ſemper illius mancipium. Poſtremo precatur, ut ſe donatum vita, ejus opera, etiam ſervet in præſentia.*

ITe, leves elegi, doctas ad Conſulis aures;
Verbaque honorato ferte legenda viro.
Longa via eſt; nec vos pedibus proceditis æquis:
Tectaque brumali ſub nive terra latet.
Cum gelidam Thracen, & opertum nubibus Hæmon,
Et maris Iönii tranſieritis aquas;
Luce minus decimâ dominam venietis in Urbem,
Ut feſtinatum non faciatis iter.
Protinus inde domus vobis Pompeja petatur.
Non eſt Auguſto junctior ulla Foro.
Si quis, ut in populo, qui ſitis, & unde, requiret:
Nomina deceptâ quælibet aure ferat.
Ut ſit enim tutum, ſicut reor eſſe, fateri;
Verba minus certè ficta timoris habent.

Co-

4. T*Erra.*] Per quam oſtendit itineris magnam difficultatem. & ideo dixit Poëta, *Ite leves elegi:* hoc eſt, celeres.

5. *Qua gelidam Thracem.*] Thracia, regio eſt ſecundum Indiam omnium maxima. Et quia ſeptentrioni proxima eſt, ideo Poëta *gelidam* appellat. *Et opertum nubibus Æmum.*] Æmus mons eſt, qui in Pontum vergit: cæteros ejus ſpatii magnitudine ac ſublimitate ſuperans, mediamque Thraciam dividens. *Et opertum nubibus Hæmum.*] *Hæmon* fragmentum Vatic. & Gryphii editio. ſic & in Metamorph. ſuperiori verſu *terra riget* non male Leidenſis. *Heinſ.*

6. *Et maris Ionii.*] Et maris illius, quod ab Ionia regione in extremitate minoris Aſiæ media, inter Cariam & Æoliam uſque ad Siciliam protenditur.

8. *Ut non faciatis iter feſtinatum.*] Quamvis non properetis.

10. *Foro Auguſto.*] Foro Auguſti addito duobus aliis foris.

11. *Ut in populo.*] Quemadmodum vulgus ſive populus ſolet requirere. *Qui ſitis.*] Quo nomine appellemini. *Et unde.*] Et ex qua gente veniatis.

12. *Nomina qualibet.*] Quæcunque alia nomina, quam veſtra. *Aure decepta*] Aurem enim decipimus, cum id dicimus audienti, quod non eſt. *Ferat.*] Audiat.

13. *Ut ſit tutum fateri.*] Quamvis ſit ſecurum nomen veſtrum, & unde veniatis, profiteri.

 15. Co-

Copia nec vobis ullo prohibente videndi
  Conſulis, ut limen contigeritis, erit.
Aut reget ille ſuos dicendo jura Quirites,
  Conſpicuum ſignis cum premet altus ebur:
Aut, populi reditus poſitam componet ad haſtam,
  Et minui magnæ non ſinet Urbis opes.
Aut, ut erunt Patres in Julia templa vocati,
  De tanto dignis Conſule rebus aget.
Aut feret Auguſto ſolitam natoque ſalutem;
  Deque parum noto conſulet officio.
Tempus ab his vacuum Cæſar Germanicus omne
  Auferet. à magnis hunc colit ille Deis.
Cum tamen à turbâ rerum requieverit harum;
  Ad vos manſuetas porriget ille manus:
Quidque parens ego veſter agam, fortaſſe requiret.
  Talia vos illi reddere verba velim.
Vivit adhuc, vitamque tibi debere fatetur,

Quam

15. *Copia nec vobis.*] Hic verſus monet, non ita eis facilem fore Conſulis videndi copiam, quandoquidem ille maximis in rebus occupatus erit. *Ullo prohibente.*] Aliquo qui vobis id prohibeat; ſed occupationes publicæ id non ſinunt. *Nullo prohibente.*] *Ullo* Junii codex & poſtrema Aldi cum Gryphiana. quod malo. *Heinſ.*

18. *Ebur conſpicuum.*] Sellam eburneam & curulem.

19. *Aut populi reditus poſitam.*] Aut, inquit, Conſul poſita in foro haſta præconis, ut, inquit Cicero, publica vectigalia in auctione emenda conducendave proponet.

20. *Minui.*] Minoris vendi quam ſuperioribus annis.

21. *In Julia templa.*] In Ædem Veneris genitricis, quam Julius Cæſar erexit.

24. *De officio parum noto.*] De rebus pertinentibus ad Conſulatum minus notis Pompejo, tanquam novo Conſuli. *Conſulet.*] Capiet conſilium.

25. *Tempus ab his vacuum.*] Malim *vacuo*. vide Notas Triſt. IV. Eleg. III. vſ. 77. *Heinſ. Germanicus.*] Germanicus junior: filius Druſi privigni Auguſti. *Mer. Tempus ab his vacuum Cæſar.*] Hic locus ita intelligendus videtur, ut Germanicum accipiamus, ea hyeme, quæ obitum Auguſti proxime anteceſſit, Romæ fuiſſe, & ſequenti æſtate in Germaniam abiiſſe. Mortuus enim Auguſtus eſt, Coſſ. Sex. Pompejo, ad quem hic ſcribit Poëta, & Sex. Apulejo. XLIII. Calend. Septembris, ut Suetonius tradit. Quo tempore Germanicus apud Rhenum exercitui præpoſitus fuit. *Mc.*

27. *Cum tamen à turba rerum requieverit harum.*] Rectius *cura* reſingas. Infra Eleg. IX.

*Cum tamen à cura rerum propiore vacabis.*

proximo verſu *aſſuetas manus* Tuiſſianus non *manſuetas*. Heinſ.

28. *Ad vos.*] Scilicet verſus excipiendos.

32. Quod

Quam prius à miti Cæſare munus habet.
Te ſibi, cum fugeret, memori ſolet ore referre,
Barbariæ tutas exhibuiſſe vias.
Sanguine Biſtonium quod non tepefecerit enſem,
Effectum curâ pectoris eſſe tui.
Addita præterea vitæ quoque multa tuendæ
Munera, ne proprias attenuaret opes.
Pro quibus ut meritis referatur gratia, jurat,
Se fore mancipii tempus in omne tui.
Nam prius umbroſâ carituros arbore montes,
Et freta velivolas non habitura rates:
Fluminaque in fontes curſu reditura ſupino;
Gratia quam meriti poſſit abire tui.
Hæc ubi dixeritis, ſervet ſua dona rogate.
Sic fuerit veſtræ cauſſa peracta viæ.

32. *Quod prius.*] *Quam* recte veteres plerique. *Heinſ.*

34. *Vias tutas barbariæ.*] Vias ſecuras à barbarie, per quas Tomon proficiſcebatur.

35. *Enſem Biſtonium.*] Enſem Thracum.

36. *Cura pectoris eſſe sui.*] *Tui* ex ſcriptis. *Heinſ.*

45. *Servet ſua dona.*] Ut ſervet & reducat in patriam me Ovidium mancipium ſuum, vel quam ei vitam acceptam refero, conſervare ac tueri pergat, ac ſuis me officiis complecti deſiſtat.

## EPISTOLA VI.

## BRUTO.

### ARGUMENTUM.

Quam legis ex illis.] *Ad Brutum Romanum ſcribens, narrat ſe quinquennium egiſſe in Ponto: & cum maxime reditum ſperaret precibus Fabii Maximi, in quo ſpem habebat, eum periiſſe docet. Fatetur tamen Brutum nihilo inferiorem amore erga ſe eſſe: Poſtremo ejus amorem & virtutes peculiares exponit: profiteturque nunquam ſe fore ingratum meritorum, quæ apud ſe ab amicis collocata ſunt.*

QUam legis, ex illis tibi venit epiſtola, Brute,
Naſonem nolles in quibus eſſe locis.
Sed, tu quod nolles, voluit miſerabile fatum.
Hei mihi, plus illud, quam tua vota, valet!
In Scythiâ nobis quinquennis Olympias acta eſt:

Jam

5. *Olympias quinquennis.*] Tempus illud, quod à Græcis olympias appellatur, quinquennale.



6. *Jam*

Jam tempus luſtri tranſit in alterius.
Perſtat enim Fortuna tenax, votiſque malignum
Opponit noſtris inſidioſa pedem.
Certus eras pro me, Fabiæ laus, Maxime, gentis,
Numen ad Auguſtum ſupplice voce loqui.
Occidis ante preces; cauſſamque ego, Maxime, morti
(Nec fueram tanti) me reor eſſe tuæ.
Jam timeo noſtram cuiquam mandare ſalutem:
Ipſum morte tuâ concidit auxilium.
Cœperat Auguſtus deceptæ ignoſcere culpæ;
Spem noſtram terras deſeruitque ſimul.
Quale tamen potui de cælite, Brute, recenti
Veſtra procul poſitus carmen in ora dedi.
Quæ proſit pietas utinam mihi; ſitque malorum
Jam modus, & ſacræ mitior ira domûs!
Te quoque idem, liquido poſſum jurare, precari,

O mihi

6. *Jam tranſit.* ] Jam olympias altera Incipit. *In tempus alterius luſtri.* ] In tempus alterius quinquennii.

9. *Laus maxima gentis.* ] *Maxima* veteres plerique. *Heinſ.*

11. *Occidis ante preces.* ] Moreris antequam pro me precareris Auguſtum. *Cauſam tuæ mortis.* ] Naſonem enim unice amabat Maximus: & cum non poſſet ferre ejus abſentiam & exilium, præ dolore eum periiſſe putat Poëta.

12. *Non fueram tanti.* ] Ut mea cauſa morereris.

13. *Jam timeo.* ] Jám metuo, ne amici dolore mearum calamitatum afficiantur & pereant, ut Fabius Maximus. *Salutem.* ] Hoc eſt, vitam & incólumitatem. ut ſit ſenſus: Quia igitur Maximus, is in quo ſummam ſpem poſitam habebam, deceſſit, vereor deinceps ulli amplius curam ſalutis & incolumitatis meæ commendare. *Micyl.*

15. *Culpæ deceptæ.* ] Errori meo, qui me aut fortaſſe Auguſtum decepit, credentem me conſulto peccaſſe, cum potius per imprudentiam erraverim. [Vel etiam, *Decepta culpa*, per deceptionem & errorem perpetratæ atque commiſſæ.]

16. *Simul deſeruit.* ] Simul deſtituit ipſe Fabius Maximus. Vel certe (quod magis placet) Auguſtum etiam mortuum eſſe dicit. Periit enim quinto exilii Poëtæ anno, ut diximus. *Spem noſtram.* ] Spem reditus.

17. *De recenti cælite.* ] Compoſito de ipſo Auguſto qui ad ſuperos evolavit. *Mer.* *Brute recenti, &c.* Auguſtum intelligit, cui defuncto ſtatim divini honores decreti fuere. *Micyl.*

18. *In ora.* ] In conſpectum veſtrum. *Poſitus procul.* ] Longe à vobis remotus. *Dedi.* ] Miſi.

19. *Quæ proſit pietas utinam mihi.* ] Qui amor meus erga Auguſtum mihi utinam proſit. *Sitque malorum jam modus.* ] Quomodo velit ſibi pietatem ſuam & carmina in laudem Auguſti defuncti compoſita prodeſſe, oſtendit: hoc eſt, ut jam ſit finis malorum, quæ per quinquennium paſſus eſt in Pontica regione.

21. *Te quoque precari idem.* ] Te ſcitum à Tiberio & Germanico eam idem

O mihi non dubiâ cognite Brute notâ.
Nam cum præſtiteris verum mihi ſemper amorem;
Hic tamen adverſo tempore crevit amor.
Quique tuas pariter lacrymas noſtraſque videret;
Paſſuros pœnam crederet eſſe duos.
Lenem te miſeris genuit Natura, nec ulli
Mitius ingenium, quam tibi, Brute, dedit.
Ut qui, quid valeas, ignoret, Marte forenſi,
Poſſe tuo peragi vix putet ore reos.
Scilicet ejusdem eſt, quamvis pugnare videtur,
Supplicibus facilem, ſontibus eſſe trucem.
Cum tibi ſuſcepta eſt legis vindicta ſeveræ;
Verba velut tinctum ſingula virus habent.
Hoſtibus eveniat, quàm ſis violentus in armis
Sentire, & linguæ tela ſubire tuæ.
Quæ tibi tam tenui curâ limantur, ut omnes
Iſtius ingenium corporis eſſe negent.
At ſi quem lædi Fortunâ cernis iniquâ,
Mollior eſt animo fœmina nulla tuo.
Hoc ego præcipue ſenſi, cum magna meorum
Notitiam pars eſt inficiata mei.
Immemor illorum, veſtri non immemor unquam,
Qui mala ſolliciti noſtra levaſtis, ero.

Et

idem petere, quod Fabius petebat. Vel precari idem quod ego; ſcilicet ut mea pietas mihi proſit, ut ſit modus malorum, & ut ſit mihi jam benigna Cæſarum domus.

22. *Non dubia cognite Brute fide.* ] *Nota* Scaligeri codex atque alii complures. bene. *Heinſ.*

29. *At qui quid valeas ignorat.* ] *Ut qui quid valeas ignores* ex caſtigatioribus. *Idem.*

30. *Poſſe peragi.* ] Poſſe damnari. *Reus* enim dicitur *peragi*, cum alicujus eloquentia damnatur. *Vix putet.* ] Vix exiſtimet: quia vident te natura mitem & pium miſeris. *Tuo ore.* ] Tua eloquentia.

31. *Pugnare videtur.* ] *Videntur* ſex ſcripti. & tum dele Tò *eſt* cum tribus libris. *Heinſ.*

34. *Habent velut virus tinctum.* ] Ex quo magna eſt laus Bruti, quod tanta eſt ejus eloquentia, ut in accuſandis reis ſingula verba ſint ita efficacia, ut videantur veneno illita.

37. *Quæ limantur.* ] Quæ tela acuuntur & parantur. *Tam tenui cura.* ] Tam ſubtili diligentia. *Ut omnes iſtius ingenium.* ] Ut omnes, inquit, arbitrentur non id fieri tuo corpore, & humano ingenio, ſed viribus & ingenio divino.

44. *Qui mala ſollicite noſtra levatis.* ] *Solliciti* cum Polit. & quinque aliis. *levaſtis* Barberin. præterea *veſtrum* pro *veſtri* ſcribendum præcedenti verſu. *Heinſ.*

 45. Et

Digitized by Google

Et prius (heu nobis nimium conterminus!) Iſter
In caput Euxino de mare vertet iter:
Utque Thyeſtêæ redeant ſi tempora menſæ,
Solis ad Eoas currus agetur aquas:
Quam quiſquam veſtrûm, qui me doluiſtis ademto,
Arguat ingratum non meminiſſe ſui.

45. *Et prius hic nobis.* ] *Hinc* nonnulli. Scribe, *heu nobis nimium conterminus Iſter* cum Barberin. & Rottendorph *Idem.*

47. *Utque Thyeſtea redeant ſi tempora menſa.* ] *Ante* Feſchii & Hafnienſis. multi alii *Atque.* Opinor caſtigandum,

*Ante, Thyeſtea redeant cen tempora menſa,*
*Solis ad Eoas currus agetur aquas.*

pro *tempora* etiam *fercula* maliſm reponi. ſed obſtant libri veteres. Nam Nonius docet *Ferculum* proprie eſſe *miſſum carnium.* Hinc apud Juvenalem Sat. XI.

*Fercula nunc audi nullis ornata macellis.*

Heinſ.

50. *Arguat ingratum.* ] Oſtendat, ſic Virgil. 9. —— *me nulla dies tam fortibus auſis* —— *Diſſimilem arguerit.*

# EPISTOLA VII.

## VESTALI.

### ARGUMENTUM.

Miſſus es Euxinas. ] *Ad Veſtalem ſcribens Poëta, cui ora Pontica regenda, delata fuerat; eum teſtem facit incommodorum, quæ ſunt in ea regione. poſt ejus virtutem laudat, quam pollicetur ſuo carmine teſtatam fore in omne tempus.*

MIſſus es Euxinas quoniam, Veſtalis, ad undas,
Ut poſitis reddas jura ſub axe locis;
Aſpicis en, Præſes, quali jaceamus in arvo:
Nec me teſtis eris falſa ſolere queri.
Accedet voci per te non irrita noſtræ,
Alpinis juvenis regibus orte, fides.
Ipſe vides certè glacie concreſcere Pontum.
Ipſe vides rigido ſtantia vina gelu.
Ipſe vides, onerata ferox ut ducat Iäzyx

Per

3. A*Spicis en præſens.* ] *Præſes* codex Scaligeri, Feſchii, optim. Vatic. & Regius. bene. idem Vatican. Epiſtolam hanc inſcribit *Veſtali prop.* hoc eſt *pro Præſide.* Heinſ.

5. *Accedet voci noſtræ.* ] Veniet noſtris verbis, quibus queſti ſumus de locis Ponticis. *Non irrita fides.* ] Fides non vana, ſed vera. *Per te.* ] Tuo teſtimonio.

6. *Alpinis regibus.* ] A regibus Cottiis. *Juvenis.* ] O Veſtalis.

8. *Gelido ſtantia vina.* ] Vina congelata, & in unam maſſam redacta nimio gelu.

9. *Ferox Iazyx.* ] Fuere Iazyges populi Scythiæ, qui campos & plana tenuere. *Iazis.* ] Scribe *Iazyx.* ἰάζυξ, ἰάζυγος, ut ἰάπυξ, ἰάπυγος, *Iazygas* alibi vo-

ces

Per medias Iſtri plauſtra bubulcus aquas.
picis & mitti ſub adunco toxica ferro,
Et telum cauſſas mortis habere duas.
tque utinam pars hæc tantum ſpectata fuiſſet,
Non etiam proprio cognita Marte tibi!
'enditis ad primum per denſa pericula pilum:
Contigit ex merito qui tibi nuper honos.
it licet hic titulus plenis tibi fructibus ingens,
Ipſa tamen virtus ordine major erit.
Non negat hoc Iſter: cujus tua dextera quondam
Puniceam Getico ſanguine fecit aquam.
Non negat Ægypſos, quæ te ſubeunte recepta
Senſit in ingenio nil opis eſſe loci.
Nam dubium, poſitu melius defenſa manuve,
Urbs erat in ſummo nubibus æqua jugo.
Sithonio Regi ferus interceperat illam
Hoſtis, & ereptas victor habebat opes.
Donec fluminea devecta Vitellius undâ
Intulit expoſito milite ſigna Getis.

At

cat non uno loco Noſter. certe Rotten dorph. *laxis*. præcedenti verſu pro *vina* Petri Servii codex *muſta*. Heinſ.

12. *Duas cauſas mortis.* ] Ferrum ſcilicet ſagittæ, & venenum.

15. *Tenditis.* ] Vos milites Romani pervenitis, & tu præſertim Veſtalis. *Ad primum pilum.* ] Ad primipilarem dignitatem. *Per denſa pericula.* ] Per multa & crebra diſcrimina.

16. *Contigit.* ] Ordo eſt: Qui honor, hoc eſt, quæ dignitas, primipilaris, nuper contigit tibi ex merito.

17. *Sit plenis fructibus.* ] Sit honorifica & fructuoſa.

19. *Non negat hoc Iſter.* ] Teſtis eſt Iſter virtutis tuæ, qui te in ejus ripis hoſtem vidit inſequentem, & trucidantem.

20. *Puniceam ſanguine Getico.* ] Rubram hoſtili & Getico cruore.

21. *Non negat Ægypſos.* ] Vide Notas lib. I. Eleg. VIII. vſ. 13. *Heinſ.* *Non negat Ægypſos.* ] Ægypſos oppidum munitiſſimum fuit in Scythia in ſummo colle arduo. *Non negat Ægypſos.* ] Senſus planus eſt ex iis quæ ſequuntur. Nam à Getis interceptam, ac regi Thraciæ ademptam, recuperatam mox Vitellii opera & auxilio dicit. in qua recuperatione ac pugna Veſtalem quoque præclaram operam navaſſe innuit. *Micyl.*

23. *Manuve.* ] An propugnatoribus; quaſi dicat, & natura loci, & validiſſimo præſidio pariter urbs ea devicta. *Micyl.*

25. *Sithonio regi.* ] Regi Thraciæ: eſt enim Sithonia pars Thraciæ.

26. *Ereptas opes.* ] Divitias Ægypſi oppidi ademptas oppidanis ejectis. *Et victor.* ] Et hoſtis Geta, qui oppidum illud expugnaverat. *Mic.*

27. *Fluminea unda* ] unda Iſtri fluminis. *Intulit.* ] Bella intulit, & cum vexillis Romanis eo venerat pugnaturus. nam vexilla & armatos ſecundo flumine ex finitimis locis deportavit.

29. *Pro-*

At tibi, progenies alti fortiſſima Dauni,
  Venit in adverſos impetus ire viros.
Nec mora; conſpicuus longè fulgentibus armis,
  Fortia ne poſſint facta latere, caves:
Ingentique gradu contra ferrumque locumque,
  Saxaque brumali grandine plura, ſubis.
Nec te miſſa ſuper jaculorum turba moratur,
  Nec quæ vipereo tela cruore madent.
Spicula cum pictis hærent in caſſide pennis:
  Parsque ferè ſcuti vulnere nulla vacat.
Nec corpus cunctos feliciter effugit ictus;
  Sed minor eſt acri laudis amore dolor.
Talis apud Trojam Danaïs pro navibus Ajax
  Dicitur Hectoreas ſuſtinuiſſe faces.
Ut propius ventum eſt, admotaque dextera dextræ,
  Reſque fero potuit cominus enſe geri;
Dicere difficile eſt, quid Mars tuus egerit illic,
  Quotque neci dederis, quoſque, quibuſque modis.
Enſe tuo factos calcabas victor acervos;
  Impoſitoque Getes ſub pede multus erat.
Pugnat ad exemplum Primi minor ordine Pili:

Mul-

29. *Progenies alti fortiſſima Donni.* ] Ignotum hoc nomen. *Domni* Polit. & octo alii. ſex *Doni*. tres *Dampni*. totidem *Danni*. Scribe *Dauni* cum uno Voſſiano. ut ad Turni patrem Rutulorum regem reſpiciat. *Heinſ.*

34. *Saxaque.* ] Et contra ſaxa, quæ hoſtes è ſuperiori loco devolvebant. *Plura.* ] Numeroſiora. *Subis.* ] Aſcendis.

37. *Spicula.* ] Tela, & ſagittæ. *Cum pennis pictis.* ] Cum pennis ſagittarum puniceis. Solent enim pennæ, quæ ſagittis annectuntur, aliquo colore infici, ut videantur pulchriores.

38. *Vacat vulnere.* ] Quemadmodum de Scæva illo Cæſariano legimus.

41. *Talis apud Trojam.* ] Notum eſt naves Græcorum defenſas fuiſſe ab Ajace contra Trojanos, qui duce Hectore ignem attulerant, ut eas cremarent. Qualis ergo fuerat in ea pugna Ajax, talem etiam fuiſſe Veſtalem contra Getas profitetur. *Talis apud Trojam Danaïs pro navibus Ajax.* ] Iliad. o. *In Danaos Hector fert tela, faceſque Deoſque. Protegit aſt Ajax pectore mille rates.* Et in Tragicis apud Scriv. *Nam facinus fecit maximum, cum Danais inclinantibus ſummam rem perfecit manus: prælium reſtituit, naves ſervavit.*

47. *Acervos factos.* ] Stragem cadaverum factam.

49. *Minor.* ] Centurio qui erat ſub primipilo: id eſt, ſub Veſtale minoris dignitatis. *Pugnat ad exemplum primi pili.* ] Videndo primipilum acriter in prima acie pugnare, & ipſe eum imitabatur, pugnando etiam fortiter.

53. *Var-*

Multaque fert miles vulnera, multa facit.
[S]ed tantum virtus alios tua præterit omnes,
Ante citos quantum Pegaſus ibat equos.
[V]incitur Ægypſos: teſtataque tempus in omne
Sunt tua, veſtalis, carmine facta meo.

53. *Vincitur Ægypſos.*] Urbs illa tandem tua virtute, ô Veſtalis, capitur. *Teſtata.*] Teſtimonio comprobata.

# EPISTOLA VII.

## SUILLIO.

### ARGUMENTUM.

[L]ittera ſera quidem.] *Mortuo Auguſto, ut diximus, hanc epiſtolam mittit Ovidius ad Suillium uxoris ſuæ generum, agitque ei gratias pro ejus epiſtola ad ſe ſcripta: quam, etſi ſero perlatam, gratiſſimam tamen fuiſſe dicit. Poſtmodum eum rogat, ut Germanicum juniorem ſibi reconciliet. Pollicetarque ſe in hujus rei gratiam non erecturum ei templa de marmore, ſed carmine complexurum ejus laudes. Oſtenditque nihil eſſe poſſe principibus aptius, quam carmine officioſum ſe præſtare. Tum nactus occaſionem Poëta, carminis excellentiam extollit: precaturque ut ſibi carmina proſint. & ſi non poſſit reditum in patriam obtinere, ſaltem urbi propinquius exilium, quo poſſit Cæſaris geſta intelligere, & carmine celebrare.*

LIttera ſera quidem, ſtudiis exculte Süilli,
Huc tua pervenit, ſed mihi grata tamen:
Qua, pia ſi poſſit Superos lenire rogando
Gratia, laturum te mihi dicis opem.
Ut jam nil præſtes, animi ſum factus amici
Debitor; & meritum, velle juvare, voco.
Impetus iſte tuus longum modo duret in ævum;
Neve malis pietas ſit tua laſſa meis.
Jus aliquod faciunt affinia vincula nobis,
Quæ ſemper maneant illabefacta precor.
Nam tibi quæ conjux, eadem mihi filia pæne eſt:
Et quæ te generum, me vocat illa virum.
Hei mihi, ſi lectis vultum tu verſibus iſtis

Du-

3. SI *pia gratia.*] Si amor tuus erga me pius. *Poſſet lenire ſuperos.*] Poſſet mulcere & placare Cæſares. Tiberium ſcilicet, Germanicum, ac reliquos Cæſares.

7. *Impetus iſte tuus.*] Iſte tuus animi ardor benemerendi de me.

11. *Eadem mihi filia pene eſt.*] Eadem uxor tua eſt mihi quaſi filia: eſt enim privigna, hoc eſt, filia uxoris meæ.

14. *Du-*

Ducis, & affinem te pudet eſſe meum!
At nihil hîc dignum poteris reperire pudore,
Præter Fortunam, quæ mihi cæca fuit.
Seu genus excutias; Equites, ab origine primâ,
Uſque per innumeros inveniemur avos:
Sive velis, qui ſint, mores inquirere noſtros;
Errorem miſero detrahe, labe carent.
Tu modo, ſi quid agi ſperabis poſſe precando,
Quos colis, exora ſupplice voce Deos.
Dî tibi ſunt Cæſar juvenis. tua numina placa.
Hac certè nulla eſt notior ara tibi.
Non ſinit illa ſui vanas antiſtitis unquam
Eſſe preces. noſtris hinc pete rebus opem.
Quamlibet exiguâ ſi nos ea juverit aurâ,
Obruta de mediis cymba reſurget aquis.
Tunc ego thura feram rapidis ſollemnia flammis;
Et, valeant quantum numina, teſtis ero.
Nec tibi de Pario ſtatuam, Germanice, templum
Marmore. carpſit opes illa ruina meas.
Templa domus vobis faciant urbeſque beatæ:
Naſo ſuis opibus carmine gratus erit.
Parva quidem fateor pro magnis munera reddi,
Cum pro conceſsâ verba ſalute damus.
Sed qui, quàm potuit, dat maxima, gratus abunde eſt;
Et finem pietas contigit illa ſuum.

Nec,

14. *Ducis vultum.* ] Faciem contrahis, tanquam iratus.

15. *Nihil hic dignum poteris reperire pudore.* ] *Pudoris* Patavinus. vide Notas Triſt. IV. Eleg. III. vſ. 57. *Heinſ.*

16. *Quæ mihi cæca fuit.* ] Quæ non bene vidit, juſtene, an inique me afficeret tanta ruina.

17. *Seu genus excutias.* ] Seu generis mei originem conſideres.

18. *Uſque per innumeros avos.* ] Uſque per avorum innumerabilium ſeriem.

19. *Inquirere noſtri.* ] *Noſtros* Combii & optimus Vaticanus. *Heinſ.*

21. *Quid agi poſſe.* ] Aliquid poſſe obtineri. *Precando.* ] Orando Cæſares pro me.

23. *Dii tibi ſunt Cæſar juvenis.* ] Hic Poëta exprimit, quinam ſint dii, quos à Suillo dixerat exorandos eſſe, & Germanicum ſolum innuit. *Tua numina placa.* ] Venerare Germanicum, quo ut numine uteris.

25. *Illa.* ] Scilicet ara Germanici. *Sui antiſtitis.* ] Sui ſacerdotis, & ejus qui ad illam confugit.

41. Quam

Nec, quæ de parvâ Dîs pauper libat acerrâ,
  Thura minus, grandi quam data lance, valent.
Agnaque tam lactens, quam gramine paſta Faliſco,
  Victima Tarpeios inficit icta focos.
Nec tamen, officio vatum per carmina facto,
  Principibus res eſt gratior ulla viris.
Carmina veſtrarum peragunt præconia laudum:
  Neve ſit actorum fama caduca cavent.
Carmine ſit vivax virtus; experſque ſepulcri,
  Notitiam ſeræ poſteritatis habet.
Tabida conſumit ferrum lapidemque vetuſtas;
  Nullaque res majus tempore robur habet.
Scripta ferunt annos: ſcriptis Agamemnona noſti;
  Et quiſquis contra, vel ſimul arma tulit.
Quis Thebas ſeptemque duces ſine carmine noſſet,
  Et quicquid poſt hæc, quicquid & ante fuit?
Dî quoque carminibus (ſi fas eſt dicere) fiunt:
  Tantaque majeſtas ore canentis eget.
Sic Chaos, ex illâ naturæ mole prioris,
  Digeſtum partes ſcimus habere ſuas:
Sic affectantes cæleſtia regna Gigantas,
  Ad Styga nimbifero vindicis igne datos.
Sic victor laudem ſuperatis Liber ab Indis,

Alci-

41. *Quam gramine paſta Faliſco victima.*] Quantum juvencus nutritus herba, quæ in Faliſco agro naſcebatur.

42. *Tarpeios focos.*] Focos Capitolinos. *Inficit.*] Tingit cruore.

49. *Tabida vetuſtas.*] Longinquitas temporis, qua omnia putreſcunt.

52. *Et quiſquis contra.*] Et cognoſcimus etiam ſcriptis eos omnes qui opem tulerunt Trojanis contra Agamemnonem. *Vel ſimul.*] Vel etiam eos omnes, qui ſimul cum Agamemnone venere ad eam expeditionem.

53. *Quis Thebas ſeptemque duces ſine.*] Quis etiam ſciret bellum Thebanum, & ſeptem illos duces, Adraſtum, Polynicem, Hippomedonta, Tydeum, Amphiaraum, Parthenopæum, & Capaneum.

59. *Gigantes.*] Scribe *Gigantas.* ut paſſim optimi codices apud Noſtrum. neque aliter apud Silium, Lucanum, & Statium vetuſtiſſima exemplaria. Vide Faſt. III. vſ. 439. *Heinſ.*

60. *Nubifero igne.*] *Nimbifero* Scalig. prim. Medic. & quinque alii. rectius. Met. III. *nimbos* fulmini quoque conjungit de Jove Semelen adituro,

— *vultumque ſequentia traxit*
*Nubila quis nimbos, immiſtaque fulgura ventis*
*Addidit, & tonitrus, & inevitabile fulmen.*

Silius l. I. — *permixtaque nimbis*
*Fulmina.* Idem.

62. *Ab*

Alcides captâ traxit ab Oechaliâ.
Et modo, Cæſar, Avum, quem virtus addidit aſtris;
Sacrarunt aliqua carmina parte tuum.
Si quid adhuc igitur vivi, Germanice, noſtro
Reſtat in ingenio, ſerviet omne tibi.
Non potes officium vatis comtemnere vates:
Judicio pretium res habet iſta tuo.
Quod niſi te nomen tantum ad majora vocaſſet,
Gloria Pieridum ſumma futurus eras.
Sed dare materiam nobis, quam carmina, mavis:
Nec tamen ex toto deſerere illa potes.
Nam modo bella geris, numeris modo verba coërces,
Quodque aliis opus eſt, hoc tibi ludus erit.
Utque nec ad citharam, nec ad arcum ſegnis Apollo eſt;
Sed venit ad ſacras nervus uterque manus;
Sic tibi nec docti, nec deſunt principis artes:

Miſſa

62. *Ab OEchalia capta.* ] Ab expugnata OEchalia. Fuit autem OEchalia in Theſſalia, Arcadia, & Euboea. *Mer.* *Alcides capta.* ] Hercules, ob Iolen Euryti filiam ſibi pactam, nec datam, univerſam Oechaliam, ipſo rege in Euboeam fugiente, debellavit & evertit. *Pont.*

63. *Et ô Caſar.* ] Et ô Germanice. Quia Poëta ſuperius cœperat Germanicum alloqui, & digreſſione aliquantiſper uſus fuerat; nunc ad eundem ſermonem dirigit, oſtendens ſe quoque Auguſti laudes carmine complexum fuiſſe, & aliqua parte eo modo illum donaſſe immortalitate.

67. *Vates.* ] Tu qui es optimus poëta. qua docet Tranquillus, ſcribens eum reliquiſſe comœdias Græcas.

68. *Judicio tuo.* ] Te ita judicante. *Habet pretium.* ] Cenſetur & habetur in pretio, tuo judicio. *Res iſta.* ] Facultas poëtica.

69. *Nomen tantum.* ] Tanta fama virtutum tuarum: vel nomen Cæſaris. *Vocaſſet te ad.* ] Elegiſſet te ad imperium.

70. *Gloria Pieridum ſumma.* ] Eras futurus maximus poëta.

71. *Sed dare materiam nobis.* ] Sed præbere poëtis facultatem ſcribendi de rebus à ſe geſtis. *Quam carmina.* ] Eſt enim majoris honoris, quam ſcribere carmina.

72. *Ex toto.* ] Ex omni parte. *Deſerere illa potes.* ] Potes iſta carmina & poëtices ſtudium relinquere, quamvis ſit major imperatoria dignitas poeta ipſo. *Deſerere illa potes.* ] *Deſinere* Hafnienſis. Adi Notas Art. Amor. *lib.* II. ſub finem. *Heinſ.*

73. *Numeris modo bella coërces.* ] *Verba coërces* plerique veteres. & recte. *Idem.* *Numeris modo bella coërces.* ] Aliquando bella intermittis, & carmina componis, & Numeris illa includis; hoc eſt deſcribis illa verſibus.

76. *Sed uterque nervus.* ] Sed utraque chorda & citharæ & arcus. *Venit ad ſacras.* ] Tractatur ſacris digitis Apollinis.

77. *Artes docti.* ] Artes liberales, & poëticæ ſtudia, in quibus verſantur docti. *Artes principis.* ] Artes imperatoris: hoc eſt, rei militaris ſcientia.

78. *Miſſa*

Digitized by Google

Miſta ſed eſt animo cum Jove Muſa tuo.
Quæ quoniam nec nos undâ ſubmovit ab illâ,
Ungula Gorgonei quam cava fecit equi;
Proſit, opemque ferat communia ſacra tueri:
Atque iſdem ſtudiis impoſuiſſe manum.
Littora pellitis nimium ſubjecta Corallis
Ut tandem ſævos effugiamque Getas,
Clauſaque ſi miſero patria eſt, ut ponar in ullo,
Qui minus Auſoniâ diſtet ab Urbe, loco.
Unde tuas poſſim laudes celebrare recentes,
Magnaque quàm minimâ facta referre morâ.
Tangat ut hoc votum cæleſtia, care Suilli,
Numina, pro ſocero pæne precare tuo.

78. *Miſta ſed eſt animo tuo.*] Sed hæret animo tuo. *Cum Jove Muſa.*] Doctrina cum optimo principe, qualis eſt Jupiter deorum. *Per Jovem* enim intelligit imperatoriam & principis ſcientiam: per Muſam vero poëticæ facultatem.

80. *Ungula Gorgonei equi.*] Hippocrene.

87. *Recentes.*] Malim *recenter.* Heinſ.

# EPISTOLA IX.

## GRÆCINO.

### ARGUMENTUM.

Unde licet, non unde juvat.] *Factus certior Poëta quod Græcinus conſul deſignatus ſit, dolet quod abſit, nec poſſit lætitiam conceptam coram exponere, fruique ſpectaculis. quare cum aliter nequeat, jubet hanc epiſtolam partes ſuas obire. Deinde eum rogat, ut pro ſe precetur, ac reditum impetret. poſtremò dicit ſe non minus gaudere, quod illi in conſulatu ſucceſſurus ſit ejus frater, quos ambos precatur ut ſibi opem ferant: exponens exilii ſui incommoda.*

UNde licet, non unde juvat, Græcine, ſalutem
Mittit ab Euxinis hanc tibi Naſo vadis.
Miſſaque Dî faciant Auroram occurrat ad illam,
Bis ſenos faſces quæ tibi prima dabit.
Ut, quoniam ſine me tanges Capitolia Conſul,
Et

4. B*iſſenos faſces.*] Deſignat autem Ovidius Calendas Januarii, quibus novi conſules magiſtratum inibant, & in Capitolium aſcendebant cum ſenatu ſacrificatum diis immortalibus. Unde ſubjungit Poëta: *Et quoniam ſine me tanges Capitolia.*] Scribit Livius conſules die magiſtratus initi, ſolitos fuiſſe adire templum Jovis, & proficiſci in Capitolium ad vota nuncupanda.

5. *Et quoniam.*] *Ut* decem ſcripti. recte. *Heinſ.*

Et fiam turbæ pars ego nulla tuæ,
In domini ſubeat partes, & præſtet amici
Officium juſſo littera noſtra die.
Atque ego ſi fatis genitus melioribus eſſem,
Et mea ſincero curreret axe rota;
Quo nunc noſtra manus per ſcriptum fungitur, eſſet
Lingua ſalutandi munere functa tui.
Gratatuſque darem cum dulcibus oſcula verbis:
Nec minus ille meus, quam tuus, eſſet honor.
Illâ (confiteor) ſic eſſem luce ſuperbus,
Ut caperet faſtus vix domus ulla meos.
Dumque latus ſancti cingit tibi turba Senatûs,
Conſulis ante pedes ire viderer Eques.
Et quanquam cuperem ſemper tibi proximus eſſe,
Gauderem lateri non habuiſſe locum.
Nec querulus, turbâ quamvis eliderer, eſſem:
Sed foret à populo tum mihi dulce premi.
Proſpicerem gaudens, quantus foret agminis ordo,
Denſaque quam longum turba teneret iter.
[Quoque magis noris, quam me vulgaria tangant,
Spectarem, qualis purpura te tegeret.]
Signa quoque in ſellâ noſſem formata curuli;
Et totum Numidæ ſculptile dentis opus.
At cum Tarpejas eſſes deductus in arces,
Dum caderet juſſu victima ſacra tuo;
Me quoque ſecreto grates ſibi magnus agentem
Audiſſet, mediâ qui ſedet æde, Deus.

The

15. *Illa luce.* ] Illo die calendarum Januarii.

18. *Ire juberer eques.* ] Rectius *viderer.* cum uno Vaticano. & *cingit* pro *cinget* potiores præcedenti verſu. *Heinſ. Eques.* ] Ego ex equeſtri ordine. *Ante pedes conſulis ire.* ] Præcedere te conſulem in ea pompa de more. Solebant enim equites præcedere, Senatus vero ſubſequi.

20. *Gauderem lateris.* ] *Lateri* meliori ex parte libri. *Heinſ.*

25. *Quoque magis noris.* ] Diſticho[n] ſuſpectum. *Idem. Quam me vulgaria tangant.* ] Quantum me delectent ea, qu[æ] vulgus etiam movetur.

26. *Qualis purpura.* ] Quam pulc[hra] veſtis ex purpura dibapha, hoc eſt, b[is] tincta, quæ cunctis aliis erat potior.

28. *Et totum opus ſculptile.* ] Id eſt, [to]tum opus ſculptum in ea ſella. *Numidæ dentis.* ] Dentis elephantis Numid[æ], & Africani.

36. Jus

Thuraque mente magis, plenâ, quam lance, dediſſem
   Ter quater, imperii lætus honore tui.
Hîc ego præſentes inter numerarer amicos;
   Mitia jus Urbis ſi modo fata darent.
Quæque mihi ſolâ capitur nunc mente voluptas;
   Tunc oculis etiam percipienda foret.
Non ita Cælitibus viſum eſt, & forſitan æquis:
   Nam quid me pœnæ cauſſa negata juvet?
Mente tamen, quæ ſola loco non exſulat, utar:
   Prætextam, faſces aſpiciamque tuos.
Hæc modo te populo reddentem jura videbit;
   Et ſe ſecretis finget adeſſe locis.
Nunc longi reditus haſtæ ſupponere luſtri
   Cernet, & exactâ cuncta locare fide.
Nunc facere in medio facundum verba Senatu,
   Publica quærentem quid petat utilitas.
Nunc, pro Cæſaribus, Superis decernere grates;
   Albave opimorum colla ferire boum.
Atque utinam, cum jam fueris potiora precatus,
   Ut mihi placetur numinis ira, roges!
Surgat ad hanc vocem plenâ pius ignis ab arâ;
   Detque bonum voto lucidus omen apex.
Interea, qua parte licet, ne cuncta queramur,
   Hîc quoque te feſtum Conſule tempus agam.

Altera

36. *Jus urbis.* ] Eſt autem ſenſus: Si fata mihi darent jus urbis: hoc eſt, ut poſſem in urbe, ſive Romæ eſſe, præſens inter præſentes amicos tuos numerares. Nunc quando hoc non licet, abſens animo ea contemplabor, quæ coram oculis non poſſum. *Pont.*

41. *Mente utar.* ] Malim *mente uſus.* H,

42. *Prætextam.* ] Veſtem conſularem.

45. *Reditus luſtri.* ] Proventus quinquennales: nam vectigalia locabantur ad quinquennium. *Supponere haſtæ.* ] Locare in publica auctione.

46. *Exacta fide.* ] Bona fide. *Credet.* ] *Cernet* cum ſex ſcriptis. *Heinſ.*

49. *Superis decernere grates.* ] Decernere ſupplicationes, in quibus gratiæ diis agebantur ob victoriam aliquam.

52. *Principis ira.* ] *Numinis* Combii & Moreti liber. *Heinſ.*

54. *Lucidus apex.* ] Ipſe ignis clarus & purus in apice & cacumine: id enim maxime obſervabant.

55. *Qua parte licet.* ] Quo modo poſſum, hoc eſt, mente, quia corpore non licet adeſſe tuæ pompæ. *Ne cuncta queramur.* ] Ne ſingula pompæ hujus ſpectacula cum querela commemorem. [Vel etiam, Ne ad omnia mœſti ac queruli ſimus.]

Altera lætitiæ, nec cedens cauſſa priori,
  Succeſſor tanti frater honoris, erit.
Nam tibi finitum ſummo, Græcine, Decembri
  Imperium Jani ſuſcipit ille die.
Quæque eſt in vobis pietas, alterna feretis
  Gaudia, tu fratris faſcibus, ille tuis.
Sic tu bis fueris Conſul, bis Conſul & ille;
  Inque domo bimus conſpicietur honor.
Qui quanquam eſt ingens, & nullum Martia ſummo
  Altius imperium Conſule Roma videt;
Multiplicat tamen hunc gravitas auctoris honorem:
  Et majeſtatem res data dantis habet.
Judiciis igitur liceat Flaccoque tibique
  Talibus Auguſti tempus in omne frui.
Ut tamen à rerum curâ propiore vacabit;
  Vota precor votis addite veſtra meis.
Et, ſi quem dabit aura ſinum, laxate rudentes;

Exea

57. *Altera lætitia eſt.*] *Lætitia eſt*, multi veteres. *lætitiæ* recte tres alii. *Heinſ.*

59. *Summo Decembri.*] Summa & extrema parte Decembris.

60. *Imperium.*] Conſulatum. *Jani die.*] Calendis Januarii. *Ille.*] Scilicet frater tuus.

64. *Binus conſpicietur honor.*] Imo *bimus*, ſi quid video. quod confirmat Rottendorphianus. *ſententiam bimam* vocat Cicero lib. III. Epiſt. VIII. ad Appium de regendis per eoſdem præfectos per biennium provinciis. *nix bima* Noſtro Triſt. lib. III. Eleg. X. *bimum merum* Horatio lib. I. Od. XIX. & *bima fronte vitulus* Virgilio lib. IV. Georg. *Heinſ.*

68. *Majeſtatem dantis.*] Venerationem illam & dignitatem Auguſti, qui tibi detulit hunc magiſtratum.

69. *Flaccoque.*] Et fratri tuo Flacco, quem Auguſtus dignum cenſuit eo magiſtratu.

71. *Cum tamen.*] *Ut tamen* ſex ſcripti. *Heinſ.*

73. *Et, ſi qua dabit aura ſinum, jactate rudentes.*] *Laxate rudentes* prima editio, quod impenſe arridet. Virgil. lib. III.

*——tum littore funem*
*Deripere, excuſſoſque jubet laxare rudentes.*

hoc eſt, quod Æneid. IX. dixerat,

*Vela dare, & laxos jam jamque immittere funes.*

& lib. X.

*——velis immite rudentes,*

ita *explicationem rudentis* pro laxatione dixit Cicero lib. I. Divinat. *Lucanus* libro V.

*Cum pariter ſolvere rates, totoſque rudentes*
*Laxavere ſinus.*

libro IX.

*Septima nox Zephyro nunquam laxante rudentes,*
*Oſtendit Phariis Ægyptia littora flammis.*

Præterea ſcribe ex tribus, *Et ſi quem dabit aura ſinum.* Idem. *Dabit ſinum.*] Inflabit vela: vel ſi oſtenderit ſe opportunitas & ſpes aliquid impetrandi. Hoc eſt, ſi videris Imperatorem Tiberium placide audire loquentem pro me. *Laxate rudentes.*

Exeat è Stygiis ut mea navis aquis.
Præfuit his, Græcine, locis modo Flaccus; & illo
Ripa ferox Iſtri ſub duce tuta fuit.
Hic tenuit Myſas gentes in pace fideli:
Hic arcu fiſos terruit enſe Getas.
Hic captam Troſmin celeri virtute recepit,
Infecitque fero ſanguine Danubium.
Quære loci faciem, Scythicique incommoda cæli;
Et quàm vicino terrear hoſte, roga.
Sintne litæ tenues ſerpentis felle ſagittæ:
Fiat an humanum victima dira caput.
Mentiar, an coëat duratus frigore pontus;
Et teneat glacies jugera multa freti.
Hæc ubi narrarit, quæ ſit mea fama, require;
Quoque modo peragam tempora dura, roga.
Nec ſumus hìc odio, nec ſcilicet eſſe meremur:
Nec cum Fortunâ mens quoque verſa meâ eſt.
Illa quies animo, quam tu laudare ſolebas,
Ille vetus ſolito perſtat in ore pudor.
[Sic ego ſum longè, ſic hìc, ubi barbarus hoſtis,]
Ut fera plus valeant legibus arma, facit;
Re queat ut nullâ tot jam, Græcine, per annos
Fœ-

*rudentes.*] Eo flectite pedem & vela. Solent enim nautæ quandoque in dextram, quandoque in ſiniſtram vela flectere, in eam partem, unde venti flant.

74. *Ut mea navis aquis.*] *Cymba vadis* Puteaneus. *Heinſ.*

75. *Flaccus.*] Frater tuus.

77. *Myſas gentes.*] Populos Myſiæ. Myſia autem provincia Pannoniæ contermina ad Pontum uſque decurrit.

79. *Hic raptam Trœzen celeri virtute recepit.*] Lege *captam* ex ſcriptis, deinde pro *Trœzen* Editio Aldi ultima *Ræſen.* Regius, *Troſanem.* Moreti *Trezenam.* Servii *Troiſen.* prim. editio *Træſen* Polit. *Tracen.* opt. Vatican. *Treſmen.* Scribe *Troſmin.* Τρισμὶς, Ptolemæo eſt Myſiæ inferioris oppidum. ſed legendum, Τροισμὶς vel Τρωσμὶς. nam Τρῶσμις Conſtantino Porphyriogenetæ lib. II. Them. I. Antonini etiam Itinerario *Troſmis* eſt & Notitiæ Imperii. neque variant illic libri veteres. *Heinſ.*

84. *Fiat an humanum victima dira caput.*] Quære etiam an homines ſacrificentur à Scythis: quorum conſuetudo erat hoſpites immolare, ut dictum eſt.

91. *Illa quies animi eſt.*] Multi delent Τὸ *eſt.* optimus Vaticanus *animo.* recte. *Heinſ.* *Illa quies animo.*] Modeſtia.

93. *Sic ego ſum longe.*] Verſus ſuſpectus. *Heinſ.* *Ubi barbarus hoſtis.*] Hoſtem intellige, non Tomitanos, ſed Getas, à quibus Tomitani ſubinde infeſtabantur. *Mic.*

95. *Rem queat ut nulla.*] *Re nulla* meliores. *Heinſ.*



99. *Illi*

Digitized by Google

Fœmina de nobis virve puerve queri.
Hoc facit, ut miſero faveant adſintque Tomitæ;
Hæc quoniam tellus teſtificanda mihi eſt.
Illi me, quia velle vident, diſcedere malunt:
Reſpectu cupiunt hîc tamen eſſe ſui.
Nec mihi credideris: exſtant decreta, quibus nos
Laudat, & immunes publica cera facit.
Conveniens miſeris hæc quanquam gloria non eſt,
Proxima dant nobis oppida munus idem.
Nec pietas ignota mea eſt: videt hoſpita tellus
In noſtrâ ſacrum Cæſaris eſſe domo.
Stant pariter natuſque pius, conjuxque ſacerdos,
Numina jam facto non leviora Deo.
Neu deſit pars ulla domûs; ſtat uterque nepotum:
Hic aviæ lateri proximus, ille patris.
His ego do toties cum Thure precantia verba,
Eöo quoties ſurgit ab orbe dies.
Tota, licet quæras, hoc me non fingere dicet,
Officii teſtis Pontica terra mei.

Pon-

99. *Illi me, qui velle vident, diſcedere malunt.*] *Quia velle vident* ex ſcriptis. Præſtat etiam *malint* & mox *cupiant* pro *cupiunt*. Idem. *Illi qui me velle vident.*] Illi Tomitæ, qui vident deſiderium meum diſcedendi ab eis in patriam, vellent ut diſcederem. Sed tamen, &c.

100. *Reſpectu ſui.*] Habita ratione ipſorum Tomitarum, & eorum cauſa.

101. *Nec mihi credideris.*] Scribo, *Neu.* Heinſ. *Extant decreta.*] Apparent ſanctiones Tomitarum de me. *Laudat nos.*] Laudat mores & virtutes meas.

102. *Et immunes facit.*] Facit exemptos omni onere civitatis, & tributorum. *Publica cera.*] Decreta publica ſcripta in tabulis ceratis, vel ſigillata ſigillo reipublicæ Tomitanæ.

103. *Conveniens miſeris & quanquam gloria non eſt.*] Lege *hac quanquam gloria* cum uno Vaticano & Twiſdeniano, vel *ea gloria*. Poſſet & *gratia* refingi, *hac gratia*, hic favor. *Heinſ.*

104. *Dant nobis idem munus.*] Præſtant & offerunt mihi eandem immunitatem, & me liberant omni tributorum onere.

105. *Pietas mea.*] Meus erga Cæſares amor. *Hoſpita terra.*] Terra Tomitana, quæ me hoſpitem habet. *Hoſpita terra.*] *Tellus* Polit. & tres alii. omnino rectius. *Heinſ.*

107. *Conjunxque ſacerdos.*] Et Livia caſta, quæ deum ſuum Auguſtum colit, tanquam ſacerdotes ſua numina.

109. *Pars ulla domus.*] Aliqua pars familiæ Auguſti. *Uterque nepotum.*] Uterque Auguſti nepos, vel Cajus ſcilicet & Lucius ex Agrippa & Julia: vel (quod magis placet) filius Druſi privigni & Tiberii, Germanicus ſcilicet & Druſus.

111. *His.*] Auguſto Liviæ nato & nepotibus.

112. *Eöo ſurgit ab orbe.*] *Ab axe* libri Servii. *Heinſ.*

116. Na-

Pontica me tellus, quantis hac poſſumus orâ,
Natalem ludis ſcit celebrare Dei.
Nec minus hoſpitibus pietas eſt cognita talis,
Miſit in has ſi quos longa Propontis aquas.
Is quoque, quo lævus fuerat ſub Præſide Pontus,
Audierit frater forſitan iſta tuus.
Fortuna eſt impar animo, talique libenter
Exiguas carpo munere pauper opes.
Nec veſtris damus hæc oculis, procul Urbe remoti;
Contenti tacitâ ſed pietate ſumus.
Et tamen hæc tangent aliquando Cæſaris aures.
Nil illum, toto quod fit in orbe, latet.
Tu certè ſcis hoc Superis adſcite, videſque,
Cæſar; ut eſt oculis ſubdita terra tuis.
Tu noſtras audis inter convexa locatus
Sidera, ſollicito quas damus ore, preces.
Perveniant iſtuc & carmina forſitan illa,
Quæ de te miſi cælite facta novo.
Auguror his igitur flecti tua numina; nec tu
Immerito nomen mite Parentis habes.

116. *Natalem ludis.*] Ludos hic Merula exponit aleam, & ſimiles luſus. Ego vero de athleticis, aut gymnicis, aut ſcenicis etiam intelligo Poëtam dixiſſe. *Micyl.*

119. *Is quoque quo lævus fuerat, &c.*] Ut intelligamus eum, qui Mæſiam tenuerit: Neque enim provinciam Pontum Flaccus, ſed lævum littus Pontici maris, hoc eſt, confinia Dacorum & Getarum, quæ Mœſia erat, ad ripam Iſtri ſita ſcilicet, rexerat. Jam & ſciendum, Græcinum hunc, cujus conſulatum hac elegia celebrat Poëta, in catalogo Coſſ. vulgo non haberi, ſive fama deceptus poëta fuit; ſive illi humanitus aliquid accidit, antequam magiſtratum iniret, ut quidam opinati ſunt. *Micyl. Levius fuerat ſub Præſide Pontus.*] *Lævus Pontus* ex quinque ſcriptis. dixi Triſt. IV. Eleg. I. vſ. 60. *Heinſ.*

121. *Fortuna eſt impar animo.*] Non Poſſum tantum aſſequi vel impendere propter impotentiam, quantum cupio, oſtendendo pietatem erga Auguſtum. *Tali.*] Tali pietatis officio.

122. *Carpo.*] Conſumo, & expendo.

123. *Nec veſtris damus hæc oculis.*] Nec hæc celebramus in conſpectu veſtro, ut videamur à vobis, & eo pacto gratiam veſtram ineamus.

127. *Tu certe ſcis hoc.*] Vertit ſermonem ad Auguſtum, quem teſtem citat hujuſmodi erga ſe pietatis.

128. *Et eſt oculis.*] *Ut eſt oculis* editiones priſcæ. quod ſequor. *Heinſ.* *Et eſt oculis ſubdita terra tuis.*] Et tu è cœlo deſpicis quæ fiunt in terra.

131. *Pervenient iſtuc.*] *Perveniant* meliores. *Heinſ.*



Digitized by Google

# EPISTOLA X.

# ALBINOVANO.

## ARGUMENTUM.

Hic mihi Cimmerio.] *Ad Pedonem Albinovanum amicum & poëtam ſcribens Ovidius, tempus exprimit, quo ipſe in Pontica ora vitam egerit inter Getas pellitos: malaque ſua, quæ commemorat, malis Ulyſſis majora eſſe colligit. Poſtremo illum rogat, ut fidem ſibi ſervet in adverſis: imitaturque Theſeum, cujus geſta ipſe carmine complectebatur.*

HIc mihi Cimmerio bis tertia ducitur æſtas
Littore pellitos inter agenda Getas.
Ecquos tu ſilices, ecquod, cariſſime, ferrum
Duritiæ confers, Albinovane, meæ?
Gutta cavat lapidem; conſumitur anulus uſu;
Et teritur preſsâ vomer aduncus humo.
Tempus edax igitur, præter nos, omnia perdet?
Ceſſat duritiâ mors quoque victa meâ.
Exemplum eſt animi nimium patientis Ulyſſes,
Jactatus dubio per duo luſtra mari.
Tempora ſolliciti ſed non tamen omnia fati
Pertulit; & placidæ ſæpe fuêre moræ.
An grave ſex annis pulcram foviſſe Calypſo,
Æquoreæque fuit concubuiſſe Deæ?
Excipit Hippotades, qui dat pro munere ventos,

Cur-

4. D*uritia mea.*] Meo robori, & animi magnitudini in ferendis malis. *Duritia mea.*] Sic Virgil. *Æneadæ duri.* id eſt, malis indurati, fatis exerciti.

6. *Et teritur.*] Malim *Atteritur* vel *Deteritur*. Rottendorph. *Conteritur.* quo verbo uſus eſt Medicamine Faciei. mox *perdet* pro *perdit* meliores. *Heinſ.*

12. *Moræ.*] Intervalla morandi. *Mer.* *Et placidæ ſæpe fuere moræ.*] Hoc eſt, tametſi multis ac variis periculis toto decennio jactatus fuit, habuit tamen interdum, quibus mala atque mœſtitiam ſuam levaret, ut cum apud Calypſonem moratus eſt: item cum ab Æolo hoſpitio acceptus, & munere ventorum donatus eſt. Præterea audiendo Sirenes; veſcendo loto; & id genus alia. *Mic.*

15. *Excipit Hippotades.*] Suſcipit Ulyſſem Æolus Hippotæ filius. *Hippotades dat pro munere ventos.*] Δῶκε δέ μοι δείρας ἀσκὸν βοὸς ἐννεώροιο. Ἔνθα δὲ βυκτάων ἀνέμων κατέδησε κέλευθα. Ulyſſes ipſe apud Hom. Odyſſ. x. vſ. 19. Illum vero utrem, dum Ulyſſes dormit, ſocii ſolverunt: cauſam reddit Ovid. Metam. 14.

*Invidia ſocios, prædæque cupidine tactos,*
*Eſſe ratos aurum, dempſiſſe ligamina ventis.*

Ib. Vir

Curvet ut impulſos utilis aura ſinus.
Nec bene cantantes labor eſt audîſſe puellas;
Nec guſtanti lotos amara fuit.
Hos ego, qui patriæ faciant oblivia, ſuccos
Parte meæ vitæ, ſi modo dentur, emam.
Nec tu contuleris urbem Læſtrygonis unquam
Gentibus, obliquâ quas obit Iſter aquâ.
Nec vincet ſævum Cyclops feritate Phyacen:
Qui quota terroris pars ſolet eſſe mei!
Scylla feris trunco quod latrat ab inguine monſtris;
He-

16. *Utilis aura.* ] Sic in Metam. 13. *Utilibus ventis, æſtuque ſecundo.* ἰκμαίμεσθαι ἀνέμοιο ἐσθλὸς ἑταῖρος, πληςίςιος. Eurip. & Homer.

17. *Bene cantantes puellas.* ] Sirenes bene canentes, quas tres fuiſſe legimus, Parthenopen, Leucoſiam, & Lygiam, habitaſſeque Siciliam circa Pelorum. Fuere autem Sirenes filiæ Acheloi & Calliopes, ſive Terpſichores. Hæ quidem cantu mortales allectos in mare deturbabant. Ulyſſes vero, Circes uſus conſilio, cera aures ſociorum obturavit. Ipſe vero alligatus malo, ne cogeretur in mare deſilire, illarum cantus audivit impune.

18. *Nec deguſtanti.* ] Ulyſſes tempeſtate delatus ad Lotophagos, in Africam agitur, ſocios exploratum mittit: qui guſtata loto, nec quicquam renunciare, nec redire cupiebant. cibi enim ſuavitate allecti, ſuorum vivebant obliti. quos Ulyſſes invitos ad naves reduxit.

21. *Nec tu contuleris urbem Læſtrygonis unquam.* ] Poſtquam Poëta commemoravit breviter Ulyſſis incommoda: nunc illa cum ſuis comparat, ut ex hujuſmodi comparatione majora ſua eſſe probet, quam Ulyſſis. Fuere autem *Læſtrygones* populi in extremo Italiæ, Siciliam verſus, efferis moribus; ad hos igitur pervenit Ulyſſes: miſitque Macareum cum duobus ſociis ad Antiphaten: qui vix cum altera fuga vitam ſervavit. *Urbes Læſtrygonis* ] *Læſtrygonos* Combianus. & *urbem* meliores plerique. ut Met. XIV.

*Inde Lami veterem Læſtrygonis, inquit, in urbem*
*Venimus.*

Homero quoque non niſi unicum oppidum eſt Odyſſ. K. quod vocat λάμυ αἰπὺ πτολίεθρον Τηλέπυλον λαιςρυγονίην. Heinſ.

22. *Gentibus.* ] Populis Scythiam & oram Ponticam tenentibus, quos per Iſtrum deſignat. *Obit.* ] Circuit, tranſit. *Obliqua tranſit.* ] Aqua Danubii non recto, ſed flexuoſo curſu labenti per populos Scythiæ.

23. *Sævum Phyacen.* ] Immanem illum regem Scytharum.

24. *Quota pars.* ] Rara vel nulla pars. ut ſit ſenſus: Qui Cyclops ſolet eſſe rara vel nulla pars timoris præ illo, quem infert rex Scythiæ Phyax. *Mer.* *Qui quota terroris pars.* ] Non ad Cyclopem, ut Merula exponit, ſed ad eum, de quo modo dictum eſt, Phyacem referendum. quaſi dicat Poëta, Etiam ab hoc multum terroris ſibi objici, propter incurſiones videlicet. *Mic.*

25. *Cum latret.* ] *Qua latrat* multi codices. nonnulli *quod latret.* recte, niſi *quod latrat* præfers cum uno Vatic. & Arond. vide Notas Epiſt. XVII. vſ. 51. verſu proximo *nantis* pro *nobis* plerique veteres. *Heinſ.*

26. *Heniocha nantis.* ] Fuere autem *Heniochi*, populi in ora maris Euxini in Colchica regione montoſa & importuoſa, latrociniis maritimis vixêre. Per*rates* ergo *Heniochas* deſignat Poëta pi-

Heniochæ nautis plus nocuêre rates.
Nec potes infeſtis conferre Charybdin Achæis;
Ter licet epotum ter vomat illa fretum.
Qui quanquam dextrâ regione licentius errant;
Securum latus hoc non tamen eſſe ſinunt.
Hîc agri infrondes, hîc ſpicula tincta venenis:
Hîc freta vel pediti pervia reddit hyems.
Ut, qua remus iter pulſis modo fecerat undis,
Siccus contemtâ nave viator eat.
Qui veniunt iſtinc, vix vos ea credere dicunt.
Quam miſer eſt, qui fert aſperiora fide!
Crede tamen: nec te cauſſas neſcire ſinemus,
Horrida Sarmaticum cur mare duret hyems.
Proxima ſunt nobis plauſtri præbentia formam,
Et quæ præcipuum ſidera frigus habent.
Hinc oritur Boreas, oræque domeſticus huic eſt;
Et ſumit vires à propiore loco.
At Notus, adverſo tepidum qui ſpirat ab axe,
Eſt procul; & rarus languidiorque venit.
Adde quod hîc clauſo miſcentur flumina Ponto,

Vim-

ratas Heniochorum populorum, à quibus ſe fortunis exutum innuit. aut captum fortaſſe, ſed pecunia redemptum, ut ſtatim dicemus.

28. *Ter licet epotet.*] *Epotum* idem Vaticanus. & placet. *ore* pro *illa* Moreti codex. *Heinſ.*

29. *Qui quanquam dextra regione.*] Qui Achæi quamvis magis infeſtent dextrum littus Pontici maris, non tamen relinquunt intactam oram Tomitanam.

31. *Spicula tecta venenis.*] *Tincta* cum pleriſque ſcriptis. *Heinſ.*

39. *Sidera præbentia formam plauſtri.*] Septentriones dicit.

41. *Hic oritur Boreas.*] In hac regione ſeptentrionali Boreas naſcitur, & flare incipit vehementius. *Oraque domeſticus huic eſt.*] Et eſt propinquus huic regioni, quam ego incolo.

43. *At Notus adverſo tepidus qui ſpirat ab axe.*] *Tepidum qui ſpirat* rectius complures ex ſcriptis. Avienus deſcriptione orbis,

*Vel qua lene Notus ſpirat, qua perſtrepit*
*Eurus.*

Nihil magis obvium hoc loquendi modo apud ſcriptores. Multi potiſſimum in eo Auſonius & Claudianus. *Paulinus* carmine Sapphico ad Nicetam Epiſcopum,

*Aſt ubi paulum via proferetur,*
*Det precor mites tibi Chriſtus aſtus,*
*Et leve ſpiret ſine nube ſiccis*
*Aura Calabris.*

Ita veterrimus codex Voſſianus. mox idem Paulinus,

*Lene ſic ſude tenuatus aër.* Heinſ.

45. *Adde quod hic clauſo.*] Scribit Macrobius, aquam marinam nunquam gelu contrahi. Sed in illis regionibus plurimum eſt fluviorum & paludum in ipſa maria influentium. Superficies maris, cui dulces aquæ innatant, congelatur.

Vimque fretum multo perdit ab amne ſuam.
Huc Lycus, huc Sagaris, Peniuſque, Hypaniſque, Crateſque
Influit, & crebro vortice tortus Halys:
Partheniuſque rapax, & volvens ſaxa Cynapes
Labitur; & nullo tardior amne Tyras.
Et tu, fœmineæ Thermodon cognite turmæ;
Et quondam Grajis Phaſi petite viris.
Cumque Boryſthenio liquidiſſimus amne Dyraſpes,
Et

ſcit. *Ponto clauſo.*] Mari Euxino circumquaque littoribus ſepto, nec ullum alium meatum habenti, niſi Propontidem.

46. *Perdit vim ſuam.*] Non eſt amarum, immo dulce, & congelatur contra maris naturam, Vid. Gellium libro decimo ſexto, capite octavo.

47. *Huc Lycus influit.*] Lycus fluvius labitur in hoc mare Ponticum, & ideo congelatur. Eſt autem *Lycus*, fluvius Armeniæ. Strabo: Multi, inquit, amnes ſunt in Armenia, ſed clariſſimi Phaſis & Lycus, in mare Ponticum exeuntes. *Huc Sagaris.*] In ora Pontica poſt Boſphori fauces & Rheſum amnem, portumque Calpas, eſt Sagaris fluvius, ortus in Phrygia. *Hypaniſque.*] Hypanis, fluvius eſt Scythiæ ex magna palude profluens, ut docet Herodotus. *Crateſque.*] Cratem fluvium ad oram Ponticam fluere, hic innuit Ovidius. Ego nihil compertum habeo, *Peniuſque Hypanuſque Orateſque.*] *Penioſque* codex Petri Servii. *Hypaniſque* etiam ſcribendum ex libris antiquis. qui notiſſimus eſt fluvius. pro *Orateſque* veteres pleriique *Crateſque*, nonnulli *Careſque* vel *Cateſque*. unde recte vir ſummus Iſaacus Voſſius reponendum eſſe me monuit, *Caleſque*. Κάλης enim fluvius eſt hujus tractus Euſtathio Scholiis in Periegeten. Κάληξ eſt Thucydidi libro IV. Λάμαχος ἐν τῇ Ἡρακλεώτιδι ὁρμίσας ἐς τὸν Κάληκα ποταμόν. ubi deſcribit Lamachi claſſem impetu fluvii amiſſam. Valer. Flaccus libro IV.

*Quas Tanaïs, flavuſque Cales, Hypaniſque, Melaſque*
*Addat opes.*

ſic puto caſtigandum. nam *Lyces* nullus eſt fluvius. niſi malis *Tyras*, cujus & Noſter hic meminit. Nam Maſerius Valerii interpres notat Tyres eſſe in nonnullis codicibus. *Heinſ.*

48. *Halys.*] Halys fluvius eſt decurrens à radicibus Tauri per Cataoniam Cappadociamque, ut ſcribit Plinius.

49. *Parthenius.*] Parthenius fluvius eſt Paphlagonum, Carambi promontorio proximus, ut ſcribit Plinius: caditque in Pontum. *Rapacem* autem appellat, propter ejus curſum, qui omnia rapit & aufert.

50. *Et nullo tardior amne Tyras.*] Tyras Scythiæ amnis eſt, in oram Ponti ſiniſtram defluens, qui oppido nomen impoſuit. meminit Plinius lib. 4.

51. *Et tu fœminea Thermodon.*] Thermodon fluvius eſt qui à monte Armenio dilabitur, atque inde uſque ad Amazones celeri curſu proripitur. Unde hic poëta Thermodonta dicit à turba fœminea, hoc eſt, ab Amazonibus, cognitum fuiſſe: quia illæ juxta eum fluvium habitabant.

52. *Et quondam Grajis Phaſi petite viris.*] Phaſis ingens fluvius eſt, qui Colchidem illabitur, ortumque ex Armenia ducit. *Grajis viris.*] Argonautas intelligit: Lege Apollonium.

53. *Cumque Boryſthenio.*] Boryſthenes, fluvius, ſecundum Iſtrum omnium maximus, paſcua præbens amœniſſima, idem

Digitized by Google

Et tacitè peragens lene Melanthus iter.
Quique duas terras, Aſiam Cadmique ſororem
Separat, & curſus inter utramque facit.
Innumerique alii, quos inter maximus omnes
Cedere Danubius ſe tibi, Nile, negat.
Copia tot laticum, quas auget, adulterat undas:
Nec patitur vires æquor habere ſuas.
Quin etiam ſtagno ſimilis pigræque paludi
Cæruleus vix eſt, diluiturque color.
Innatat unda freto dulcis, leviorque marinâ eſt;
Quæ proprium miſto de ſale pondus habet.
Si roget hæc aliquis, cur ſint narrata Pedoni,
Quidve loqui certis juverit iſta modis;
Detinui, dicam tempus, curaſque feſelli.
Hunc fructum præſens attulit hora mihi.
Abſuimus ſolito, dum ſcribimus iſta, dolori:
In mediis nec nos ſenſimus eſſe Getis.
At tu, non dubito, cum carmine Theſea laudes,

Ma-

idem ad potandum ſuaviſſimus. *Liquidiſſimus Dyraſpes.* ] Clariſſimus ſeu limpidiſſimus ille fluvius, cujus tamen nullam apud autores mentionem invenio, præterquam hic apud Ovidium.

54. *Melanthus.* ] Melanthus fluvius eſt in Pontum labens.

55. *Quique duas terras.* ] Tanaim deſignat: qui vaſta palude profluens, in aliam vaſtiorem diffunditur, nomine Mæotim. *Aſiam Cadmique ſororem.* ] Exponit quæ ſint hæ duæ terræ, quas Tanais ſeparat.

56. *Inter utramque.* ] Inter Europam & Aſiam, quas ipſe Tanais dividit, ut diximus.

59. *Adulterat undas.* ] Corrumpit & mutat maris naturam.

63. *Unda dulcis.* ] Aqua fluvialis. *Leviorque marina eſt.* ] Cauſam aſſignat quare aqua dulcis innatet aquæ marinæ, quia illa levior eſt.

64. *Quæ proprium mixto de ſale pondus habent.* ] Quæ aqua marina habet gravedinem illam propriam ab ipſo mari, mixto tamen aquis illis dulcibus.

65. *Cur hæc ſint narrata Pedoni.* ] Cur hæc Albinovano Pedoni.

67. *Detinui, dicam, curas tempuſque feſelli.* ] *Detinui, dicam, tempus, curaſque feſelli* ex libro Feſchii & quinque aliis. ſic Met. 11.

*Detinuit ſermone diem.*

Auctor Pervigilii Veneris,

*Detinenda tota nox & pervigilanda canticis.*

quæ ibi vera eſt ſcriptura. Manilius l. v.

*Ille dabit cantus inter convivia dulces,*
*Mulcebitque ſono Bacchum, noctesque tenebit.*

pro detinebit. Fruſtra magnus Scaliger *tenebris* reponit. ſic *diem extrahere* apud Cæſarem lib. 1. de bello civili, & Valer. Maximum lib. 11. c. 11. *eximere dicendo diem* A. Gellio. *Heinſ.*

69. *Dum ſcripſimus.* ] *Scribimus* meliores. *Heinſ.*

71. *At tu non dubito.* ] Nunc ad Pedonem

Materiæ titulos quin tueare tuæ;
Quemque refers, imitere virum. vetat ille profectò
Tranquilli comitem temporis eſſe fidem.
Qui quanquam eſt factis ingens, & conditur à te
Vir tanto, quanto debuit ore cani;
Eſt tamen ex illo nobis imitabile quiddam,
Inque fide Theſeus quilibet eſſe poteſt.
Non tibi ſunt hoſtes ferro clavâque domandi,
Per quos vix ulli pervius Iſthmos erat:
Sed præſtandus amor, res non operoſa volenti.
Quis labor eſt puram non temeraſſe fidem?
Hæc tibi, qui perſtas indeclinatus amico,
Non eſt quod linguâ dicta querente putes.

nem vertit ſermonem, qui Theſei geſta carmine complectebatur.

72. *Titulos tuæ materiæ.* ] Virtutes & fidem erga amicos tui Theſei, de quo tractat. Is enim Pirithoum dicitur mira benevolentia complexus fuiſſe. *Quin tueare tua.* ] Cur non defendis illum imitando, exhibendo te mihi amico fidum.

75. *Et conditus à te Vix tantus quanto debuit ore cani.* ] *Conditur* bene Polit. aliique nonnulli, cum primis editionibus. deinde *vir tantus quantus* multi. nonnulli *vir tantus quanto* vel *vir tanto quantus*. Scribe cum Gottorph. & uno Vaticano,

*—— & conditur à te*
*Vir tanto, quanto debuit ore cani.*

quomodo jam Scaliger ex parte conjecerat. recte *conditur.* non enim videtur abſolviſſe. *Heinſ.*

77. *Eſt tamen quiddam imitabile.* ] Eſt tamen aliquid in quo Theſeum imitari poſſumus.

78. *Inque fide Theſeus quilibet eſſe poteſt.* ] Et unuſquiſque in amore, & fide amicis præſtanda, poteſt Theſeum imitari, & eſſe idem quod ipſe fuit Pirithoo, pro quo Theſeus pugnavit contra Centauros.

79. *Non tibi ſunt hoſtes.* ] Nolo, inquit, pro me pugnes quemadmodum Theſeus pro Pirithoo.

80. *Vix illi pervius.* ] Rectius *ulli* in nonnullis. *Heinſ.* *Vix ulli pervius Iſthmos erat.* ] Vix Iſthmon Corinthiacum quiſquam adire poterat. Deſignat autem Scynim (vel Scyronem) latronem ſæviſſimum. Duo autem Iſthmi celebres memorantur: unus *Achaicus*, in quo fuit Corinthus, quem hic Ovidius prius minime pervium fuiſſe dicit: Alter vero Iſthmus eſt *Thracius.*

EPI-

# EPISTOLA XI.

## GALLIONI.

### ARGUMENTUM.

Gallio, crimen erit.] *Factus Poëta certior Gallionis amici literis de obitu uxoris, prædicit nefas ducere non celebrare illum ſuis carminibus, quandoquidem ille caſum ſuum lacrymis & dolore ſemper proſecutus ſit, quod itidem dicit ſe feciſſe audita uxoris ejus morte. Deinde exponit minime audere eum conſolari, propterea quod ipſe prudens optime norit ea quæ ſunt in eam rem ab autoribus ſcripta: additque fore, ut toto intervallo illo temporis, quo ejus literas accepit, quoque ipſe ſuas ad eum mitteret propter locorum diſtantiam, dolor ejus jam imminutus ſit. Tertiam etiam rationem ſubjungit, cur nolit ullo conſolationis genere ut quod fortaſſe alia ducta uxore novâ hujuſmodi litera intempeſtive accederent.*

GAllio, crimen erit vix excuſabile nobis,
Carmine te nomen non habuiſſe meo.
Tu quoque enim (memini) cæleſti cuſpide facta
Foviſti lacrymis vulnera noſtra tuis.
Atque utinam, rapti jacturâ læſus amici,
Senſiſſes ultra, quod quererere, nihil!
Non ita Dîs placuit, qui te ſpoliare pudicâ
Conjuge crudeles non habuêre nefas.
Nuntia nam luctûs mihi nuper epiſtola venit:
Lectaque cum lacrymis ſunt tua damna meis.
Sed neque prudentem ſolari ſtultior auſim,
Verbaque doctorum nota referre tibi:
Finitumque tuum, ſi non ratione, dolorem
Ipſa jam pridem ſuſpicor eſſe mora.
Dum tua pervênit, dum littora noſtra recurrens
Tot maria ac terras permeat, annus abit.
Temporis officium ſolatia dicere certi eſt:
Dum dolor in curſu eſt, dum petit æger opem.

At

3. *Cæleſti cuſpide.*] Divino ictu. *Mer.* *Cuſpidem.*] Ergo vocat Cæſaris adverſus ſe iram. *Pont.*

10. *Tua damna.*] Uxoris tuæ obitus, qui tibi damnum attulit.

12. *Verba doctorum.*] Dicta ſcriptorum & philoſophorum, rationes oſtendentium, homines non debere proſequi mortuos lacrymis.

15. *Dum tua.*] Epiſtola. *Dum littora noſtra recurrens.*] I. e. ad littora noſtra. Sic Virg. 5. *Dii, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro.*

16. *Annus abit.*] Sic dicimus: *it vel abit dies. Sol abit*, Plaut. Mercat. 5. 2.

18. *Dum petit æger opem.*] Et petit plerique veteres. *Heinſ.*

20. In-

At cum longa dies ſedavit vulnera mentis;
Intempeſtivè qui vovet illa, novat.
Adde quod (atque utinam verum tibi venerit omen!)
Conjugio felix jam potes eſſe novo.

20. *Intempeſtive qui monet illa movet.*] *Qui movet illa novat* libri potiores, quidam etiam *monet illa novat.* Scribe,

*Intempeſtive qui fovet illa, novat.*

*fovere vulnera*, ut ſupra hac ipſa Elegia,

*Tu quoque enim (memini) cœleſti cuſpide facta*
*Foviſti lacrymis vulnera noſtra tuis.*

& ſic paſſim alibi. *Novare* etiam *vulnera* uſitatum Noſtro. Remed. Amor.

—— *vulnuſque novatum*
*Scinditur.*

Metam. XII.

*Semicremoque novat repetitum ſtipite vulnus.*

Triſt. II.

*Nam tanti non ſum, renovem ut tua vulnera, Cæſar.* Idem.

*Qui movet illa.*] Qui vulnera obducta, & dolorem jam pene oblivioni traditum revocat, & ad animum in memoriam redigit intempeſtive conſolando.

21. *Atque utinam verum tibi venerit omen.*] Atque utinam verum tibi augurium afferam, nunciando hæc quæ ſubjungit Poëta.

22. *Conjugio novo.*] Altera ducta uxore.

# EPISTOLA XII.

# TUTICANO.

## ARGUMENTUM.

Quo minus in noſtris.] *Ad Tuticanum ſcribens Poëta, cauſam aſſignat, cur nullam ejus mentionem fecerit in libris ſuis. Deinde commemorat amicitiam, quæ ſibi cum illo fuit à puero ſemper arctiſſima. Poſtremo illum rogat, ut apud principem tueatur partes ſuas.*

QUo minus in noſtris ponaris, amice, libellis;
Nominis efficitur conditione tui.
Aſt ego non alium prius hoc dignarer honore:
Eſt aliquis noſtrum ſi modo carmen honos.
Lex pedis officio naturaque nominis obſtant:
Quaque meos adeas, eſt via nulla modos.
Nam pudet in geminos ita nomen findere verſus,

De-

2. *COnditione tui nominis.*] Forte tui nominis: quod non poteſt in verſu poni ſyllabis repugnantibus: ut ſtatim ſubdit.

5. *Fortunaque nominis obſtat.*] *Naturaque* præſtat cum Scaligeri codice. *obſtant* etiam Regius. & mox *findere* pro *ſcindere* cum uno Vatic. & *incipiatque ſequens* pro *minor* cum Combiano. & *moratur* cum pleriſque pro *moretur.* H.

7. *In geminos verſus.*] In duos verſus: ponendo in calce hexametri partem nominis tui priorem, ſcilicet *Tuti*: & alteram in principio pentametri: ſcilicet *Canus.* *Ita ſcindere nomen.*] Ita nomen tuum diffindere.

9. Qua

Deſinat ut prior hoc, incipiatque minor:
Et pudeat, ſi re, qua ſyllaba parte moratur,
Arctius appellem, Tuticanumque vocem.
Nec potes in verſum Tuticani more venire;
Fiat ut è longâ ſyllaba prima brevis.
Aut producatur, quæ nunc correptius exit;
Et ſit porrectâ longa ſecunda morâ.
His ego ſi vitiis auſim corrumpere nomen,
Ridear, & merito pectus habere neger.
Hæc mihi cauſſa fuit dilati muneris hujus,
Quod meus adjecto fœnore reddet ager.
Teque canam quacunque nota: tibi carmina mittam,
Pæne mihi puero cognite pæne puer.
Perque tot annorum ſeriem, quot habemus uterque,
Non mihi, quam fratri frater, amate minus.
Tu bonus hortator, tu duxque comeſque fuiſti,
Cum regerem tenera fræna novella manu.
Sæpe ego correxi ſub te cenſore libellos;
Sæpe tibi admonitu facta litura meo eſt:
Dignam Mæoniis Phæacida condere chartis
Cum te Pïerides perdocuêre tuæ.
Hic tenor, hæc viridi concordia cœpta juventa
Venit ad albentes illabefacta comas.
Quæ niſi te moveant, duro tibi pectora ferro

Eſſe,

9. *Qua ſyllaba parte moretur.* ] Ea parte, qua ſyllaba producatur.

10. *Arctius appellem.* ] Strictius & brevius nominem, ponendo ſyllabam brevem, quæ natura produci debet.

13. *Aut ducatur.* ] *Aut producatur* veteres majori ex parte. *Heinſ.*

18. *Meus ager.* ] Meum ingenium. *Reddet ager.* ] *Reddet amor* multi veterum. utrumque bene. *Heinſ.*

23. *Tu bonus hortator.* ] Ad virtutes capeſſendas.

24. *Tenera manu.* ] Juvenili moderamine. *Fræna novella.* ] Tyrocinium & lubricum ætatis pullulantis.

26. *Sæpe litura eſt facta tibi.* ] Sæpe etiam tu expunxiſti in tuis ſcriptis aliqua.

27. *Dignum Mæoniis Phæacida.* ] *Dignam* ex ſcriptis nonnullis. & *Pierides tuæ* pro *Dea* ex Moreti libro. *Heinſ.*

28. *Quum dea Pierides perdocuere.* ] Delectі, inquit, & tu quædam meo admonitu in Phæacide tua, quæ erat digna propter ſublimitatem comparari verſibus Homeri, & ſcribi in iiſdem chartis, in quibus ſcripſit Homerus opus ſuum. ex quo magna eſt Tuticani laus, cujus carmina Homericis carminibus paria fuiſſe dicit. *Mic.*

Eſſe, vel invicto clauſa adamante putem.
Sed prius huic deſint & bellum & frigora terræ,
Inviſus nobis quæ duo Pontus habet;
Et tepidus Boreas, & ſit præfrigidus Auſter,
Et poſſit fatum mollius eſſe meum;
Quam tua ſint lapſo præcordia dura ſodali.
Hic cumulus noſtris abſit, abeſtque, malis.
Tu modo per Superos, quorum certiſſimus ille eſt,
Quo tuus aſſiduè Principe crevit honor;
Effice, conſtanti profugum pietate tuendo,
Ne ſperata meam deſerat aura ratem.
Quid mandem, quæras? peream, niſi dicere vix eſt.
Si modo, qui periit, ille perire poteſt.
Nec quid agam invenio, nec quid nolimve velimve:
Nec ſatis utilitas eſt mea nota mihi.
Crede mihi; miſeros prudentia prima relinquit:
Et ſenſus cum re conſiliumque fugit.
Ipſe precor quæras, qua ſim tibi parte juvandus:
Quoque viam facias ad mea vota vado.

32. *Invicto clauſa adamante putem.*] Libri nonnulli veteres *invito* & *invecto adamante*. unde fuit cum *inducto adamante* cenſerem eſſe reponendum, ea ſignificatione, qua lib. XIV. Met.

*—— calidusque è corpore ſanguis*
*Inducto pallore fugit.*

*Inductis nubibus atra dies* in Ibide. & *inducta nube dies premitur*. Triſt. I. Eleg. VIII. *inductum æquor harenis*. Metam. XI. *Inductum cornibus aurum*. Metam. VII. quæ illic vera lectio. & lib. VIII. *inductâ condi præcordia terrâ*. vide plura notis ad Metam. IV. vſ. 408. lib. IX.

*Contegat inductus morientia lumina cortex.*

Ep. VII.

*Uror, ut inducto cerata ſulfure tæda.*

Nunc tamen vulgarem ſcripturam non eſſe mutandam opinor. ut alluſerit Noſter ad Græcam originem adamantis. *Heinſ.*

38. *Hic cumulus.*] Magnus cumulus ad miſerias meas accederet, ſi te amicum perderem. *Pont.*

43. *Niſi dicere vix eſt.*] Difficile eſt exponere.

48. *Et ſenſus cum re.*] *Cum ſpe* ſcribendum. nam unus Voſſii *cum te*. Medonii unus *cum ſe*. Heinſ.

48. *Cum re conſilium fugit.*] *Ut ſpes nulla reliqua in te ſiet tibi: ſimul conſilium cum re amiſiſti.* Οὗτος δ' ἀνὴρ ἄριστος ὅστις ἐλπίσιν πέποιθεν αἰεί, τὸ δ' ἀπορεῖν, ἀνδρὸς κακοῦ. Eurip. Her. fur.

# EPISTOLA XIII.

# CARO.

## ARGUMENTUM.

O Mihi non dubios.] *Ad amicum nomine Carum, poëtam, & Cæſarum præceptorem ſcribens primo dicit eum poſſe intelligere ex chartæ colore, & carminis ſtructura, unde hæc epiſtola veniat: Poſtea ſubdit ſe carmen etiam compoſuiſſe lingua Getica in laudem Auguſti, Liviæ, & ejus liberorum: Poſtremo eum per amicitiam rogat, ut quum jam agatur ſextus annus, quo exulat, velit procurare, ut ſaltem in locum faciliorem traducatur.*

O Mihi non dubios inter memorande ſodales,
 Quique, quod es, id verè, Care, vocaris; ave.
Unde ſaluteris, color hic tibi protinus index,
 Et ſtructura mei carminis eſſe poteſt,
Non quia mirifica eſt, ſed quod nec publica certè:
 Qualis enim cunque eſt, non latet eſſe meam.
Ipſe quoque ut chartæ titulum de fronte revellas,
 Quod ſit opus, videor dicere poſſe, tuum.
Quamlibet in multis poſitus noſcêre libellis;
 Perque obſervatas inveniêre notas.
Prodent auctorem vires, quas Hercule dignas
 Novimus, atque illi, quem canis, eſſe pares.
Et mea Muſa poteſt proprio deprenſa colore
 Inſignis vitiis forſitan eſſe ſuis.
Tam mala Therſiten prohibebat forma latere,

Qu

2. QUi quod es id vere.] *Quique quod es vere* nonnulli. *Heinſ.*

3. *Unde ſaluteris.*] A quo ſalus ad te mittitur de more ſcribentium in principio hujus epiſtolæ. *Color hic.*] Color chartæ attritæ, & ſqualentis attrectantium manibus & ferentium hanc ipſam epiſtolam è longinquis regionibus.

5. *Non quia mirifica eſt.*] Non quia hæc ſtructura eſt laudabilis & mira. *Sed quod non publica certe.*] Sed quod certe non eſt talis ut dignam exiſtimem, quæ in publicum prodire debeat.

8. *Quod ſit opus videor.*] Malim *Quid ſit opus videam.* Heinſ. *Videor poſſe* ... *re.*] Videor poſſe intelligere, qui ſty... num & carminis ſtructuram cogno...

11. *Prodent auctorem vires.*] Carm... tui ſublimitas manifeſtat facile ... ſcribendi genus. *Quas Hercule* ... *novimus.*] Quas cognovimus eſſe ... eo viro, cujus laudes & geſta deſcri...

12. *Ipſe pares.*] *Eſſe pares* ... Heinſ.

13. *Et mea Muſa poteſt.*] Sicut ... gnoſceris carminis magnitudine, ... ego poſſum cognoſci propria ... carminis, obnoxii multis viti...

Quàm pulcrâ Nireus conſpiciendus erat.
Nec te mirari, ſi ſint vitioſa, decebit
Carmina, quæ faciam pæne poëta Getes.
Ah pudet! & Getico ſcripſi ſermone libellum:
Structaque ſunt noſtris barbara verba modis.
Et placui, (gratare mihi) cœpique poëtæ
Inter inhumanos nomen habere Getas.
Materiam quæris? laudes de Cæſare dixi.
Adjuta eſt novitas numine noſtra Dei.
Nam patris Auguſti docui mortale fuiſſe
Corpus; in ætherias numen abîſſe domos:
Eſſe parem virtute patri, qui fræna coactus
Sæpe recuſati ceperit imperii.
Eſſe pudicarum te Veſtam, Livia, matrum,
Ambiguum nato dignior, anne viro.
Eſſe duos Juvenes firma adjumenta Parentis,

Qui

16. *Quam pulchra Nireus.* ] Nireus Charopis filius fuit, & Aglaies ex Syme inſula ad bellum Trojanum profectus. Quem omnium pulcherrimum fuiſſe ſcribit Homerus libro ſecundo Iliados.

17. *Si ſunt vitioſa.* ] *Si ſint* plerique. *Heinſ.*

18. *Quæ faciam pene poëta Getes.* ] Quæ ego quaſi poëta barbarus compono. nam linguâ Getica nunc cœpi carmina componere.

19. *Getico ſermone.* ] Lingua Scythica.

20. *Sunt ſtructa.* ] Sunt compoſita. *Noſtris modis.* ] Numeris quibus utimur in carminibus Latinis. *Barbara verba.* ] Verba Getica.

24. *Noſtra novitas.* ] Noſtrum novum ſcribendi genus: hoc genere ſermonis. *Numine Dei.* ] Numine Cæſaris Auguſti. *Mer.* *Adjuta eſt, &c.* ] In hoc novo labore meo fuit mihi numen Cæſaris pro Apolline & Calliope. *Pont.*

25. *Patris Auguſti.* ] Auguſti Cæſaris patris patriæ.

26. *Numen.* ] Animam Auguſti Cæſaris defuncti.

27. *Eſſe parem virtute patri.* ] Docui etiam, virtute non inferiorem eſſe Tiberium patri Cæſari Auguſto. *Qui fræna rogatus.* ] Qui Tiberius diu ſummam imperii recuſavit, ut docet Tranquillus, *Fræna rogatus.* ] *Coactus* præſtat cum codice Scaligeri. Suetonius de Tiberio, *Tandem quaſi coactus & querens miſeram & onéroſam impomi ſibi ſervitutem, recepit imperium.* Adeatur etiam Tacitus Annalium primo. *Heinſ.*

29. *Eſſe pudicarum te Veſtam, Livia, matrum.* ] Hoc eſt, quam matronæ omnes pudicæ inſtar Veſtæ venerentur. ſic *Junonem* Liviam quoque vocavit lib. III. Eleg. I. Nihil ergo hoc loco eſt mutandum. *Idem.* *Matrum pudicarum.* ] Quemadmodum virginum dea eſt Veſta, ſic matronarum dea eſt Livia.

31. *Eſſe duos juvenes.* ] Germanicum ſcilicet juniorem, filium Druſi privigni Auguſti naturalem; & per adoptionem Tiberii quoque: & alterum, Druſum Tiberii filium naturalem. *Firma adjumenta parentis.* ] Firma præſidia Tiberii patris.

Qui dederint animi pignora certa ſui.
Hæc ubi non patriâ perlegi ſcripta Camœnâ,
Venit & ad digitos ultima charta meos;
Et caput & plenas omnes movere pharetras,
Et longum Getico murmur in ore fuit.
Atque aliquis, Scribas hæc cum de Cæſare, dixit,
Cæſaris imperio reſtituendus eras.
Ille quidem dixit, ſed me jam, Care, nivali
Sexta relegatum bruma ſub axe videt.
Carmina nil proſunt. nocuerunt carmina quondam:
Primaque tam miſeræ cauſſa fuêre fugæ.
At tu per ſtudii communia fœdera ſacri,
Per non vile tibi nomen amicitiæ;
Sic capto Latiis Germanicus hoſte catenis,
Materiam veſtris afferat ingeniis;
Sic valeant pueri, votum commune Deorum;
Quos laus formandos eſt tibi magna datos;
Quanta potes præbe noſtræ momenta ſaluti:
Quæ niſi mutato nulla futura loco eſt.

33. *Hac.* ] Has laudes ſupradictas.

34. *Venit ad meos digitos.*] Meis manibus tractata eſt recitando: Vel ubi perveni ad extremam paginam & finem.

35. *Et caput.* ] Quaſi laudando opus illud, & affirmando id fore cauſam, ut reduceretur in patriam Poëta, movere & caput & pharetras: quaſi per pharetras & ſagittas jurarent & affirmarent ita fore.

36. *Et longum murmur.* ] Et longus de hac re ſermo.

45. *Germanicus.* ] Germanicus Junior filius Tiberii per adoptionem. *Latiis catenis.* ] Italicis, quibus captivi ligabantur.

46. *Materiam veſtris prabeat ingeniis.*] Alii *noſtris.* *afferat* etiam plerique. Puto *offerat.* certe *prabe* mox ſequitur. *adſerat* etiam codex Scaligeri. Vide Notas ad Epiſt. xx. vſ. 194. *Heinſ.*

47. *Sic valeant pueri.* ] Sic ſint incolumes pueri Germanici: Intelligit autem Neronem, Druſum & Cajum Cæſarem. *Votum commune duorum.* ] *Deorum* multi veteres. Forte *ſuorum.* ſic apud Virgil. *O decus omne tuis.* Heinſ.

48. *Quos datos formandos.* ] Quibus pueris tuæ diſciplinæ commiſſis, magna laus acceſſit tibi.

49. *Prabe monumenta ſaluti.* ] *Momenta* repone cum uno Vaticano. & ſic ex conjectura Scaliger. Adi Notas Metam. xi. vſ. 285. *Heinſius.* *Momenta.* ] Hoc eſt, noſtram ſalutem pro viribus curandam ſuſcipe.

50. *Quæ* ] Scilicet ſalus. *Niſi mutato loco.* ] Niſi transferat in exilium mitius & magis propinquum Italiæ.

Epi-

Digitized by Google

# EPISTOLA XIV.
# TUTICANO.

## ARGUMENTUM.

Hæc tibi mittuntur. *Ad eundem Tuticanum, ad quem ſuperius ſcripſerat, hanc etiam epiſtolam mittit Poëta: dicitque ſe quemcunque locum, vel incommodiſſimum, magis optare ubi exulet, quam Tomitanam urbem. Deinde ſe excuſat, quod non debeant Tomitæ id ægre ferre, ſiquidem locum, non homines vituperat. Poſtremo fatetur ſe ab eis affectum fuiſſe beneficiis.*

HÆc tibi mittuntur, quem ſum modo carmine queſtus
Non aptum numeris nomen habere meis.
In quibus, excepto quod adhuc utcunque valemus,
Nil, te præterea quod juvet, invenies.
Ipſa quoque eſt inviſa ſalus: ſuntque ultima vota,
Quolibet ex iſtis ſcilicet ire locis.
Nulla mihi cura eſt, terrâ quam muter ut iſtâ:
Hac quia, quam video, gratior omnis erit.
In medias Syrtes, mediam mea vela Charybdin
Mittite, præſenti dum careamus humo.
Styx quoque, ſi quid ea eſt, bene commutabitur Iſtro:
Si quid & inferius, quam Styga, mundus habet.
Gramina cultus ager, frigus minus odit hirundo;
Proxima Marticolis quam loca Naſo Getis.
Talia ſuccenſent propter mihi verba Tomitæ,
Iraque carminibus publica mota meis.
Ergo ego ceſſabo nunquam per carmina lædi,
Plectar & incauto ſemper ab ingenio?

Ergo

4. N*il me præterea.* ] Repone *Nil te* ex tribus ſcriptis. *Heinſ.*

5. *Ultima vota.* ] Supremum deſiderium meum.

7. *Nulla mihi cura eſt, terra quo mittar ab iſta.* ] *Muter* editiones quædam cum quinque ſcriptis. neque aliter doctiſſimus Gronovius Obſervat. lib. III. cap. I. qui videndus. Patav. *niſi mittar.* Scribe *niſi muter ut iſtâ.* vel, *quam muter ut iſtâ*, nam Arondelianus *quam mittar ab iſta. qua mittar* nonnulli. vel *quoque.* Forte,

*Nulla prior cura eſt, terra quam muter ut iſta.*

Heinſ.

9. *In medias Syrtes.* ] *Mediam Syrtin* tres antiqui. *Idem.*

13. *Gramina.* ] Herbas inutiles.

16. *Publica mota.* ] *Parta* unus Vatic. *Heinſ.* *Ira publica.* ] Omnium Tomitarum indignatio.

 20. *Tela*

Ergo ego, ne ſcribam, digitos incidere cunctor;
Telaque adhuc demens, quæ nocuêre, ſequor?
Ad veteres ſcopulos iterum devertor, & illas,
In quibus offendit naufraga puppis, aquas.
Sed nihil admiſi: nulla eſt mea culpa, Tomitæ;
Quos ego, cum loca ſim veſtra peroſus, amo.
Quilibet excutiat noſtri monumenta laboris;
Littera de vobis eſt mea queſta nihil.
Frigus, & incurſus omni de parte timendos,
Et quod pulſetur murus ab hoſte, queror.
In loca, non homines, veriſſima crimina dixi.
Culpatis veſtrum vos quoque ſæpe ſolum.
Eſſet perpetuò ſua quam vitabilis Aſcra,
Auſa eſt agricolæ Muſa docere ſenis.
At fuerat terrâ genitus, qui ſcripſit, in illâ.
Intumuit vati nec tamen Aſcra ſuo.
Quis patriam ſollerte magis dilexit Ulyſſe?
Hoc tamen aſperitas indice nota loci eſt.
Non loca, ſed mores ſcriptis vexavit amaris
Scepſius Auſonios, actaque Roma rea eſt.

Falſa

20. *Tela quæ nocuere.*] Carmina & ingenium.

21. *Divertor.*] Devertor ex ſcriptis. *Heinſ.*

25. *Excutiat.*] Inquirat. *Noſtri monumenta laboris.*] Verſus noſtros.

26. *De vobis.*] De hominibus Tomitanis.

27. *Et incurſus omni de parte timendos.*] Et hoſtilem impetum, cui obnoxia eſt undique Tomitana civitas, quæ Getarum prædæ obnoxia eſt.

30. *Veſtrum ſolum.*] Veſtram hanc regionem ſterilem, & frigori ac bellis obnoxiam.

31. *Eſſet perpetuo ſua quam vitabilis Aſcra.*] Verſus ſuſpectus. *Heinſ.* *Eſſet perpetuo ſua quam vitabilis Aſcra.*] Siquidem Heſiodus Aſcram civitatem & patriam culpavit, non tamen eorum cives ſuccenſuere.

32. *Senis agricolæ.*] Senis Heſiodi, qui de Agricultura ſcripſit.

33. *In illa terra.*] In Aſcra civitate.

35. *Quis patriam.*] Qui apud Homerum Ithacam patriam ſæpe aſperam ſterilemque vocat.

36. *Indice dicta loci eſt.*] Nota excerpta Scaligeri & ſex alii rectius. *ſoli* etiam duo: cum *loca* verſu proximo repetatur. *Heinſ.*

37. *Non loca, ſed mores.*] Docet Ovidius, Scepſium Poëtam olim taxaſſe vitia Romanorum, & non loca, quod magis odioſum fuit: non tamen ille ob eam cauſam damno aliquo affectus fuit. Alii non poëtam ſed Philoſophum fuiſſe aſſerunt. Vide Plin. libro trigeſimo quarto, cap. 7. *Scriptis amaris.*] Carminis acerbitate, & Satyrica reprehenſione.

38. *Scepſius Auſonios.*] Scepſius, Sep-

Falſa tamen paſſa eſt æquâ convicia mente,
    Obfuit auctori nec fera lingua ſuo.
At malus interpres, populi mihi concitat iram,
    Inque novum crimen carmina noſtra vocat.
Tam felix utinam, quam pectore candidus, eſſem!
    Exſtat adhuc nemo ſaucius ore meo.
Adde, quod Illyricâ ſi jam pice nigrior eſſem,
    Non mordenda mihi turba fidelis erat.
Molliter à vobis mea ſors excepta, Tomitæ,
    Tam mites Grajos indicat eſſe viros.
Gens mea Peligni, regioque domeſtica Sulmo,
    Non potuit noſtris lenior eſſe malis.
Quem vix incolumi cuiquam ſalvoque daretis,
    Is datus à vobis eſt mihi nuper honor.
Solus adhuc ego ſum veſtris immunis in oris;
    Exceptis, ſi qui munera legis habent.
Tempora ſacratâ mea ſunt velata coronâ,
    Publicus invito quam favor impoſuit.

Quàm

*Sepicus*, *Sepius* & ſimilia libri veteres. Scribendum *Scepſius*. ut Scaliger etiam vidit & Berſmannus. Metrodorum Sceptium intelligit, qui μισορωμαῖος dictus eſt. *Heinſ.* *Atque Roma rea eſt.*] Et Roma ab eo accuſata fuit.

40. *Auctori ſuo.*] Ipſi Sceptio, qui ea compoſuit. *Fera lingua.*] Lingua poëtæ feri, tam acriter invehendo in Romanos.

41. *At malus interpres.*] At ille, qui male interpretatur mea carmina damnantia ſitum & regionem Tomitanam: *Populi mihi concitat iram:*] In odium & indignationem populi Tomitani me adducit.

42. *In novum crimen.*] Non enim ſolitus fui unquam carmine quenquam offendere.

45. *Pice Illyricâ.*] Pice quæ in Illyria naſcebatur: eaque nigerrima & laudatiſſima.

46. *Non erat mordenda mihi.*] Non erat à me reprehendenda. *Turba fidelis.*] Tomitani cives, qui me amant.

47. *Molliter exceptâ.*] Placide & benigne ſuſcepta. *Mea ſors.*] Meum infortunium & relegatio.

48. *Grajos.*] Hoc eſt, non eſſe barbaros, ſed Græcos, & mores Græcorum ſervare, unde oriundi ſunt. Illi enim Tomon condidere.

49. *Gens mea Peligni.*] Non potuiſſet, inquit, me regio & patria mea lenius accipere, quam fecere Tomitæ.

54. *Exceptis ſi qui munera legis habent.*] Exceptis illis, qui legibus conſecuti ſunt immunitatem: quæ dabatur his, qui Olympia viciſſent: & qui aliquod egregium facinus pro patria feciſſent. Dicit ergo hîc Ovidius nullis legibus, aut meritis ſe à Tomitanis civibus aſſecutum fuiſſe immunitatem: quæ nemini conceſſa fuerat in ea urbe, niſi his.

55. *Corona ſacrata.*] Corona ex hedera Baccho ſacra, qua Poëtæ elegi coronabantur.

56. *Quam publicus favor.*] Quam co-



ronam

Quàm grata eſt igitur Latonæ Delia tellus,
  Erranti tutum quæ dedit una locum;
Tam mihi cara Tomis: patriâ quæ ſede fugatis
  Tempus ad hoc nobis hoſpita fida manet.
Dî modo feciſſent, placidæ ſpem poſſet habere
  Pacis, & à gelido longius axe foret.

ronam favor omnium civium Tomitanorum.

57. *Latona.* ] Matri Apollinis ac Dianæ. *Delia tellus.* ] Delos inſula, quæ eſt in mari Ægeo, Apollinis ac Dianæ nativitate cantatiſſima, poëtarum teſtimonio: ubi Latona eos peperit Pythone ſerpente liberata, ut fabulantur poëtæ.

58. *Erranti tutum quæ.* ] Cum Juno Latonam gravidam cognoſceret, immiſſo contra illam Pythone ſerpente, per omnem terram proſecuta eſt. Quæ tandem cum ad littora maris perveniſſet, à ſorore ſuſcepta fuit, canente Ovidio lib. ſexto Metamorphoſ. *Errantem accepit tunc cum levis inſula nabat:* hoc eſt, Delos. quæ alio nomine *Ortygia* dicitur. *Erranti.* ] De Latonæ erroribus Hymnos Homeri & Callimachi vide. *Tutum locum.* ] Locum tutum ad pariendum. *Quæ una.* ] Quæ inſula ex omnibus terris.

59. *Tam mihi cara Tomitæ.* ] Alii *Tomos.* Combii, Farneſii, Twiſdenii, & unus Mediceus *Tomis.* recte. monuimus Notis Triſt. III. Eleg. IX. vſ. 33. *Hem. Tam mihi chara domus.* ] Tam mihi eſt grata ſedes & domicilium quod eſt mihi in urbe Tomitana.

# EPISTOLA XV.

## SEXTO POMPEIO.

### ARGUMENTUM.

Si quis adhuc uſquam. ] *Ad Sextum Pompejum ſcribens Poëta, profitetur ſe illi omnia debere, Cæſare tamen excepto, cui vitam debet. Deinde eum precatur, ut ab Imperatore, quem ſumma colit pietate, impetret ſibi mitius exilium: excuſatque ſe invitum hæc eadem ſæpius petere, ſed præ nimia & immoderata cupidine ſe cogendum eſſe.*

SI quis adhuc uſquam noſtri non immemor extat,
  Quidve relegatus Naſo, requirit, agam;
Cæſaribus vitam, Sexto debere ſalutem
  Me ſciat. à Superis hic mihi primus erit.

Tem-

2. R*Equirat, agat.* ] *Requirat* alii. Lege *requirit* ex duobus. ſuperiora id exigunt. *Heinſ.*

3. *Cæſaribus.* ] Auguſto defuncto, & liberis, qui etiam Cæſares dicebantur. *Sexto debere ſalutem.* ] Cæſaribus inquit vitam debeo. At Sexto Pompejo ſalutem debeo, quia opibus & favore ſuo illum ſuſtentavit in Pontica regione: erat enim potentiſſimus.

4. *A ſuperis.* ] Poſt deos Cæſares. *Hic.* ] Iſte Sextus Pompejus.

6. Am-

Tempora nam miſeræ complectar ut omnia vitæ
A meritis ejus pars mihi nulla vacat.
Quæ numero tot ſunt, quot in horto fertilis arvi
Punica ſub lento cortice grana rubent.
Africa quot ſegetes, quot Tmolia terra racemos,
Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla favos.
Confiteor. teſtere licet. ſignate Quirites.
Nil opus eſt legum viribus: ipſe loquor.
Inter opes & me rem parvam pone paternas.
Pars ego ſum cenſûs quantulacunque tui.
Quàm tua Trinacria eſt, regnataque terra Philippo,
Quàm domus Auguſto continuata Foro;
Quam tua rus oculis domini Campania gratum,
Quæque relicta tibi, Sexte, vel emta tenes:
Tam tuus en ego ſum: cujus te munere triſti.



6. *A meritis ejus.*] A beneficiis ipſius Pompeji.

9. *Tmolia terra racemos.*] *Gnoſia* multi veteres. ſed fruſtra. hinc *vineta Timoli* Metam. VI. & XI. *Heinſ.* *Tmolia terra racemos.*] Tmolus mons eſt (ut Strabo docet) Mæoniæ, quæ poſtea *Lydia* appellata fuit. Virgilius: *Nonne vides croceos ut Tmolus odores.* Ovid. in Metam. *Deſeruere ſui nymphæ vineta Tmoli.* Quibus auctoritatibus patet etiam montem Tmolum vino ac croco abundaſſe.

10. *Quod Sicyon baccas.*] Quot olivas Sicyon civitas fert. Fuit autem Sicyon oppidum Achajæ. Sic Maro: *teritur Sicyonia bacca tapetis.*

11. *Teſtere licet.*] Licet in teſtimonium adducas hæc quæ ſcribo. *Signate Quirites.*] O Cives Romani, ſubſcribite vos tanquam teſtes ejus, quod dicam: vel ſigillum veſtrum imprimite, quemadmodum ſi teſtamentum aliquod ſignaretis.

12. *Non opus eſt legum viribus.*] Non, inquit, eſt opus confugere ad legum præſidia, & litem conteſtari. *Ipſe loquor.*] Ipſe ſponte confiteor hoc quod ſequitur.

13. *Inter opes paternas.*] Inter tuos cenſûs tibi à patre relictos. *Et me rem parvam, pone.*] Etiam me annumerabis, licet ſim res parva & modica.

16. *Quam domus Auguſto continuata foro.*] Quantum etiam domus eſt tua, quam habes conjunctam foro Auguſti Cæſaris.

17. *Quam tua rus oculis.*] Ordo eſt: quam pro quantum, Campania appoſitive, rus gratum oculis domini eſt tua. Per *Campaniam* autem intelligimus rus aliquod quod habebat Pompejus in Campania: fortaſſe intellexit per *Trinacriam*, rus, aut oppidum aliquod Siciliæ ejuſdem Pompeji: Similiter per *terram Philippi*, rus in Macedonia. *Oculis domini.*] Oculis tuis.

18. *Quæque relicta.*] Et quantum ea ſunt tibi à majoribus tuis relicta.

19. *Tam tuus, &c.*] Tam Ego Ovidius ſum numerandus in tuo ære & cenſu. *Cujus te.*] Cujus tui Sexti Pompeji mœſto dono. nam tuo munere & precibus vivo: quia te agente Auguſtus me non interfecit, ſed tantum in exilium Ponticum miſit. Hoc autem beneficium Poëta triſte minus appellat, propterea quod

Non potes in Ponto dicere habere nihil.
Atque utinam poſſis, & detur amicius arvum;
Remque tuam ponas in meliore loco!
Quod quoniam in Dîs eſt, tenta lenire precando
Numina, perpetuâ quæ pietate colis.
Erroris nam tu, vix eſt diſcernere, noſtri
Sis argumentum majus an auxilium.
Nec dubitans oro: ſed flumine ſæpe ſecundo
Augetur remis curſus euntis aquæ.
Et pudet, & metuo, ſemperque eademque precari;
Ne ſubeant animo tædia juſta tuo.
Verùm quid faciam: res immoderata cupido eſt.
Da veniam vitio, mitis amice, meo.
Scribere ſæpe aliud cupiens delabor eodem:
Ipſa locum per ſe littera noſtra rogat.
Seu tamen effectus habitura eſt gratia; ſeu me
Dura jubet gelido Parca ſub axe mori;
Semper inoblitâ repetam tua munera mente:
Et mea me tellus audiet eſſe tuum.
Audiet & cælo poſita eſt quæcunque ſub illo:
Tranſit noſtra feros ſi modo Muſa Getas.
Teque meæ cauſſam ſervatoremque ſalutis:
Meque tuum librâ norit & ære minus.

Epi-

in re triſti & mœſta beneficium eſt aſſe-ctitus.

20. *Non potes.* ] Non potes dicere te nihil poſſidere in Pontica regione, cum aliquid habeas habendo me.

21. *Ut detur amicius arvum.* ] *Et detur* meliores. *Heinſ.*

25. *Decernere.* ] *Diſcernere* multi. & recte. *Heinſ.*

26. *Sis argumentum.* ] Hoc eſt; Dubium eſt, utrum majus auxilium mihi rebuſque meis ſis, an majus judicium, certiorque probatio ac fides erroris mei: hoc eſt, quod errore, non ſcelere peccarim, &c. *Mic.*

35. *Habitura eſt gratia effectus.* ] Favor tuus eſt apud Cæſarem impetraturus quod volo.

38. *Et mea me tellus.* ] Præ me feram, & dicam & teſtabor *hic apud barbaros*, me tuum eſſe, obligatum ſcilicet tibi meritis maximis & innumerabilibus. *Pont.*

42. *Meque tuum librâ norit & ære magis.* ] *Minus* major ſcriptorum pars, & editiones nonnullæ. quod Salmaſio in Epiſtolis ad Gronovium probabatur, & ipſi Gronovio Obſervat. lib. 1. cap. 1. Ut ſenſus ſit, Me tui mancipii eſſe norit, quamvis æs & libra mancipationi non adfuerint. Vide eum omnino de uſu τῦ *minus.* Twiſdenius codex & *ut dacam.*

*datum.* De mancipatione, quæ per æs & libram fiebat, pleni Juriſconſultorum commentarii. Hinc Horatius.

*Si proprium eſt, quod quis librâ mercatur & ære?*

*Quædam (ſi credis conſultis) mancipat uſus.*

Fuit, cum ſcribendum putarem,

*Meque tuum librâ noris ; & ære magis :* ut neglexerit poſterius *tuum* geminare librarius. qui error eſt frequentiſſimus. *Heinſ. Et ære magis.* ] Micyllus legit, ut ſit dictum ἐλλειπτικῶς, Pro, Norit me magis tuum eſſe, quam ſi per æs ac libram emptus ſim. Cæterum de emptione quæ per æs ac libram fiebat, Boëthius in Topica Ciceronis meminit. *Micyl.*

# EPISTOLA XVI.

## AD INVIDUM.

### ARGUMENTUM.

Invide, quid laceras. ] *Admonet in hac ultima epiſtola Poëta invidum, ne carmen ſuum laceret oſtendens, ſe exulem, eſſe tanquam mortuum : affirmatque ſolere livorem paſci tantum in vivis ; poſt cineres vero quieſcere. & hac ratione dicit eum debere non ulterius in carmen ſuum diſtringere invidiæ ſtimulos ac dentes. cum ſint multi alii celebres poëtæ, quos enumerat, & tamen eos poſſe commodius reprehendi.*

INvide, quid laceras Naſonis carmina rapti?
Non ſolet ingeniis ſumma nocere die.
Famaque poſt cineres major venit: & mihi nomen
Tunc quoque, cum vivis annumerarer, erat.
Cum foret & Marſus, magnique Rabirius oris,
Iliacuſque Macer, ſidereuſque Pedo:
Et, qui Junonem læſiſſet in Hercule, Carus;
Junonis ſi non jam gener ille foret.

Qui-

5. C*Um foret & Marſus.* ] Domitius Marſus, poëta clarus extitit Horatii ævo. *Magnique Rabirius oris.* ] C. Rabirius nobilis poëta fuit, quem Fabius in eorum poëtarum numero ponit, qui Epici appellantur: & quia in ejus carmine multum animi, ac virium inerat; ideo hic Ovidius illum *magni oris* fuiſſe ſcribit.

6. *Iliacuſque Macer.* ] Æmilius Macer Veronenſis Poëta fuit : Scripſit bellum Trojanum, hic videtur innuere Poëta, appellando illum *Iliacum* ab Ilii materie, quam tractabat. *Sidereuſque Pedo.* ] Et divinus ac doctus ille Poëta Pedo, qui ſcripſit epigrammata. *Mer.* Vel veriſimile eſt, de aſtris quoque ſcripſiſſe, & ideo *ſydereum* nominari. Gyrald. ſic appellatum credit, quia ſublimis & altiloquus fuerit, quod mihi non placet. *Pont.*

7. *Et qui Junonem læſiſſet, &c.* ] Carus poëta fuit doctiſſimus, Cæſarum præceptor, Ovidii amicus: Hic Herculis geſta carmine complexus eſt. *Qui læſiſſet Junonem in Hercule.* ] Qui deſcribendo Herculis laudes, Junonem novercam offendiſſet.

8. *Junonis ſi jam non, &c.* ] Si non tandem Juno poſita ira Heben filiam uxorem Herculi dediſſet, & ſic Juno ſocrus Herculis facta, nullam haberet cauſam

Quíque dedit Latio carmen regale Severus;
Et cum ſubtili Priſcus uterque Numâ.
Quique vel imparibus numeris, Montane, vel æquis
Sufficis; & gemino carmine nomen habes.
Et qui Penelopæ reſcribere juſſit Ulyſſen,
Errantem ſævo per duo luſtra mari:
Quique ſuam Trœzena, imperfectumque dierum
Deſeruit celeri morte Sabinus opus.
Ingeniique ſui dictus cognomine Largus,
Gallica qui Phrygium duxit in arva ſenem.
Quique canit domitam Camerinus ab Hercule Trojam;
Quique ſuâ nomen Phyllide Tuſcus habet.
Velivolique maris vates, cui credere poſſis

Car-

ſam indignationis, & odii in Carum poëtam, quod Herculis generi geſta decantaſſet.

9. *Quique dedit Latio.* ] Caſſius Severus poëta fuit Ovidii amicus, hic ſcripſit Epigrammata, elegias, & Tragœdias, in quibus quoniam de regibus tractatur, ideo poëta dicit dediſſe illum carmen regale Latio.

10. *Et cum ſubtili, &c.* ] Duo fuerunt Priſci poëtæ coætanei Ovidii, & ambo Numæ Pompilii, regis Romanorum ſecundi, vitam carmine ſcripſere.

11. *Quique vel imparibus.* ] Julius Montanus poëta gratus fuit Tiberio. *Imparibus numeris.* ] Verſibus elegis. *Vel æquis.* ] Hexametris. *Sufficis.* ] Satis es.

12. *Gemino carmine.* ] Elego & heroïco.

13. *Qui Penelopæ.* ] Sabinum poëtam deſignat, qui ſub Auguſto floruit, & epiſtolis Ovidii reſpondit. *Reſcribere juſſit Ulyſſem.* ] Fecit Sabinus, ut Ulyſſes uxori Penelopæ reſcriberet.

15. *Quique ſuam Trœzen.* ] *Crezimen* vel *Triſam* Combii. *Trocrem* vel *Troien* Arondel. duo *Troadem.* tres *Trezenem.* alii, *Tromen*, *Troicem*, *Troizem*, *Timeſon*, *Tumeſon* & ſimilia. an *Tyndin?* opinor certe nomen puellæ à Sabino decantatæ hic latere. *Heinſ.*

18. *Ducit in arva.* ] *Duxit* nonnulli. *Heinſ.* *In arva Gallica.* ] In Galliam Ciſalpinam: & in eum tractum ubi poſtea Antenor Patavium condidit. *Phrygium ſenem.* ] Antenorem Trojanum.

19. *Quique canit Camerinus.* ] Camerinus Poëta fuit Ovidii tempore, qui apud Latinos Trojanum excidium cecinit. *Domito Camerinus ab Hectore Trojam.* ] *Domitam* multi Poliz. & tres alii. *domitam ab Hercule.* quod verum puto. *Heinſ.*

20. *Tuſcus habet.* ] Puto *Fuſcus.* quod nomen magis Romanum. mox *credere poſſis* pro *poſſes* quatuor veteres. *Idem.*

21. *Velivolique maris vates.* ] Hic de P. Terentio Varrone Attacino Poëta intelligit, qui tranſtulit in Latinum libros quatuor Apollonii Rhodii in ſuum opus de Argonautis. *Cui credere poſſes, &c.* ] Magna eſt hujus poëtæ laus; quod tam pulchre Argonautica deſcripſit, ut dii ipſi marini, non poëta ille P. Terentius Varro, videantur ea carmina compoſuiſſe.

23. Qui-

Carmine cæruleos compoſuiſſe Deos.
Quique acies Libycas Romanaque prælia dixit;
Et Marius, ſcripti dexter in omne genus.
Trinacriuſque ſuæ Perſeïdos auctor, & auctor
Tantalidæ reducis Tyndaridoſque Lupus.
Et qui Mæoniam Phæacida vertit, & unà
Pindaricæ fidicen tu quoque, Rufe, lyræ.
Muſaque Turranî Tragicis innixa cothurnis;
Et tua cum ſocco Muſa, Meliſſe, levis.

Cum

23. *Quique acies. Libycas.* ] Merula hunc locum de Ennio, aut Nævio accipiendum putat: cui temporum ratio repugnat. Neque enim Ovidius eos poëtas commemorare voluit, qui ſe multo antiquiores eſſent, ſed qui ſuis temporibus, eademque ſecum ætate vixiſſent.

24. *Dexter in omne genus.* ] *Promtus* in multis. *Heinſ.*

25. *Trinacriuſque ſuæ Perſeïdos auctor & actor.* ] Scripti *Tinacriuſque*, *Tenacriuſque*, *Tanariuſque* & ſimilia. nomen haud dubie corruptum. deinde ſcribendum,

*——Perſeidos auctor, & auctor*
*Tantalidæ reducis.——*

ut recte nonnulli codices. de actore nugæ ſunt. Lupus ille, quiſquis eſt, poëma conſcripſerat de reditu Menelai & Helenæ poſt captam Trojam. *Idem.*

27. *Et qui Mæonida Phæacida vertit.* ] *Mæoniam Phæacida* plerique. Tuticanum autem intelligit, ad quem ſupra Eleg. XII.

*Dignam Mæoniis Phæacida condere chartis*
*Cum te Pierides perdocuere Deæ.*

Idem. *Et qui Mæonida Phæacida vertit.* ] Hic Tuticanus fuit.

30. *Cum ſocco Muſa, Meliſſe, levis.* ] Scribe *cum ſocco levi.* ſic *gravem cothurnum* alibi dixit. Cn. Meliſſum Togatas ſcripſiſſe teſtis eſt Scholiaſtes Horatii ad Artem Poëticam; *Togatas ſcripſerunt Ælius Lamia, Antonius Rufus, Cn. Meliſſus, Afranius, Africanus, Pomponius.* qui Rufus forſitan idem cum eo quem Noſter ſupra vocat *fidicinem Pindarica Lyra.* Cajum Meliſſum vocat Suetonius, & inter Grammaticos recenſet, qui Togatas cum edidiſſe etiam prodit, quas inſcripſerit *Trabeatas.* Laudat quoque *Ineptiarum* ejus ſeu *jocorum libellos*, *quibus & mimos diverſi operis poſtea* addiderit. ſic enim ſcribendum, cum libri veteres *animos diverſi operis* exhibeant. Videntur autem *jocorum* libelli conſtitiſſe ex Apologis Æſopicis. id enim ſcribendi genus *jocos* vocabant. ſic Phædrus de ſe paſſim. hinc & Martialis *improbi jocos Phædri.* nec dubito quin de Meliſſo intelligenda ſint illa apud Phædrum lib. II. Fab. ultima,

*Quoniam occuparat alter ne primus forem*
*Ne ſolus eſſet ſtudui, quod ſuperfuit:*
*Nec hæc invidia, verum eſt æmulatio.*

Commentarium ejus de apibus laudant Plinius & Servius. meminit Meliſſi etiam Virgilii vitæ auctor. Ceterum cum de prænomine Meliſſi ſcriptoribus parum conveniat, & Scholiaſtes Horatii *Cneum*, Suetonius *Caïum* appellet, opinor verum Meliſſi nomen fuiſſe *Caïum Cilnium Meliſſum.* fuit enim Meliſſus Mæcenatis libertus, cui *Caio* prænomen, cum ex *Cilniorum* gente eſſet. Libertos autem prænomen ac nomen familiæ à Patronis mutuatos eſſe notius eſt, quam ut multis hoc loco à me adſtrui debeat. *Heinſ.*

31. *Quum*

Cum Varus Gracchuſque darent fera dicta tyranni;
Callimachi Proculus molle teneret iter:
[Tityrus antiquas & erat qui paſceret herbas,]
Aptaque venanti Gratius arma daret.
Naïdas à Satyris caneret Fontanus amatas,
Clauderet imparibus verba Capella modis.
Cumque forent alii, quorum mihi cuncta referre
Nomina longa mora eſt, carmina vulgus habet;
Eſſent & juvenes, quorum quod inedita cura eſt,
Appellandorum nil mihi juris adeſt;
Te tamen in turbâ non auſim, Cotta, ſilere;
Pieridum lumen, præſidiumque fori.
Maternos Cottas cui Meſſalaſque paternos
Maxima nobilitas ingeminata dedit.
Dicere ſi fas eſt, claro mea nomine Muſa,

Atque

31. *Quum Varius.* ] Poëta *Gracchuſque darent fera dicta tyranni.* ] Quintilius Varius fuit Cremonenſis, eques Romanus, cujus meminit Horatius in Odis, & Maro, quum ait: *Nam neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinna Digna.* Gracchus autem fuit poëta ejuſdem temporis, qui eam tragœdiam Thyeſtis ſcribebat, quam etiam Varius. Ideo ſubjungit, *Darent fera dicta tyranni:* hoc eſt, ſcriberent in eorum tragœdiis verba & jurgia Thyeſtis in Atreum, & contrà.

32. *Callimachi Proculus.* ] Proculum poëtam etiam celebrem commemorat, qui elegias ſcripſit: quemadmodum Callimachus, qui Fabii teſtimonio elegiæ princeps habetur. *Molle iter.* ] Laſcivum ſcribendi genus, quia de amoribus elegias componebat.

33. *Tityrus antiquas & erat qui paſceret herbas.* ] Hæc nec Latina ſunt, nec ſatis intelligo quid ſibi velint. Hafnienſis.

*Tityrus æternos caneret: qui procreet herbas.*

Moreti codex.

*Tityron antiquas recubaſſe referret ad umbras.*

ut & liber Petri Servii. niſi quod in eo *aras.* alii aliter. Moreti librum ſequor, dum meliora ſeſe offerunt. *H. Tityrus antiquas.* ] Hic per *Tityrum* Maronem deſignat, alludens ad ejus carmen Bucolicum. *Qui paſceret antiquas herbas.* ] Qui permaneret in antiquis ſuis prædiis cum ſuis capellis.

39. *Quorum quod inedita cauſa eſt.* ] *Muſa eſt* tres veteres. at unus Thuan. *inedita cura eſt.* rectius. nam *Muſa* mox ſequitur. *Heinſ.*

41. *Te tamen in turba.* ] *E turba* malim. *Idem. Te tamen in turba.* ] Quamvis multi ſint quos non audeo nominare, te tamen ô Cotta in tanta turba non prætereo, quin nominem tanquam doctiſſimum & poëtam & oratorem.

42. *Præſidiumque fori.* ] Et tutela reorum, qui in foro verſantur: quorum patrocinium ſuſcipis & juvas tua eloquentia.

43. *Maternos Cottas.* ] Cottas Romanos à quibus per matrem genus ducis. *Meſſalaſque paternos.* ] Meſſalas vero à patre auctores & progenitores habes.

48. *In*

Atque inter tantos, quæ legeretur, erat.
Ergo ſubmotum patriâ proſcindere, livor,
Deſine, neu cineres ſparge, cruente, meos.
Omnia perdidimus. tantummodo vita relicta eſt,
Præbeat ut ſenſum materiamque malis.
Quid juvat exſtinctos ferrum dimittere in artus?
Non habet in nobis jam nova plaga locum.

48. *Nec cineres ſparge, cruente, meos.*] Se enim mortuum, ut ab initio profitetur.

51. *Ferrum demittere.* *Dimittere* meliores. & præcedenti verſu *mali* pro *malis*. Heinſ.

P. OVI-

# P. OVIDII NASONIS

# IBIS.

## ARGUMENTUM.

*Ibis Ovidii nomen ubique maledictis lacerabat, atque ipſum falſis criminationibus in invidiam atque odium vocabat. Tum ejus uxorem perpetuis flagitationibus ſollicitabat. Denique tanquam vulturius fortunis ejus inhians, quas* naufragii ſui tabulas *appellat, ipſum ad extremam inopiam redigere conabatur. Et profitetur ſe Callimachum imitari, à quo Apollonius Rhodius, Ibidis nomine ornatus, diris & exſecrationibus devotus eſt. Salvagnius ſuſpicatur Hyginum eſſe, quem Ovidius* Ibin *appellat; illum inquam, de quo Sueton. meminit libro de claris Grammaticis, is autem eſt, cujus mythologici libri, omnium manibus triti, ſuperſunt.*

TEMPUS ad hoc, luſtris jam bis mihi quinque peractis,
Omne fuit Muſæ carmen inerme meæ:
Nullaque, quæ poſſit, ſcriptis tot millibus exſtat
Littera Naſonis, ſanguinolenta legi.
Nec quemquam noſtri, niſi nos, læſere libelli:
Artificis periit cum caput Arte ſuâ.

Unus

IBIS.] Ita rectius inſcribetur hoc poëma, quam IN IBIN, quod hactenus circumfertur. neque aliter ſuum poëma Callimachus inſcripſerat. Vide Suidam in Καλλίμαχος. Eutyches quoque Grammaticus lib. II. *Ovidium in Ibide* citat non *in Ibin.* Codices hujus libelli qui vetuſtatem & manum caſtigatam præ ſe ferant, vix inveniuntur. Exemplaria tamen, quibus Juretus & Politianus erant uſi, in optimis habenda ſunt. Cætera, quæ ad manum mihi ſatis multa fuerunt, notæ ſunt recentioris. Interim in tranſcurſu hunc poëmatium hoc illuſtremus, quod curis ſecundis diligentius ſumus facturi. *Heinſ.*

1. *Luſtris.*] Luſtrum dixerunt Latini ſpatium quinque annorum, quod Græci ὀλυμπιάδα appellarunt. Serv. in 1. Æn. *Luſtrum dictum, quod poſt quinquennium unaquaque civitas luſtrabatur. Unde Roma ambiluſtrum, quod non licebat, niſi ambos Cenſores poſt quinquennium luſtrare civitatem.* Quamvis Varro à *luendo*, id eſt, ſolvendo luſtrum ducit, quod quinto quoque anno vectigalia & ultro tributa per cenſores perſolvebantur. *Demst.*

2. *Carmen inerme.*] Hic mores ſuos candoremque & ingenium minime maledicum indicat Naſo. *Zarot.*

4. *Littera ſanguinolenta.*] Carmen maledicum.

5. *Niſi me læſere libelli.*] Niſi nos Juret. & tres alii. *Heinſ.*

6. *Arte ſua.*] Eadem alibi ac frequens querela eſt Poetæ: ut lib. Triſt.

*Ingenio perii qui miſer ipſe meo.*

Et 2. Pont. Eleg. 7.

*Artibus ingenuis quæſita eſt gloria multis,*
*Infelix perii dotibus ipſe meis.*

*7. Unus ]*

Digitized by Google

Unus (& hoc ipſum eſt injuria magna) perennem
  Candoris titulum non ſinit eſſe mei.
Quiſquis is eſt, (nam nomen adhuc utcunque tacebo)
  Cogit inaſſuetas ſumere tela manus.
Ille relegatum gelidos Aquilonis ad ortus
  Non ſinit exſilio delituiſſe ſuo.
Vulneraque immitis requiem quærentia vexat:
  Jactat & in toto verba canina foro:
Perpetuoque mihi ſociatam fœdere lecti
  Non patitur miſeri funera flere viri.
Cumque ego quaſſa meæ complectar membra carinæ;
  Naufragii tabulas pugnat habere mei.
Et qui debuerat ſubitas exſtinguere flammas;
  Is prædam medio raptor ab igne tulit.

Niti-

7. *Unus.*] Ibis: vel quem deinceps Ibidis nomine notabo.

8. *Titulum.*] De quo 3. de Ponto Eleg. 4.

*Viribus infirmus veſtro candore valemus.*

*Quem mihi ſi demas, omnia rapta putem.*

10. *Tela.*] Imprecationes. *Inaſſuetas manus.*] Quia neminem præter Ibidem carmine offendit.

12. *Exilio delituiſſe meo.*] *Suo* Jureti codex & alii quinque. neque aliter Eutyches lib. II. qui & præcedenti verſu *gelidas aquilonis ad oras* agnoſcit. *Heinſ.*

14. *Jactat & in toto nomina noſtra foro.*] *Verba canina* plurimi codices. in quibus & Jureti liber. Puto,

*Latrat & in toto verba canina foro.*

niſi mavis,

*Et lacerat toto nomina noſtra foro.*

ne idem verſus bis occurrat. Mox enim habebis,

*Ebibit inde ſui rabiem nutricis alumnus;*

*Latrat & in toto verba canina foro.*

quanquam mihi diſtichon iſtud dubiæ fidei eſt, & ex hoc verſu videtur fabricatum. Rabulæ forenſes latrare dicebantur, propter rixas continuas. hinc *latratus fori* apud Val. Maximum lib. VIII. cap. III. Prudentius Hamartig.

*Inde canina foro latrat facundia toto.*

Idem.

15. *Sociatam.*] Uxorem dicit, quam ad extremum uſque diem approbavit.

16. *Non patitur miſeri funera flere viri.*] Argute Politiani liber & unus Vatican. *vivi viri.* Exules civiliter mortui. Seneca relegatus in Epigrammate ad Corſicam,

*Parce relegatis, hoc eſt, jam parce ſepultis.*

*Vivorum cineri ſit tua terra levis.*

Rutilius Itinerario de amico vitæ monaſticæ addicto,

*Perditus hic vivo funere civis erat.*

*Exul ubi nuſquam domi eſt, ſine ſepulcro eſt mortuus*, apud P. Syrum. Seneca Thebaid.

*——funus extendis meum,*

*Longaſque vivi ducis exequias patris.*

Heinſ. *Funera.*] Vivi viri calamitatem, & me vivum ac exulem perinde ac mortuum funere proſequi.

19. *Subditas extinguere flammas.*] Mihi opitulari, ſicut ſolent incendiis homines extinguendo ignem auxilium præſtare. *Z.*

20. *Hic prædam medio raptor ab igne petit.*

Nititur ut profugæ deſint alimenta ſenectæ;
Heu quanto noſtris dignior ipſe malis!
Dî melius! quorum longè mihi maximus ille,
Qui noſtras inopes noluit eſſe vias.
Huic igitur meritas grates, ubicunque licebit,
Pro tam manſueto pectore ſemper agam.
Audiet hæc Pontus. faciat quoque forſitan idem,
Terra ſit ut propior teſtificanda mihi.
At tibi, calcaſti qui me, violente, jacentem,
Quamlibet & miſero debitus hoſtis ero.
Deſinet eſſe prius contrarius ignibus humor;
Junctaque cum Lunâ lumina Solis erunt;

Parſ-

*patit.*] *Tulit* Jureti codex. *ferre prædam* elegans. *Heinſ.*

21. *Alimenta.*] *Alimenta* exponit Gloſſarium vetus θρεπτήρια καὶ τροφεῖα, hoc eſt, præmia educationis, ſive quod parentibus nutricationis cauſa à filiis rependitur. Legimus liberos parentibus ætate confectis alimenta ſive θρεπτήρια ſuppeditare legibus coactos: Græcis νόμοι πελαργικοὶ appellantur. Senſus eſt: ille, quiſquis eſt, hoſtis acerrimus, conatur & uxori & liberis bona adimere, quo mihi ætate fracto & in extremas Ponti oras ejecto, alimenta ſuppeditare nequeant. Recte *profugam ſenectam* vocat, quod procul à ſedibus Romanis pulſus, apud Tomitas ſeneſcere inglorius cogatur. *Deſſel.*

22. *Heu quanto eſt noſtris dignior ille malis.*] *Quanto noſtris dignior ipſe malis* ſcripti meliores. *Heinſ.*

23. *Dii melius.*] Nota priſcis formula. Virgil. *Dii meliora piis.* Ovid. 7. Metamorph. *Dii meliora velint. Quorum longe mihi maximus ille*] Auguſtum intelligit, quem Triſt. 2. *Præſentem conſpicuumque deum* appellat. Quod vero Auguſtus Poëtæ noſtro bona minime ademerit, ipſe abunde teſtis eſt:

*Idque Deus ſentit, pro quo nec lumen ademptum eſt:*
*Nec mihi detractas poſſidet alter opes.*

Relegationis beneficium ſignificat, ab Auguſto acceptum: alias eorum, qui exilio erant damnati & deportati, bona publicabantur. *Deſſel.*

24. *Inopes vias.*] Viaticum enim dedit. *Zar.*

25. *Huic igitur meritas, &c.*] Auguſti manſuetudinem clementiamque paſſim deprædicat poëta. Hinc illa: *mitiſſime Cæſar.* 2. Triſt. Et *mitiſſima Cæſaris ira.* &c. *Deſſel.*

27. *Audiet hæc Pontus.*] Quidam *Audiat hæc.* Heinſ. *Audiet hæc Pontus, &c.*] Senſus eſt: Audiet hæc ſive *hæc*, id eſt, gratiarum actionem meam & *idem* ſcil. Cæſar fortaſſis *faciat*, ut *terra propior ſit mihi teſtificanda*, hoc eſt, teſtis citanda, meæ erga illum gratitudinis: per quod innuit, ſe nondum omnem ſpem abjeciſſe propioris ac tolerabilioris exilii. Quaſi dicat: Ac ſpero Cæſarem aliquanto placatiorem, mitius exilium aliquando mihi aſſignaturum. Sed mortuus eſt in exilio Ovidius Olymp. CXCIX. Kal. Januarii, ætatis LX. Tiberii regnantis quarto. *Micyl.*

29. *Calcaſti.*] Inſultaſti injuria dicto. *Dom.*

30. *Quamlibet & miſero.*] Scribe *Quamlibet*, & vide Notas ad Epiſt. 1. *Heinſ.* *Quamlibet.*] Quomodocumque parato vertit. *Ber.*

Parſque eadem cæli Zephyros emittet & Euros;
Et tepidus gelido flabit ab axe Notus;
Et nova fraterno veniet concordia fumo;
Quem vetus accenſâ ſeparat ira pyrâ;
Et Ver Autumno, Brumæ miſcebitur Æſtas;
Atque eadem regio Veſper & Ortus erunt:
Quam mihi ſit tecum poſitis, quæ ſumſimus, armis
Gratia, commiſſis, improbe, rupta tuis.
Pax erit hæc nobis, donec mihi vita manebit,
Cum pecore infirmo quæ ſolet eſſe lupis.
Prima quidem cœpto committam prælia verſu:
Non ſoleant quamvis hoc pede bella geri.
Utque petit primo plenum flaventis arenæ
Nondum calfacti velitis haſta ſolum;
Sic ego te ferro nondum jaculabor acuto:
Protinus inviſum nec petet haſta caput.
Et neque nomen in hoc, nec dicam facta libello:
Teque brevi, qui ſis, diſſimulare ſinam.
Poſtmodo, ſi perges, in te mihi liber Iämbus
Tincta Lycambeo ſanguine tela dabit.

Nunc,

33. *Parſque eadem cæli Zephyros.* ] Ventos hos cardinales, qui quatuor, pulcherrime deſcribit 1. Triſt. Eleg. 2.

*Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu,*
*Nunc Zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt.*
*Nunc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab Arcto,*
*Nunc Notus adverſa prælia fronte gerit.*

Deſſel.

35. *Et nova.*] Nota eſt fabuloſa hiſtoria Eteoclis & Polynicis fratrum, rogum in duas partes diviſum eſſe. Ovid. *Scinditur in partes, geminoque cacumine ſurgit: Scinditur in partes atra favilla duas.*

36. *Quam vetus.* ] *Quem* ex quatuor ſcriptis. *Heinſ.*

38. *Veſper & ortus erit.* ] *Erunt* cum Jureti libro & quinque aut ſex aliis. *Idem.*

41. *Pax erit hæc nobis, &c.* ] Non diſſimile illud Flacci Epod. 4.

*Lupis & agnis quanta ſortito obtigit,*
*Tecum mihi diſcordia eſt.*

Deſſel.

43. *Cœpto.* ] Cœptum verſum ſimpliciter intellige, quo cœpit hæc ſcribere in Ibin, hoc eſt, Elegiaco.

44. *Hoc pede.* ] Nam metro Jambico maledicta ſcribuntur.

46. *Velitis.* ] Velites levis armaturæ & expediti. Vide Turneb. 48. Adverſ. lib. 14. cap. 11. *Dom.*

52. *Tincta Lycambeo ſanguine.* ] Nota Jambica mordacitas. Archilochum primum jambis uſum volunt: ut Horat. de Arte poët.

*Archilochum proprio rabies armavit Iambo, &c.*

Lycamben enim ſocerum ſuum, à quo minus deſponſatæ filiæ nuptiis frui poſ-

 ſet

Nunc, quo Battiades inimicum devovet Ibin,
  Hoc ego devoveo teque tuoſque modo.
Utque ille, hiſtoriis involvam carmina cæcis:
  Non ſoleam quamvis hoc genus ipſe ſequi.
Illius ambages imitatus in Ibide dicar;
  Oblitus moris judiciique mei.
Et quoniam, qui ſis, nondum quærentibus edo;
  Ibidis interea tu quoque nomen habe.
Utque mei verſus aliquantum noctis habebunt;
  Sic vitæ ſeries tota ſit atra tuæ.
Hæc tibi natali faxo Janique Calendis
  Non mentituro quilibet ore legat.
Dî maris & terræ; quique his meliora tenetis
  Inter diverſos cum Jove regna polos;
Huc precor, huc veſtras omnes advertite mentes,
  Et ſinite optatis pondus ineſſe meis.
Ipſaque tu Tellus, ipſum cum fluctibus Æquor,
  Ipſe meas Æther accipe ſumme preces:

Si-

ſet, virulentis & maledicentiſſimis poëmatis ad laqueos adegit. *Deſſel.*

53. *Battiades.*] Callimachus quia υἱὸς Βάττου καὶ Μεσάτμας, ut eſt in Suida. Alii à Batto rege, Cyrenes conditore, ita vocatum volunt, & Cyrenenſes omnes *Battiades* dictos. *Ibin.*] Apollonium Rhodium. *Inimicum.*] Nam cum fuiſſet diſcipulus Callimachi, multa, quæ à præceptore acceperat, pro ſuis oſtentabat. *Dem.* *Devovet Ibin.*] Non ſolum propter impuritatem & ſpurcitiem ipſius ſignificandam, Ibin dici puto: ſed & quia Ægyptius eſſet patria, cujus terræ hæc avis quaſi peculiaris: u roque autem modo per contemptum, & contumelioſe. *Micyl.*

60. *Tu quoque.*] Quemadmodum Apollonius Rhodius. *Dom.*

63. *Hac tibi natali facito.*] Unus ex meis *factio.* Bononienſis *facto.* Scribe *faxo.* quod eſt minantis. nihil frequentius apud optimos auctores. vide Notas Metam. XIII. vſ. 875. *Heinſ.* *Hæc tibi natali.*] Priuſquam Naſo Deos invocando ſibi conciliet, Ibin monet, ut natali ſuo, calendiſque Januariis, has imprecationes à quovis legi, ſibique pro faustis imprecationibus recitari curet, quo ſcil. iis diebus pronuntiatæ, certiorem perniciem portendant. Veteres enim, quicquid ominis mali, temporibus illis auditum fuiſſet, dirum neſcio quod exitium minari *credebant.* Contra dies illos, ſi nihil infauſti contigiſſet, fauſtiſſimos cenſebant. *Salvag.*

66. *Inter diverſos polos*] Arcticum & antarcticum. Divi erant duodecim, qui cum Jove dicebantur tenere cœlum & majorum gentium dii vocabantur; quos & *conſentes* appellabant, qui à conſilio Jovis erant; ita dicti, quod conſentirent in eo, quod gerendum eſſet. Jupiter, Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Liber, Neptunus, Apollo, ii tantum nectare utebantur.

14

K

Sideraque, & radiis circumdata Solis imago;
Lunaque, quæ nunquam, quo prius, orbe micas;
Noxque tenebrarum ſpecie reverenda tuarum;
Quæque ratum triplici pollice netis opus;
Quique per infernas horrendo murmure valles
Imperjuratæ laberis amnis aquæ;
Quaſque ferunt torto vittatis angue capillis
Carceris obſcuras ante ſedere fores;
Vos quoque plebs Superûm Fauni, Satyrique, Lareſque,
Fluminaque, & Nymphæ, Semideûmque genus,
Denique ab antiquo Divi vetereſque novique,
In noſtrum cuncti tempus adeſte, Chao.
Carmina dum capiti malefido dira canuntur,
Et peragunt partes ira dolorque ſuas:
Annuite optatis omnes ex ordine noſtris;
Et pars ſit voti nulla caduca mei.
Quæque precor, fiant; ut non mea dicta, ſed illa
Paſiphaës generi verba fuiſſe putet.

Quaſ-

74. *Netis opus.*] Perperam ſcripti codices *nectis.* ſic apud Corippum Africanum de veſte mortuali Juſtinianorum cum in veteri codice, ex quo ſcriptor ille prodiit, legeretur,

*Juſtinianorum ſeries ubi tota laborum*
*Necto auro inſignita fuit.*

repoſuit Demſterus *Nexo.* perperam. cum *neto auro* debuiſſet. *nere aurum*, ut apud Martialem,

*Et totam Phryxi Julia nebit ovem.*

Heinſ.

75. *Quique.*] Invocat Stygem paludem. cujus filia Victoria, cum in bello Giganteo opem tulerit Jovi, meruit ut matris nomen jusjurandum eſſet Deorum: quod qui fallebat, novem diebus carebat nectare. Virgil. *Dii cujus jurare timent, & fallere numen.*

77. *Vittatis.*] Ligatis tanquam vittis. nam vittarum loco tribuunt anguibus contortis revinctum caput. *Dem.*

79. *Vos quoque plebs.*] Dii minorum gentium, quos & plebeios appellat: *Fauni.*] Dii ſylveſtres *Lareſque.* Dii domeſtici & patrii. Ii compita ſervant. Inde Compitalia feſta, & dies attributi Laribus, quibus in compitis ſacrificabatur.

80. *Semideûmque genus.*] Hierocles in Carm. Pythag. vſ 1. hoc ita illuſtrat: Πρῶτον ἀθανάτους θεοὺς ὁ παρὼν λόγος ἐσήμανε. τὸ δὲ μέσον, Ἥρωας ἀγαυούς. καὶ τὸ ἔσχατον δαίμονας καταχθονίους. propter virtutes enim in deos referebantur. Hic autem poëta minorum gentium deos appellat ſemideos.

87. *Sed illa.*] *Illa* ex melioribus. *Heinſ.*

88. *Paſiphaës generi.*] Theſeum innuit, ob ductam Ariadnam, Minois & Paſiphaës filiam. Senſus eſt; tam rata ac certa mea ſint vota & verba, quam



The-

Quaſque ego tranſiero pœnas, patiatur & iſtas.
Plenius ingenio ſit miſer ille meo.
Neve minus valeant fictum execrantia nomen
Vota, minus magnos commoveantve Deos;
Illum ego devoveo, quem mens intelligit, Ibin;
Qui ſe ſcit factis has meruiſſe preces.
Nulla mora eſt in me: peragam rata vota ſacerdos.
Quiſquis ades ſacris, ore favete, meis.
Quiſquis ades ſacris, lugubria dicite verba;
Et fletu madidis Ibin adite genis:
Ominibuſque malis pedibuſque occurrite lævis:
Et nigræ veſtes corpora veſtra tegant.
Tu quoque, quid dubitas ferales ſumere vittas?
Jam ſtat, ut ipſe vides, funeris ara tui.
Pompa parata tibi eſt: votis mora triſtibus abſit.
Da jugulum cultris, hoſtia dira, meis.
Terra tibi fruges, amnis tibi deneget undas:
Deneget afflatus ventus & aura ſuos.
Nec tibi Sol clarus, nec ſit tibi lucida Phœbe:
Deſtituant oculos ſidera cuncta tuos.
Nec ſe Vulcanus, nec ſe tibi præbeat aër.
Nec tibi det tellus, nec tibi pontus iter.

Ex-

Theſei, quibus Hippolyto filio dira vovit. Vide Argum. Epiſt. 4. Heroid. Ovid. *Deſſel.*

89. *Pœnas.*] Octo pœnarum genera in legibus Cicero tradit: damnum, ignominiam, ſervitutem, vincula, verbera, talionem, exilium & mortem. *Zar.*

91. *Neve minus noceant.*] In carmine quo aliquis devovebat, neceſſe erat proprium nomen exprimere, alioquin preces erant inanes. Hac de cauſa Romani nomen urbis Latinum extare noluerunt, ne ab hoſte devoveri poſſet. vide Plin. l. 3. c. 5. & l. 28. cap. 2. Macrob. lib. 3. cap. 9.

96. *Ore favete.*] Εὐφημεῖτε, bona verba dicite. Juven. *Linguis animiſque favete.* Virg. 5. Æneid. *Ore favete omnes.* Alii pro ſilete. Vide Lævin. Torrent. in Horat. 3. ode. *Deſſel.*

100. *Et nigræ veſtes.*] Nam ſacra infernalia peragebantur indutis ſacerdotibus veſte nigra, quæ umbrarum ſimilitudinem repræſentabant.

101. *Ferales vittas.*] Cæruleas, ſeu atras. Turneb. lib. 14. cap. 4 *Deſſel.*

103. *Pompa parata.*] Redi ad Tom. 1 p. 522. vſ. 147.

108. *Sidera clara.*] *Cuncta* præſtat reponi cum tribus ſcriptis. nam *clarus ſol* præceſſerat paulo ante. *Heinſ.*

117. Di-

Exſul inops erres, alienaque limina luſtres:
Exiguumque petas ore tremente cibum.
Nec corpus querulo, nec mens vacet ægra dolore:
Noxque die gravior ſit tibi, nocte dies.
Siſque miſer ſemper; nec ſis miſerabilis ulli.
Gaudeat adverſis fœmina virque tuis.
Accedat lacrymis odium, dignuſque putêre,
Qui mala, cum tuleris plurima, plura feras.
Sitque, quod eſt rarum, ſolito defecta favore
Ærumnæ facies invidioſa tuæ.
Cauſaque non deſit, deſit tibi copia mortis.
Optatam fugiat vita coacta necem.
Luctatuſque diu cruciatos ſpiritus artus
Deſerat; & longâ torqueat ante morâ.
Evenient. dedit ipſe mihi modo ſigna futuri
Phœbus: & à lævâ mœſta volavit avis.
Certè ego, quæ voveo, Superos motura putabo:
Speque tuæ mortis, perfide, ſemper alar.
[Finiet illa dies, quæ te mihi ſubtrahet olim:
Finiet illa dies, quæ mihi tarda venit;]
Et prius hanc animam, nimium tibi ſæpe petitam,
Auferet illa dies, quæ mihi ſera venit;
Quam dolor hic unquam ſpatio evaneſcere poſſit:

Le-

117. *Dignuſque puteris.*] *Putere* meliores. *Idem.*

120. *Fortuna facies invidioſa tuæ.*] *Ærumnæ* ſcripti plurimi cum Jureti libro. *Idem.*

125. *Evenient.*] Omni in re agenda obſervabant majores ſigna, quæ à numinibus darentur: ut aut his confirmati rem inchoatam perficerent, aut perterriti deſiſterent. Inchoato igitur devotionis carmine, fingit Poëta deos ſigna dediſſe, quibus portendebant ejus imprecationem fore ratam.

126. *Et à læva mœſta.*] Cœli parte ſiniſtra: ab ea enim Romanis proſpera auguria. Grajis & Barbaris ea meliora erant, quæ à dextra cœli dabantur. Vide Cic. 2. de Divinat. Quæ eſſent aves mali ominis, Plinius docet in decimo. *Zar. Mœſta volavit avis.*] *Sonavit* Jureti liber & ſex alii. *Heinſ.*

129. *Finiet illa dies.*] Supervacuum eſt hoc diſtichon, & à manu indoctâ hic inculcatum. *Idem.*

132. *Auferet illa dies, quæ mihi ſera venit.*] Jureti codex,

*Quodlibet amittam vindice morte mei.*

ſuperiori verſu pro *ſæpe* malim etiam *ſæve.* & mox *vaneſcere* pro *evaneſcere.* Idem.

Leniat aut odium tempus & hora meum.
Pugnabunt jaculis dum Thraces, Iazyges arcu,
Dum tepidus Ganges, frigidus Iſter erit;
Robora dum montes, dum pabula mollia campi,
Dum Tiberis flavas Tuſcus habebit aquas;
Bella geram tecum: nec mors mihi finiet iras;
Sæva ſed in manes manibus arma dabit.
Tum quoque, cum vacuas fuero dilapſus in auras,
Exanimis mores oderit umbra tuos.
Tum quoque factorum veniam memor umbra tuorum:
Inſequar & vultus oſſea larva tuos.
Sive ego, quod nolim, longis conſumtus ab annis:
Sive manu factâ morte ſolutus ero:
Sive per immenſas jactabor naufragus undas;
Noſtraque longinquus viſcera piſcis edet:
Sive peregrinæ carpent mea membra volucres;
Sive meo tingent ſanguine roſtra lupi:
Sive aliquis dignatus erit ſupponere terræ,
Et dare plebeio corpus inane rogo.
Quidquid ero, Stygiis erumpere nitar ab oris,
Et tendam gelidas ultor in ora manus.
Me vigilans cernes: tacitis ego noctis in umbris

Ex-

135. *Pugnabunt jaculis dum Thraces, Iazyges arcu.*] *Arcu dum Thraces, Iazyges haſta* plerique veteres. *Heinſ.*

138. *Dum Tyberis liquidas Thuſcus habebit aquas.*] *Flavas aquas* unus Vaticanus. recte. id enim perpetuum Tyberi eſt epitheton. neque aliter Maffei liber, quo uſus eſt Ciofanus. Dixi Met. lib. XIV. vſ. 447. *Idem.*

140. *Arma dabo.*] Scribe *dabit.* mors nimirum. Bononienſis, *dabunt.* Idem.

144. *Inſequar & vultus oſſea forma tuos.*] *Oſſea larva* codex Dionyſii Salvagnii Boeſſii. quomodo Seneca Epiſt. XXIV. *Larvarum habitum nudis oſſibus cohærentium* dixit. *Idem.*

145. *Quod nollem.*] *Nolim* ſcripti quatuor. *Idem.*

146. *Morte ſolutus.*] Definitionem Platonis exprimit, qui ſcribit mortem eſſe ſolutionem animæ à corpore. θάνατος λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος.

149. *Volucres peregrinæ.*] Vultures habebantur aves peregrinæ, quaſi ex alieno orbe venientes. Unde & bellis civilibus venerunt aves nunquam antea viſæ, ſpecie paulo infra columbas, quas appellabant *Betrientes.*

159. Ver-

Excutiam ſomnos, viſus adeſſe, tuos.
Denique quidquid ages, ante os oculoſque volabo;
Et querar, & nullâ ſede quietus eris.
Verbera torta dabunt ſonitum; nexæque colubris
Conſcia fumabunt ſemper ad ora faces.
His vivus furiis agitabere: mortuus îſdem.
Et brevior pœnâ vita futura tuâ eſt.
Nec tibi contingent funus lacrymæque tuorum.
Indeploratum projiciere caput.
Carnificiſque manu populo plaudente trahêris;
Infixuſque tuis oſſibus uncus erit.
Ipſæ te fugient, quæ carpunt omnia, flammæ:
Reſpuet inviſum juſta cadaver humus.
Unguibus & roſtro tardus trahet ilia vultur;
Et ſcindent avidæ perfida corda canes.
Deque tuo fiet (licet hac ſis laude ſuperbus)
Inſatiabilibus corpore rixa lupis.
In loca ab Elyſiis diverſa fugabere campis;



159. *Verbera ſæva.*] *Verbera torta* primæ editiones & tres ſcripti. recte. Tibullus lib. 1. Eleg. VI.

——*nec acrem*
*Flammam, nec demens verbera torta timet.*

Eleg. IX.

——*interto verbere terga ſeca.*

Seneca Thyeſte,

*Quid ora terres verbere & tortos ferox*
*Minaris angues?*

& Medea,

——*anguis excuſſo ſonat*
*Tortus flagello.*

Val. Flaccus lib. VIII.

*Inde, velut torto furiarum erecta flagello,*
*Proſilit.*

Heinſ.

160. *Conſcia.*] Cicero pro Sexto Roſcio, dicit: *Nolite putare, eos qui aliquid impie ſceleratequе commiſerunt, agitari, & perterreri tædis ardentibus: ſua quemque fraus, ſuus error maxime vexat: ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit: ſuæ malæ cogitationes conſcientiaque animi terrent: eæ ſunt impiis aſſiduæ, domeſticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas à ſceleratiſſimis filiis repetant.*

163. *Nec tibi continget.*] *Contingent* nonnulli. *Heinſ.* *Nec tibi contingent, &c.*] Acerbiſſimum id veteribus viſum, ſi ſepulturæ honore carerent. Hinc eſt, quod exilium ſuum deprecetur Naſo lib. 3. Triſt. Eleg. 3. *Depoſitum nec me qui fleat, ullus erit?* Optabant enim priſci illi ſepeliri ſe, morientibus oculos claudi, ab amicis lugeri. *Deſſel.*

165. *Infixuſque tuis oſſibus uncus erit.*] Puto *faucibus.* Gutturi enim infigebantur unci. qua de re dictum nonnihil Amor. lib. 1. Eleg. VI. vſ. 26. *Heinſ.*

170. *Avidi canes.*] *Avidæ* Moreti & Servii codices.. ſic ſæpe Noſter. Vide Pont. II. Eleg. II. vſ. 40. *Idem.*



Digitized by Google

Quaſque tenet ſedes noxia turba, coles.
Siſyphus eſt illic ſaxum volvenſque petenſque;
Quique agitur rapidæ vinctus ab orbe rotæ:
Quæque gerunt humeris perituras Belides undas,
Exulis Ægypti turba cruenta nurus.
Poma pater Pelopis præſentia quærit, & idem
Semper eget, liquidis ſemper abundat aquis;
Jugeribuſque novem qui ſummus diſtat ab imo,
Viſceraque aſſiduæ debita præbet avi.
Hîc tibi de Furiis ſcindet latus una flagello,
Ut ſceleris numeros confiteare tui:
Altera Tartareis ſectos dabit anguibus artus:
Tertia fumantes incoquet igne genas.
Noxia mille modis lacerabitur umbra; tuaſque
Æacus in pœnas ingenioſus erit.
In te tranſcribet veterum tormenta reorum:
Manibus antiquis cauſſa quietis eris.
Siſyphe, cui tradas revolubile pondus, habebis:
Verſabunt celeres nunc nova membra rotæ.
Hîc erit, & ramos fruſtra qui captet & undas:
Hîc inconſumto viſcere paſcet avem.

Nec

174. *Quaſque tenet.* ] *Tenent* idem Servii codex & prima editio. *Idem.*

179. *Poma pater Pelopis.* ] Tantalus dignatus deorum menſa, Jovis myſtica protulit mortalibus. Unde apud inferos eſſe meruit ſitiens in aquis ori allabentibus. *Quæris aquas in aquis, & poma fugacia captas Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.* Zar.

182. *Viſceraque aſſiduæ.* ] *Aſſiduæ avi* ſcribe cum libris antiquis. *Heinſ.*

185. *Tartareis anguibus.* ] *Anguibus* Jureti codex & multi veteres. *Heinſ.*

188. *Æacus in pœnas.* ] Hîc, Minos & Rhadamanthus, Jovis & Europæ filii, apud inferos judices ſunt. *Zar.*

189. *Veterum tormenta virorum.* ] *Reorum* eſſe ſcribendum monui Faſt. v. vſ. 822. Seneca Hercule Furente de Minoë ac Rhadamanto,

*Et qui fronte nimis crimina tetricâ*
*Quærunt, ac veteres excutiunt reos.*

Idem Agamemnone,

*Repetemus omnes, quos ob infandas manus*
*Quæſitor urnâ Gnoſius verſat reos.*

Claudianus lib. II. in Rufinum de Rhadamanto,

*Tum quoque, dum lites Stygiique negotia verſat*
*Dura fori, vetereſque reos ex ordine quærit,*
*Rufinum procul ecce notat.*

Heinſ.

190. *Manibus antiquis.* ] *Omnibus* Jureti codex & multi alii. Forte *Sontibus antiquis.* Idem.

194. *Paſcet aves.* ] *Avem* duo veteres. & recte. *Idem.*

197. *In*

Nec mortis pœnas mors altera finiet hujus:
Horaque erit tantis ultima nulla malis.
Inde ego pauca canam: frondes ut ſi quis ab Idâ,
Aut ſummam Libyco de mare carpat aquam.
Nam neque quot flores Siculâ naſcantur in Hyblâ,
Quotve ferat dicam terra Ciliſſa crocos.
Nec cum triſtis hyems Aquilonis inhorruit alis,
Quàm multâ fiat grandine canus Athos.
Nec mala voce meâ poſſint tua cuncta referri;
Ora licet tribuas multiplicata mihi.
Tot tibi væ miſero venient taleſque ruinæ,
Ut cogi in lacrymas me quoque poſſe putem.
Illæ me lacrymæ facient ſine fine beatum:
Dulcior hic riſu tum mihi fletus erit.
Natus es infelix; (ita Dî voluêre) nec ulla
Commoda naſcenti ſtella leviſve fuit.
Non Venus affulſit, non illâ Jupiter horâ:
Lunave non apto Solve fuêre loco.
Nec ſatis utiliter poſitos tibi præbuit ignes,
Quem peperit magno lucida Maja Jovi.
Te fera, nec quicquam placidum ſpondentia, martis
Side-

197. *In Ida.* ] *Ab Ida* duo veteres. *Idem.*

198. *Ut ſi quis carpat frondes in Ida.* ] Ida ſylva in Creta, ut & in Phrygia: in hac proceritas arborum, & copia in admiratione eſt. *De mare Libyco.* ] Mare Libycum idem Africanum dictum eſt, protenditur in Ægyptium uſque pelagus. *Libyco de mare.* ] Priſce, pro de mari. Chariſ. lib. 1. *Deſſel.*

200. *Terra Ciliſſa crocos.* ] Circa Corycium Ciliciæ montem crocum optimum habetur, inter cætera electiſſimum, ibi Corycos opp. eſt & ſpecus. Crocum autem adoleſcentem fuiſſe, poëtarum fabulæ oſtendunt in florem ſui nominis tranſmutatum.

202. *Athos.* ] Mons altiſſimus Macedoniæ.

205. *Tot tibi væ miſero venient.* ] *Veniunt* ſcripti. *Heinſ.*

212. *Lunaque non apto.* ] Hoc eſt, nullo aſpectu bono, horoſcopum ſive ſignum aſcendens reſpexerunt. Significat autem Sol, vitæ atque anni conſtitutionem, luna autem corporis: qui ſi nulla bona radiatione cum aſcendente ſigno comparantur, ipſum quoque natum infeliciorem, minuſque durabilem futurum, Aſtrologorum dogmata tradunt. *Micyl.*

213. *Nec ſatis utiliter.* ] Mercurii ſidus dicit admodum humano generi nocivum ſi in Ariete fuerit, in Geminis, in Cancro, in Sagittario, ac in Capricorno.

215. *Spondentia Martis.* ] Planetam peſſimum, bella, internecciones, & litigia amat. & quando alicujus præeſt nativitati, malum ſignificat, niſi aſpectum cum

Sidera preſſerunt, falciferique ſenis.
Lux quoque natalis (ne quid, niſi triſte, videres)
Turpis & inductis nubibus atra fuit.
Hæc eſt, in Faſtis cui dat gravis Allia nomen;
Quæque dies Ibin publica damna tulit.
Qui ſimul impurâ matris prolapſus ab alvo
Cinyphiam fœdo corpore preſſit humum;
Sedet in adverſo nocturnus culmine bubo,
Funereoque graves edidit ore ſonos.
Protinus Eumenides lavêre paluſtribus ulvis,
Qua cava de Stygiis fluxerat unda vadis;
Pectoraque unxerunt Erebeæ felle colubræ:
Terque cruentatas increpuêre manus:
Gutturaque imbuerunt infantia lacte canino.
Hic primus pueri venit in ora cibus.
Perbibit inde ſuæ rabiem nutricis alumnus;

Latrat

cum Jove, aut Venere habuerit. Vide Joh. Bapt. Pium Annotat. poſter. c. 42. *Z.*

219. *Hæc eſt.*] Dies erant atri omnes poſt Idus & Nonas, qui *poſtriduani* dicebantur: Iidem dies dicuntur *Allienſes.* quoniam ob infelicem pugnam ad Alliam ſint conſtituti. *Allia.*] Flumen quindecim millibus paſſuum ab urbe diſtans, buſtis Romanis nobilis, deleto prope ad internecionem exercitu. vide Flor. lib. 1. cap. 13. *Dom.* Ea enim fuit veterum ſuperſtitio, ut eos dies, quibus cladem aliquam accepiſſent, pro nefaſtis ac inauſpicatis haberent, illoſque *ἀποφράδας* Græci vocabant. *Salvagnius.* *Faſti.*] Libri dies feſtos continentes, redacti in volumen à Cn. Flavio, ſcriba Appii Cæci, tanta gratia apud plebem, cum eos edidiſſet, ut creatus ſit ædilis curulis, præteritis duobus filiis conſulum. nam ante libros illos ab eo editos, cogebatur plebs rationem dierum quærere à principibus civitatis, auctor Plinius. *Dom.* *Hæc eſt in Faſtis.*] *Hæc eſt,* pro, Eadem dies eſt in Faſtis, *Allienſis,* & quæ Ibin in lucem protulit. ut ſignificet, poſtriduana atque atra die natum. *Mic.*

221. *Impura matris ab alvo.*] *Impuri* ſcripti. *Heinſ.*

222. *Humum Cinyphiam.*] Cur ait Poëta Ibin natum eſſe in Cinyphia terra, quæ eſt in Libya, an ob hircos Cinyphios, qui fœtidi ſunt: ut oſtendat eum male olere. nam qui male olent, dicuntur *hircoſi.* An quoniam feræ monſtroſæ ibi naſcebantur, convenientibus diverſis animalibus ad eundem fontem ob penuriam aquarum in Libya, & *ibi diverſiſſimis* miſtis. Unde *proverbium* illud ſuſceptum eſt, *Africam ſemper* novi aliquid afferre.

223. *Bubo.*] Acherontis filius & Orphnes nymphæ, converſus in avem ex Aſcalapho ob accuſationem Proſerpinæ. avis funebris eſt.

224. *Graves.*] Querulos.

225. *Protinus Eumenides lavere paluſtribus undis.*] Tò *unda* Proximo verſu ſequitur, ut hic ferri vix poſſit. Scribe,
—— *Eumenides lavere paluſtribus ulvis.*
& adi Notas Met. XIV. vſ. 103. *Heinſ.*

231. *Ebibit inde ſua rabiem.*] *Perbibit* plerique veteres, Mihi tamen diſtichon

hoc

Latrat & in toto verba canina foro.
Membraque vinxerunt tinctis ferrugine pannis,
  A male deſerto quos rapuêre rogo.
Et, ne non fultum nudâ tellure jaceret,
  Molle ſuper ſilices impoſuêre caput.
Jamque receſſuræ viridi de ſtipite factas
  Admorunt oculis uſque ſub ora faces.
Flebat, ut eſt infans fumis contactus amaris;
  De tribus eſt cum ſic una locuta ſoror:
Tempus in immenſum lacrymas tibi vovimus iſtas,
  Quæ ſemper cauſsâ ſufficiente cadant.
Dixerat. at Clotho juſſit promiſſa valere:
  Nevit & infauſtâ ſtamina pulla manu.
Et ne longa ſuæ præſagia diſceret horæ;
  Fata canet vates qui tua, dixit, erit.
Ille ego ſum vates. ex me tua vulnera diſces.
  Dî modo dent vires in mea verba ſuas.
Carminibuſque meis accedant pondera rerum,
  Quæ rata per luctus experiare tuos.
Neve ſine exemplis ævi cruciere prioris;
  Sint tua Trojanis non leviora malis.
Quantaque clavigeri Pæantius Herculis hæres,
  Tanta venenato vulnera crure geras.

Nec

hoc ſuſpectum eſt ut ſupra vſ. 24. jam ſum teſtatus. *Idem.*

233. *Ferrugine.* ] Colore noctis. Sic Poëta Metam. 15. *Cærulus & vultum ferrugine Lucifer atra —— Sparſus erat.* ſic Virgil. 6. Charontis cymbam vocat ferrugineam.

237. *De viridi ſtipite.*] Nam faces virides infelices ſunt, propter fumum.

238. *Uſque ſub ora.* ] Forte *uſta.* vel *atra.* nam codices Conſtantii Fanenſis *atque.* Heinſ.

241. *Lacrymas tibi movimus iſtas.* ] *Vovimus* unus Vatic. & Medic. bene. quomodo & Conſtantius in ſuis invenerat, ut & *cadant* verſu proximo. quod ex noſtris nonnulli confirmant. *Idem.*

243. *Dixerat & Clotho.* ] *At Clotho* ex duobus ſcriptis. *Idem.*

244. *Infeſta ſtamina pulla manu.* ] *Infauſta* recte Sarravianus. & Conſtantii codices. *Idem.*

245. *Sua præſagia diceret horæ.* ] *Suo ore* ſcripti, ſed perperam. mox *canas* pro *canet* ſcribe. *Idem.*

247. *Tua vulnera.* ] *Funera* duo veteres. & *vota* mox pro *verba* unus Patav. *Id.*

250. *Experiere.* ] *Experiare* meliores. malim enim *Quo experiare* pro *Qua.* Id.

253. *Pæantius Herculis.* ] Philoctetes, Pæantis filius ex Meliboea urbe: compulſus ab Hercule jurare corporis ſui reliquias non indicaturum, ab ipſo pro munere ſagittas felle hydræ intinctas accepit, ſine quibus Troja capi non poterat. *Zar.*

255. Nec

Nec levius doleas, quam qui bibit ubera cervæ,
  Armatuſque tulit vulnus, inermis opem.
Quique ab equo præceps in Aleïa decidit arva;
  Exitio facies cui ſua pæne fuit.
Id, quod Amyntorides, videas; trepidumque miniſtro
Præ-

255. *Nec levius doleas, quam qui bibit ubera cervæ.*] Telephus ἀπὸ τῆς θηλῆς καὶ τῦ ἐλάφυ, filius Herculis, & Auges filiæ Alei inter virgulta inventus eſt, nutritus à cerva, donatus à paſtoribus Corytho Theſſaliæ regi. Dum ex oraculo didiciſſet, matrem fugientem paternam iram, vel potius emiſſam à patre ob ſtuprum cum Hercule, perveniſſe in Myſiam, eo ſe contulit: ubi à Teuthrante rege, & Auge ducta eſt uxor, & Telephus factus filius ſucceſſor regni, vulneratus eſt ab Achille. *Dom.*

256. *Armatuſque tulit vulnus inermis potens.*] *Vulgus* nonnulli. Verſus mendoſus. *in arma potens* Conſtantius. Scribe:

*Armatuſque tulit vulnus, inermis opem.*

vel, *Armatique.* quod jam alii viderunt. *Heinſ.* *Armatique tulit vulnus, inermis opem.*] Ut ſit ſenſus: Qui vulnus ab armato, id eſt, hoſte Achille accepit, quod poſtea ejuſdem illius reconciliati auxilio & ope curatum fuit.

257. *Quique ab equo præceps in Alëis decidit arvis.*] Ita viri eruditi reſtituerunt, cum in ſcriptis majori ex parte libris legeretur, *aliena in decidit arva.* vel *aliena incidit arva.* Repone *in Aleïa decidit arva.* nam Græcis ἀλήϊα πεδία ſunt, & πεδίον ἀλήϊον. Plinio lib. v. cap. XXVII. *campi Aleii.* Homerus Iliad. ζ. de Bellerophonte,

*Ἤτοι ὁ καππεδίον τὸ ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο*
*Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.*

Quæ Cicero ſic vertit,

*Qui miſer in campis mœrens errabat Aleis*
*Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.*

ubi *alienis* etiam ante Beroaldum legebatur. quomodo & apud Hyginum etiamnum circumfertur, cum ſcribendum ſit, *Chimeram ſuper Pegaſum ſedens interfecit, & decidiſſe dicitur in campos Aleios. unde etiam coxas fregiſſe dicitur.* non *coxas ejeciſſe.* Tzetzes Chiliad. IV.

*Βελλεροφόντης ἔφθη δὲ πρὸς οὐρανὸν ἐλ-
γέσω,*
*Τ' εὑρὸν τὸ ἀλήϊον τυφλὸν εἶχε τὸν ἄνδρα.*

ubi ridicule τὸ *ἀλήϊον inopiam* vertit. Idem Chiliad. VII. de eodem Bellerophonte,

*Τυφλὸς δὲ εἰς τὸ Ἀλήϊον ἐλᾶται τῆς πενίας.*

& mox,

*Περὶ γὰρ τὸ Ἀλήϊον τόπους τῆς πενίας*
*Διέτριβε μον μένος ἐν γε ταῖς ἐρημίαις.*

Periegetes,

*Κεῖθι δὲ καὶ πεδίον τὸ Ἀλήϊον.*

& Rufus Feſtus in deſcriptione orbis,

*Hic ceſpes late producit Aleïus arva.*

Quo loco uterque Bellerophontis etiam meminerunt. *Heinſ.* *In Aleis decidit arvis.*] *Aleis* legendum eſt, non ut quidam codices habent, *Alienis.* Alludit autem Poëta ad verſus Homeri, qui de Bellerophonte leguntur Iliad. 6. *Micyl.* *Aleis decidit arvis.*] Ἀλήιον πεδίον vocant Græci campum, in quo poſt caſum ſuum corpore fracto ac debilitato erravit Bellerophon. *Zar.*

259. *Id quod.*] Phœnix filius Amyntoris fuit, filii Cercaphi, quem Ormenius genuit. Hic, cum haberet rem cum pellice patris, ut auctor eſt Hom. delatione novercæ accuſatus aufugit, venitque ad Peleum Achillis patrem.

261. Nu-

Prætentes baculo luminis orbus iter.
Nec plus aſpicias, quam quem ſua filia rexit;
Expertus ſcelus eſt cujus uterque parens.
Qualis erat, poſtquam eſt judex de lite jocosâ
Sumtus, Apollineâ clarus in arte ſenex.
Qualis & ille fuit, quo præcipiente columba
Eſt data Palladiæ prævia duxque rati.
Quique oculis caruit, per quos male viderat aurum:
Inferias nato quos dedit orba parens.
Paſtor ut Ætnæus, cui caſus ante futuros
Telemus Eurymedes vaticinatus erat.
Ut duo Phinîdæ, quibus idem lumen ademit,

Qui

261. *Nec plus.* ] Oedipus inceſta matre, & patris nece infamis, ob ſceleris conſcientiam cæcatus eſt, regebaturque cæcus ab Iſmena filia.

263. *Qualis.* ] Tireſias ſumtus judex à Junone, & Jove, virine an mulieris libido major eſſet, ſententiam tulit in Junonem, à qua oculis eſt privatus: ſed Jupiter conſolatus eſt ejus calamitatem honore. nam dedit divinandi artem. hic prædixit Thebarum interitum. Daphne ejus filia, quæ poſtea dicta eſt Sibylla, vaticinandi arte edocta, multa ſcripſit reſponſa. unde Homer. poëma ornavit. *Dom.* *Qualis erat poſtquam, &c.* ] Traditur & alia cauſa, cur viſu privatus fuerit Tireſias: videlicet quod Palladem lavantem nudam aſpexiſſet. *Micyl.*

265. *Qualis & ipſe.* ] Phineus *Arcadia rex: qui ducta Cleopatra uxore, Orythum & Crambin ex ea filios habuit: superinducta noverca, ſuaſu ejuſdem liberos excæcavit: unde & ipſi à diis iratis eruti oculi,* & dapibus non poterat veſci, cum harpyæ admotæ menſis eas fœdarent. Zetus & Calais Boreæ filii inſecuti ſunt aves ad Plotas uſque inſulas, quæ poſtea dictæ ſunt *Strophades:* cumque tanto ſupplicio liberarunt. Quo beneficio devinctus canit apud Apollonium Rhodium, monens Argonautas, ut inter Cyaneas petras columbam ſequantur, quam dii mitterent.

266. *Palladia.* ] Argo navis *Palladia* dicta eſt, quoniam facta eſt cura Palladis.

267. *Quique oculis.* ] Polymneſtor rex Thraciæ, veteri amicitia conjunctus cum Priamo, imminente bello Græcorum, Polydorum Priami filium à parentibus ſibi demandatum hoſpitio ſuſcepit. Sed ruentibus Trojanis, auri, quod Polydorus attulerat, aviditate captus, contempto hoſpitii jure, Polydorum obtruncat. Quod cum Hecuba mater percepiſſet, diſſimulans ſe ignorare, Polymneſtorem rogavit, ut accepto theſauro, quem indicaret, filium redderet. Is ſecutus mulieris fidem, adductus in ſecretum, ab Hecuba & ancillis oculis privatur. *Dom.*

269. *Paſtor ut Ætnæus.* ] Polyphemus inter Cyclopes Siculos Homeri carmine celeberrimus, oculum amiſit, aduſto ſtipite effoſſum ab Ulyſſe, cum abſumptis quinque ſociis Ulyſſis, vino obrutus jaceret.

270. *Telemus Eurymedes.* ] *Eurymides* dictum Met. XIII. vſ. 771. *Heinſ.* *Telemus.* ] Vates, qui prædixit Polyphemo aliquando futurum, ut ei oculus effoderetur ab Ulyſſe.

271. *Ut duo Phinidæ.* ] Crambis & Orythos, duo Phinei filii ex Cleopatra, vim intulerunt Idæ, quam Phineus ſuperinduxerat, filiam Dardani Scytharum

Qui dedit: ut Thamyræ, Demòdocique caput.
Sic aliquis tua membra ſecet; Saturnus ut illas
Subſecuit partes, unde creatus erat.
Nec tibi ſit melior tumidis Neptunus in undis,
Quam cui ſunt ſubitæ frater & uxor aves.
Sollertique viro, laceræ quem fracta tenentem
Membra ratis Semeles eſt miſerata ſoror.
Vel tua, ne pœnæ genus hoc cognoverit unus,
Viſcera diverſis ſciſſa ferantur equis.
Vel quæ, qui redimi Romano turpe putavit,
A duce Puniceo pertulit, ipſe feras.
Nec tibi ſubſidio ſit præſens numen: ut illi,
Cui nihil Hercêi profuit ara Jovis.

Ut-

rum regis: qua de cauſa excæcati à patre ſunt.

272. *Thamyræ.* ] Filius Philammonis & Argiopes Nymphæ, & à Lino Muſicam edoctus. Dicitur ab Hom. Thamyris aptus ad lyram & carmen, ut ſcribit Diod. claruit muſica, adeo ut ex Oechalia Peloponneſi veniens, Muſas quibus occurrit, in certamen provocaverit, à quibus excæcatus eſt. *Demodocique.* ] Duo cantores ſunt apud Hom. Phemius in convivio procorum, Demodocus in convivio Alcinoi: cujus Muſicam laudat Hom. Hunc cæcum valde Muſa dilexit, dedit bonumque malumque; oculis quidem privavit, ſed cantum dedit ſuaviſſimum.

275. *Nec tibi ſit.* ] Ceyx Alcyones conjunx, cum ad oraculum navigaſſet, facto naufragio ſubmerſus eſt. cujus rei dolore Alcyone in avem converſa eſt ſui nominis. Vide Ovid. Metam. lib. XI. *Dom.*

276. *Frater, &c.* ] Dædalion Ceycis frater filiam habuit nomine Chionem, formoſiſſimam, quam Apollo & Mercurius compreſſere, & nati ſunt gemelli. Apollini Philammon, qui muſica claruit, patrem imitatus. Autolycus autem Mercurio, fur nobilis. Suam præferre Chione formam Dianæ auſa eſt, à qua eſt ſagittis interempta. Cujus in rogum pater Dædalion præ dolore ſe voluit immittere: at prohibitus, in Parnaſſum montem abiit. Unde cum ſe præcipitem dediſſet, in volucrem ab Apolline eſt mutatus.

278. *Semeles eſt miſerata ſoror.* ] Cadmo Thebarum conditori ex Harmonia Veneris & Martis filia filiæ fuere Agave, Autonoë, Ino, & Semele, & Polydorus. Athamanti Æoli filio Thebarum regi Ino nupſit, quæ Clearchum genuit, & Melicertam, qui Junonis odio haud diu vixêre.

281. *Vel quæ qui redimi.* ] Attilius Regulus, qui captus patribus ſuaſit, ne captivorum permutatio fieret: maluitque ad paratum ſupplicium reverti, quam vivere inutilis civis patriæ. Quo ſupplicio ſit affectus, non ſatis conſtituunt Annales. *Dom.*

282. *A duce Puniceo.* ] *Cinyphio* Conſtantii codex. quomodo Noſter Metam. XV. *Cinyphiam Jubam* dixit. *Heinſ.*

284. *Cui nihil Hercæi.* ] Priamus deſperata ſalute ſua & ſuorum, confugit ad aram Jovis Hercæi, quæ in media regia erat, ubi à Pyrrho obtruncatus eſt: nihil enim profuit numen Jovis. *Dom.*

285. Tr-

que dedit ſaltus è ſummo Theſſalus Oſſa;
Tu quoque ſaxoſo præcipitere jugo.
t velut Euryali, qui ſceptrum cepit ab illo,
Sint artus avidis anguibus eſca tui.
l tua maturet, ſicut Minoïa fata,
Per caput infuſæ fervidus humor aquæ:
que parum miti, ſed non impune, Prometheus,
Aërias volucres ſanguine fixus alas.
:, velut Etracides magno ter ab Hercule quintus,
Cæſus in immenſum projiciare fretum.
it, ut Amyntiaden, turpi dilectus amore
Oderit, & ſævo vulneret enſe puer.

Nec

285. *Utque dedit ſaltus.* ] Plutarchus :morat, divinatricem quandam, Aaonicem nomine, Egemonis Theſſali iam, quum in Oſſa monte Lunæ coïtus ſervaret, in judicio convictam, à muerculis, exiſtimantibus ab ea Lunam elo deduci, graviſſimis affectam ſuppiciis, & ex Oſſa præcipitatam. *Deſſel.* *ſumma Theſſalus Oſſa.* ] *De ſummo* quaor ſcripti & primæ editiones. ſic Let. x. *Oetam* bis maſculino genere dit, ut in optimis eſt codicibus. & tum ò *mons* ſubintelligitur: ſic Othrys apud Græcos fœminini generis eſt, maſculini pud Romanos. *Heinſ.*

287. *Aut velut Euryali.* ] Hæmon fiium habuit Theſſalum, Theſſaliæ regem, qui ab Euryalo advena (nam erat Corcyræus) ex Oſſa monte præcipitatus eſt. Ea cæde cum purgari non poſſet Euryalus, debitum Stygiæ paludi caput, furialibus anguibus dicitur abſumptus.

289. *Minoia.* ] Minos ob injuriam acceptam à Dædalo, labyrintho fabricato, eum claſſe perſecutus eſt ad Cocalum regem Siciliæ, ad quem confugerat: multiſque præclaris operibus editis, illius gratiam ſibi comparaverat. Cum primum Minos claſſem appulit in Siciliam, hoſtiliterque agrum popularetur, Cocalus ad colloquium eum provocavit, propoſita ſpe dedendi Dædali. Tamdiu autem juſſit eum in thermis clauſum expectare, quoad vaporibus calidarum aquarum eſt extinctus. Exanimum corpus reddidit ſociis, affirmans eum caſu lapſum in aquas calidas mortuum eſſe.

291. *Utque parum mitis.* ] Scribe *miti.* & refer ad Tò *ſanguine.* Heinſ. *Impune Prometheus.* ] Prometheus à Vulcano religatus in Caucaſo monte, paſcit aquilam: quoniam & olim deos deceperit, & ignem ſurripuerit de cælo.

293. *Aut velut Etracides.* ] Etracides cum Clebam puerum Dori filium in deliciis haberet, eique tribueret omnia, ab eo occiſus eſt. Nam puer in militarem ardorem excitatus, necato domino, exercitum contraxit, lateque evagatus condidit Cumam Phryconitidem. *Dom.* *Magno ter ab Hercule quintus.* ] Qui quintus Hercules vocatus eſt, poſt ter magnum illum Herculem, cujus ingentia facta Theſeus eſt æmulatus.

295. *Aut ut, &c.* ] Philippus Amyntæ filius Macedonum rex, ab oraculo acceperat, ut quadrigas evitaret: nam erat ab eis in fatis ut occideretur. Non tamen fati periculum effugere potuit. Stuprato etenim Pauſania ab Attalo Philippi ſororio, apud quem ſæpiſſime Pauſanias conqueſtus eſt; rex autem hoc protrahendo parvi fecit; Pauſanias inimici Attali injuriam in ipſum judicem vertit, quem gladio, in quo quadrigæ erant, interfecit. *Zar.*



259. *Acha*

Nec tibi fida magis miſceri pocula poſſint,
 Quam qui cornigero de Jove natus erat.
More vel intereas capti ſuſpenſus Achæi,
 Qui miſer aurifera teſte pependit aquâ.
Aut ut Achillidæ cognato nomine clarum
 Opprimat hoſtili tegula jacta manu.
Nec tua quam Pyrrhi, felicius oſſa quieſcant,
 Sparſa per Ambracias quæ jacuêre vias.
Nataque ut Æacidæ, jaculis moriaris adactis:
 Non licet hoc Cereri diſſimulare nefas.
Utque nepos dicti noſtro modo carmine regis
 Cantharidum ſuccos dante parente bibas.
Aut pia te cæſo dicatur adultera: ſicut,

Qu

299. *Achæi.* ] Intellige Andromachi filium, qui cum univerſam cis Taurum Aſiam imperio ſuo regeret, à Boliде & Cambyſe proditus, & ad regem Antiochum adductus crudeliſſimo ſupplicio interiit, ut Polyb. lib. 8. pag. 52[illegible]. deſcribit. Et vult Naſo Achæum non ipſo in Pactolo ſuſpenſum, ſed juxta eum, atque illo quaſi arbitro & inſpectante. *Salvagnius.*

300. *Qui miſer aurifera triſte pependit aqua.* ] *Teſte pependit* ex ſcriptis potioribus. *Heinſ.*

301. *Aut ut Achillidem.* ] Alii *Achillidem.* Scribe *Achillidæ*, hoc eſt Pyrrhi Neoptolemi. *Idem.* *Aut ut Achilliden.* ] Pyrrhus materno genere ab Achille oriundus, paterno ab Hercule, cum adverſus Antigonum Argos obſideret, anus è tecto ſpectans filium prodeuntem in aciem, & periculo commota, utraque manu tegulam demiſit, qua exanimatus eſt Pyrrhus, ut Plutar. & Cornelius ſcribunt. *Dem.*

303. *Nec tua quam Pyrrhi,* ] De Pyrrho Neoptolemo intelligendum Achillis filio, cujus oſſa per fines Ambraciæ ſparſa eſſe, narrat Hyginus, fab. 123. *Mic.*

304. *Ambracias.* ] Ambracia, teſte Livio, urbs in Epiro eſt, aſpero ſubjecta tumulo, dudum Pyrrhi regia fuit.

305. *Nataque ut Æacidæ.* ] Ut in vetuſti legimus commentario, Laodamia ſive Periboea Pyrrhi filia fuit: quæ cum in templum Cereris Ambraciæ confugiſſet, inimicorum telis eſt interfecta. Intelligunt nonnulli Heracliam, Hieronis filiam ex Achillis genere, quæ in templo Cereris una cum duabus filiabus à populo Syracuſano telis confoſſa cecidit.

306. *Non licet.* ] Vid. Juſtin. lib. 28. *Zar.*

307. *Utque nepos dicti, &c.* ] Alius Pyrrhus deſignari videtur, qui tertius eſt ab eo, cujus res in Italia geſtæ memorantur. Hic enim magni Pyrrhi nepos fuit. Deinde Olympias mater ejus vel avia, ut nonnulli volunt, Tigridem puellam Leucadiam ejus concubinam, *venenis* [illegible], veneno ſuſtulit, inquit Athenæus lib. 13. p. 579. Edition. Caſaub. ut ſuſpicor Pyrrhum una cum Tigride amica ſublatum eſſe. *Salvag.* Cantharidum ſuccos. *Cantharis* vermis viridis, vide Plin. lib. 29. cap. 4. & Dioſcorid. lib. 2 [illegible] *Andr.*

309. *Aut pia te cæſo.* ] Leonidam [illegible] tiſſimus docet interpres, ex [illegible] regibus Spartanum fratrem occidiſſe, r[illegible] gno inde potiri ſperans, cum & [illegible] beret cum ipſius fratris uxore. [illegible]

Qua cecidit Leucon vindice, dicta pia eſt.
Inque pyram tecum cariſſima pignora mittas;
Quam finem vitæ Sardanapalus habet.
Utque Jovis Libyci templum violare parantes,
Acta Noto vultus condat arena tuos.
Utque necatorum Darêi fraude ſecundi,
Sic tua ſubſidens devoret ora cinis.
Aut, ut oliviferâ quondam Sicyone fugato,
Sit frigus mortis cauſſa fameſque tuæ.
Aut, ut Atarnites, inſutus pelle juvenci
Turpiter ad dominum præda ferare tuum.
Inque tuo thalamo ritu jugulêre Pheræi:
Qui datus eſt leto conjugis enſe ſuæ.
Quoſque putas fidos, ut Lariſſæus Alebas,

Vul-

men votum valuit conſequi. nam in palude Sabedana Leuconem mulier interfecit, quare placet judicata. Dicunt nonnulli, Oxilochi regis Ponti uxorem hanc fuiſſe; non Spartaci.

311. *Cariſſima corpora.* ] *Pignora* Sertav. placet. & *Quam finem* pro *Quem* idem. ut Met. XIII. ex vetertimo codice Florentino,

*Hanc ego, nec Cyclops nulla cum fine petebat.*

Adeantur quæ notamus ad Amores libro II. El. XII. *Heinſ.*

313. *Utque Jovis Libyci.* ] Cambyſes, cujus meminerunt Herodotus & Trogus, cum ſtudio evagandi Ægyptum peteret, miſit qui popularentur templum locupletiſſimum Jovis Ammonis: qui omnes ira numinis arenarum cumulis obruti ſunt. *Dom.*

315. *Utque necatorum Darei.* ] De Ocho aliquid dictum volunt, qui Dareus eſt dictus. cujus hiſtoriam Valerius Max. lib. 2. vel cap. 2. lib. 9. de crud.

316. *Sic tua ſuccendens devoret ora cinis.* ] *Subſidens* pleriquc veteres nonnulli etiam *oſſa.* ſic *ſubſidit in ignes Ilium* Virgilio. & Noſter Met. XIII.

*Ilion ardebat, nec adhuc conſederat ignis.* Heinſ.

317. *Aut ut olivifera.* ] Neocles (vel Nicocles) Thuſcus ex Sicyone pulſus, omnibus vitæ præſidiis deſtitutus, fame & frigore mortem obiit. *Zar.*

319. *Aut ut Acharnides.* ] *Atarnites* in melioribus. quod Turnebo in Adverſariis probatum eſt. *Heinſ.* *Atarnites.*] Et de Hermia intellige; Atarnæ rege ſive tyranno, ut recte Turneb. lib. 9. Adverſ. Cap. 26. Addit è Diodoro lib. 16. Turnebus, Hermiam, quia à Perſarum rege defecerat, circumventum ab Hectore duce regis Perſarum, & in poteſtatem redactum. At quod Ovid ait, *inſutum pelle juvenci*, id de Hermia qui ſcriberet adhuc non vidi. *Val. Andr.*

321. *Inque tuo thalamo.* ] In ſecundo Officiorum docet Cicero, Alex. Pheræum uxorem Theben admodum dilexiſſe: tamen ex epulis ad eam in cubiculum cum ſe conferebat, Barbarum diſtricto gladio jubebat anteire: deque ſtipatoribus ſuis præmittebat, qui muliebres arculas perſcrutarentur. Non tamen eum fefellit opinio: nam ab uxore propter pellicatus ſuſpicionem eſt interfectus.

323. *Quoſque putas fidos.* ] Thiodamantis filius fuit Alebas, qui Lariſſæ in Theſſalia dominatum habuit. Satellites

 ci-

Vulnere non fidos experiare tuo.
Utque Milon, ſub quo cruciata eſt Piſa tyranno,
Vivus in occultas præcipiteris aquas.
Quæque in Adimantum Phliaſia regna tenentem
Ab Jove venerunt, te quoque tela petant.
Aut ut Amaſtriacis quondam Lenæus ab oris
Nudus Achilleâ deſtituaris humo.
Utque vel Eurydamas ter circum buſta Thraſylli
Eſt Lariſſæis raptus ab hoſte rotis.
Vel qui quæ fuerat tutatus mœnia ſæpe
Corpore luſtravit non diuturna ſuo:
Utque novum paſsâ genus Hippomeneïde pœnæ,
Tractus in Actæa fertur adulter humo:
Sic, ubi vita tuos inviſa reliquerit artus,

Ulto-

civium timore, Alebas ad cuſtodiam habebat, quos fidos ſibi exiſtimabat. At ab ipſis poſtea eſt interfectus. vide Alciatum lib. 6. Parerg. cap. 21.

325. *Utque Milo.*] *Milon* Juret. Sarrav. & duo alii. *Heinſ.* *Utque Milo.*] Milones plures fuiſſe conſtat: quorum quidam Piſam Elidos tenuit, qui Piſanos cruciatibus afficiebat. Tandem in Alpheum fluvium Piſam profluentem demerſus à Piſanis eſt, ſi vetuſtiſſimo credimus interpreti. Sunt autem Piſæ juxta Alpheum ſitæ, ubi ludi Olympii celebrabantur. Forte legend. hic: *utque ille ſub quo.* & intelligendum de Pantaleone. Pauſan. pag. 240. 242. *Sanct.*

327. *Quaque in Adimantum.*] Adimantus Phyletiæ rex, Ponto conjunctæ, ſive (ut alii volunt) Theſſaliæ, deorum contemptor, diis ſacrificare neglexit, ſe ipſis majorem prædicans. quare à Jove fulmine ictus interiit. Pauſanias Corinthiacis, multa ſcitu digniſſima de Phliaſiis prodidit.

329. *Aut ut Amaſtriacis.*] Amaſtris urbs eſt in peninſula, habens portus ex utraque parte, quam condidit Amaſtris Oxyartis filia, uxor Dionyſii tyranni Heracleenſis. Hic Dionyſius Lenæus dictus eſt: qui expulſus à Mithridate, aufugit in ἀχιλλέως δρόμον, in locum, quem curſum Achillis appellant, ubi à ſuis deſertus, periit omni deſtitutus ope. *Dom.*

331. *Utque vel Eurydamas.*] Mos [illegible] apud Theſſalos fuit, ut interficientium corpora circa occiſorum ſepulchra traherentur, ut Eurydamantis exemplo conſtat, qui circa Thraſylli (quem interfecerat) tumulum à Simo Thraſylli fratre tractus eſt, auctore in 22. Iliad. Porphyrio.

333. *Et qui.*] Hector. *Dom.*

335. *Utque novum paſſa eſt genus Hippomenea labi.*] *Hippomeneida* nonnulli veteres. Scribe,

*Utque novum paſſá genus Hippomeneïo labi.*

ad Limones adulterum enim hoc diſtichon eſt referendum. de Limone alter rus eſt infra vſ. 459. & verſu proximo forte ſcribendum, *Tractus Erechtheo humo*, nam veteres *Tractus & Actaea* [illegible] *Hippomeneïa.*] Hippomenes Athenienſium princeps fuit, cujus filia in adulterio deprehenſa eſt à patre ob ſcelus juncta equo: qui concluſus cum alimento careret, dentes in puellam conjecit. Adulter vero, per regionem Atticam ab equis tractus eſt. *Dom.*

339 E

Ultores rapiant turpe cadaver equi.
iſcera ſic aliquis ſcopulus tua figat; ut olim
Fixa ſub Euboïco Graja fuêre ſinu.
tque ferox periit & fulmine & æquore raptor;
Sic te merſuras adjuvet ignis aquas.
Iens quoque ſic Furiis vecors agitetur, ut illi
Unum cui toto corpore vulnus erat.
tque Dryantîdæ Rhodopeïa regna tenenti,
In gemino diſpar cui pede cultus erat.
t fuit Oetæo quondam, generoque draconum,
Tiſamenique patri, Callirhoëſque viro.

Nec

139. *Viſcera ſic aliquis, &c.*] Locren- intelligit, qui poſt everſam Trojam, patriam redeuntes, ob unius Ajacis xam, in Eubœæ promontoriis miſere ıfragio perierunt; ut Virg. 1. Æneid. ert. quod & Ajacis ipſius interitus icho proximo indicat. *Salvagn. Sco-is tua figat.*] *Scopulus* ſex ſcripti. *Heinſ.*

141. *Utque ferox periit.*] Imprecatur ationem corporis, qualis Ajaci Oi- contigit naufrago. ſcribunt hoc fa- m fuiſſe, quoniam Caſſandram in nplo Palladis violaverat, quare indi- ita Pallas, ipſum circa Caphareum montorium, fulmine interfecit, na- que diſſipavit.

43. *Mens quoque.*] Imprecatur furo- n mentis, qualis contigit Marſyæ, qui ia inventa modulatione adeo eſt ela- , ut Phœbum in certamen provoca- it: in quo ſuperatus pellem amiſit, enditque ex platano: Parrhaſius, & cyllus hoc de Ajace Telamonio in- igi volunt: ſed contra mentem Salva- i, qui priorem expoſitionem probat.

144. *Unum qui toto corpore vulnus ha-*] *Cui erat* Juret. *qui erat* duo alii. re- . Met. VI. de Marſya, *Nec quicquam vulnus erat.* libro XV. de Hippolyto, *unque erat omnia vulnus.* Heinſ.

145. *Utque Dryantiada Rhodopeïa re- tenenti.*] Lycurgum Dryantis filium elligo, qui Liberum de regno fugavit: quem cum negaret deum eſſe, vinumque bibiſſet, & ebrius matrem ſuam violare voluiſſet, tunc vites excidere eſt conatus: qui inſania à Libero objecta, uxorem ſuam & filium interfecit, ipſumque Lycurgum Liber pantheris objecit in Rhodope, qui mons eſt Thraciæ, cujus imperium habuit. Hic traditur unum pedem ſibi pro vitibus excidiſſe. Atque nunc *μονοκρηπῖδα* Græci quoque vocarunt, utpote altero pede cæſo ſive læſo. *Micyl. Dryantiada.*] *Dryantida* meliores. *Heinſ.*

347. *Ut fuit.*] Hercules Oetæus dictus eſt ab Oeta monte, in quo arſit: vel ob tunicam venenatam, miſſam à Deianira, ut fabulæ ferunt, Ovid. 9. Metam. *Generoque draconum.*] Athamas in furorem verſus eſt, ira Junonis. gener fuit Cadmi, & Harmoniæ: qui in Illyricum profecti, in dracones verſi ſunt: unde gener draconum dictus eſt.

348. *Tiſamenique patri.*] De Oreſte intellige, qui ex Hermione Tiſamenum filium ſuſcepit. *Dom. Callirhoëſque viro.*] Alcmæonem intelligit Ovid. Amphiarai & Eriphyles filium, qui occiſa matre in furorem verſus fingitur. Conſulto oraculo, in terram omnium recentiſſimam ire juſſus eſt. Nactus itaque terram, qua Achelous in mare erumpit, filiam Acheloi Callirhoën uxorem habuit, vide Apollodor. lib. 3. *Val. Andr.*

Nec tibi contingat matrona pudicior illa,
Qua potuit Tydeus erubuiſſe nuru.
Quæque ſui Venerem junxit cum fratre mariti,
Locris in ancillæ diſſimulata necem.
Dî quoque tam faciant poſſis gaudere fideli
Conjuge, quam Talai Tyndareique gener.
Quæque parare ſuis letum patruelibus auſæ
Belides aſſiduâ colla premuntur aquâ.
Byblidos & Canaces, ſicut facit, ardeat igne:
Nec, niſi per crimen, ſit tibi nota ſoror.
Filia ſi fuerit; ſit quod Pelopêa Thyeſtæ,
Myrrha ſuo patri, Nyctimeneque ſuo.

Ne

349. *Nec tibi contingat, &c.*] Ægialeum intelligit, Diomedis uxorem. Cum enim Venus à Diomede vulnus accepiſſet, ejus uxorem tantæ libidinis impotentem reddidit, ut ſe paſſim Hippolyto & Cometi proſtitueret; quorum furioſis amoribus adeo exagitabatur, ut ipſi Diomedi, Troja redeunti, necem molita ſit, quam ad Junonis aram noctu confugiens, vix evadere potuit. *Salvag.*

352. *Locris.*] Hypermneſtra Locrenſis, cum fratris viri concubitum appeteret, clam nocturno tempore id aſſecuta, mane pudore affecta, ut ſcelus ſuum diſſimularet, ancillam cum famulo necavit, quaſi in ejus concubitu eos deprehendiſſet.

354. *Conjuge quam Talai.*] Eriphyle Amphiarai uxor, Talai filia, latentem maritum ne ad bellum Thebanum iret, in quo per auguria proſpexerat ſe periturum, prodidit corrupta monili, quod olim Venus poſſederat: deprehenſus maritus, & in bellum proficiſcens Alcmæoni filio mandavit, ut cum mortuus eſſet, mactaret tumulo ſuo Eriphylem matrem. quod factum eſt, ſed poſtea inſanus factus. *Tyndareique gener.*] Agamemnon gener Tyndari (nam Clytæmneſtra Tyndari filia fuit, ut ſcribit Pauſan.) interfectus eſt ab uxore dolis Ægiſthi. *Dom.*

357. *Biblis.*] Mileti filia, & Cyanes, Caunum fratrem impudice amavit; cujus concubitum cum aſſequi non poſſet, lacrymis liquata eſt in fontem. Ovid. libro 9. Metam. *Dam.* *Et Canaces.*] Fuit Canace Æoli & Amphiteæ filia; quam ardens amore Macareus frater contemerat. Verum conceptus infans rem [illegible] gavit. Æolus itaque filiæ enſem miſit, quæ accepto enſe flagitium à fratre [illegible] tum nece ſua ulta eſt. *Deſſel.*

358. *Sit tibi fida ſoror.*] Nota [illegible] li. nam *fida* mox ſequitur. ſuperiori verſu *ſicut facit* pro *facis* ſcribendum [illegible] Bononienſi codice & libris Conſtam [illegible] Fanenſis. *Heinſ.*

359. *Filia ſi fuerit.*] Pelopeia, cum patre Thyeſte inſcio concubuit: ex quo nefario concubitu Ægiſthus natus eſt, quem à matre, ut ſcelus tegeret, in ſylva expoſitum, à capris [illegible] fabulatur: unde & illi nomen. Hic ætate grandior Atreum & Agamemnonem [illegible] dit. *Val. Andr.* *Pelopea Thyeſtæ.*] Thyeſt[illegible] quatuor libri, recte. [illegible] ad Epiſt. VIII. *Heinſ.*

360. *Nyctimene.*] Cum [illegible] bitum eſſet [illegible] converſa [illegible] ſolaque [illegible] Ovidium in [illegible] *Myrrha ſuo patri.*] [illegible] num regis filia, [illegible] Metamorphoſ. [illegible]

Neu pia, neve magis capiti ſit fida paterno,
Quam tibi vel, Pterela, vel tibi, Niſe, fuit.
Infamemque locum ſceleris quæ nomine fecit,
Preſſit & inductis membra paterna rotis.
Ut juvenes pereas, quorum faſtigia vultus
Olim Piſææ ſuſtinuêre foris.
Ut qui perfuſam miſerorum ſæpe procorum
Ipſe ſuo melius ſanguine tinxit humum.
Proditor ut ſævi periit auriga tyranni,

Qui

uit, à quo cognita parum abfuit, quin occideretur. nam ſtricto gladio eam petiit, quæ in pedeſſe dedit, in Arabiam uſque: ubi in Myrrham arborem dicitur mutata, & Adonem formoſiſſimum edidiſſe, qui adeo à Venere creditur amatus. *Zar.*

361. *Neve magis pia ſit capitique parentis iniquo.*] Plurimi veterum,

*Filia neve magis capiti ſit fida parentis.*

vel, *paterno.* Puto, *Neu pia, neve magis.* Heinſ.

362. *Quam tua vel Ptelera.*] *Quam tua vel Ptelera* multi ex antiquis. quatuor *Quam tibi vel Ptelera,* utrumque rectè. *Idem.* *Quam Pterela.*] Thebarum rex à Creonte necatus eſt, proditione Polydices filiæ. Ovid. 8. Metamorph. *Tua Niſe fuit.*] Pandion Athenarum rex quatuor habuit filios, Niſum, Ægeum, Lycum, Pallantem. Niſus Megarenſium rex obſeſſus à Minoë, proditione Scyllæ filiæ, quæ Minois amore capta eſt, crinem fatalem amiſit, ſicque interemptus eſt. Ovid. 8. Metamorph. *Dom.* *Quam tua vel Pterela.*] De Taphiorum rege ejuſque filia Comæthone locum intellige, quæ Cephali amore capta, patriam patremque hoſtibus prodidit. *Val. Andr.*

363. *Infamem.*] Tullia Tarquinii filia carpentum per ora patris interfecti agi juſſit, quo ſcelere loco nomen dedit. Nam vicus ille eſt dictus *Sceleratus.* D.

364. *Inductis membra paterna rotis.*] Mallim *invectis.* Heinſ.

365. *Ut juvenes pereas.*] His verſibus Hippodamiæ proci tanguntur; quos Oenomaus, Elidis & Piſæ rex, curuſi certamine victos interfici juſſit. Cum enim Oenomaus ex Oraculo percepiſſet, aliquando fore, ut à genero conficeretur, omnibus artibus procos ab Hippodamiæ filiæ conjugio deterrere eſt conatus. Equis enim ſuis, quos Aquilone velociores habebat, certamen curule propoſuit, ea lege, ut qui victor exſtitiſſet, Hippodamiæ nuptias obtineret, qui vero victus, temeritatis pœnas capite lueret; eoque pacto non paucos vita privavit; quorum deinde capita Piſæ foribus affigi imperabat, ut aliis faſtidio terrorique forent: unde Naſo eorum juvenum vultus, *faſtidia* nuncupat. *Salvag.* *Projecta cadavera quorum Oraque Piſæa ſuſtinuere fores.*] Multi ex antiquis,

*—— quorum faſtigia vultus*
*Olim Piſæa ſuſtinuere fores.*

recte, ſi cum Menteliano & Conſtantii codice *foris* reponas. Poſſit pro *Olim* aut *Oraque* etiam legi *Oſſaque.* Heinſ.

367. *Ut qui perfuſam.*] Oenomaum dicit: qui ut modo docuimus, tredecim procis interemptis, ſeipſum à Pelope victum interfecit. *Miſerorum cæde procorum.*] *Sæpe* Mentel. & quinque alii, miſerorum procorum ſanguine perfuſam, ut OEnomaum intelligat. *Heinſ.*

369. *Proditor ut ſævi.*] Myrtilus cum ab Hippodamia promiſſum præmium poſceret, à Pelope eſt in mare præcipitatus, cui & nomen dedit. nam *Myrtoum* dicitur pelagus, eſtque inter Ionium & Ægeum. *Zar.*

 371. *U*

Qui nova Myrtoæ nomina fecit aquæ.
Ut qui velocem fruſtra petiêre puellam;
Dum capta eſt pomis tardior illa tribus.
Ut qui tecta novi formam celantia monſtri
Intrarunt cæcæ non redeunda domûs.
Ut quorum Æacides miſit violentus in altos
Corpora cum ſenis altera ſena rogos.
Ut quos, obſcuri luſos ambagibus oris,
Legimus infandæ Sphinga dediſſe neci.
Ut qui Biſtoniæ templo cecidêre Minervæ:
Propter quod facies nunc quoque tecta Deæ eſt.
Ut qui Threïcii quondam præſepia regis

Fe-

371. *Ut qui velocem.* ] Atalanta *Schœnei filia.*

372. *Dum facta eſt.* ] *Capta eſt* ex multis veterum. Noſter Epiſtola Cydippes,

*Cydippen pomum, pomum Schœneïda cepit.*

In priapeis Epigrammate xv.

*Qualibus Hippomenes cepit Schœneïda pomis.*

ubi *rapuit Schœneida* nunc minus bene legitur. *Heinſ.*

373. *Ut qui tecta.* ] Androgeo Minois filio Athenis interfecto, numinis ira ſterilitas agrum Atticum invaſit, qua liberari poſſe Athenienſes didicerunt ex oraculo, ſi Minoën placarent. quod, ut fieret, jactis ſortibus, ſeptem Juvenes Athenienſes ſingulis annis Minotauro mittebant, quem labyrinthi ambagibus clauſum habebat Minos. Theſeus voluit & ipſe tanto ſe periculo exponere: quia inter cives rumor erat, ipſum malorum cauſa à periculis abeſſe, qui Ariadnæ auxilio victor domum rediit.

374. *Cæca domus.* ] Labyrinthus. *Zar.*

375. *Ut quorum.* ] Achilles in rogum Patrocli ardentem, duodecim Trojanos fortiſſimos jugulatos conjecit, ut Homerus ſcribit, quatuor equos præterea, & duos canes, uncto prius cadavere pingui ovium, & boum qui mactati ſunt. *Dom.* *In altum rogum.* ] *Altos rogos* cum tribus ſcriptis. *Heinſ.*

377. *Victos ambagibus oris.* ] *Luſos* eleganter Politiani liber & duo alii: ſi *vinctos* mavis, ut ad Sphingos nomen alludat. *Idem.*

379. *Ut qui Biſtonia.* ] Biſtones populi ſunt Thraciæ. unde Palladis ſimulachrum ad Lacedæmonios tranſlatum eſt, apud quos impia lex, quam ξενηλασίαν appellarunt, eſt promulgata, ne alicui hoſpiti Spartæ commorari liceret. Spreta autem lege Lemnii Spartam venere, quos in templo Palladis Spartani occidêre: quo facinore pariter & impietate deæ imago torva apparere creditur, ut vetus ſcribit interpres. *Zar.* *Biſtoniæ.* ] Fortaſſe Naſo Minervam *Biſtoniam* appellat, quod illa præeſſet *militiæ*, cujus peritia Thraces maxime gloriantur: unde & ϛρατεῖα eſt dicta, & ἀρεία ſive Martia. *Salvagn.*

380. *Verſa dea eſt.* ] Plerique *tecta* alii *torta* vel *torva*. *Heinſ.*

381. *Ut qui.* ] Diomedes Tyndam urbem Thraciæ tenuit, ut ſcribit Plin. ubi equos feros catenis devinctos æneis corporibus humanis alebat. eos Hercules ſuſtulit, juſſu Euryſthei: Euryſtheus ſacravit Junoni: eorum genus propagatum eſt uſque ad Alex. Mag. ſi Diodor. credimus. *Dom.*

383. The-

Fecerunt dapibus ſanguinolenta ſuis.
Therodamantêos ut qui pavêre leones:
Quique Thoontêæ Taurica ſacra deæ.
Ut quos Scylla vorax, Scyllæque adverſa Charybdis,
Dulichiæ pavidos eripuere rati:
Ut quos dimiſit vaſtam Polyphemus in alvum:
Ut Læſtrygonias qui ſubiere domos.
Ut quos dux Pœnus merſit putealibus undis,
Et jacto canas pulvere fecit aquas.
Sex bis ut Icaridos famulæ periêre procique,
Inque caput domini qui dabat arma procis.
Ut jacet Aönio luctator ab hoſpite fuſus,
Qui (mirum) victor, cum cecidiſſet, erat.
Ut quos Antæi fortes preſſere lacerti;
Quoſque feræ morti Lemnia turba dedit.

Ut

383. *Therodamanteos.* ] Therodamas rex Scythiæ, ſicut vetus docet interpres, timens ne per inſidias occideretur, leones hominum ſanguine alebat, quo magis ſævirent: ut ſi caſus poſtularet, ad crudelitatem paratos haberet. Hujus in 1. de Ponto Ovid. meminit: *Non tibi Therodamas cruduſque vocabitur Atreus, Quiſque ſuis, &c.* Zar.

388. *Aut Laſtrygonias qui ſubiere manus.* ] *Ut* plerique. malo etiam *Laſtrygonias lares.* niſi quod tres ſcripti *Laſtrygonias domos.* probe. *Heinſ.* *Ut Laſtrygonias.* ] Antiphates Læſtrygonum rex fuit, qui & unum ex Ulyſſis ſociis comedit, ac naves viroſque merſit, præter unam, quæ Ulyſſem vehebat: ut in 14. ab Ovid. docemur.

389. *Ut quos dux Pœnus.* ] Appianus Alexandrinus, in eo, qui *Libycus* inſcribitur, libro, oſtendit Carthaginenſes quandoque Acerranorum ſenatum per inducias fidentem puteis immerſiſſe, atque ſaxis obruiſſe. Addit vetus interpres, Amilcarem tunc Pœnorum ducem fuiſſe. de hac puto Poëtam loqui crudelitate, licet alii aliter intelligant.

391. *Et velut Icarides famulæ periere.*] *Sextus ut Icarides* Menzel. & unus Vatican. *Sectus ut* Bononienſis. Optime Sarrav. & Regius *Sex bis ut Icarides famulæ.* ſic & Leucothoæ *bis ſex famulas* dat. Met. IV. *Heinſ.* *Sex bis ut Icarides famulæ, periere.*] Odyſſ. χ. *Tum ſubſtrata procis famularia ſcorta necantur. Informi tremulum fune pependit onus.* Μὴ καθαρῷ θανάτῳ. Homer. d. I. vſ. 462.

392. *Inque caput domini qui dabat arma procis.* ] Hæc omnia reperies in Odyſſ. χ.

395. *Ut quos Antæi.* ] Nunc illorum imprecatur mortem, quos certamine Antæus interemit. multos enim externos eum occidiſſe, Diodorus eſt auctor.

396. *Lemnia turba dedit.* ] Lemnienſes mulieres, cum Veneris ſacra eſſent averſatæ, irata dea eis tetrum immiſit odorem. Cumque Lemnii viri in Thraces bellum agerent, tandem victores magnam pellicum turbam ſecum duxere. quam cum uxores ferre non poſſent injuriam, unanimes decreverunt viros occidere: quos, ut ſtatuerant, ad unum interemêre: pariter & Thraces mulieres, filioſque, metuentes, ne paternam ulciſcerentur injuriam: non tamen tantæ immanitatis fuit Hipſipyle, quæ ſola pa-

 tri

Ut qui poſt longum ſacri monſtrator iniqui
Elicuit pluvias victima cæſus aquas.
Frater ut Antæi, quo ſanguine debuit, aras
Tinxit; & exemplis occidit ipſe ſuis.
Ut qui terribiles pro gramen habentibus herbis
Impius humano viſcere pavit equos.
Ut duo diverſis ſub eodem vindice cæſi
Temporibus Neſſus, Dexamenique gener.
Ut pronepos, Saturne, tuus: quem reddere vitam
Urbe Coronides vidit ab ipſe ſuâ.
Ut Sinis, & Sciron, & cum Polypemone natus,
Quique homo parte ſui, parte juvencus erat.

Qui-

tri Thoanti pepercit, eumque ſervavit. *Zar.*

397. *Ut qui poſt longum.*] *Poſt nonum* unus, ſex alii *poſt annum.* tres *poſt annos.* Forte *poſt tanto.* Pont. III. El. IV.

*Vix bona poſt tanto quærenti verba ſubibant.*

Virgil. Georg. III.

*Nunc quoque poſt tantò videat deſertaque regna*
*Paſtorum, & longe ſaltus lateque vacantes.*

Lucretius lib. V.

*Quidve novi potuit tanto poſt ante quietos*
*Inlicere?* Heinſ.

*Ut qui poſt.*] Praſillus, ut alii codices habent, Thraſius vel Thraſyllus, Buſiridem docuit immolare hoſpites, cum affirmaſſet nece humana pluvias impetrari poſſe à Jove. Primus occiſus eſt, eandemque ſervavit crudelitatem Buſiris in adventum uſque Herculis, à quo domitus fuit. *Sacri iniqui.*] In quo erat necanda victima. *Poſt longum.*] Longam ſiccitatem.

401. *Ut qui terribiles.*] Diomedem dicit, qui equos humanis paſcebat corporibus, hunc Hercules ſuis equis tradidit edendum. *Zar.*

403. *Ut duo.*] Neſſus centaurus cum ad Evenum fluvium Dejaniram violare vellet, uxorem Herculis, ſagitta ab Hercule interemptus eſt. *Dom.*

404. *Diſſimanique gener.*] *Dexamenique* corrigendum. ut nonnulli codices. quod jam alii viderunt. Dexameni enim filiam ſunt qui Deianiram non Oenei eſſe contendant. *Heinſ.* *Dexamenique gener.*] Per quem Eurytionem centaurum intelligo, Ixionis ex nube filium, Neſſi fratrem, qui & ipſe occiſus fertur vindice Hercule, eo quod Deianiram ſibi à Dexameno metu coactus deſponſatam, petiiſſet. Leopard. lib. 3. Emendat. c. 4. Vide & Hyginum. *Val. Andr.*

406. *Urbe Coronides vidit ab ipſe ſuâ.*] Hæc vera lectio, quam ſcripti codices agnoſcunt. Adi Notas Epiſt. IX. vſ. 96. *Heinſ.* *Coronides.*] Æſculapius Coronidis ex Apolline filius. *Zar.*

407. *Ut Scinis.*] *Sinis* tam hic, quam Met. VII. & Epiſtola *Phyllidis* Sinis eſt apud Græcos. *Heinſ.* *Sinis.*] Qui (ut ſcribit Diodorus) alligata corpora curvatis arboribus in altum emittebat, unde excruciabantur. *Dom.* *Et cum Polypemone.*] Procruſtes Polypemonis filius in eo loco terræ Atticæ, quæ dicitur *Curdalus*, viatores inuſitato ſupplicio ſuſtollebat. In lectica namque eos ponebat: quod ſi longiores erant, parte ſupereminente amputabantur: ſi vero breviores, pedibus diſtendebantur. *Zar.*

408. *Quique homo*] De Minotauro intelligit, quem Theſeus interfecit. *D.*

409. Qui-

Quique trabes preſſas ab humo mittebat in auras,
Æquoris aſpiciens hujus & hujus aquas.
Quæque Ceres vidit læto pereuntia vultu
Corpora Theſeâ Cercyoneâ manu.
Hæc tibi, quem meritis precibus mea devovet ira,
Eveniant, aut his non leviora malis.
Qualis Achæmenides Siculâ deſertus in Ætnâ,
Troïca cum vidit vela venire, fuit.
Qualis erat nec non fortuna binominis Iri,
Quique tenent pontem, quæ tibi pejor erit.
Filius & Cereris fruſtra tibi ſemper ametur;

Deſti-

409. *Quique trabes preſſas, &c.*] Pityocampten intelligit poeta, qui ab eo nomen habuit, quod hoſpites à ſe certamine victos, diverſis pinibus in terram curvatis alligabat, atque ita ligatos, iiſdem arboribus ſurſum iterum ac pariter emiſſis, lacerabat. Hic Iſthmi anguſtias obſidebat, quare hic à poeta dicitur, hujus & illius æquoris aquas, hoc eſt, Ionium & Ægeum mare aſpexiſſe. Cæterum eundem hunc alii faciunt cum eo quem Sinim ſupra vocari diximus. Ovidius autem, diverſos, Sinin & hunc, de quo hic dicitur, Pityocampten facere videtur: cum ſupra Sinin, ſuo ac proprio nomine: hic autem, eum qui arbores in terram curvatas, rurſum in auras emiſit, ſuppreſſo nomine poſuerit.

410. *Æquoris aſpiciens.*] Forte *aſpergens*, laceris nempe corporibus, vel *inſectans*. nam in multis veterum eſt *aſpectans*, *aſpectos* & *expectans*. Heinſ.

411. *Quæque Ceres vidit,*] Cercyonem Arcadem in palæſtra Theſeus juxta Eleuſiniam Cererem ſuperavit, ut Plutarchus ſcribit, & ab Ovidio in octavo Metamorph. tangitur: *Cercyonis letum vidit Cerealis Eleuſis. Quæque Ceres vidit læto pereuntia vultu.*] Propter ſublata latrocinia ſcilicet, quibus ille viam atque aditum ad Eleuſinem, ubi Ceres præcipue colebatur, infeſtarat. Micyl.

413. *Quem precibus juſtis.*] *Meritis precibus* plerique Scripti. Heinſ.

417. *Qualis erat.*] Irus Ithacenſis mendicus, celebris carmine Homeri. His in mendicitatis objurgationem ſemper objicitur. *Binominis* dicitur, quoniam Arnæus olim eſt appellatus à matre: ſed dictus Irus ab aliis, à loquacitate mendicandi.

418. *Quique tenent pontem, qui tibi major erit.*] *Tenent* ſcripti magna ex parte. & recte, nam mendicos intelligit. iidem codices, *quæ tibi major*. Scribe, *quæ tibi pejor erit*, & ad fortunam refer. Fruſtra ſe exercuerunt magnus Turnebus aliique in hoc loco. Heinſ. *Quique tenent pontem.*] Sic Martial. l. 10. Epigr. 5. in maledicum:

*Pontes per urbis erret exul, & clivos,*
*Interque raucos ultimus rogatores,*
*Oret caninas panis improbi buccas.*

Et Juvenalis Sat. 5. egenos in pontibus conſidere ſolitos, aſſerit. *Qui tibi major erit.* Turneb. Adverſ. lib. 9. cap. 25. videbatur dicendum *qui te major erit*: ſed ſignificat, qui in tuis majoribus numerabitur: vel potius, qui judicio tuo, in majoribus numerabitur, & quem præ te magnum dices, quamvis aliis ſit infimus & abjectiſſimus. Deſſel.

419. *Filius & Cereris,*] Hunc omnes locum meo quidem judicio, falſo interpretantur, cum de Triptolemo, aut Aſterio intelligunt. Plutum enim intelligit: cujus in Theogonia Heſiodus hanc fabulam refert. Cum Jaſo, in tripolo, quod

Deſtituatque tuas uſque petitus opes.
Utque per alternos undâ labente recurſus
Subtrahitur preſſo mollis arena pedi;
Sic tua neſcio quo ſemper fortuna liqueſcat:
Lapſaque per medias effluat uſque manus.
Utque pater ſolitæ varias mutare figuras
Plenus inexſtinctâ deficiare fame.
Nec dapis humanæ venient faſtidia: quaque
Parte potes, Tydeus temporis hujus eris.
Atque aliquid facias, à veſpere rurſus ad ortus
Cur exſternati Solis agantur equi.
Fœda Lycaoniæ repetes convivia menſæ,
Tentabiſque cibi fallere fraude Jovem.
Teque aliquis poſito tentet vim numinis opto:
Tantalides tu ſis, Tereïdeſque puer.
Et tua ſic latos ſpargantur membra per agros;

Tan-

quod fuit in Tripoli Cretæ civitate, Ceres concubuit: ex quibus Pluto natus eſt, qui *opulentia* interpretatur. Dives, quicunque hunc adibat; efficiebatur. Ideo nunc Poëta imprecatur mendicam in inimicum vitam: & quod ſi forte Plutum adiret, cupit ut ab eo ſpernatur, cui & odio ſit. *Zar.*

422. *Mollis arena pede.*] *Pedi* ex melioribus. *Heinſ.*

423. *Sic tua neſcio qua.*] *Quo* ex iiſdem. *Idem.*

425. *Utque pater.*] Eriſichthon ſuccisa quercu, Dryadum precibus à Cerere irata tanta fame torquebatur, ut coactus ſit vendere filiam, Dryopida: vel ut alii volunt, *Meſtram.* Vendita modo pro virgine, modo pro aliis animantibus, patri alimenta diu ſubminiſtravit: ſed tandem coactus eſt miſer morſu proprios artus lacerare.

426. *Conficiare.*] *Deſtituare* nonnulli. *deficiare* codex Jureti bene. Vide Notas Epiſt. v. vſ. 150. *Heinſ.*

427. *Nec dapis humanæ.*] Tydeus Oenei regis filius, vel, ut alii, Martis & Althææ; in bello Thebano à Menalippo lethali vulnere percuſſus eſt: moribundus Tydeus, Menalippi caput ad ſe deferri juſſit, quod Capaneus è veſtigio in ipſius Tydei conſpectum portavit: quo viſo lætatus Tydeus, cerebrum dentibus corroſit, ut Statius in octavo Thebaidos ſcribit. *Zar.* *Tibi erunt faſtidia.*] *Tibi ſunt* Juret. & quinque alii. unus Vaticanus *veniant.* Lege *venient.* Heinſ.

429. *Aut aliquid.*] Alludit ad fabulam Thyeſtæ & Atrei, à quorum menſa Sol dicitur avertiſſe currum. Vide Higyn. Fab. 68. & Tragœd. Senecæ Thyeſt.

432. *Tentabiſque cibi fraude.*] *Aliqua fraude* Juret. & tres alii. forte *dapis fraude.* quamquam hunc & proximum verſum ſuſpectos habeo. *Heinſ.*

434. *Tantalides.*] Pelops filius Tantali, numinibus hoſpitio ſuſceptis, à patre appoſitus eſt, experiente an dii eſſent. Reliqui abſtinuerunt: Una Ceres humerum abſumpſit, quem poſtea reddidit eburneum divinitas. *Tu Tereuſque puer.*] Ityn filium Terei deſignat, patri appoſitum. *Threiciuſque puer.*] *Tereique* multi veteres. Conſtantius. *Tereos atque.* Lege *Tereïdeſque* cum Petaviano. *Heinſ.*

443. *At*

Tanquam quæ patrias detinuere vias.
Ære Perillêo veros imitere juvencos,
Ad formam tauri conveniente ſono.
Utve ferox Phalaris, linguâ prius enſe reſectâ,
More bovis, Paphio clauſus in ære gemas.
Dumque redire voles ævi melioris in annos,
Ut vetus Admeti decipiare ſocer.
Atque eques in medii mergare voragine cœni,
Dummodo ſint fati nomina nulla tui.
Atque utinam pereas, veluti de dentibus orti
Sidoniâ jactis Graja per arva manu.
Et quæ Penthîdes fecit, fraterque Meduſæ,
Eveniant capiti vota ſiniſtra tuo.
Et quibus exiguo volucris devota libello eſt,
Corpora projectâ quæ ſua purgat aquâ.
Vulnera totque feras, quot dicitur ille tuliſſe,
Cujus ab inferiis culter abeſſe ſolet.
Attonituſque ſeces, ut quos Cybeleïa mater

Inci-

443. *Atque eques.* ] Dehiſcente terra in urbe, aruſpices reſponderunt, Poſtulionem manium deum poſcere virum fortiſſimum: qui niſi daretur, interitum urbis imminere. Curtius inventus eſt, qui armatus eum in locum ſe dejicit. Nomen datum eſt, ut *Curtius lacus* appellaretur. vide Val. Max. lib. 5. cap. 5. *Dom.*

444. *Facti tui.* ] *Fati* duo veteres. *Heinſ.*

445. *Dentibus jactis.* ] *Sparſis* multi veteres cum libro Jureti. *Idem.*

447. *Penthides facit.* ] *Penthides* ex ſcriptis pro *fraterque* meliores *de fratre.* unus *Medulla.* verſus nemini intellectus. *Idem.*

449. *Et quibus exiguo eſt volucris.* ] Intellige eas imprecationes, quibus Apollonium Rhodium à Callimacho, ſub Ibidis nomine devotum eſſe diximus initio harum obſervationum. Ovidius enim planius deſcribere non potuit Ibidis naturam, quam ventrem roſtro purgare ſolitam prodiderunt. Plin. lib. 8. cap. 32. Ælian. lib. 6. cap. 7. de hiſt. animal. *Salvagn.*

451. *Vulneratotque feras.* ] De Menœtio nonnulli intelligunt: quod falſum eſt. nam loquitur de Oſiride qui in 24. partes diſceiptus fuit à Typhone fratre: huic mortuo ſacra inſtituta fuerunt ab uxore, in quibus piaculum eſt, gladium eſſe. *Dom.*

[illegible]53. *Attonituſque ſeces.* ] Mos erat, [illegible]beles ſacerdotes virilia amputa[illegible] rei cauſam hanc tradit La[illegible] Deûm, inquit, mater amavit for[illegible] adoleſcentem, & eundem cum pellice deprehenſum, exſectis virilibus, ſemivirum fecit: & nunc à Gallis ſacerdotibus ſacra ejus celebrantur. *Cybeleia mater.* ] Cybele à monte Phrygiæ nomen habet, in quo colebatur: alii ἀπὸ κυβιστᾷν τὴν κεφαλὴν, id eſt, à capitis rotatione, quod proprium eſt ſacerdotum. *Ut queis Cybeleia mater.* ] *Quos* ſcripti. *Heinſius.* *Cybeleia mater.* ]

*Ades,*

Incitat ad Phrygios vilia membra modos.
Deque viro fias nec fœmina nec vir, ut Attys,
Et quatias molli tympana rauca manu.
Inque pecus ſubitò Magnæ vertare Parentis:
Victor ut eſt celeri victaque verſa pede.
Solaque Limone pœnam ne ſenſerit illam,
Et tua dente fero viſcera carpat equus.
Aut, ut Caſſandreus, domino non mitior illo,
Saucius ingeſtâ contumuleris humo.
Aut, ut Abantiades, aut ut Cygneius heros,
Clauſus in æquoreas præcipiteris aquas.
Victima vel Phœbo ſacras macteris ad aras,
Quam tulit à ſævo Theudotus hoſte necem.
Aut te devoveat certis Abdera diebus,

Sax-

*Ades, ô Cybele, fera [illegible] Dea, ades, & ſonante tympano quate flexibile caput, latus horreat flagello, comitum chorus ululet.* Altius. κύρβαντα ὀρχήσονται, Lucian. Dialog. 26.

455. *Deque viro.*] Atys à Cybele dilectus, in Phrygiam navi delatus eſt: quo in loco inſtinctu numinis pudenda ſibi amputavit, comiteſque Cybeleios ſumptis ſacrorum inſtrumentis, crotalis, tympanis, tibiis & cymbalis, ad ejus ſacra celebranda hortatus eſt, mentemque furore vexandam. *Zar.*

456. *Molli manu.*] Nam illi peculiari nomine, *molles* ob evirationem dicebantur. *Salv.*

457. *Inque pecus.*] Atalanta ſuperata ab Hippomene curſu, verſa eſt in [illegible] nam, marito in leonem conve[illegible] in Cybelis templo amoris [illegible] Hippomenes cum puella rem [illegible]. *Dom.*

459. *Solaque Limone.*] Limone Hippomenis ex Atalanta, filia, à Patre in adulterio deprehenſa, equis diſcerpenda eſt tradita. *Zar.*

461. *Aut ut Caſſandri dominus non mitior illo.*] Libri multi veteres *Caſſandra.* quidam *Caſſandrus domino non mitior illo*, vel, *Caſſandreus*, ut Apollodorum Caſſandriæ Tyrannum intelligas, de quo Pont. l. II. Eleg. IX. ubi monuimus ſcribendum videri,

*Aut Caſſandreo domino non mitior urbis.* Heinſ.

463. *Aut ut Abantiades.*] Perſeum intelligis; nam ex Lynceo & Hypermneſtra Abas, ex Abante Prœtus & Acriſius, ex Acriſio Danaë, è Danaë Perſeus oriundus eſt: qui arculæ incluſus, ab Acriſio in mare præceps datus eſt, poſtquam conſulenti deum περὶ παίδων γενέσεως ἀρρένων, ex oraculo reſponſum eſſet, naſciturum è filia filium, à quo interimeretur. *Val. Andr. Lyrneſius heros.*] *Cygneius* cum Sarraviano multi *Ligneius* & *Leneius* pro *Caſus* etiam, *Clauſus* reponendum Perſeus enim & Tenes arcæ incluſi fuerunt, cum in mare præcipitabantur. Nos plura de hoc loco notis uberioribus in medium proferemus. *Heinſ. Lyrneſius heros.*] Loquitur de Telepho, qui Lyrneſum & Pedaſum urbes tenuit imperio. is cum Auge matre in arcam impoſitus, ut Euripides & Strabo ſcribunt, ad oſtia Cayci fluminis delatus eſt, ubi imperii heres relictus eſt à Theutrante. *Dom.*

467. *Abdera.*] Urbs Thraciæ initio anni

Saxaque devotum grandine plura petant.
Aut Jovis infeſti telo feriare triſulco:
Ut ſatus Hipponöo, Doſithoëſque pater.
Ut ſoror Autonoës, ut cui matertera Maja eſt:
Ut temere optatos qui male rexit equos.
Ut ferus Æolides, ut ſanguine cretus eodem,
Quo genita eſt, liquidis quæ caret Arctos aquis.
Ut Macedo rapidis icta eſt cum conjuge flammis;
Sic precor ætherei vindicis igne cadas.
Prædave ſis illis, quibus eſt Latonia Delos
Ante diem rapto non adeunda Thraſo.
Quique verecundæ ſpeculantem labra Dianæ,
Quique Crotopiaden diripuêre Linon.

Neve

anni hominem devovet pro ſalute communi, obruitque lapidibus.

470. *Ut ſatus Hipponöo.* ] Imprecatur hoſti κεραυνοπληγίαν. De Capaneo, Hipponoi filio, quem Poëtæ in oppugnatione Thebarum, fulmine percuſſum eſſe fingunt. Illud non perinde notum, ab ipſo primum ſcalarum oppugnationem inventam; cujus rei teſtis eſt Vegetius cap. 21. lib. 4. *Salvagn. Doſithoës.* ] Atrax cum filiam Doſithoën à Jove compreſſam prodidiſſet, fulmine extinctus eſt.

471. *Ut ſoror.* ] Semele ſoror Autonoës, luce Jovis, quam decepta impetravit, extincta eſt. Vide Ovid. 3. Metamorph. *Dem. Ut cui matertera Maja.* ] Non referendum hoc ad Semelen, cui Maja Atlantis filia matertera magna fuit (tunc enim legendum eſſet, *& cui mater Maja*) neque ad Oenomaum. Martis & Steropes Atlantidis filium, cujus domus fulmine quoque arſit: ſed potius ad Jaſium, Jove & Electra Atlantide natum. *Val. Andr.*

472. *Et temere.* ] Phaëthon.

473. *Ut ferus Æolides.* ] Salmonei Æoli filii temeritatem in 6 Æneid Virgil. cecinit. *vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas, &c.* hic ſollium ſibi perforatum extruxit, in [illegible] vehebatur, unde crepitus ingens prodibat, & aquam per foramina emittebat, prædicans tonitrua & pluvias ut deus edere, quem Jupiter fulminavit. *Zar. Ut ſanguine natus eodem.* ] Neſcio quid de Iſmeneo Lycaonis filio comminiſcuntur; qui cum Deos [illegible], fulmine percuſſus interierit: Sanctius de ipſo Lycaone interpretatur. Ego, hanc libri San-Victoriani lectionem ſequor: ut *eodem ſanguine nati*: quia Lycaonis liberos intelligo: eos enim partim in lupos converſos, partim fulmine percuſſos, auctor eſt Hecatæus Mileſius lib. 2. Genealog. Natal. Comes lib. 9. cap. 9. Mytholog. *Salvagn. Sanguine natus.* ] *Cretus* tres ſcripti. *Heinſ.*

477. *Prædaque ſis illis.* ] Imprecatur laniationem à canibus, qualis contigit Thraſo puero in Delo; Thraſus autem puer Dianæ dilectus à canibus diſcerptus eſt. Ego Thraſum eundem puto cum Thaſio, Anii ſacerdotis filio, de quo Hyginus cap. 247.

478. *Thraſo.* ] Quidam *Thaſo Thaſius* Hygino eſt fab. CCXLVII. mox *Linon* pro *Linum* tres ſcripti. *Heinſ.*

480. *Quique Crotopiaden diripuêre.* ] Duo Lini fuerunt, alter Apollinis & Pſamathes filiæ Crotopi filius, à canibus eſt diſcerptus, *Crotopiades* dicitur, quod

Digitized by Google

Neve venenato levius feriaris ab angue,
  Quam ſenis Oeagri Calliopeſque nurus;
Quam puer Hypſipyles: quam qui cava primus acutâ
  Cuſpide ſuſpecti robora fixit equi.
Neve gradus adeas Elpenore cautius altos:
  Vimque feras vini, quo tulit ille modo.
Tamque cadas domitus, quam quiſquis ad arma vocantem
  Juvit inhumanum Thiodamanta Dryops.
Quam ferus ipſe ſuo periit mactatus in antro
  Proditus incluſæ Cacus ab ore bovis.
Quam qui dona tulit Lernæo tincta veneno,
  Euboïcaſque ſuo ſanguine tinxit aquas.
Vel de præcipiti venias in Tartara ſaxo,
  Ut qui Socraticum de nece legit opus.
Ut qui Theſêæ fallacia vela carinæ
  Vidit: ut Iliacâ miſſus ab arce puer.
Ut teneri nutrix, eadem matertera, Bacchi:

Ut

quod nepos ſit Crotopi. Pauſan. alter Amphimari, ejus qui fuit Neptuni & Uraniæ fil. qui ab Apolline ſagittis confixus fuit, eo quod ſe illi arte Muſices comparaſſet.

481. *Neve.* ] Eurydice uxor Orphei filii Oeagri, & Calliopes. Vide Ovid. 10. Metam. ſerpentis dente icta mortua eſt.

483. *Quam puer.* ] Ophelres filius Lycurgi regis Nemeorum, qui poſtea Archemorus eſt dictus, dum parum diligenter ab Hipſipyle nutrice cuſtodiretur, ſerpentis morſu extinctus eſt. Qua orbitate Lycurgus iratus, dirum jus in Hipſipylem exercuiſſet, ni à Græcis fuiſſet prohibitus. at cum ab oraculo admoniti eſſent Græci, non prius Thebas poſſe pervenire, quam Archemori manes placaſſent, ludos funebres conſtituerunt, de quibus victores apii corona inſigniebantur, & ludi poſtea celebres ex 4. agonibus Iſthmii. *Micyl.* *Quam qui.* ] Laocoon immiſſo telo in equum Trojanum ligneum, ſerpentis morſu cecidit. Notum eſt carmen Virgilii. *Dom.*

490. *Protinus incluſæ.* ] *Proditus* ex ſcriptis. *Heinſ.*

491. *Quam qui dona.* ] Lichas venenatam tunicam Herculi attulit, à quo in mare Euboïcum dejectus eſt. Higyn. c. 36. *Dom.*

493. *Vel de præcipiti venias in tartara.* ] Cleombrotus Ambraciotes, Platonis lib. de Anim. immortalitate, qui Phædon inſcribitur, perlecto, è turri in ſaxa præcipitem ſe dedit: Cicero autem in mare eum ſcribit ſe præcipitaſſe. *Zar.*

495. *Ut qui Theſeæ.* ] Ægeus Theſei pater, cum revertentis filii vela nigra ex arce proſpexiſſet, mortuum putavit, doloreque ſeſe præcipitavit ex alto. ab hoc mare Ægæum nonnulli dictum putant.

496. *Iliaca miſſus ab arce puer.* ] *Heu! columen illud regiæ extremum decus, Tantum timendus ad necem extrahitur puer.* Ex Eurip. Hecub.

497. *Nutrix.* ] Ino Semeles ſoror cum Athamantis viri furorem fugeret, è ſcopulo ſe cum filio Palæmone demiſit in mare: hæc nutrivit Bacchum.

498. *Ut*

Ut cui cauſa necis ſerra reperta fuit.
ydia ſe ſcopulis ut virgo miſit ab altis,
Dixerat invito quæ mala verba deo.
œta tibi occurrat patrio popularis in arvo;
Sitque Paphagêæ cauſſa leæna necis.
)uique Lycurgiden letavit & arbore natum,
Idmonaque audacem, te quoque rumpat aper.
que vel exanimis faciat tibi vulnus: ut illi,
Ora ſuper fixi quem cecidere ſuis.
ive idem ſimili pinus quem morte peremit:
Phryx & venator ſis Berecynthiades.

Si

498. *Ut cui cauſa.*] Perdix Dædali nepos ex ſorore, cum ſerram & circinum ingenio ſuo adinveniſſet, Dædali invidia dejectus ex turri, in avem ſui nominis eſt converſus.

499. *Lydia.*] Maraliicen Ibyci Lydii filiam amavit, quæ tuta Dianæ auxilio, amores Martis contemnens, diris imprecationibus in furorem acta ſe demiſit è ſcopulo. *Dom.*

501. *Patrio popularis in arvo.*] Hic Ovid. Ibidis patriam ſubindicat: nam initio hujus libelli, eum quaſi Libycum eſſe oſtendimus, Etenim leonibus, quos *Ibidis populares* Naſo vocat, Libya ſcatet. *Salvagn. Fœta.*] Paphagus Ambraciæ rex cum incidiſſet in leænam catulis ſtipatam, in hortis ſuis ab ea eſt dilaniatus.

502. *Sitque Paphagea.*] Lege *Phalecea* ex Antonino Liberali Fab. iv. Parrhaſius ex Æliano *Phayllea* ſcribebat. *Heinſ.*

503. *Quique Lycurgiden laceravit ab arbore natum.*] Scribe *letavit & arbore natum* cum Jureti libro, aliiſque nonnullis, atque ita citat Eutyches Grammaticus *Letandi* verbo uſus Noſter Metam. iii. & Virgilius in Culice. Adonin autem intelligit. *Idem. Quique Lycurgiden.*] Ego Ancæum, Lycurgi & Antinoës filium, itemque Adonidem & Idmonem (quos & inter argonautas numerant) intelligo. Vide Hyginum c. 247. de iis qui apri ictu conciderunt. *Et arbore natum.*] Adonim intelligit, Cinyra Cypri rege & Myrrha jam arbore natum, quem juvenem Mars, in porci ſylveſtris ſpeciem formamque mutatus, ut ſibi primas in amore Veneris vindicaret, incaute contra ſe ruentem percuſſit. Vide Noſtrum lib. 10. Metamorph. *Val. Andr.*

504. *Idmonaque.*] Idmon Apollinis & Pheretriæ filius: Vel ut alii volunt Aſteriæ. Et *audacem* poëta illum vocat, quia quum ſciret ſe in illa expeditione (erat enim vates) periturum: tamen una cum Argonautis Argo navim conſcendit. Cumque aliquantum à ſociis ſeceſſiſſet, ab apro occiſus eſt, ut Orpheus & Apollonius teſtantur.

505. *Iſque vel.*] In agro Poſſidoniatarum in regione Andragathia: quæ, cum venando excelleret, captarumque ferarum capita & pedes Dianæ voviſſet, capto ingenti apro, ſolum caput arbori appendit, dea contempta. mox cum eodem loco dormiret meridiano æſtu, ſolutum apri caput, dormienti os oppreſſit.

507. *Atque idem.*] Atys & Nauclus pinei pomi caſu dormientes venatione obruti ſunt.

508. *Venator Phrygia ſiſque Berenthiades.*] Non conſtant ſibi codices. plerique,

*Frigida venator ſit Berecynthiades,*

Si tua contigerit Minôas puppis arenas;
 Te Corcyræum Creſſia turba putet.
Lapſuramque domum ſubeas; ut ſanguis Alevæ:
 Stella Leoprepidæ cum fuit æqua viro.
Utque vel Evenus torrenti flumine merſus
 Nomina des rapidæ, vel Tyberinus, aquæ.
Aſtacidæque modo deciſa cadavere trunco,

Dign

vel *Frigia*, vel *Frixia*. Lege,
*Phryx tu venator ſis Berecynthiades.*
Heinſ.

509. *Minoas.*] Socii Minois regis interfecti in Sicilia injuriam ulciſcentes, quicunque ex Sicilia in Cretam navigarunt, interficiebant.

511. *Lapſuram.*] Alcide Alebæ Lariſſæi filia cum viro Lycoride eadem domus ruina obruta eſt. *Dom.* *Ut ſanguis Alebæ.*] Videtur poëta hiſtoriam Simonidæ ſignificare, cujus meminêre Valer. Max. lib. 1. cap. de Miraculis. & Cicero item lib. 2. de Oratore. hujus verba ſunt hæc: *Dicunt enim cum cœnaret Cranone in Theſſalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem & nobilem, cecinisſetque id carmen quod in eum ſcripſiſſet, in quo multa in Caſtorem ſcripta & Pollucem fuiſſent, nimis illum ſordide Simonidi dixiſſe, ſe dimidium ejus, ei quod pactus eſſet pro illo carmine daturum: reliquum à ſuis Tyndaridis, quos æque laudaſſet, peteret, ſi ei videretur. Paulo poſt ferunt eſſe nunciatum Simonidi, ut prodiret: juvenes ſtare ad januam duos quoſdam, qui eum magnopere evocarent. ſurrexiſſe illum ipſum. prodiſſe. vidiſſe neminem. Hoc interim ſpatio conclave illud, ubi epularetur Scopas concidiſſe, ea ruina ipſum oppreſſum cum ſuis interiiſſe*, &c. Fuit enim Scopas Aleuæ ſanguis, hoc eſt, ex illius progenie, Creontis, & Echecratiæ filius, ut interpres Theocriti tradit. Per *ſtellam* ergo Caſtorem & Pollucem, qui Geminorum ſidus conſtituunt, intelligo: per *Lycoridem* autem virum, Simonidem. *Micyl.*

512. *Stella Lycorida.*] Recte *Leoprepidæ* Scaliger Auſonianis Lectionibus, inſiſtens veſtigiis veterum exemplarium Leoprepis filius Simonides. ita paſſim auctores. *Heinſ.* *Lycoridæ.*] Sed cur *Lycorides* ab Ovidio Simonides dictus Hæret Micyllus, ut & Turneb. quem vide lib. 9. Adverſ. cap. 25. At Joſ. Scalig. libro 2. Auſon. Lect. cap. 30. legit *Stella Leoprepidæ cui*, &c. Fuit enim Σιμωνίδης Λεωπρέπους, ut ait Suida. non tamen ignoro paulo poſt in eodem Suida legi υἱὸν Θεοπρέπους. *Val. Andr.*

513. *Utque.*] Evenus cum Marpiſſam filiam pulcherrimam haberet, eam petentes in uxorem, in certamen curſûs provocabat, eorum qui victi eſſent capita foribus affigebat, ut reliquos à contentione deterreret. Idas autem qui Apharei filius ferebatur, cum eſſet Neptuni, acceptis à patre equis velociſſimis Evenum ſuperavit, Marpiſſam filiam abduxit uxorem. Evenus autem præ dolore ſe in Lycormam Ætoliæ fluvium demerſit, cui dedit nomen. Nam ex eo eſt appellatus Evenus. Dom.

514. *Nomina des rapidæ.*] Aurelius Victor in origine gentis Romanæ ſic [illegible] lum appellat: *Poſt eum regnavit Tiberius Silvius, Silvii filius, qui cum adverſus finitimos bellum inferentes copias eduxiſſet, inter prælianles depulſus in Albulam flumen, deperiit, mutandique nominis exſtitit cauſa.* De qua nominis varietate [illegible] mirandum; quum ipſi quoque fluvio [illegible] verſa ſint nomina. Fuit Tiberinus octavus Albanorum rex ab Ænea, ut Ovid. lib. 4. Faſt. ſcribit. *Saivagn.*

515. *Hyrtacidæque modo deſſa cadavera trunco.*] *Deciſa* duo vetera. Lego *deciſa cadavere trunco.* & *Aſtacidæque modo* cum Jureti codice. quod & alii [illegible] derunt. *Heinſ.*

516. D

Digna feris, homini ſit caput eſta tuum.
Quodque ferunt Brotean feciſſe cupidine mortis;
Des tua ſuccenſæ membra cremanda pyræ.
Incluſuſque necem caveâ patiaris, ut ille
Non profecturæ conditor hiſtoriæ.
Utque repertori nocuit pugnacis Iambi,
Sic ſit in exitium lingua proterva tuum.
Utque parum ſtabili qui carmine læſit Athenas;
Inviſus pereas deficiente cibo.
Utve lyræ vates fertur periiſſe ſeveræ;
Cauſſa ſit exitii dextera læſa tui.
Utque Agamemnonio vulnus dedit anguis Oreſtæ;
Tu quoque de morſu virus habente cadas.
Sit tibi conjugii nox prima noviſſima vitæ;

Eu-

518. *Digna feras homini.* ] *Digna feris* ſcripti meliores. recte. *homini* etiam probe quatuor. & mox *Brotean* meliores. *Idem.*

517. *Quodque.* ] Broteus Vulcani & Minervæ filius propter deformitatem oris contemptus, ſe in pyram ardentem conjecit. Alio nomine *Erichthonius* dicebatur. Vide & Gell. Noct. Att. l. 22. cap. xi. *Dom.*

519. *Incluſuſque necem cavea.* ] Calliſthenem deſignat.

521. *Utque repertori.* ] Archilochus cum Lycamben Jambico carmine invento, ad laqueum compuliſſet, ab illius domeſticis necatus eſt. Alii in exilium miſſum dicunt. *Dom.*

522. *Si ſit in exitium lingua proterva.* ] Valerius lib. 6. cap. de Severitate, dicit, libros ejuſdem poëtæ Lacedæmonios è civitate ſua exportari juſſiſſe: quod eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur. De morte Archilochi autem, & de Calonda percuſſore ejus tradit Suidas.

523. *Utque parum ſtabili, &c.* ] Alciatus Parerg. lib. 5. c. 18. & Turneb. Adverſ. lib. 9. cap. 25. *Athenin* legend. aſſerunt; & de Hipponacte intelligendum: *Videtur enim; ait, de Hipponacte intelligi; qui claudicante & parum ſtabili verſu, id eſt, Scazonte in Bupalum & Athenin invectus eſt. Athenienſes: quo in carmine, ne Athenis quidem pepercerat, &c.* Salvag.

525. *Utque lyræ vates.* ] Alcæum, poëtam lyricum intelligo, qui mordaciſſimis verſibus Pittacum præcipue, Myrſilum, Megalagyrum, Cleonactidas, alioſque tyrannidem in patria exercentes, inſectatus eſt; teſte Strabone l. 13. p. 424. edit. Caſaub. Horat. Od. 9. lib. 4. Per *læſam dextram*, fidem, quam Pittaco veriſimiliter Alcæus obſtrinxerat, violatam intelligo; nam in fide adſtringenda, dexteras jungere ſolebant. *Salv.* *Utque lyræ vates.* ] De Steſichoro forte loquitur, de quo Horat. lib. 4. Ode 9. *Steſichorique graves camœnæ.* Credibile enim eſt poëtam junxiſſe tres jambographos eoſdemque maledicos: Archilochum, Hipponactem & Steſichorum. *Sanct.*

527. *Utque Agamemnonio vulnus, &c.* ] Oreſtes, ut jam omnibus conſtat, interfecta matre furore correptus fuit. inde liberatus, cum per ſylvam iret, à ſerpente occiſus eſt. *Zar.* *Oreſti.* ] *Oreſtæ* cum uno Medic. dixi Epiſt. VIII. *Heinſ.*

529. *Sic tibi.* ] Eupolis veteris comœdiæ ſcriptor apud Græcos, ducta uxore

Eupolis hoc periit & nova nupta modo.
Utque cothurnatum cecidiſſe Lycophrona narrant;
Hæreat in fibris fixa ſagitta tuis.
Aut lacer in ſilvis manibus ſpargare tuorum:
Sparſus ut eſt Thebis angue creatus avo.
Perque feros montes tauro rapiente traharis:
Ut tracta eſt conjux imperioſa Lyci.
Quodque ſuæ paſſa eſt pellex invita ſorori,
Excidat ante pedes lingua reſecta tuos.
Conditor ut tardæ læſus cognomine Myrrhæ,
Orbis in innumeris inveniare locis.
Inque tuis opifex, vati quod fecit Achæo,
Noxia luminibus ſpicula condat apis.
Fixus & in duris carparis viſcera ſaxis:
Ut cui Pyrrha ſui filia fratris erat.
Ut puer Harpagides referas exempla Thyeſtæ;
Inque tui caſus viſcera patris eas.
Trunca geras ſævo mutilatis partibus enſe,

Qu-

Glycerio, prima nocte mortuus inventùs eſt una cum puella.

531. *Periiſſe* ] *Cecidiſſe* ex ſcriptis. nam *periit* præceſſerat. *Heinſ.*

532. *Lycophrona.* ] Hic cum de antiquorum poëtarum principatu certaret, ſagitta ab adverſario ictus occidit, ut hic ait Ovid.

533. *Aut lacer.* ] Pentheus à furente matre diſcerptus, nomen à luctu eſt ſortitus. *Dom.*

534. *Avo angue.* ] Cadmum dicit in anguem verſum. *Zar.*

535. *Perque feros.* ] Dyrce Lyci Thebarum regis uxor, cum Antiopen, quam Lycus ob ſuſpicionem concubitus repudiaverat, in carcerem detrudendam ſuaſiſſet, mortuo Lyco, Zetus & Amphion nati ex Antiope, eam revinctam taurorum ſylveſtrium caudis in ultionem maternam dilaniarunt, ad eum locum, qui fontis Dyrcæi à Dyrce nomen accepit. vide Hygin. fab. 7. & 8. *Dom.*

539. *Conditor ut tardæ læſus cognomine Myrrhæ, Orbis.* ] Ita ſcripti. *Heinſ.* Genitor ut tardæ. ] Cinyras Cypriorum rex cum Myrrha filia deceptus rem habuit, quo detecto facinore, eam ſtricto enſe per Arabiam eſt inſectatus, ubi urbem à filiæ nomine appellatam condidit, quæ in ſui nominis arborem eſt deorum miſeratione mutata. *Zar.*

541. *Inque tuis opifex.* ] Achæi plures fuerunt: quorum hic unus, de quo nunc agitur, in cujus per hortum ambulantis capite agmen apum inſedit. quod cum expellere vellet, eorum aculeis acie oculorum dicitur privatus, ut tradit vetus interpres, *Zar.*

545. *Harpagida.* ] *Harpagides* ex ſcriptis *Heinſ.*

547. *Trunca.* ] Mamertes, ut ſcripſerunt quidam Mycernus Syſiphonis Corinthii frater, cum fratris filium imperii cupiditate necaſſet, à Syſiphone membratim eſt laceratus. *Dom.*

548. Hi-

Qualia Mimnerni membra fuiſſe ferunt.
Utve Syracoſio præſtricta fauce poëtæ,
Sic animæ laqueo ſit via clauſa tuæ.
Nudave dereptâ pateant tua viſcera pelle;
Ut Phrygium cujus nomina flumen habet,
Saxificæ videas infelix ora Meduſæ,
Cephenum multos quæ dedit una neci.
Potniadum morſus ſubeas, ut Glaucus, equarum:
Inque maris ſalias, Glaucus ut alter, aquas.
Utque duobus idem dictis modo nomen habenti,
Præfocent animæ Gnoſia mella viam.
Sollicitoque bibas, Anyti doctiſſimus olim
Imperturbato quod bibit ore reus.
Nec tibi, ſiquid amas, felicius Hæmone cedat:
Utque ſuâ Macareus, ſic potiare tuâ.
Vel videas, quod jam, cum flammæ cuncta tenerent,
Hectoreus patriâ vidit ab arce puer.

San-

548. *Mycerni.*] *Mimnerni* veteres plerique. *Heinſ.*

549. *Utve Syracuſio, &c.*] Syracuſius poëta Empedocles eſt, philoſophus & poëta. Vide Horat. de Arte poët. *Deus immortalis haberi Dum cupit Empedocles, &c.* Val. Andr. *Syracuſio.*] *Syracoſio* dixi libro v. Faſtorum. *Heinſ.*

551. *Nudave.*] Marſias victus à Phœbo, pelle exutus, nomen fluvio dedit. de quo ſupra. *Dom.* *Direpta pelle.*] *Derepta.* de quo alibi. *Heinſ.*

553. *Saxifica videas.*] Perſeus liberata Andromeda, cum Phineo certavit, cui ante promiſſa fuerat Andromeda, & eum, ipſi puella à parentibus pollicita in uxorem, in ſaxum vertit, utpote vim inferre nitentem, Cephenoſque populos ei parentes, ut Ovid. in Met.

555. *Potniadum morſus.*] Glaucus è Potnia civitate, cum Veneris ſacra ſperneret, ſuis equabus à dea furor immiſſus eſt: à quibus cum veheretur, morſibus eſt dilaceratus, ut Virgil. in 3. Georg. docet.

556. *Inque maris ſalſas.*] Glaucus is piſcator ardenter Scyllam amavit, qui in Euboica Andone herba quadam guſtata, incredibili cupiditate ſe in mare projecit, & à Neptuno cæteriſque diis marinis deus effectus eſt. autor Ovid. in 14. Met.

557. *Utque duobus idem.*] Alius quidam Glaucus, Cretenſis (nam plures Glauci fuerunt) ob laſciviam in filiam venenato melle extinctus eſt. ut vetus docet interpres. Vide Hygin Fab. 136.

558. *Noxia mella*] *Gnoſſia* plerique veteres. *Heinſ*

559. *Anyti doctiſſimus olim.*] Veteres plerique *veluti*. an *Mely i*? tam enim Melyti quam Anyti reus Socrates. *Idem.*

562, *Utque ſua Macareus.*] Inſigni dedecore notus eſt ob concubitum Canaces ſororis: eandem turpitudinem Ibidi imprecatur. *Dom.* *Tu potiare.*] *Sic potiare* ſcripti. *Heinſ.*

564. *Vidit ab urbe puer.*] *Ab arce* quinque veteres. *Idem.*

 565. *San-*

Sanguine probra luas, ut avo genitore creatus;
Per facinus ſoror eſt cui ſua facta parens.
Oſſibus inque tuis teli genus hæreat illud,
Traditur Icarii quo cecidiſſe gener.
Utque loquax in equo eſt eliſus guttur acerno,
Sic tibi claudatur pollice vocis iter.
Aut ut Anaxarchus pilâ minuaris in altâ,
Jactaque pro ſolitis frugibus oſſa ſonent.
Utque patrem Pſamathes, condat te Phœbus in ima
Tartara; quod natæ fecerat ille ſuæ.
Inque tuos ea peſtis eat, quam dextra Chorœbi
Vicit, opem miſeris Argolicisque tulit.

Utque

565. *Sanguine probra luas.* ] Myrrha Cynaræ filia, ex patris compreſſu formoſiſſimum peperit Adonim.

567. *Oſſibus inque tuis.* ] *Icarii gener.* Interemit Ulyſſem patrem Telegonus accepto à Circe matre jaculo, cui pro cuſpide paſtinacæ marinæ ſpina præfixa erat, dum forte Ithacam veniſſet, patrem ut viſeret; patriſque armenta abigeret, ignarus patris ea eſſe. *Val. Andr.*

569. *Utque loquax.* ] Hunc locum explicat Politian. in Miſcellaneis cap. 75. Intelligitur autem Anticlus, qui cum cæteris Græcis equo Durateo incluſus, ad vocem Helenæ ſimulantis ſermonem & verba uxoris illius, reſpondere voluit. Sed ab Ulyſſe eo uſque illius fauces compreſſæ, donec cum voce una & vitam amitteret: autore Tryphiodoro.

571. *Aut ut Anaxarchus.* ] In vita Anaxarchi, Laërtius tradit, Anaxarchum hunc Abderitam fuiſſe, & Alexandrum ſecutum. Habuiſſe autem inimicum Niocreontem Cypriorum tyrannum. Proinde cum aliquando cum Alexandro cœnaret, iſque de convivii apparatu Anaxarchum interrogaret, reſpondiſſe, omnia laute atque affatim apparata eſſe, præterquam quod caput ſatrapæ (Nicocreontem innuens) non eodem allatum eſſet. Hanc vocem poſtea Nicocreontem, mortuo Alexandro, ultum, atque Anaxarchum tempore quadam Cypro appulſum comprehendiſſe, mortarioque ſive pila (ut hic dicitur) impoſitum, piſtillis ferreis contundi juſſiſſe: exſecta etiam lingua, ne conviciis, quibus etiam inter ſupplicia tyrannum inceſſebat, diutius moleſtus eſſet. vide & Val. Max. lib. 3. cap. 3. *Mic.*

573. *Utque patrem Pſamathes.* ] Scribe *Pſamathes* ex Photio. *Heinſ.* *Utque patrem Pſamathes.* ] Ita in Aldinis legitur ut de Crotopo Pſamathes patre, cujus crudelitate Linus infans expoſitus, & à canibus laceratus fuit, intelligatur. Et hanc lectionem etiam probabilem facit id quod ſtatim ſequitur de Corœbo, de quo Pauſanias in Atticis. Vel Crotopus Argivorum rex, ubi reſcivit filiam ab Apolline vitiatam, atque matrem jam eſſe, morti dedit. Indignatus Apollo Crotopum ſuis confecit telis. *Micyl.*

575. *Inque tuos ea peſtis eat.* ] A Chorœbo monſtrum filios matrum ſuis e ducens, atque devorans interfectum. Statius lib. 5. Thebaidos, ubi hoc monſtrum graphice depingit, dicens:

*Sero memor thalami, mœſtæ ſolamina morti*
*Phœbe paras, monſtrum infandis, Acheronte ſub imo, &c.*

Ovidius autem illud monſtrum peſtem appellat. *Salvag.*

577. Utq.

Utque nepos Æthræ, Veneris periturus ob iram,
Exſul ab attonitis excutiaris equis.
Propter opes magnas ut perdidit hoſpes alumnum;
Perdat ob exiguas te tuus hoſpes opes.
Utve ferunt fratres ſex cum Damaſichthone cæſos;
Intereat tecum ſic genus omne tuum.
Addidit ut fidicen miſeris ſua funera natis;
Sic tibi ſint vitæ tædia juſta tuæ.
Utve ſoror Pelopis, ſaxo dureris oborto,
Et læſus linguâ Battus ab ipſe ſuâ.
Aëra ſi miſſo vacuum jaculabere diſco;
Quo puer Oebalides, ictus ab orbe cadas.
Siqua per alternos pulſabitur unda lacertos,
Omnis Abydenâ ſit tibi pejor aqua.
Comicus ut mediis periit, dum nabat, in undis;
Et tua ſic Stygius ſtrangulet ora liquor.
Aut ubi ventoſum ſuperaris naufragus æquor,
Contractâ pereas, ut Palinurus, humo.

Ut-

577. *Utque nepos Æthra.* ] Revera Hippolytum, ob iram Veneris, quæ ab eo contemnebatur, interemptum comperio apud Ovid. lib. 5. Faſtor.

*Hippolyte infelix, velles coluiſſe Dionem:*
*Cum conſternatis diripereris equis.*

Salvagn. *Moriturus.* ] Meliores *periturus.* Heinſ.

579. *Ut perdidit hoſpes.* ] Id eſt, ut Polydorus à Polymneſtore Thraciæ rege, violato hoſpitii jure necatus eſt, cupiditate auri quod habebat. *Dom.*

581. *Utque ferunt.* ] De numero filiorum Niobes diverſæ apud autores reperiuntur ſententiæ: nam Homerus pueros, puellaſque ſenos fuiſſe ſcribit, bis ſeptenos Euripides, quidam alii ſcriptores tres tantum volunt. Ovid. etiam in 7. Metamorph. bis ſeptem dicit, & marium ponit nomina: qui omnes ſagitta à Phœbo occiſi ſunt, propter matris nimiam ſuperbiam, Latonæque contemptum, quam ſterilem prædicabat. *Zar.*

583. *Addidit.* ] Amphion conjunx Niobes, mortuis filiis ſibi mortem conſcivit, clarus arte muſica. *Dom.*

585. *Soror Pelopis.* ] Niobe Tantali ex Taygete filia, Amphionis Thebarum regis uxor fuit: quæ nimio mœrore ob natorum interitum in marmor dicitur verſa, ut ab Ovid. in Metamorph. accepimus.

586. *Et læſus lingua Battus.* ] In 2. Metamorph.

588. *Quo puer.* ] Hyacinthus à Phœbo dilectus, in ludo diſci ab eo eſt extinctus per imprudentiam. *Dom.*

591. *Comicus ut mediis.* ] Terentii comœdiarum ſcriptoris ſignificat interitum, qui, cum ex Græcia rediens, navem conſcendiſſet, naufragio periit, & cum eo fabulæ 108. ex Menandro converſæ interierunt. *Zar.* *Comicus ut mediis.* ] Egnatius Eupolim Comicum putat intelligi, quem bello Peloponneſiaco in Helleſponto periiſſe naufragio conſtat ex Suida. Eupolin vero inter



pri-

Utque cothurnatum vatem tutela Dianæ,
 Dilanient vigilum te quoque turba canum.
Aut tu Trinacrii ſalias ſuper ora gigantis,
 Plurima qua flammas Sicanis Ætna vomit.
Diripiantque tuos inſanis unguibus artus
 Strymoniæ matres; Orpheos eſſe ratæ.
Natus ut Althææ flammis abſentibus arſit,
 Sic tuus ardeſcat ſtipitis igne rogus.
Ut nova Phaſiacâ compreſſa eſt nupta coronâ,
 Utque pater nuptæ, cumque parente domus.
Ut cruor Herculeos abiit diffuſus in artus;
 Corpora peſtiferum ſic tua virus edat.
Qua ſua Penthiden proles eſt ulta Lycurgum,
 Hæc maneat teli te quoque plaga novi.
Utque Milon, robur diducere fiſſile tentes;
 Nec poſſis captas inde referre manus.
Muneribuſque tuis lædaris, ut Icarus; in quem
 Intulit armatas ebria turba manus.

Quo-

priſcæ Comœdiæ principes numerat Flaccus lib. I. Sat. 4. *Val. Andr.*

595. *Utque cothurnatum vatem tutela Dianæ.* ] Quomodo libri. opinor tamen Naſonem ſcripſiſſe,

*Utque cothurnatum tutela Dianea vatem.*
ſic & in Faſtis lib. III.

*Exagitant & Lar & turba Dianea fures.*
ubi multi codices, etiam ex antiquioribus, *& fures turba Dianæ.* apud Gratium *arma Dianea.* Heinſ. *Utque.* ] Euripides, cum apud Archelaum regem cœnaſſet, domumque reverteretur, à canibus à quodam æmulo immiſſis, eſt diſcerptus: Tragici carminis præſtantia nobiliſſimus. Val. Maxim. lib. 9. c. 12.

597. *Aut ubi Trinacrii.* ] *Tu Trinacrii* ex ſcriptis. *Heinſ.* *Aut tu Trinacrii gigantis.* ] Enceladi.

600. *Strymoniæ.* ] Mulieres Thraciæ Orpheum laniarunt. *Dom.* *Orpheon eſſe rati.* ] *Orphea* dicendum erat. Scribe *Orpheos.* Heinſ.

603. *Compreſſa eſt nupta.* ] *Compreſſa* ſcripti. *Heinſ.* *Ut nova Phaſiaca compreſſa eſt nupta corona.* ] Eurip. Medea.

*Nec potuit unquam gravius ulciſci virum.*
*Ornata namque Colchicis donis perit*
*Creuſa. totam flamma comprendit domum.*
*Ipſum Creontem corripit flagrans lues,*
*Chara ſupremis gnata inhærentem g[…]lis.*

607. *Penthiden.* ] *Penthidem* veteres. *Heinſ.* *Qua ſua.* ] Butes Lycurgi filius ob patrem ſublatum à Baccho, ejus numinis ſacerdotes omnes necavit variis & acerbiſſimis ſuppliciis.

609. *Deducere.* ] *Diducere.* & *Mi[…]* pro *Milo.* Heinſ.

611. *Muneribus.* ] Icarus Erigones pater cum Atticæ colonos vini uſum docuiſſet, illi inuſitato liquore ebrii, venenum datum ſibi arbitrantes, eum necarunt uno impetu. cujus morte audita Erigone filia laqueo vitam finivit. Hyginus fab. 130.

614. Gr-

Digitized by Google

Quodque dolore necis patriæ pia filia fecit,
    Vincula per laquei fac tibi guttur eant.
Obſtructoque famem patiaris limine tecti,
    Ut legem pœnæ cui dedit ipſa parens.
Illius exemplo violes ſimulacra Dianæ,
    Aulidis à portu qui leve vertit iter.
Naupliadæve modo ficto pro crimine pœnas
    Morte luas; nec te non meruiſſe juvet.
Æthalion vita ſpoliavit ut Iſidis hoſpes,
    Quem memor à ſacris nunc quoque pellit Ion.
Utque Melantheâ tenebris à cæde latentem
    Prodidit officio luminis orba parens;
Sic tua conjectis fodiantur pectora telis;
    Sic precor auxiliis impediare tuis.
Qualis equos pacto, quos fortis agebat Achilles,

Acta

614. *Guttura eat.* ] *Eant* cod. Polit. & duo alii. *Heinſ.*

615. *Obſtructuſque.* ] *Obſtructoque* bene Jureti liber. *Idem.* *Obſtructo.* ] Tantum erat laudis bellicæ ſtudium apud Lacedæmonios, ut matres filiis in aciem prodeuntibus ſcuta porrigentes, hæc dicerent: cum his, aut victores, aut mortui. Euryſthenes cum male pugnaſſet, domum ſempiterno dedecore affecit. qua de cauſa mater indignata, eum clauſum inedia perire coëgit. *Dom.* *Limine tecti.* ] Alii autem, *limine templi* putant legendum, quoniam de Pauſania intelligatur, qui in templo Minervæ χαλκιοίκου obſeſſus fuit. Scribit autem Æmylius Probus, matrem Pauſaniæ, Alcitheam nomine, cum ille in templum confugiſſet, ephorique fores ædiculæ, ubi ille abditus erat, obſtruerent, ac tectum demolirentur, ut inopia rerum ac fame laborantem hoc pacto conficerent; poſtquam de ſcelere ac proditione filii comperiſſet, primum lapidem ad obſeptandum illam aſportaſſe. id quod hic Ovid. innuit, cum dicit legem pœnæ ipſam parentem dediſſe. Verum in ſchedis Sanvictorianis legitur, *ipſe parens:* Et tum Ageſilaum Pauſaniæ patrem ædis fores occuluiſſe putandum eſt.

617. *Illius exemplo.* ] Intelligenda illa ſunt de Ajace Oilei, qui, ob violatam Caſſandram in templo Palladis deæ, naufragium fecit, ut ante eſt dictum ex ſententia & Hom. & Strab.

619. *Naupliada.* ] Palamedes crimine ficto ab Ulyſſe, quod aurum à Priamo in Græcorum proditionem accepiſſet, lapidibus obrutus eſt. *Micyl.*

621. *Æthalon ut vita ſpoliavit Iſidius hoſpes.* ] Locus nemini intellectus. Forte, *Æthalion vita ſpoliavit ut Iſidis hoſpes.* In vulgata lectione numeri non conſtant. *Heinſ.*

622. *Io.* ] ſcribe *Ion.* Idem.

625. *Sic tua conjectis.* ] Ad hujus loci interpretationem tres inferiores verſus pertinent: & Dolona Phrygium taxat. Hic ad Græcorum caſtra exploranda miſſus eſt à Trojanis, quibus Achillis equos abducere pactus eſt: ſed ab Ulyſſe & Diomede per noctem captus occiditur: prius tamen Trojanorum detectis conſiliis. *Dom.*



631. Quam

Digitized by Google

Acta Phrygi timido; nox tibi talis eat.
Nec tu quam Rheſus ſomno meliore fruaris;
Quam comites Rheſo tum necis, ante viæ:
Ut quos cum Rutulo morti Rhamnete dederunt
Impiger Hyrtacides, Hyrtacidæque comes.
Clinadæve modo circumdatus ignibus atris
Membra feras Stygiæ ſemicremata rati.
Utve Remo muros auſo tranſire recentes,
Noxia ſint capiti ruſtica tela tuo.
Denique, Sarmaticas inter Geticaſque ſagittas,
His precor ut vivas & moriare locis.
Hæc tibi tantiſper ſubito ſint miſſa libello;
Immemores ne nos eſſe querare tui.
Pauca quidem, fateor; ſed Dî dent plura rogatis,
Multiplicentque ſuo vota favore mea.
Poſtmodo plura leges; & nomen habentia verum:
Et pede quo debent acria bella geri.

631. *Quam quos cum Rutulo.* ] Niſus Hyrtaci filius, & comes Euryalus in Rutulorum caſtra venere, ubi Rhamnetem, multoſque alios morti dedere. Tandem & ipſi agniti, occiſi ſunt, ut in 9. Æneid. Virgil. eſt auctor. *Zar.*

633. *Cliniadæque modo, &c.* ] Cliniades Alcibiades intelligitur, cujus pater Clinias dictus fuit. Periit autem in oppido quodam Phrygiæ, circumdata domo, in qua erat, ignibus, cum ii qui à Pharnabazo ad interficiendum illum miſſi erant, ferro aggredi non auderent, auctores Plut. & Æmylius. *Micyl.*

634. *Stygiæ neci.* ] *Rati* ex Politiani libro. *Heinſ.*

636. *Ruſtica tela.* ] Rutrum vel raſtrum intelligo. *Zar.*

643. *Et pede, quo debent, &c.* ] Carmine jambico utemur ad maledicentiam proprie, ut in principio docuit Poeta, ubi dicit *Poſtmodo ſi perges, in te mihi liber Iambus Tincta Lycambeo ſanguine tela dabit.*

INDEX

Digitized by Google

# I N D E X

## Verborum, Sententiarum, & rerum accuratiſſimus.

Prior num. paginam, poſterior verſum demonſtrat.


A.

ABire in mœſtos rogos. 571.6
Ab Jove rectius, quam à Jove. 610.50
Achilles Lyricus. 286. 385. Omnia Patroclo mortuo præſtitit. 640.41
Acragas. 232.675
Acus cælibaris, & comatoria. 109.560
Accipere vulnera tergo. 376.36
Adducere, obductare, adductare ante oculos. 169.483
Adducto pede, adducta clava. 663.32
Adverti notæ terræ. 379.89
Æolus. 101.456
Æſculapius, Epidaurius. 591.21
Æſtus animi. 905.25
Æmnæi lacus. 669.25
Æquare curas. 515.27. Æquare ſolo. 351.643
Ager fœtus. 63.662
Agenor. 594.77
Agonalia. 34.318. *& ſeqq.*
Ajax Hectoreas faces pro navibus Græcorum ſuſtinet. 732.41
Aï, *aï*. 278.224
Albula unde dicta. 95.389
Alceſtis. 551.50
Alcæus Lyricus. 803.525
Alcibiades, Cliniades. 810.633
Alcinous munificus. 664.42
Alcinoi poma. 717.10
Ambiluſtrum. 768.1
Amicitia indeclinata. 515.24
Amicitia in quæſtu. 638.20
Amici emeriti. 671.60
Amplius mihi tecum nihil fuit 609.25
Amphiaraus terræ hiatu præcipitatus una cum equis & curru periit. 676.52
Anaxarchus. 806.571
Annus Latius. 9.1
Annorum genera tria. *ibid.*
Annus decimeſtris. 11.27. & 29
Anni novi initio mittebant amicis mella, palmulas, & caricas. 22. 185. ubi & de ſtipis mittendæ cauſa. 23.189
Ancile. 161.377
Annæ Perennæ geniale feſtum. 172.523
Anna, Didonis ſoror, domo pulſa. 175.559 Defertur tempeſtate ad Ænean. 177.600 Humaniter excipitur. 178. 621. Triſtis ejuſdem exitus. 179.647
Annos ebibere. 173.533
Annæ feſtum obſcœnis puellarum carminibus celebrabatur. 182.675
Animam meliorem pro morte damus. 319.162
Animæ morte carent. 457.61
Annis melioribus pulſis, 531.93
Anſer defendit Capitolium. 43.453
Antiphates. 636.116
Appius Claudius. 322.203
Apum generatio. 38.380
Aperti campi. 83.227
Apertus locus. 307.707
Aqua virginea. 44.464
Aqua Mercurii, extra portam Capenam. 309.673
Arcades antelunares. 45.469. 88.290
Aratrum palo ſuſpendere. 63.665
Archilochus, Jambici carminis inventor. 803.521
Archimedes. 329.277
Ariadne, Bacchi conjux. 171.549
Arionis fabula. 75.95
Arma tecta. 83.214
Ariſtides Mileſius, poëta obſcœnus. 435.414
Arare aquas. 487.36
Arma ſuſpendunt milites Deorum alicui, functi militia, & agro donantur. 522.22
Ariſtides, pulſus patria. 594.71
Arcturus pluvius. 655.58
Argo, prima navis. 673.1
Aſinus rudens prodit obſcœnum Priapum. 42. 439. Aſinus Priapo immolatur. 39.391
Atlas cælifer. 269.83
Augur conſulit avem. 22.180
Auguſta quænam vocantur. 56.609
Auguſti domus in Palatio. 449.33
Auguſto quid civilius. 509.13
Auctor, pro patre. 510.34
Auguſtus, Æneades. 578.35
Aurora, mater Memnonis. 599.57
Aura fallax. 639.26
Avis obloquitur. 674.21
Axenus, Euxinus. 411.55

B.

BAcchi Trieteris. 39.394
Bacchi triumphus. 169.466. 185.714 *& ſeqq.*
Bacchus Διθύραμβος, bis genitus. 544.26
Bacchus & Apollo ſemper Juvenes. 545.32. Intonſus. 663.31
Baſternæ. 423.198
Battiades, Callimachus. 432.367
Bellerophon, domitor Chimæræ 433.397
Belides. 451.62
Bello pereunt fortiſſima pectora. 705.31
Bene nos, bene te, Pater. 119.637
Berecynthia tibia. 210.181
Bene qui latuit, bene vixit. 460.150
Biſtonii campi. 405.130
Bos aret, ignavam ſacrificate ſuem. 228.414


Bos-

Boſporus. 462.49
Boum feriæ. 63.663
Bona verba. 489.24
Bovis mactatio à quo tempore cœpit. 37.363
Briſeis Achilli erepta. 432.374
Brutus ſtulti ſapiens imitator. 126.717
primus oſculum matri dedit. *ibid.* 714
Brutus Callaicus. 339.461
Bruti virtus. 577.24
Brutus Poëta obſcurus. *ibid.*
Buſiris ſævus. 482.39
Buxi Phrygii foramen. 578.45

C.

CÆcis de via ceditur. 553.31
Calendæ, Calendaris Juno. 14.55
Calliſto. 79.156
Canace. 432.384
Canis, unítas in teſſera. 440.474
Capena porta. 321.192
Capaneus temerarius. 507.63. magna locutus. 544.29
Caphaream aquam currere. 556.36
Capreæ palus. 104.19
Caput velatus. 160.363
Carna, Dea Cardinis. 315.101
Carnifex, pro moleſto & crudeli homine. 482.37
Carmenta à Carmine dicta. 45.467
Caſſandra fallit Phœbum. 434.400
Caſta eſt quam nemo rogavit. 572.25
Caſtor & Pollux. 515.30
Ceſpite vivaci gramen. 226.397
Ceres pro glande. 227.401
Cereris ludi. 226.393
Centimanus Gyges. 520.18
Cenſus nomen magnum facit. 619.39
In *Certamen* venit amoris. 635.89
Ceraunia. 651.9
Chaos ſeceſſit. 17.107
Chalybs latebat. 227.405
Chloris, Flora. 276.169
Chartæ vincula demere. 519.7
Chimæra. 519.13
Circus ceſſat. 525.29
Conſules Calendis Januariis inibant magiſtratum. 16.81
Conſules creati poſt Tarquinium exactum. 133.852
Conſus, deus conſiliorum. 148.199
Cœlum diſcedit. 161.371
Coire in unum. 183.683
Color unus noctis rebus ineſt. 233.489
Compita. 237.140
Convaluere ſenſus. 381.14
Color Memnonis, pro nigro. 693.96
Coëuntia rumpere vulnera. 511.41
Conciliare fidem famæ. 514.14
Cornua ſumere. 525.27
Corycon & arcum. 555.15
Conventitiis patribus ſati. 691.54
Contrectator, ἐφάπτωρ. 691.54
Contra, quam cœpit amnis, ire. 707.8
Conſilium cum re fugit. 753.[illegible]
Craſſi funera. 249.[illegible]
Creuſa nuptialibus donis conflagravit. [illegible]
Cura Quirini, violentia Turni. 12[illegible]
Cultus, & nimius ornatus prodidit C[illegible] 219.[illegible]
Cupreſſus in funere. 45[illegible]
Cura mea cui laborat. 456.[illegible]
Currus eburneus. 503.[illegible]
Curarum morſus. 580.[illegible]
Curis pectora liqueſcunt. 585.[illegible]
Currere viam 651.[illegible]
Currere æquora. 750.[illegible]
Cyclades. 40[illegible]
Cygnus, Cayſtrius ales. 534.[illegible]

D.

DAnai natus. 434.[illegible]
Denſare opus. 593.[illegible]
Deploratus, defletus. 456.[illegible]
Depoſitus. 63[illegible]
Deſinere navem in æquore. 65[illegible]
Diana eadem cum Luna. 19[illegible]
Dianæ templum in Aricino nemore [illegible] Romam. 578.[illegible]
Didonis infauſtus amor, rogus, epitaphium. 174.545.[illegible]
Dies feſti, profeſti, interciſi. 1[illegible]
Dies nefaſtus, quo tria Prætoris verba [illegible]tur. 13.[illegible]
Dies nundinalis. 13.44
Diffundere vultum, explicare frontem. 723.9
Digitis loqui. 439.453
Diogenes, Cynicus Sinopeus. 594.6[illegible]
Dividua aqua. 32.291
Divitiæ beant. 619.39
Dolon adſpirat equis Achilleis. 809.627
Dracones Medeæ. 472.3
Druſi virtus. 632.74
Ducere vultum. 734.14
Duri Æneadæ malis indurati, fatis exerciti. 744.4

E.

ELicius. 158.328
Elephas. Inda bellua. 516.7
Elpenor. 460.19
Ennius. 436.424
Erichthonius. 428.293
Epeus, Trojani equi fabricator. 193.825
Eryx, mons Siciliæ. 233.478
Equum Perſæ ſoli immolant. 38.385
Equiria. 134.859
Eteocles, & Polynices, fratres diſcordes. 549.35
Evander quando in Italiam venerit? 47.498
Eupolis, Comicus Græc. 803.529
Euryalus & Niſus. 810.631
Evadne non enubit viro. 507.64
Euxinus Pontus axenos. 511.55
Exercitus rebus. 551.49

F.

FAbii trecentum cadunt. 82.196
Fabæ nigræ. 111.476

Nox

... omnes Fabios una abſtulit dies. 581.4
...ar primum torrebant veteres, deinde moli...
...eum coxerunt. 65.693
...aſtos, an Faſtus. 10.11
...aſti picti. ibid.
...aſtidii ſe plenum facere. 42.420
...aſtus ineſt pulcris. 42.419
...ati contagia. 599.25
...ebruatus dies. 68.19
...ebruum quid. ibid.
...ebruā. 247.726
...errugo. 781.233
...eſtum Florale. 263.947
...eneſtellæ porta. 346.578
Felix arbor, fœcunda. 674.19
Findere æquor. 386.105
Fides liquida. 618.10
Filo tenui pendere. ἐκ λεπτῶν νημάτων. 721.35
Flamma ſpargit jubar. 15.8
Flaminius lictor. 69.23
Flammeum. 183.690
Flamines, candida turba. 260.906
Flere non eſt auxilium. 338.444
Flumina in mare currunt. 565.27
Forti omne ſolum Patria. 47.493
Fornax Dea. 106.525
Forda, bos ferens. 341.631
Fortunæ verba dare. 623.6
Fortuna miſerrima tuta eſt. 630.31
Fortuna, ſtans Dea in urbe. 641.56
Formica gracili limite fert reperta grana. 554.40
Fraus locorum. 501.33
Fremitus ſecundus. 486.23
Fremitus & plauſus canentum in triumpho. 502.53
Fumus de Patriis focis. 592.33
Fulcire ruinam. 641.60
Funera ad tibiam efferebantur. 535.48
Furiæ, conſcientia. 777.160

G.

EX Gallis nunquam viri, ex viris quidem Galli fiunt. 213.183
Geryon, tergeminus vir. 520.18
Getes ſqualli[...]us. 588. 108. Hirſutus. 603. 74. Intonſus. 716. 2. Scythicus. 755.19
Glaucus, Veneris Sacra ſpernens punitur. 805.555
Gradu digitis ſuſpenſo. 42.426

H.

HAſdrubal ipſe ſuis cecidit telis. 361.770
Hecate τριμορφ[...] 19.141
Hector pretio redemtus. 465.38
Hector non Hector. 481.27. Tractus equis. ibid. 28. Ejus uxor. 573.37
Heliades felices. 583.33
Hercules effœminatus. 90. 318. Pugna ejus cum Caco. 51.550
Hermione. 671.15
Herſilia, Romuli uxor de Sabinis raptis. 149. 206
Hippocten[...]. 168.456
Hippolytus direptus. 154. 256. Infelix. 283 309. E[...]us interitum Diana indignata vindicat. 359.745
Hippotades Ulyſſi dat ventos. 744.15
Hircius & Panſa apud Mutinam pugnantes ceciderunt. 525.6
Horatius numeroſus. 528.49
Horæ, coli præſides. 18. 125. 277.217
Hoſtia & victima. 35. 335. & 336
Hoſtire, comprimere. ibid.

I.

JAnus biceps. 15.66. Dextra baculum, ſiniſtra clavem tenet. 16.99. Unde dictus. 19. 127. Unum præcipuum ejus templum. 27.257
Iambicum carmen, maledicum. 810.643
Ibidis patria. 816.501
Idmon. 801.504
Iano utruem commoveto. 29.276
Iactare manus, ſaltare. 173.536
Iazyges. 422.191. 546.79
Ilia, non Sylvia. 95.383. Comprimitur a Marte. 135.11
Ilias longa fatis meis futura. 654.34
Imbria terra. 434.18
Impotens animi. 419.139
Incubare Jovi. 241, 654. Incæduus lucus. 99. 436
Indeflêtus, inſepultus. 456.46
Indus decolor. 543.24
Inſula. 687.74
Ingenioſus ager. 244.684
Ingenium loci. 627.52
Inguina Scyllæ. 680.128
Intonſi avi. 70.30
Infracti, pro fracti. 501.41
Ingenium longa rubigine læſum. 567.21
Intus agere adductos equos. 347.586
Inſultare jacenti. 446.571
Inſcriptiones fiebant rubrica. 366.7
Inſignis ab arte. 526.16
Iö œſtro percita. 428.298
Iö, vox in triumpho, qua milites imperatorem re bene geſta proſequebantur. 502.52
Iphigenia invita manu peregit Tauricā ſacra. 686.66
Iſter jungitur æquoreis aquis. 554.2
Iſtropolis. 586.86
Iſter binominis. 613.11
Iſis linigera. 579.51
Iupiter inter ſtrepitum armorum educatus, & abſconditus. 211.207
Iunius eſt juvenum. 514.88
Iudices inferni. 530.88
Iuga panda. 616.54
Iuvenis coram ſene dicere erubeſcebat. 268.69

L.

LAbor non ſentitur ſedulitate. 229.434
Lacerna, veſtis militaris. 128.740
Lacrymis implere ſinus. 235.522
Lactentia viſcera. 318.137
Lappa tenax. 624.14
Lara, Lalara, Lar. 115.599
Lanam mollire. 193.817




Digitized by Google

Latium unde dictum. 25.238
Latium forum. 509.6
Lato purpura clavo. 527.29
Laurus ante domum Auguſti. 449.39
Laurea vitta. 502. 56. Laurea ſerta. *ibid.*
Lemnium ſaxum. 537.61
Lentæ habenæ. 516.3
Lentus ſpectator. 443.514
Leucothea Ulyſſi tulit opem. 704.20
Leucothoë, Matuta. 344.545
Liberat enſem vagina. 131.793
Libum in ſacrificiis. 480.17
Litura. 366. 13. 645.18
Livia Porticus. 350.639
Livor iners vitium. 694.101
Lotos pro tibia. 210.190
Lotus guſtata Dulichio palato. 494.31
Lolium oculos vitiat. 65.691
Lucretia. 128.744
Luctari remis. 515.19
Luctamen remorum. *ibid.*
Lunula in calceis. 45.469
Luna fuit. 125.797
Luperci. 70.31
Lupercalis etymon. 95.381.99.423
In *Lupercalibus* mulieres patienter excipiunt facundæ dextræ verbera. 99.427.270.101
Luſus juveniles non placent ſenibus. 596.4
Lycophron, ſagitta percuſſus, periit. 804.531
Lydia dixit mala verba invito Deo. 801.499

M.

MÆnæ caput obſutum. 112.578
Mœnia aratro ſignata. 254.819
Macareus & Canace. 805.562
Magna perſona, id eſt, magni nominis. 675.43.
Majus unde dictus. 264.1
Maniplus, maniplaris. 143. 117. & 118
Manlius. 321.185
Mars vigila. 29.277
Maris rores. 249.741
Mater, pro Cybele. 215.259
Matronalia. 146.170
Matronæ crines & vittas habens. 691.51
Medea. 433.388
Meduſæ Gorgonis ora. 519.11
Melite inſula. 175.567
Menſium nomina quare ſic poſita. 12.39
Menſum pro Menſium. 289.474
Menſura clavi, veſtis ſenatoriæ. 527.35
Meriti gratia nunquam morietur. 684.27
Mercurius, ψυχαγωγός. 116.612
Metari cælum, 33, 309
Micat cor tremore. 137.36
Mica thuris crepat in igne. 489.16
Mileſia crimina. 435.413
Mitra quid. 181.669
Modeſte lingua uti. 115.607
Monetæ Junonis templum. 321.183
Moretum. 223.367
Mors ſolutio animæ & corporis. 776.146.
Mortuum ab Orco reducem in lucem facere. 560.19
Muſica, poëtica ſacræ mentis ſemina. 310.4.
Muta dea. 110.572. Unde dicta. 114.583
Mutua cura. 127.730
Mulieres quæ ornantur ſibi. 120.

N.

NAvis inſigne & tutela ſimulacrum
Deorum.
Neptuni ira adverſus Ulyſſem.
ſæpe cautum petiit Ulyſſem.
Nili Caput.
Nigræ fabæ Lemuribus.
Nidos hirundinis.
Nilus advena.
Niobe orba. 536, 57. Felix.
Nireus conſpiciendus pulcra forma.
De *Nive* manans aqua liqueſcit.
Nocturna Lemuria.
Nova hyems, pro autumno.
Novi pontes. i. e. glacies.
Non præcipitata.
Nudæ meretrices Floralia exercebant. 42
Numina ipſa animos noſtros commovere
Numeros per omnes.

O.

OCuli ſtantes.
Officii clauda pars.
Officio pio.
Olivæ pacatæ ramus.
Olympias quinquennis.
Opi coronam turritam faciebant.
Oppida ex argento victoribus Romanis
rebantur in triumpho. 625. 37. Item
nea. 700. 105. Opes ſunt pluris.
Ore favere. 774.96.
Oreſtes, pius, an ſceleratus.
Oreſtes & Pylades inter ſe pugnant
alterum pro altero. 687.86.399.27.
inops Oreſtes. 433.
Orator non alienus eſt à Poëtis. 650.
Os pro ſermone. 11.21.393.
Oſcines & præpetes aves. 401.
Otia Pontus agit. 15.
Ovidius inter bis quinos ſedit tribunus. 225.
383. Ejus vita. 525. Eleg. 10.
Ovidio molle cor. 529.6

P.

PÆſtana roſaria. 539.2
Pœna. 545.40. Pœnus perfidus. 326.24
Palamedes, Naupliades. 800.519
Paganalia. 63.669
Palilia. 247.722
Palladium. 336.421
Pallanteum. 448.32
Pallas ſine matre. 490.1
Pallade infuſa, pro oleo. 514
Pallas, bellica dea, ſtat Phidiaca manu facta. 715.32
Pan, armenti cuſtos. 88.277. Univerſi natura. 88.281
88.286
Panicus terror. 424.22
Pannonia. 705.31
Paris ſemivir. 617.74
Pars bona & magna. 747.49
Parthenius fluvius. 118.634
Patellarii dii. 268.71
Patres, ſelecta pectora.

Digitized by Google

# INDEX.

Pauli Æmilii caſus ad Cannas. 326.243
Patroclus, Menœtiades. 547.25
Pegaſus, unde. 168.451
Peliæ gener. 434.403
Pelias haſta. 610.51
Pelops eburnus. 433.386
Pentheos umbra nos vacat pœna. 545.40
Penelopea fides. 573.36. Abſentem laudat maritum. ibid.
Perſeus liberavit Andromeden. 805.555
Perillus 482.41. tauri aheni fabricator. 568.47
Phæaces, cæleſte genus. 664.42
Philoctetes, Pœantius. 537. 61. Vulnus alit ab angue datum. 538.14.546.12
Picus Martia avis. 137.37
Picti dei in puppi. 386.110
Pilarum formæ & jactus. 441.485
Pinea texta, pro navi. 48.506
Pirithous & Theſeus. 640.43
Piſcis nondum in menſis exhibitus. 320.173
Piſæa Hippodamia. 433.386
Pix Illyrica. 759.45
Plebs à Patribus ſecedit. 60.643.180.663
Pleno theatro. 555.25
Poëticum ſtudium, arvum ſterile. 601.33
Pœna ad paucos, metus ad plures. 589.127
Pompa parata. 774.103.226.391
Pons ſublicius. 301.622
Porticus poſt ſcenam. 614.35
Ponere templa. 305.669
Portimas & Poſtverta. 85.639
Prætor aratro poſito dabat jura Romanis. 24 207
Prætextum Auguſto nomine templum. 298.567
Prætores, ſeu Ædiles, ludos faciebant, & à Poëtis fabulas emebant. 443.508
Priapus Veſtam violaturus. 332.333
Proſerpina apud inferos tribus ſolvit jejunia granis. 239.607
Progne & Itys. 485.9
Proteſilaus. 551.57.573.39
Proteus. 38.373
Pulcritudo nativa, ab arte nulla factus decor. 129.764
Puellæ profeſſæ. 257.866
Pulvinaria. 632.71
Pylades, Phocæus. 513.71. Verus amicus. 553.25
Pyrrhi parens. 435.405
Pyrrhus. 322.203
Pythagoras mente Deos adit. 33.298

Q.

Quaſſa, non merſa eſt navis. 564.13
Quirinus unde dictus. 103.477

R.

Rabirius magni oris. 763.5
Rapto vivere. 562.16
Reducta ſecuri. 499.5
Regia res ſcelus eſt. 348.595
Relegatus. 419.137
Remus rutro occiſus. 256.843
Remuria, Remi feſtum. 291.451
Remus, Iliades, tranſiluit mœnia. 504.8
Rex & Regina ſacrorum. 68.21
Rhamnuſia ultrix. 558.8
Rhenones. 557.49
Rhæti. 424.226. Robigalia. 260.907
Roma pauper. 23.200
Romæ totus promittitur orbis. 49.517
Romanæ fœminæ nobiliores carpentis olim vehebantur. 57.619
Roma ſuas ipſa opes timet. 60.644
Romanæ artes. 105.508.141.103
Romanorum principum origo. 200.37
Romani ſenes à Gallis trucidati. 333.363
Romulus & Remus expoſiti. 138.51
Romulus urbem trifariam diviſit. 106.527
Romulus in Deos relatus. 104.497
Roſæ roratæ. 625.36
Rota fervens. 617.68
Rubigo interficit ferrum. 580.71
Ruminalis ficus. 98.412
Ruina. 464.5
Rumore ſecundo. 486.23
Rutilii magnanimi grave robur. 593.63

S.

Sabinæ armillæ. 27.261
Sabinæ fœminæ committendæ intercedunt pugnæ. 149.215
Sabinus Poëta Epiſtolis Ovidii reſpondit. 764.13
Sancus fidius. 323.213
Salii ſacerdotes Martis. 153.260.162.387
Saturnus falcifer. 25.233
Saturnus pro Jove ſaxum devorat. 211.205
Satyrus primus, ſicut erat, tibiam abjectam tollit, & inflat. 356.702
Sectus hortus rivo aquæ. 115.704
Seducimur pro ſubducimur. 225.385
Semidei. 773.80
Servii caput arſit. 356.630
Senectus amœnitates aufert. 596.4
Septena lyræ fila. 201.166
Serra cauſa necis Perdici. 831.498
Singultu medios præpediente ſinus. 382.42
Sigillum falſum, mendax nota. 661.70
Silenus. 40.399.331.324
Simonides, Leoprepides. 802.512
Silicis venæ. 398.41
Signum Dianæ à Tauris tranſlatum. 513.81 695.52
Sidera pacta tibi. 541.52
Sitim explere cruore. 483.57
Siſtrum. 578.45
Sinus maduiſſe. 547.40
In *Sinum* labitur humor aquæ. 498.98
Somni donum. 147.185
Solatia frigida. ψυχρὰ τέρψις. 718.45
Smintheus Apollo. 337.425. Sminthamus lingua Cretenſium. ibid.
Smyrna. 594.66
Socrates, Anyti reus. 566.12.805.559
Ejus noviſſima ad Judices verba. ibid.
Somnus medicina publica curæ. 584.43
Spartanæ mulieres φαινομηρίδες. 41.407
Sperandum; tempora tibi veris erunt. 47.496
Spes manet. 606.31
Sphinx. 520.17
Squalida ora. 501.34

Sta-

Digitized by Google

Studia diſtantia. 486.23
Stygium forum. 530.88
Sulphur vivum. 248.739
Summa rerum. 268.72
Summanus. 358.731
Superare, pro ſupereſſe. 481.30
Sus Cereri ſacra. 36.349
Sybaritis. 436.417

T.

TAnaquil. 350.629
Taprobane. 604.80
Tarpeiæ arces. 15.79
Tarquinius. 127.725
Taurica ara. 512.63
Taurum tibi, Jupiter. 53.579
Telum virus habens. 497.84
Tempora rerum. 368.37
Tempora Tiſiphones. 523.6
Temporis vultus, temporis arma & ſolatia. 531.106
Terentius Varro, velivoli maris vates. 764.21
Terminus, bis minus. 123.670
Terens. 433.380
Teucer, Telamone cretus. 595.80
Teuthrantia regna. 412.19
Thebæ, urbs draconigena. 197.865
Thebæ, & mutua vulnera fratrum. 429.319
Themiſtocles, Neoclides. 594.69
Theromedon. 588.121
Therſites. 754.15
Theſeus credulus devovit gnatum. 359.738
Thura in igne ſonant. 499.4
Thoas. 513.81.686.59
Thyeſtes, Harpagides. 804.545
Thuris notitia quando ad Romanos pervenerit. 35.339
Thyrſus haſta pampinea. 495.43
Tibicines. 353.659
Tiphy, ars tua vacet. 508.77
Tityi jecur. 584.41
Tomis unde. 476.33
Tonitru lævum. 255.833
Torquatus Manlius, & Corvinus. 55.601
Trahere tempus, trahere animum. 557.65
Trinacris. 228.420
Triptolemi currus. 471.1
Troja everſa reſurges, & victa vinces. 49.523
Tropæum. 700.104
Tubiluſtria. 309.725
Tullia impia. 247.587
Tybris ex Apenninis montibus. 73.68
Tydeus ad Adraſtum. 595.79
Tyndaris. 433.396

V.

VAccinia. 365.3
Vallata tecta veluti ſagittis. 583.23
Vaticinator. 578.42
Veles nondum calfactus. 771.46
Vena perennis quæ. [illegible]
Venus dat jura cœlo, terræ, natalibus [illegible]
Ventus ſons. [illegible]
Venti prælia venturi. [illegible]
Venti ferentes. [illegible]
Venus & Mars. [illegible]
Venti alati. [illegible]
Verba clamata theatris. [illegible]
Vernare. [illegible]
Vertumnus. [illegible]
Veſca. [illegible]
Veſta eadem quæ terra. 328.267. [illegible] 330.299. Saturni filia. 334.383. ejus templum arſit. 337.437. Adyta habet non adeunda viro. 338.45[illegible]
Veſtis picta. 333.363.[illegible]
Veterum vita ſimilis ferarum. [illegible]
Vidua decem menſes domi ſe tenet [illegible] & quare. [illegible]
Via ſacra. [illegible]
Vices ſermonum. [illegible]
Villicus quis. [illegible]
Villæ ſolutæ, villæ tonſæ. [illegible]
Vinalia. [illegible]
Vinum ſpargitur in cornua. [illegible]
Vincula pro calceis. [illegible]
Vinum annis diffuſum. [illegible]
Vinis oculique animique natabant. [illegible]
Si *Violandum* eſt jus, regnandi gratia [illegible]dum. [illegible]
Virbius. [illegible]
Virgineus liquor. [illegible]
Virgo aqua. [illegible]
Virtus ipſa ſibi pretium. [illegible]
Vittæ tenues. [illegible]
Vitta alba impedit comas. [illegible]
Vitta barbara. [illegible]
Vulnera cruda retractare. 481.19
Vulnera inhoneſta tergo. 83.211
Vulnus alo. 183.6[illegible]
Vulpes ignibus inſtructa incendit agros. 245 [illegible]
Ultima perpetior. 422.137
Ulyſſes Neritius. 390.57
Ulyſſes in Lotophagis. 494.31
Umbra metum incutit. 653.14
Umbra lubrica effugit prenſantis manus. 291.476
Urbis opus. 351.641
Urſa major, & minor. 504.1
Utilis aura. 745.16
Uva incluſo plena mero. 544.36. Lætus Lyæus. ibid.

Z.

ZAnclæa Charybdis. 542.51


FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google